BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXI
G
78
NAPOLI

78

Mo
Rola

Digitized by Google

INNOCENTIJ
T V B A

A V C T O R E

Dr IOANNE BAPTISTA
P A S C H A L I

ARCHIPRESBYTERO CAVENSI.

Pertinet ad Conventum S.æ M.æ Carmeli
Terræ S.i Anthimi.

Digitized by Google

Digitized by Google

INNOCENTIJ
T V B A

Myſticam Iericho iniquitatis ſexaginta-
quinque Propoſitionibus extructam
funditus euertens.

PARS SECVNDA,

Commentariorum in reliquas trigintaduas Propoſitiones
ab Innocentio XI. anno 1679. proſcriptas.

O P V S

Ab Archipresbytero Cathedralis Eccleſiæ Cauen̄

D. IOANNE BAPTISTA
P A S C H A L I

S. Theol. & V. I. D. ac Prothonotario Apoſtolico magna animi con-
ſtantia, à compluribus annis ſuſceptum, ſummaque induſtria, &
labore ad finem vſque redactum: Eccleſiaſticis omnibus, ac
ijs præſertim, qui animarum curam gerunt, Iuris vtriuſ-
que prudentibus, Morum Theologiæ, reliquiſque
Diuinarum Literarum Profeſſoribus apprime
vtile, ac neceſſarium.

C L E M E N T I
PONTIFICI MAXIMO XI.
D I C A T V M.

[redacted]

NEAPOLI. Typis Nicolai Abri. M. DCC. VI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

[illegible] [illegible]

Digitized by Google

ELENCHVS

Propoſitionum proſcriptarum , & Paragraphorum, quæ in hac Secunda Parte continentur :

Propoſitio XXXIV.

Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa grauida occidatur, aut infametur. Eſt Torreb. p. 1

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 4.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 11.

§. Tertius.

Enodantur argumenta Propoſitionis proſcriptæ. 15.

Propoſitio XXXV.

Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in vtero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere habere, cum pariter, ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi. Eſt Io: Marci, & Caramuelis. 20.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 23.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 29.

§. Tertius.

Argumenta contraria protelantur, 36.

§. Quartus.

De pœnis Abortus. 43.

Propoſitio XXXVI.

Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed ſed etiam in graui. Eſt Dianæ, & aliorum. 51.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 53.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 56.

Propoſitio XXXVII.
Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſubripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt. Sine nomine Auctoris fuit prius cenſurata à facultate Louanienſi. 60.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 62.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 72.
§. Tertius.
Reſoluuntur quædam difficultas circa hanc compenſationē. 79
Propoſitio XXXVIII.
Non tenetur quis ſub pena peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parua furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis. Eſt Berarducij. 83.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 83.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 87.
§. Tertius.
Enodantur aliquæ difficultates. 100.
Propoſitio XXXIX.
Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati; Attribuitur Baunio. 108.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 111.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum; & eliciuntur corollaria iuxta omnes modos comprehenſos ſub damnatione. 119.
Corollarium I. de Mandante. 125.
Corollarium II. de Conſulente. 129.
Corollarium III. de Conſentiente 133.
Corollarium IV. de Adulatore. 135.
Corollarium V. de Receptatore. 136.
Corollarium VI. de Participante 138.
Corollarium VII. de Mutuo, non obſtante, non manifeſtāte. 140
Pro-

Propoſitio XL.

Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu eiuſdem perſonæ, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito; cum intentione lucri. Pro hac aliqui citant Salas,& Dian. 144.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 146.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 150.

Propoſitio XLI.

Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem,quam futuram, poteſt creditor aliquid ſupra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vſura excuſari. Eſt Caram. 153.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitions. 155.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 158.

§. Tertius.

Conuelluntur argumenta contraria. Et horum occaſione plures difficultates enodantur. 164.

Propoſitio XLII.

Vſura non eſt, dum vltra ſortem aliquid exigitur tanquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum; ſed ſolum ſi exigatur tanquam ex iuſtitia. Eſt Gaſp. Hurtadi, Caram. & alior. 170.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 172.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 174.

§. Tertius.

Diſſoluuntur argumenta contraria. Quorum occaſione multi caſus reſoluuntur. 178.

Propoſitio XLIII.

Quidni non niſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam, falſo crimine elidere. Erat Caram. in 1. edit. fundam. 182.

Propoſitio XLIV.

Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum cri-

men

men alicui, vt ſuam iuſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non eſt probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia. Erat etiam Caram.in 1. edit.ſundam. ibid.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 186.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum vtrumque Propoſitionem damnans. 198.

Propoſitio XLV.

Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquam motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra. Eſt Valen.Eſcobar, & Milhardi. 209.

Propoſitio XLVI.

Et id quoque locum habet, etiam ſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale: immò etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic, vt illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis. Non nullis ſuſpicio eſt eſſe Caram. ibid.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 214.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum, & quamplures caſus reſoluuntur. 222.

Propoſitio XLVII.

Cum dixit Concilium: Eas alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, qui, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles, ipſi iudicauerint, ad Eccleſias promouent: Concilium, vel primò videtur per hoc digniores, non aliud dignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparatiuo pro poſitiuo; vel ſecundò locutione minus propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos; vel tādem loquitur tertiò quando ſit concurſus. Eſt Tambur. 248.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum: contrarij argumentis expulſis. 259.

§. Ter-

§. Tertius.
Incidentia dubia reſoluuntur. 270.
Propoſitio XLVIII.
Tam clarũ videtur, fornicationẽ ſecundũ ſe nullam inuoluere malitiam,& ſolũ eſſe malam,quia interdicta,vt contrariũ om ninò rationi diſſonum videatur.Eſt Caram.& Verde. 274.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 278.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 284.
§. Tertius.
Proſtrantur argumenta contraria. 298.
§. Quartus. (301.
An poſſit dari ignorantia inuincibilis de fornicatione ſimplici.
Propoſitio XLIX.
Mollities iure naturæ prohibita nõ eſt.Vnde ſi Deus eam nõ interdixiſſet,ſæpè eſſet bona,& aliquãdo obligatoria ſub mor-
§. Primus. (tali.Eſt Caram.& Verde.302.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 305.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum : & contraria diſpel-
§. Tertius. (luntur. 311.
An opinio docens, præcepta ſecundæ tabulæ eſſe diſpenſabilia, incurrat hanc damnationem? 319.
Propoſitio L.
Copula cum coniugata conſentiente marito, non eſt adulteriũ; adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum. Eſt quorundam Caſuiſtarum. 321.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 323.
§. Secundus. (Auctorũ Propoſitionis.330.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretũ. Et occurritur obiectis
Propoſitio LI.
Famulus,qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuuat lucrũ ſuũ aſcẽdere per feneſtras ad ſtuprandã Virginẽ, & multoties eidem ſubſeruit,deferendo ſcalam,aperiendo ianuam,aut quid ſimile cooperando,nõ peccat mortaliter,ſi id faciat metu notabi-
lis

lis detrimenti,puta ne à Dño malè tractetur,nè toruis oculis aſpiciatur,ne domo expellatur.Eſt Tamb.& Ant.à Sp.S.338.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 340.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 345.

§. Tertius.

Exturbantur obiecta. 348.

§. Quartus.

Cōplures difficultates pro cōpleta notitia reſoluuntur. 353.

Propoſitio LII.

Præceptũ ſeruandi feſta non obligat ſub mortali ſepoſito ſcandalo,ſi abſit contemptus.Eſt Richar.& aliorum: 359.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 363.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 383.

§. Tertius.

Argumenta contraria protelantur. 392.

Propoſitio LIII.

Satisfacit præcepta Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui duas eius partes, immo quatuor ſimul à diuerſis celebrantibus audit. Eſt Leandri à Sacr.& aliorum. 394.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 398.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 424.

Propoſitio LIV.

Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia maior pars trahit ad ſe minorem. Eſt Caſtropalai, Dianæ, & aliorum. 429.

§. Primus.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 433.

§. Secundus.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. Et ſimul oſtenditur, principium illud: Maior pars trahit ad ſe minorem,malè applicari ad propoſitum. 450.

Pro-

Propoſitio LV.
Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem. Eſt Suar. Dian. Dicaſt. Soti, & aliorum. 459.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 462.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. Et elumbantur argu- (menta. 493.
Propoſitio LVI.
Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter viuunt, eſt nota prædeſtinationis. Eſt quorundam. 497.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 499.
§. Secundus.
Signa naturalia, & ſupernaturalia prædeſtinationis recenſen- (tur. 512.
§. Tertius.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 521.
Propoſitio LVII.
Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam. Deſumpta eſt ex Cano, Molpheſio, & alijs. 536.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 539.
Propoſitio II.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decr. & eneruantur obiecta. 552.
Propoſitio LVIII.
Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem. Eſt Sancij. 562.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 564.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 567.
§. Tertius.
Diluuntur argumenta oppoſitæ ſententiæ. 570.
Propoſitio LIX.
Licet Sacramentaliter abſoluere dimidiatè tantum confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, qualis V.g. poteſt contingere in die magnæ alicuius feſtiuitatis, vel indulgentiæ. Attribuitur Petro Marchantio. 573.

§. Pri-

Digitized by Google

§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 575.
§. Secundus.
Aſſertiones iuxta Decretum. 591.
Propoſitio LX.
Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi, contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodo ore proferat ſe dolere, & proponat emendationem. Eſt Baunij. 595.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 597.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 602.
§. Tertius.
Incidentes difficultates reſoluuntur. 607.
Propoſitio LXI.
Poteſt aliquando abſolui, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit. 614.
Propoſitio LXII.
Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua vtilis aut honeſta non fugiendi occurrit. ibid
Propoſitio LXIII.
Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bonó ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi. Videntur deſumptæ ex Io: Sancio, & Baſilio Pontio. ibid.
§. Primus.
Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 619.
§. Secundus.
Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 623.
§. Tertius.
Incidens iurgium reſoluitur.
Propoſitio LXIV.
Abſolutionis capax eſt homo, quantumuis laboret ignorantia myſteriorum Fidei; & etiamſi per negligentiam etiã culpabilem neſciat myſteriũ SS.Trinitatis,& Incarnationis D.N.J.C.Tribuitur Sanch.Sãc.Baſs.649.
§. Primus. Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 658.
§. Secundus. Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. 668.
Propoſitio LXV.
Sufficit illa myſteria ſemel crediſiſſe. Eſt Tambur. 671.
§. Primus. Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis. 672.
§. Secundus. Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum. ibid.
INNO-

Digitized by Google

INNOCENTIJ TVBÆ PARS SECVNDA,

Continens Commentarios in alias Propoſitiones triginta-duas hoc eodem Decreto proſcriptas.

PROPOSITIO XXXIV.

Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa grauida occidatur, aut infametur.

1 HAnc Propoſitionem docuerũt *Torreblanca de magia l.2.c.34. n.16. & in practicis iuris ſpiritualis l.12.c. 16. n.44. editionis Cordubenſis anni 1635. Leo Zambellus in Repertorio morali V. Medicus nu.1. Ioannes-Maria de Caſtilento in Polyanthea Seraphica V. Abortus diffic.3. Barboſa in collect. ad 5. decret. c ſi aliquis 5. de homicidio, Leander à Murcia in diſquiſ.moral.l.2. diſp.5.reſ.31. n.14.& 24. & Zanardus in direct.confeſſ.1.p.de Sacram. Matrim. c.41.q.17.* & probabilem ſententiam putarunt *Lezana tom.3. qq.Regul. V. Abortus n.5. Trullench.l.5. in Decal.c.1.dub.4.n.1.in fine, Antonius à Spiritu Sancto par.1.direct.Confeſſ.tr.5.d.14. n.1113. & Baſſæus V. Abortus in ſuppl. n.17.* addens tamen, quòd hæc ſententia non debet practicari, niſi inſtar antimonij.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Quid ſit Abortus, quidue fœtus immaturi nomine veniat.*

3 *Num fœmina omnimodam vim paſſa contra caſtitatem, poſſit expellere ſemen incontinenti ac effuſum eſt, ne concipiat poſtea, & infametur, vel aliud damnum graue patiatur?*

4 *Quidue dicendum de ſponſa de præſenti oppreſſa per vim à ſponſo intra bimeſtre, quo non tenetur reddere debitum?*

5 *Et ſi fœmina ſit per metum cognita, quid poſſit circa ſemen, & quare à pec-*

cato copula non excuſetur? Si verò abſoluta vi ſit cognita, vt peccatum non contrahat, an ſuffi iat interius non conſentire? an teneatur inſuper & non ſe aptare, & inſuper reſiſtere? an etiam teneatur clamare?

6 *Cur ſemper ſit illicitum procurare abortum fœtus animati per media per ſe, & directè ad expellendam creaturam ordinata? Cuiuſue ſpeciei ſit hoc crimen. Num ſaltem licitum ſit ſuadere abortum, quando mulier grauida parata eſt ſe occidere, ad infamiam vitandam, vel mortem?*

7 *Si fœtus ſit corruptus, an poſſit ob matris ſanitatem directè pelli? Et quid in dubio, an proles ſit iam mortua, vel viua in vtero matris?*

8 *Num ſi prægnans mulier periculoſo morbo laboret, & aliud remedium non ſuperſit, poſſit pharmacum, vel aliud remedium ſumere directè, & per ſe ad ſalutem ordinatum, quamuis inde abortum fœtus etiam animati ſequi timeatur.*

9 *Quid ſi medicina applicanda æqualiter tenderet ad ſalutem matris, ac ad fœtus abortum?*

10 *An ſi adſit probabilis ſpes, vt poſſit fœtus in lucem prodire, teneatur mater, cum ipſius vitæ periculo ſupradicta medicamenta non adhibere, vt fœtus baptizetur?*

11 *An quando mater probabiliter timet ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, teneatur abſtinere à ſupradictis medicamentis, ſi ſperetur, fœtus in lucem edendum, & baptizandum fore?*

§. II.

12 *Illicitum eſt procurare abortum, ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa grauida occidatur, aut infametur. Et contraria aſſertio, quæ cenſura hoc decreto abſcindatur, quare etiam ante hoc decretum à Doctoribus notata fuerit?*

13 *Patres Eccleſiæ ſentiunt inſtar homicidij computari procurare abortum fœtus inanimis, & nullo pacto eſſe excuſabile. Vnde & quinto Decalogi præcepto prohibetur.*

14 *Quanti faciendum ſit ſeuerum iudicium Sixti V. in hac re?*

15 *Num in* c. ſi aliquis 5. de homicidio, *illicita oſtendatur omnis ſpecies abortus ſiue prima, ſiue ſecunda, ſiue tertia?*

16 *An ſi lex diuina hunc abortum non prohiberet, meritò Eccleſiaſticis, & profanis legibus cenſeretur prohibitus?*

17 *Num ſententia reſciſſa faueat nocentibus contra innocentem, foueat libidinem, atque viam ſternat intolerandis ſpurcitijs?*

18 *An ſi liceret puellæ inanimem fœtū deijcere, ne occidatur, liceret etiam viro ſe polluere, ad mortem euitandam?*

19 *An damnatio habeat locum etiam ſi expellatur medicamento indirecto fœtus inanimis propter vitandam infamiam, aut occiſionem?*

20 *Quid ſi fœmina ita prægnans patiatur ſciſſionem venæ, & conetur prodire tantam ſanguinis quantitatem, vt deficiat ſanguis neceſſarius ad procreationem prolis?*

21 *Num*

21 *Num ſubſternatur damnationi huius Propoſitionis etiam opinio, quæ docet, poſſe expelli fœtum inanimem, quando fœmina paſſa eſt omnimodam violentiam caſtitatis?*

22 *Subiacet ne quia militat eadem ratio?*

23 *Eſt ne argumentum bene deductum ab omnimoda effuſionis ſeminis prohibitione etiam in comminatione mortis?*

24 *Pollutio quare prohibita intrinſecéque mala independenter à delectatione?*

§. *III.*

25 *Argumentum primum ducitur ex eo, quòd ſi Parens, aut Dominus puellæ grauidæ, morte directè intentata ad eum effectũ, eam cogerent ad abortum fœtus animati, liceret ei cedere, & vindicando vitam ſuam abigere proprium fœtum.*

26 *Sed refellitur primò per inſtantiam.*

27 *Secundò per retorſionem.*

28 *Tertiò directè negando aſſumptum. Vbi expenditur an ſemen deciſum poſſit in rigore dici pars matris. Quem locum probabilitatis habeat ſententia docens, Tyranno vrgente, licere abſcindere ſibi partem, crus, aut brachium, ne indiuiduum totum pereat?*

29 *Argumentum ſecundum formatur ex eo, quòd licitè procuratur eiectio fœtus nondum animati, cùm vita matris periclitetur ab intrinſeco, ſeù ex morbo, & prudenti medicorum iudicio non aliter præſeruanda creditur, quàm per abortum illius.*

30 *At ſententia oppoſita aſſumpto refertur, & magis probatur?*

31 *Adhuc ſententia aſſumpti admiſſa, aſſignatur diſpar ratio à caſu huius Propoſitionis abſciſſæ.*

32 *Tertium argumentum proponitur ex eo, quòd licèt, etiam ſecluſo morbo accidentali, matri ante occupare animationem fœtus, & conceptionem illius; dum experta eſt vitæ diſcrimen in alijs partubus ex anguſtia vteri, vel naturali arctitudine laterum?*

33 *At aſſumptum continet doctrinam falſam, & communiter exploſam. In hoc tamen caſu illa mulier non tenetur admittere virum ad copulam, ſicut in caſu lepræ, & alterius magni damni periculo. Quid ſi initio matrimonij agnouerit arctitudinem ſuam, vel virum lepra laborare?*

34 *Cur fœmina violenter cognita poſſit repellere, & impedire receptionem ſeminis, non autem receptum expellere?*

35 *An ſit probabilis ſententia docens, non eſſe peccatum graue exigere, aut reddere debitum cum periculo abigendi fœtum inanimem? An ſit expers culpa copulari cum periculo diſſipandi materiam, ex qua vnita, & coagulata fœtus concipiendus eſſet?*

****

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRæmonendum eſt primò. Quod Abortus propriè eſt *Studioſa expulſio fœtus ex vtero matris violenter facta ante tempus à natura præfinitum. Belloc bius de caſibus reſeru. par.2.q.8. Cabrinus in elucidario caſuum reſeruatorum par.2.caſu 7.annot.5.* Breuius verò definitur: Abortus, *eſt Eiectio fœtus immaturi.* Ita *Diana p.7.tr.5.reſ.1.* Nomine fœtus immaturi venit tàm animatus, quàm inanimatus, *Ioannes Maria Nouarius in Pontificij iuris practicis concluſionibus concluſ. 1.n.1.*

Hinc eiectũ ſemen ſtatim poſt copulã mingendo, vel digitis eijciendo, nõ dicitur abortus, ſed tunc ſolũ cũ eſt conceptũ ſemen: hoc eſt incœptũ fieri fœtus in loco ſuo naturali per organizatione, licet imperfectã. Ita *Bordon. in cõſil. Regul. reſ 45.n.1. Dian. cit. tr.5. reſ.31. Renzi to.2.l.2.tr.2.c.5.ſec.1.qu.2.*

3 Notandum eſt ſecundò: magnam controuerſiam eſſe, An fœmina omnimodam vim paſſa contra caſtitatem poſſit abſque peccato expellere ſemen incontinenti ac effuſum eſt, ne concipiat poſtea, & infametur, vel aliud damnum graue patiatur? In qua affirmat *Sanchez l.2.de matrim.d.22. n.17. & Baſſæus V. Abortus in ſupplem. num.16.* & pro eadem ſententia citat *Diana cit. reſ.31. Marchantium in reſol. paſtor. p.1.c.6. qu.21.* At ibi nihil reperi: imò deeſt illud Quæſitum in editione Veneta anni 1680. Probat *Sanchez*, quia licet priuata auctoritate furem incontinenti, vbi furtum arripuit, donec in loco tuto cõſtitutus ſit, percutere: & ea reputatur defẽſa, ſecundùm *Sotum, Bannez, Aragonium, & Rodriquez.* Ergo ſimiliter reputabitur defenſa, cum incontinenti, & ſtatim ac ſemen receptum eſt, fœmina vim paſsa expellit: Secus verò quando iam ſemen habet poſſeſſionem, & eſt quaſi in loco tuto conſtitutum; tunc enim non erit defenſa, ſed intrinſecè malum. Confirmat, quia poſſet fœmina illa vim paſſa, quocumque tempore membrum virile extrahere, ſi poſſet, quamuis ſemen extra vas effundendum eſſet: non enim tenetur id pati. Ergò incontinenti ac effuſum eſt, poteſt ſimiliter expellere, quia cum non dum ſemen habeat pacificam poſſeſſionem, adhuc quaſi in fieri, & in ipſa effuſione reputatur eſſe. Sed contrarium rectiùs docent *Tamburinus l.7.decal.c.3.§.5.n. 14.* citans *Taxedam, Pontius l.9.c.10.n.4. Leander à Sacram. Renzi, & alij* communiter. Quia ſtatim ac ſemen eſt in vaſe, acquirit pacificam poſſeſſionẽ. Vnde ex multis docet *Mazucbellus de caſ. reſeru. d.2.c.3. diffic.4.n.24.* quòd mulier, quæ ſtatim poſt coitum mingit, vt non concipiat, & deijciat ſemen, peccat potius ex conſcientia erronea, quatenus putat hoc conducere ad non concipiendum, quàm vt reuera ſic impediat, vt docent etiam *Diana cit. reſ.31.* & alij. Ergò eſt intrinſecè malum illud ſemen expellere digitis, &c.

3 Et à fortiori nec ſponſa de præſenti per vim oppreſſa à ſponſo intra bimeſtre, quo non tenetur reddere debitum, poteſt expellere ſemen.

Ita

Ita *Auerſa de matrim.qu.21.ſect.5. Tambur.ſupra*,& alij),quos ſequitur etiam *Sanchez loco cit.* qui aſſignans diſparitatem iuxta ſuam ſententiam à caſu præcedenti, inquit: *Iniuria in ſponſa eſt multò leuior, nec infamiam patitur, & damnum non eſt adeò graue.*

15 Omnes verò cum eòdem *Sanchez loco cit.* docent, fœminam per metum cognitam non poſſe incontinenti ſemen expellere; quia copula fuit voluntaria, & cum peccato admiſſa. Neque enim metus, aut minæ mortis, vel infamiæ, neque pudor vociferandi, neque timor infamiæ, quæ vociferationem conſequeretur, ab hac culpa excuſaret eam, quæ ad coitum conſentiret, vt mala hæc vitaret: nam conſenſus etiam coactus ſufficit, & culpæ mortalis macula contrahitur, vt dicit *Nauar.in ſum.c.16.n.1. Reginaldus l.22.p.20. Molfeſius to.1.ſummæ tr.8.c.2.n.38.*& alii communiter, per *c.Meritò 15.q.1.*Et ratio eſt, nam voluntas coacta, voluntas eſt, *l.ſi mulier, §.pen. ff.quod metus cauſa*. Voluntas enim ita eſt domina ſui actus, vt in ipſa ſit velle, & non velle. Et quamuis exterius corpus cogatur, ſemper tamen voluntati libera remanet poteſtas volendi, & nolendi actum, ad quem quis cogitur. Et potius debet homo mille mortes, vniuerſaque mundi mala perpeti, quàm peccato conſentire, *c.itá ſanè 32.q.5.c.ſacris,de his, quæ vi, metuſue cauſa fiunt. Reginaldus, & alij omnes*. Si quæ tamen ad concubitum abſoluta vi cogeretur, & ipſa inuita ſolo externo actu concubaret, abſque vllo interno conſenſu voluntatis, non peccaret, etiamſi de actu ipſo delectationem aliquam perciperet, ſi in delectationem ipſam voluntate deliberata non conſentiret. Ita *Sotus l.5.de iuſtit.& iure,q.1.art.5. Nauar.ſuprà. Filliuc.tr.21.c.2. n.67. Megalius in promptuario V. Coitus n.31. Marchantius ſupra qu.8.* & alij communiter. Et huius ratio eſt, quia, vt dicit D. Auguſtinus *in lib.de vera religione c.14.* vſque adeò peccatum voluntarium malum eſt, vt nullo modo peccatum ſit, ſi non ſit voluntarium: Sed fœmina, quæ abſoluta vi cogitur ad concubitum, & ipſa inuita ſolo externo actu concubat, abſque vllo conſenſu voluntatis, à voluntate peccandi omninò aliena eſt. Ergo non peccat. Et quamuis delectationem ſentiat; tamen cum & ipſa ſit inuoluntaria, non eſt peccatum, ſed effectus naturaliter conſurgens ex illo actu. Tenetur tamen nedum nullo modo ſe aptare ad illum actum committendum, vt putà aperire tibias, vel veſtes eleuare, etiam ſi metu mortis ad id cogeretur: quia per illam cooperationem alicui conſentiret participando in cauſa: verùm etiam tenetur reſiſtere. Ita *Megalius ſupra, & alij*, quos refert, & ſequitur *Diana p.3 tr.6. reſ.31.* (niſi in caſu quo ipſa fœmina vim patiens ob violentiam corporalem ſibi factam, adeò animo perturbaretur, vt reſiſtentiam non aduerteret, vel adeò vires amiſiſſe cognoſceret, vt reſiſtentiam vanam eſſe exiſtimaret, vt ait *Megalius*: vel ex reſiſtentia timeret mortem, &c. vt dicunt *Diana ſup. cum Filliuc.*) Ratio eſt, quia ob ſolam vim, quæ infertur in prædicto caſu, à concubitu illa excuſatur. Sed quando illa reſiſtendo vim repellere

poteſt

poteſt,& non repellit,vim non patitur: Nam vis eſt maioris rei impetus, qui repelli non poteſt,*l.2.ff.de eo,quod metus cauſa.* Ergo non reſiſtendo vult concubitum ſaltem in cauſa. Et tenetur clamare, ſi clamore concubitum repellere poſſet. Quod aſſerunt aliqui ex *Caietano 2.2.qu.154. art.4. verſus finem*, etiam ſi clamare non poſſet ſine propria infamia: in Sacra enim Scriptura rea eſt mortis virgo in Ciuitate oppreſſa,quæ non clamauit,dum poſſet ſe clamore tueri, vt habetur *Deuter.22. Sotus* verò,*Nauarrus,Megalius,Diana,Filliucius,& Marchantius locis relatis, Molfeſius l.c.num.39.* contrarium putant: quia (inquiunt) in iſto caſu illa clamare non poſſe cenſetur: nec violentiam repellere: non enim dicitur, quis poſſe,quod ſine maximo incommodo facere nequit, *l.nepos Proculo.ff.de verb.ſignif.l.filius, ff.de condit.inſtitut.* Et adductum ex Sacra Scriptura *Nauarrus, & Marchantius* volunt habere locum quoad forum exterius: vt quæ clamando potuit ſe defendere,& non fecit,præſumatur conſentire.

6 Notandum eſt tertiò: Omninò illicitum eſſe procurare abortum fœtus animati per media directè, & per ſe ad expellendam, vel occidendā creaturam ordinata,vt per potionem veneni, dilacerationem, percuſſionem,vel alia media, quæ per ſe ad talem effectum conducunt, ſed eſſe peccatum homicidij propriè dicti ſic abortum procurare,etiam ſi fieret pro tuendo honore,& vita puellæ prægnantis. Hæc eſt conſtantiſſima doctrina Patrum,& Theologorum,cui auſi non ſunt contradicere, etiam aſſertores ipſi huius propoſitionis damnatæ; ſed opinionem ſuam conſultò reſtrinxerunt ad fœtum inanimatum. Refert quidem *Ioannes Maria de Caſtilento in Polyanthea Seraphica V. Abortus diffic.4.poſt medium*,neſcio quemdam Theologaſtrum proterue id defendentem, quia ius propriæ defenſionis, naturaliſque facultas vim vi repellendi etiam contra viuentes extenditur. Sed hæc,& alia fundamenta ipſius idem *Caſtilento* diluit; & doctrina aſſerens eſſe illicitum,vera dicitur,& fœmina cuiuſcumque conditionis, etiam ſi nobilis ſit,aut monialis,& Deo ſacra, aut etiam ſi ſcandalum timeatur,vt notat *Dicaſtillus de inſtit.l.2.tr.1.d.10.dub.13.n.173.* Et ratio eſt, quia hæc eſt occiſio iniuſta per ſe,& directa hominis innocentis, quæ nullo modo licet ob periculum infamiæ, mortis, vel alterius damni matris: non enim facienda ſunt mala,vt inde eueniant bona. Et (vt dicit *D. Ambroſius* relatus in *can.denique,14. q.5.*) *Si alicui ſubueniri non poteſt, niſi alter lædatur,commodius eſt neutrum iuuari,quàm grauari alterum.* Et ſi parens animato fœtui abortum inferat, parricida eſt,quia filium occidit. Atque ita docet *S. Cyprianus Martyr l.2.epiſt.8.ad Cornelium Papam* apud *Pamelium 44.* vbi Nouatum parricidij crimine notat, quòd vxorem pedis calce incuſſo abortire fecit,de quo fuſiùs *in comment.ad Propoſ.ſeq.* Quod crimen etiam committit Amaſius,qui non impedit amaſiam,ne abortiatur,quando poteſt; nam,vt inquit *Ambroſius l.1.de officijs c.36.* relatus in *can.inferenda 3.q.3.* *qui non repellit à ſocio iniuriam, cum poteſt, tàm eſt in vitio,quàm ille,*

qui

Digitized by Google

qui facit, & *in c. ſignificaſti* , & ibi ſcribentes, *de homicidio*, is dicitur reus homicidij, qui, cum commode potuiſſet, non impediuit occiſionem. Ergo ſi eſt pater, qui tenetur impedire lege pietatis, paternique officij, eſt parricida. Ita *Bauny in Theol. mor. tom. 2. tr. 11. q. 32. Diana p. 7. tr. 5. reſ. 28. Naldus V. Abortus nu. 6.* & alij communiter. Et inſuper contrahit irregularitatem non impediendo. Ita *Naldus*, & *Bauny locis relatis, Aula p. 7. d. 6. ſect. 2. dub. 7. concluſ. 2. §. ſequitur quarto, Portella in dub. Regul. V. Abortus nu.* 14. *Layman l. 1. ſect. 3. tr. 3. c. 4. nu. 7. Ioannes Maria Nouarius in noui iuris Pontificij pract. concluſ. concl. 1. nu. 13.* & alij contra *Turrianum de cenſuris l. 9. d. 63. dub. 3. & Gaſp. Hurtadum de irregul. d. 2. diffic. 9. nu. 34.* Patet tum ex textibus relatis, tum ex *can. qui ſequitur 3. qu. 3.* qui eſt *Anaſtaſii, & Damiani*, vbi dicitur: *Nec enim caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſiſit obuiare*. Et ex *Can. extremo, eadem cauſa, & quæſt.* qui eſt *D. Auguſtini in Pſalm. 81. Qui deſinit obuiare, cum poteſt, conſentit.* Tum denique, quia irregularitatem non effugit, qui, cum incumbat ex iuſtitia, alienæ ſaluti conſulere, eam, cum protegenda eſſet, negligit. Sed Patris ſunt hæ partes, eæque ex pietate virtute ſuperiori iuſtitiæ, vitam tueri filij. Ergo &c. Verùm licitum eſt ſuadere abortum, quando mulier grauida parata eſt ſe occidere, ad infamiam vitandam, vel mortem. Ita *Diana cit. tr. 5. reſ. 39. Nicolius in Floſculis V. Abortus nu. 3. Renzi ſupra c. 5. ſect. 1. quæſt. 7. Cobrinus cit. caſu, in reſolutoria praxi, p. o non incidentibus in corollario, Mazuchellus tr. de caſ. reſeru. d. 2. c. 3. q. 3. diffic. 1. nu. 93. Corella hic nu. 13. Torrecilla, cum Nozes num. 51. & ſeq. contra Candidum diſq. 1. ar. 2. dub. 2. nu. 5.* Ratio eſt, quia licitum eſt ſuadere minus malum, ſi id ſit pars formaliter, vel virtualiter incluſa in maiore malo, quod alter committere certò decreuit; quoniam tunc ſuadens non inducit hominem ad malum; ſed abducit à parte mali, cum à toto auertere non poſſit. Vnde habenti certum propoſitum adulterij committendi, ſuaderi poteſt, vt potiùs cum ſoluta fornicetur, nulla deſignata perſona; quia malitia fornicationis in adulterio continetur, tanquam pars in toto. Atqui abortus malitia virtualiter continetur in peccato iniuſtæ occiſionis matris: cum matris enecatio virtualiter ſecum trahat fœtus enecationem. Ergo &c. Diſpar eſt ratio de ipſa matre, ſeu puella: quia hæc dominium ſuæ voluntatis habet: vnde poteſt, & tenetur voluntatem ſuam à toto malo culpæ abducere. Qui autem abortum ſuadet dominium voluntatis non habet. Ergo ſi non poteſt eam à toto malo auertere, rectè agit, ſi ſaltem a mali parte remoueat.

7 Notandum eſt quartò: Quod ſi fœtus ſit corruptus, tunc poterit ob matris ſanitatem directè pelli; quia non amplius fœtus, ſed malæ, aut malignæ maſſæ rationem habet. Ita *Del Bene de immunit. tom. 1. c. 2. dubit. 4. ſec. 20. nu. 50. Lanfranchus to. 2. opuſc. par. 1. opuſc. 14. nu. 5.* alijque cum *Diana cit. tr. 5. reſ. 34.* Verum in dubio, an proles ſit iam mortua, vel viua in vtero matris, & an viua, vel mortua ſit exitura, præualet ius prolis. Ita *Fogundez* & alij.

8 No-

8 Notandum eſt quintò. Quod ſi prægnans mulier periculoſo morbo laboret, & aliud remedium non ſuperſit, poteſt pharmacum, vel aliud remedium ſumere directè,& per ſe ad ſalutem ordinatum,vt venę ſciſſioné, ventris purgationem,balnea, pharmacum purgatiuum,&c. quamuis inde abortum fœtus,etiam animati ſequi timeatur, nec tenetur mulier à tali remedio abſtinere cum periculo vitæ. Ita *Leſſius l.2 c.9.dub.10. num.62. Sanchez l.9.d.20.nu.16. Villalobos tr.12.diffic.13.num.8. Trullench.l.5.c.1.dub.4. nu.3. Leander à Sacram.de irregular.tr.2.d.11.q.4. Card.de Lugo de iuſt.& iure d.10.ſect.5.nu.132. Layman.l.3.tr.3.par.3.c.4.nu.4. Diana cit.tr.5.reſ.35. Tapia l.5.q.7.art.3.nu.4. Ioannes Martinez à Prado tom.2. c.20.q.6.num.20. Del Bene ſupra nu.67. Dicaſtillus l.2.de iuſtit.tr.1.d.10.dub.13.nu.166. Baſſæus V. Abortus nu.1. Alloza in Alphabeto morali V. Abortus nu.2. &* 5. alijque communiter. Contra *Vaſquez opuſc.de reſtit.c.2.§.1.dub.7.nu.28.& c.5.§.2.dub.6. num.23. & Pontium de matrim.l.10.c.13.nu.6.* Patet tum primò, quia mater ante prolem conceptam habet ius vtendi remedijs neceſſarijs ad ſalutem: Sed hoc ius non amittit per fœtus conceptionem. Ergo ſuo iure vtitur,& per accidens,ac præter intentionem abortus ſequitur. Tum ſecundò: Tam intrinſecè mala eſt pollutio,quàm peremptio fœtus animati. Sed illam licitum eſt permittere: vt ſi valetudinis gratia vtendum eſſet medicamento, aut potu,ex cuius caliditate præuideretur pollutio ſequutura. Ergo etiam licebit hanc permittere. Tum tertiò. Si proles iam nata materno lacte extremè indigeret; matri verò ad vitam tuendam neceſſarium eſſet vbera exiccare; porrò poſſet illa exiccare, etiam ſi præuideret, mortem prolis ſecuturam,quia poſſet vti iure ſuo. Ergo pari modo pro conſeruatione ſuæ vitæ poterit ſumere pharmaca,etiam ſi videat,talem ſumptionem futuram coniunctam cum periculo abortus. Tum denique quartò: quia licèt nefas ſit directè occidere innocentem: tamen per accidens, ac præter intentionem licitum eſt aliquando illum occidere. Sic enim inuaſus equo inſidens poteſt licitè fugere per viam anguſtam, vel oſtium, in quo puer aliquis ſit neceſſariò proterendus. Sic in bello iuſto,vt experientia teſtatur,ac pariter concedunt Doctores omnes agentes de Bello, licitum eſt bellica tormenta,aut ignes dirigere in arcem ſeu vrbem, in qua conſtat eſſe plures innocentes. Ergo etiam in bello iuſto,contra lethales humores ſuſcepto,licitum erit ægrotæ ſumere pharmaca ad ſalutem deſeruientia, licèt inde præuideatur ſequutura mors fœtus animati: hoc enim non eſt intendere occiſionem fœtus, ſed tantum illam permittere. Confirmant alio exemplo *Dicaſtillus, & Layman.* Nemo negabit, fera inuadente matrem, ipſi licitum fore,immo,& in præcepto naturali, vt fuga vitam ſuam certæ morti expoſitam liberet,ſi poſſit quamuis cum probabiliſſimo abortus periculo. Imò ſi poſſet illa,& auderet,quando aliter effugere non poſſet, pugnare cum fera,quando ſpes eſſet vincendi illam, quamuis cum periculo abortus, id licitum eſſet. Ergo pari ratione medicamentis pugnare cum ægritudine,

tam-

tamquam armis, ſeu lacertis cum fera, etiam ſi ex vtraque pugna, vel cum fera, vel cum ægritudine immineat periculum probabiliſſimum abortus. Suppetit aliud exemplum; nam qui iniuſtè inuaſus eſt ab inimico, poteſt inuaſorem petere, etiam cum occiſione innocentis, quem ſumpſit ille, & ante ſe poſuit ad ſe protegendum; nam occiſio innocentis eſt per accidēs, & præter intentionem. Sic accidit hic. Ergo, &c.

9 Sed hic dubitatur primò: An quando medicina applicanda æqualiter tenderet ad ſalutem matris, ac ad fœtus abortum, ſit licitum in tali caſu dicta medicamenta applicare?

Negant *Corduba in ſumm. q. 173. dicto 2. Rodriquez to. 1. Summæ cap. 5. concl. 3. nu. 3. Lopez 1. p. Inſtrum. c. 63. §. Sed in caſu dubio. Vega tom. 1. Summæ c. 5. caſu 3. Del Bene ſupra nu. 57.* aliique, etiam in caſu, quod ſalus matris eſſet deſperata, & fœtus etiam periret: mori, quia hoc eſſet directè procurare abortum.

Alij verò valdè probabiliter docent & matrem poſſe illam ſumere, & Medicum poſſe illam licitè applicare. Et ratio eſt, quia, potius ius habet mater ad vitam ſuam conſeruandam, quàm habeat fœtus: cùm hic à matre pendeat, & non è contrà. Ergo ſi medicina æqualiter tendat ad ſalutem matris, & ad necem fœtus, præferri poteſt vita matris ſaluti fœtus. Eo etiam maximè, quòd matre pereunte, non facile fœtus incolumis euadat. Ita *Trullench in Decal. to. 2. l. 5. c. 1. dub. 4. n. 5. Ioannes de la Cruz p. 1. præcepto 5. q. 1. dub. 7. concl. 3. Villalobos to. 2. tr. 12. diffic. 13. n. 4. Diana cit. tr. 5. reſ. 36. Alloza ſup. n. 3.* & alij cum *Sanchez cit. d. 20. n. 18.* qui *n. 19.* concedit hoc etiam eſſe licitum, etiam ſi medicamentum eſſet dubium, num mortem, an auxilium eſſet allaturum; quem ſequitur *Diana l. c.* & alibi. Contradicente *Trullench l. c. nu. 6.* Et ratio eſt, quia periculum damni eſt modicum, (ſupponimus enim eſſe deſperatam ſalutem) ad ſummum verò illud damnum ſequetur, quod mors aliquantulum anticipabitur. At lucrum maximum eſt, ſi res feliciter cedat, putà ſalus matris, quæ videbatur deſperata. Sic ſi mors certa immineat ab incendio excitato, vel fera inuadente, licitum eſt detento, ſeu inuaſo e loco alto ſe præcipitare cum dubio mortis periculo. Immò addit *Sanchez*, Medicum in tali caſu teneri tale medicamentum applicare, ex eo, quod teneatur minus malum ægroti eligere. Minus autem malum eſt dubia mors ſpem aliquam ſalutis habens, cum aliquali dubio anticipationis, quàm ſit mors omnino certa. Dicta procedunt, ſi remedium ſit æquè ſanatiuum. Nam ſi remedium ſit ex natura ſua mortiferum fœtui, & ſolùm hac ratione ſanatiuum, quatenus eſt fœtui mortiferum, non poteſt licitè adhiberi. Ita *Dicaſtillus cit. dub. 13. nu. 169. Lanfranchus d. Opuſc. 14. nu. 4. Diana cit. reſ. 36. Card. de Lugo cit. d. 10. nu. 132.* aliique communiter.

10 Dubitatur ſecundò: An ſi adſit probabilis ſpes, vt poſſit fœtus in lucem prodire, teneatur mater cum ipſius vitæ periculo, ſupradicta medicamenta non adhibere, vt fœtus baptizetur?

Reſpondeo affirmatiuè. Et mortaliter peccat contra charitatem Medicus talia medicamenta applicando, & mulier aſſumendo. Et ratio eſt, quia præceptum charitatis illam obligat ad præferendam vitæ ſuæ corporali vitam ſpiritualem proximi extreme indigentis, qualis eſt puer non baptizatus. Ita *Layman cit. c. 4. nu. 4. Caſalichius reſol. moral. l. 1. c. 1. num. 5. Lanfranchus d. opuſc. 14. nu. 7. Candidus tom. 1. diſq. 1. ar. 1. dub. 1. num. 3. Trullench ſupra dub. 4. num. 4. Leſſius l. 2. c. 31. dub. 6. nu. 33. Dicaſtillus d. dub. 13. nu. 168.* & alij, contra quoſdam, quorum ſententiam probabilem, & tutam iudicat *Caſpenſis in curſu Theol. tom. 2. tr. 18. ſect. 5. nu.* 140. Sed immeritò, & diſpar eſt ratio de inuadente res magni momenti. Nam inuaſor eorum, non eſt in neceſſitate, ſed in iniqua voluntate, non ſic autem infans, qui ſine ſua culpa eſſet moriturus ſine baptiſmate, niſi ope matris ex illo periculo liberaretur. Et diſpar eſt etiam ratio de furioſo inuadente vitam, vel bona alterius: nam ille verè infert vim, & eſt inuaſor; nec eſt certa damnatio eius ſi occidatur, cum in illo actu furioſus nullum committat crimen. At infans in vtero nec infert ipſe vim, nec inuaſor eſt, & certa eſt damnatio eius, ſi ad baptiſmum, non ſeruetur. Notat tamen cum *Leſſio Diana cit. tr. 5. reſ. 37.* quòd ſi tali remedio non adhibito, valde probabile eſſet, vtrumque moriturum; eo verò adhibito, probabile eſſet, matrem ſolum poſſe conſeruari, in tali caſu licitè poſſet illud adhiberi. Quod docet etiam *Caſalichius cit. c. 1. num. 6.* Pro complemento huius reſolutionis in caſu huius ſecundæ dubitationis addo cum *Lanfranco nu.* 8. eam procedere, etiam ſi dubium ſit, an fœtus ſit animatus, nec ne.

11 Dubitatur tertiò: An quando mater probabiliter timet ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, teneatur abſtinere à ſupradictis medicamentis, ſi ſperetur, fœtum in lucem edendum, & baptizandum fore?

Negant *Caſpenſis l. c. nu. 139. & Turrianus*, mori, quia non tenetur mater vitam ſpiritualem propriam contemnere pro vita ſpirituali alterius: Horum ſententiam iudicant omninò improbabilem *Card. de Lugo*, & alij: quia ſi mater timet probabiliter ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, non ideo excuſatur à procuranda ſalute vitæ ſpiritualis filij, ſed etiam ad eum finem obligatur ad procurandum ſtatum gratiæ, ad quem poteſt ſe per contritionem, & Sacramenta præparare. Quod confirmant exemplo Parochi, & aliorum, qui ad hoc tenentur, dum proximus eſt in extrema neceſſitate ſpirituali, cui ſubueniendum eſt, cum periculo vitæ; ſi enim timerent ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis, tenerentur ſe conſtituere in ſtatu gratiæ, vt debito modo ſuo muneri ſatiſfaciant. At non cenſeo improbabilem ſententiã *Lanfranchi nu.* 7. docentis, quod ſi mater in illo diſcrimine vitæ eſſet conſcia peccati mortalis ſine copia confeſſoris, ita vt opus eſſet confugere ad contritionem pro ſalute conſequenda, ſi ei eſſet difficillimum habere contritionem, excuſaretur, & non teneretur abſtinere à dictis medicamentis; quia periclitaretur vita ſpiritualis etiam ipſius: & licet non eſſet tam certũ peri-

periculum damnationis ipſius: moraliter tamen magnum eſt.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

12 DIco primò: Non licet procurare abortum ante animationem fœtus,ne puella deprehenſa grauida occidatur, aut infametur: Et contraria aſſertio meritò hoc Decreto, vt minimum tanquam ſcandaloſa abigitur: quæque omnium rectè ſentientium calculo communi reprobata erat etiam ante hoc Decretum:nam nota improbabilitatis eam inuſſit *Candidus cit.diſq.1.art.1.*impietatis verò *Gonetus to.3.in diſſert. Theologica de opinionum probabilitate nu.*117.Imò iam olim damnatam in *Congregatione S.Officij*,ex alijs refert *Diana p.6.tr.8.reſ.37.*qui *p.7.tr.5.reſ.32.* dicit prorſus improbabilem,& *Theophilus Raynaudus tom.14. tr. de ortu infantium per ſectionem Cæſaream c.10.nu.41.*ait eſſe virulentam, & exitialem opinionem, proſtibulo, quàm Scholæ congruentiorem. Eamque iudicauit,& reſoluit in praxi non eſſe tolerandam,& Superiorum auctoritate meritò prohibendam *Vniuerſitas Louanienſis anno 1653.*

13 Probatur primò,ex Patribus Eccleſiæ: nam quoad hunc effectum ipſi non diſtinguunt inter fœtum animatum,& inanimatum; ſed proximè animandus apud illos pro animato habetur: ſicut proximè accingendus pro accinto: & eadem illimitata generalitate, qua exiſtimant inexcuſabile abigere fœtum animatum, illumque occidere in vtero, pronunciant quoque eſſe illicitum, atque ad inſtar homicidij computari procurare eius abortum;cum non dum eſt animatus,ſed ſolummodo conceptus. Atqui fœtus animati abortionem directè procuratam eſſe grauiter illicitam,& nullo pacto excuſabilem,conſtantiſſima eſt doctrina Patrum,& aliorum Theologorum,vt *viſum eſt §.1.* Ergo etiam &c. Aſſumptum ſuadetur primùm ex *S.Baſilio in epiſt.1.ad Amphilochium Can.2.*ibi: *Quæ de induſtria fœtum corrupit, cadis pœnas luat;formati,vel informis ſubtilitas à nobis non attenditur. Hic non ſolùm quod naſciturum fuit vindicatur,ſed etiam ipſa,quæ ſibi inſidias parauit,quoniam vt plurimum eiuſmodi inceptis vnà quoque mulieres intereunt*. Hæc Baſilius: criminis grauitatem adaugens ex periculo occidendi ſemetipſas,quod ex violenta abortione ſæpius incurrunt prægnantes.Quo ex capite *S.Hieronymus epiſt.22.* iſtud etiam crimen aggrauat. Conſentitque *Mercurialis l.1.de morbis mulierum c.2* & alij ex medicis. Accedit grauis auctoritas S. *Auguſtini l.1.de nuptijs,& concupiſc.c.15.*his præter cætera: *Aliquando eouſque peruenit hæc libidinoſa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam ſterilitatis venena procuret:& ſi nihil valuerit, conceptos fœtus aliquando intra viſcera extinguunt,volendo ſuam prolem priùs interire,quàm viuere;aut ſi*

in vtero iam viuebat, occidit antequam naſcatur. Notanda ſunt verba illa: *Prius interire quàm viuere*, quibus magna emphaſi diſtinxit fœtus non viuentes à viuentibus, & eos etiam qui non viuunt, ac ſi iam viuerent, interire declarat. Vnde *ſerm.244.de tempore*, ſic conſequenter affatur: *Nulla mulier potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos, aut iam natos occidat, quia quæcumque fecerit hoc, ante Chriſti Tribunal ſciat ſe illic eorum cauſam, quos occiderit, eſſe daturam. Sed nec alias diabolicas potationes mulieres debent accipere: Mulier autem quæcumque fecerit hoc, per quod iam non poſſit concipere, quantoſcumque parere poterat, tantorum homicidiorum ſe ream eſſe cognoſcat*. Vbi nota, quòd hoc peccatum licet non ſit formaliter homicidij: tamen in communi æſtimatione, & reductiuè dicitur tale; quia per illud hominis futuri natiuitas impeditur. Et ſic etiam iſte abortus prohibetur Quinto præcepto Decalogi: *Non occides*. ſicut etiam prohibetur Septimo peccatum, quo quis iniuſte impedit alium à lucro, & tamen non eſt formaliter furtum. Ita *Gonet ſupra*, & alij cum *Caietano in ſumma V. Abortus*. Imò & cum *Tertulliano in Apologetico c.9.* dicente: *Nobis homicidio ſemper interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſoluere non licet. Homicidij feſtinatio eſt prohibere naſci: nec refert, natam quis eripiat animam, an diſturbet naſcentem: homo eſt, qui futurus eſt: nam fructus in ſemine eſt*.

14 Alia pleraque his affinia ex Patribus, ac Concilijs accepta, & Apoſtolico iudicio confirmata legi poſſunt apud *Sixtum V. in proœmio Bullæ Effrænatam, quæ eſt* 87. huius Pontificis, cuius laciniam exſcribo: *Nimis*, inquit, *imprudenter contra Dei voluntatem ſe opponunt, qui, vt S. Hieronymus ait, dum natura recipit ſemen, receptum confouet, confotum corporat, corporatum in membra diſtinguit, dum inter ventris anguſtias Dei manus ſemper operatur, idêque corporis creator, & animæ eſt, impiè deſpicit bonitatem figuli, ideſt, Dei*. Hactenus Pontifex cuius ſeuerum iudicium maximi faciendum eſt in re propoſita vniuerſæ Eccleſiæ, & ad morum honeſtatem ſpectante. Nam licèt præfata conſtitutio à *Gregorio XIV. Bulla* 8. moderata fuerit quoad ſpecialem reſeruationem huius criminis Sedi Apoſtolicæ factam, nec non & quoad alias pœnas, quibus exæquauit Sixtus impedientes conceptionem, abigenteſque fœtum inanimem cum his, qui à conſilio eijciunt fœtus anima informatos, non ideo improbata eſt, ſed confirmata potius quoad doctrinale iudicium de *huius grauiſſimi ſceleris* (ita illud vocat Gregorius) efferata immanitate, ſed ſolum reducta ad terminos pœnaſque iuris antiqui.

15 Probatur ſecundò: Nam *in c.ſi aliquis* 5. *de homicidio*, dicitur: *Eum qui fecerit, vt mulier non poſſit concipere, vel generare, vel vt proles non poſſit naſci, vt homicidam tenendum*. In quibus verbis illicita oſtenditur omnis ſpecies abortus, ſiue ſit prima, quæ conſiſtit in procuratione, ne fœmina concipiat, vt v.g. ſi ante concubitum vir det fœminæ potionem, per quam ſterilis euadet: ſiue ſecunda, quæ eſt procuratio, vt conceptus fœtus, non

dum

dum tamen animatus, eijciatur: ſiue tertia, quæ ſtat in hoc, vt animatus fœtus abigatur.

16 Confirmatur: quia, vt ibi præfatus *Sixtus*, & manifeſtum eſt cuiuis: *Omnes tam Eccleſiaſticæ, quàm profanæ leges grauibus pœnis afficiunt eos, qui in vtero matris puerperium interimi, aut ne mulieres concipiant, ſiue vt conceptos fœtus eijciant, nefariè machinantur.* Nullaque bene ordinata Reſpublica friuolam illam excuſationem admittit, aut limitationem adiecit, qua impunè abire permittat eos, aut eas, qui metu infamiæ, aut occiſionis talia perpetrare ſtudent. Quinimò cùm mater grauida pœnam mortis eſt commerita ob adulterium, vel ob aliam cauſam, ne fœtus innocens pereat, differtur ſententiæ executio, & partus eius expectatur. Quare, ei ſi permitteretur, in talibus circumſtantijs abortum non eſſe illicitum ſolo iure naturali, ſaltem negari non poſſet eſſe grauiter illicitum ex vi iuris poſitiui eidem naturali iuri valde conſentanei: Praxis namque illius ſententiæ ſubiecta eſt magnis abuſibus contrarijs ſpeciei humanæ, ac propagationi ipſius, quos frequens experientia demonſtrauit ex abortuum permiſſione oriri. Et hinc:

17 Probatur tertiò: Nam ſententia oppoſita fauet nocentibus contra innocentem, fouet libidinem, atque viam ſternit intolerandis ſpurcitijs. Fauet quidem nocentibus contra innocentem, quia homo proximè futurus neque inuadit vitam matris, nec quidquam male meretur de ipſa, aut alijs, qui putantur mortem eius aggreſſuri: neque enim ipſe vim fecit, aut facit creſcendo in vtero; ſed maritus v.g. qui occaſione ex inde accepta patraturus eſt mortem iniuſtam, huic autem parcere, & potiùs vitæ illius inſidiari, qui non nocet, aut nocebit, impediendo animationem eius cum alijs bonis, tàm publicis, quàm priuatis, quæ ex eo meritò ſperantur, per ſe videtur contrarium inſtitutioni naturæ. Eſt fomentum libidinis, quia tollit forte repagulum, quo plures fœminæ arceantur, ne viris extra coniugium illicitè miſceantur. Conſtat enim ſæpè ſæpius illas abſtinere ab his flagitijs metu mortis, aut infamiæ, indignationis parentum, vel alterius damni grauis ſecuturi, ſi concipiant, & fragilitas ipſarum detegatur. Amouere autem hoc frænum, quo ſæpè ſępiùs cohibentur, quàm Dei timore, aut amore, nil aliud eſt, quàm conniuere luxuriæ, eiuſque habenas laxare ſuggerendo cōtra bonum prolis artes, quibus expleatur libido, & tollatur ſimul metus partus, aut prægnantiæ. Viam denique ſternit ſpurcitijs intolerandis. Liceret enim imprimis impedire conceptionem fœtus, eò longe minori cauſa, quò minus eſt non concipere, & ab animatione remotius, quàm hominis iam concepti, & inchoati, vt ita loquar, eiectionem procurare. Liceret inſuper fœminæ hoc timore præoccupatę conari totis ſuis artibus ad expellendum ſemen iam receptum; imò & viro ipſi ſe retrahere, illudque extra vas effundere, & non conſummare coitum, ne conceptio ſubſequatur; vnde infamiā propriam timet, inimicitias violentas, aut alia ſimilia mala, propalāte puella complicem ſponte ſua, vel coactè. Coniugium præterea ipſum in ſcor-

tatio-

tationem verteretur, ſi extra illud hæc licentia concedatur. Nam & coniugibus non deeſſent cauſæ, quibus iſta cohoneſtare poſſent, ſi aliquando poſſent honeſtari. V.g. ſi mulier ſit experta vitæ periculum, aut extraordinarios labores, ac dolores tempore prægnantiæ; aut partus, vel ſi præ nimia paupertate non valerent tot paruulis alimenta præſtare. Nam & hæc cauſa viſa fuit ſufficiens *Ariſtoteli in Politicis l.7.c.16.* ad abortum ante animationem procurandum.

18 Probatur quartò; ſi liceret puellæ inanimatum fœtum eijcere, ne occidatur, liceret etiam viro ſe polluere, ad mortem euitandam. At viro hoc non licet. Ergo neque fœminæ licitum eſt non animatum fœtum proijcere per abortum. Maior probatur. Nam fœtus inanimatus nihil aliud eſt, niſi ſemen viri ſuſceptum à muliere. Quod ſemen illicitum eſt viro per pollutionem effundere: quia à natura eſt ex ſe ordinatum ad generationem; quare cum & ad generationem ſit à natura ordinatum, pro vt à fœmina eſt ſuſceptum, conſequenter ſi fœminæ licebit illud proijcere, vt mortem euitet: hoc idem licebit ex eodem motiuo & ipſi viro; vel ſi viro non licet, neque licet prægnanti. Meritò igitur dicunt *Leſſius l.2. de iuſtitia c.9.dub.10.n.60. Caramuel in Theol.præter-intentionali ad 5.præceptum caſu 28.nu.1799. Mazuchellus, & alij*; non aliter de eiectione fœtus inanimati, quàm de effuſione ſeminis philoſophandum eſſe. Conſequentia benè ſequitur ex præmiſſis.

19 Dico ſecundo. Damnatio procedit, etiam ſi expellatur medicamento indirecto fœtus inanimis, propter vitandam infamiam, aut occiſionem. Ita *Ioannes Cardenas hîc diſſert.22.c.7.*

Probatur: Quia iuxta damnationem huius propoſitionis illicitum eſt procurare abortum, propter vitandam infamiam, aut occiſionem. Sed in hoc caſu illa fœmina nullo morbo graui laborans procurat abortum, propter vitandam infamiam, aut occiſionem. Ergo iuxta damnationem hanc omne medicamenti genus, ſiue directum, ſiue indirectum ad expulſionem fœtus inanimis eſt illicitum huic fœminæ.

20 Hinc a fortiori ſi fœmina ita prægnans patiatur ſciſſionem venæ, & conetur prodire tantam ſanguinis quantitatem, vt deficiat ſanguis neceſſarius ad procreationem prolis, peccat mortaliter. Ita Doctores communiter.

21 Dico tertiò. Continetur ſub damnatione huius propoſitionis etiam opinio, quæ docet, poſſe expelli fœtum inanimem, quando fœmina paſſa eſt omnimodam violentiam caſtitatis. Ita *Ioannes Cardenas ſupra c.5.* qui *c.6.* idem docet quoad fœminam ſanctimonialem, cum qua Cacodæmon violenter fuerit congreſſus.

22 Probatur. Quia militat eadem ratio. Et Innocentius in hoc Decreto vniuerſaliter damnat opinionem, quæ docet licere expulſionem fœtus inanimis, propter vitandam infamiam, aut occiſionem fœminæ corruptæ,

23 Con-

Digitized by Google

23 Confirmatur. Nam remotius ſe habet ad generationem ſemen in ſe, ac vt redactum ad ſtatum fœtus inanimati. Sed effuſio ſeminis vt potè à natura ordinati ad generationem, eſt peccatum mortale, & contra naturam; taliter, quod nunquam legitimari poſſit aliquo iuſto fine, aut cauſa: vnde ab omnibus admittitur, mollitiem eſſe intrinſecè malam, & decreto hoc firmatur. Ergò à fortiori nullo fine, & cauſa honeſtari poteſt emiſſio abortiua, & ſtudioſa fœtus etiam inanimati: cum proximiorem ordinem habeat ad generationem, quàm habeat ſemen in ſe ipſo conſideratum.

Dices. In fœtus expulſione non ſentitur delectatio, ſicuti in reſolutione ſeminis. Ergo expulſio inanimati fœtus, non eſt ita intrinſecè mala, ſicuti voluntaria pollutio: atque ideò hæc non poteſt aliqua cauſa honeſtari, ſicut illa.

24 Sed contra eſt; quia pollutio non eſt mala, & prohibita ob delectationem, aliàs etiam coniugatis non liceret copula; ſed potius è contra voluptas eſt mala, & prohibita propter inordinatam ſeminis effuſionem; quare cum etiam ſit inordinata effuſio ſeminis per abortum, hic erit illicitus ex quocumque motiuo. Et quidem magis illicita erit fœtus expulſio, licèt non animati, quia magis contra naturam generationis eſt procurare fœtum expellere, quia propinquior eſt vitæ humanæ, quàm ſint ſemina nondum commixta; cum fœtus ſit commixtio ſeminum, ſeu ſemen iam elaboratum, & conſtitutum in primaria ſede deſtinata à natura ad generationem.

§. TERTIVS.

Enodantur argumenta opinionis proſcriptæ.

25 OBijcies primò. Si Parens, aut Dominus puellæ grauidæ, morte directè intentata ad eum effectum, eam cogerent ad abortum fœtus inanimati, vt Iudæi in Hiſpania olim cogere ſolebat Mauras ſibi ſubſeruientes, referturque *leg. 8. tit. 9. part. 7.* licitum eſſet ei cedere, & vitam ſuam vindicare, abigendo proprium fœtum, qui matre moriente, nunquam erit animandus, neque eſt capax iniuriæ pro illo tempore. Ergo etiam licebit eum abigere, cum ſimilis metus vrget in futurum, & occiſio puellæ à longe præuideatur exequenda cum maiori damno prolis tunc animatæ, & cariturae baptiſmo, & alijs bonis æternis. Probatur antecedens. Nam nil vetat, Tyranno vrgente, abſcindere ſibi partem. V. g. crus, aut brachium, ne indiuiduum totum pereat, & cum ipſo omnes eius partes commoriantur. Sic enim docent *Leſſius, Molina, Laymann, Toletus*, & alij apud *Dianam p. 11. tr. 6. reſ. 150.* Atqui fœtus ante animationem eſt

pars

pars viſcerum, ex *l.1.§.1.ff.de ventre inſpiciendo*, ibi: *Partus, antequam edatur, mulieris portio eſt, & viſcerum.*, Ergo, &c. Quod ſi hoc licet ad vitandam mortem, pariter hoc licebit ad præcauendam infamiam imminentem ex notitia partus, aut grauiditatis. Quia grauis infamia rectè morti æquiparatur, & ea deterior cenſetur, vt late *Molina Guſman in verit itibus iuris verit.27.* fuitque omninò antiquitati placitum, vt habetur *leg.26. tit.13.par.2. & leg.2.tit.19.par.2.*

26 Reſpondeo primò per inſtantiam. Quia ſemen nondum deciſum ſine dubio eſt pars corporis humani, & nihilominus neque ad violentam mortem euitandam niſi effundatur, licitum eſt directè procurare deciſionem, ſeu effuſionem illius.

27 Reſpondeo ſecundò retorquendo argumentum. Quia Doctores relati affirmantes licitum eſſe priuatis abſcindere ſibi membrum aliquod, propter imperium alterius comminantis mortem, niſi id fiat, loquuntur de membro viuo, non verò de membro emortuo, aut nondum animato. Ergo ſi ea doctrina quidquam prodeſt, etiam deberet extendi ad fœtum iam animatum; nam prætextu defendendi vitam illam, etiam contra viuentes locum habet; & qui dicunt, fœtum eſſe partem matris, de animato, ſeu inanimi id indiſtinctè pronunciant, interim ac eſt in vtero, vt conſtat ex relatis verbis *l.1.*

28 Reſpondetur tertiò directè negando antecedens. Ad eius probationem dico minorem non eſſe omninò veram: contrarium enim docent *Sotus, Syluius, Bannes, Turrianus, & Gaſpar Hurtadus*, quos refert, & ſequitur *Diana ſupra*. Sed maiori admiſſa, dico ad minorem, Semen deciſum non eſſe partem matris, ſed ſolum fuiſſe, & longè minus fœtum, poſtquam eſt conceptus, atque coagulatus ex vtroque ſemine commixto: ſed contineri intra vterum, vnde ſua alimenta ſugit, abſque vlla phyſica vnione, vel continuatione ſufficiente, vt ipſi tribuat rationem membri, ſeu partis. Quod vtique ratione Theologica ſumpta ex natura Baptiſmi monſtrat *S. Auguſtinus l.6.contra Iulianum cap.14.* hiſce aureis, & perſpicuis verbis: *Nam*, inquit, *ſi ad matris corpus, id, quod in ea concipitur, pertineret, ita vt eius pars deputaretur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata eſt aliquo mortis vrgente periculo, cum eum geſtaret in vtero. Nunc verò, cum etiam ipſe baptizetur; non vtique bis baptizatus habebitur. Non itaque ad maternum corpus, cum eſſet in vtero, pertinebat, & tamen creabatur in Templo Dei, non Templum Dei.* Addo, etiam ſi admittam, fœtum eſſe partem matris, adhuc non poſſet applicari doctrina Leſſij, & aliorum caſui noſtro fœtus: nam membrum, aut pars eſt ex natura ſua inſtituta primariò in bonum ſuppoſiti, & ad eius conſeruationem, & obſequium deſtinata: fœtus autem non eſt pars huiuſce generis, neque ad hunc finem dirigitur, ſed ad nobiliorem alium, qui eſt propagatio ſpeciei, & alterius indiuidui procreatio. Vnde neque matri inſeruit, ſed potius ei ſeruit

mater

mater, ipſique alimenta præſtat, & pondus, ac alia incommoda ſuſtinet in eius gratiam, neque illo naſcente, manet manca, vel defectuoſa, vt contingit, cum priuatur pede, aut brachio, ſed ſuam totam integritatem indiuidualem conſeruat, ſicut cæteræ mulieres, quæ nec concipiunt, nec pariunt.

29 Obijcies ſecundò. Licitè procuratur eiectio fœtus nondum animati, cum vita matris periclitatur ab intrinſeco, ſeù ex morbo, & prudenti medicorum iudicio non aliter præſeruanda, creditur, quam per abortum illius: quia melius eſt, vt ſolus fœtus priuetur animatione, matre ſuperſtite, quàm vt vterque ſimul extinguatur: neque enim ille animabitur, ſi matrem morbus conficiat. Ita cum *S. Antonino* & alijs *Sanchez l. 9. de matr. d. 20. nu. 9. Tannerus, Layman, Molſeſius, & Villalobos* apud *Dianam*, qui eam cenſet probabilem *p. 5. tr. 14. reſ. 90. Marchantius in ſpeculo hominis Chriſtiani to. 3. tr. ac tit. 3. §. 1. verſ. Ad curam*, dicens, Medicos non ſolùm poſſe, ſed teneri etiam ad eum modum curationis, cum remedia alia deficiunt. Additque *Arauius in deciſ. moral. diſp. 11. q. 4. n. 13.* Satis eſſe, quòd certò, aut probabiliter putetur fœtus non eſſe animatus, vt eum abijcere liceat. Ergo etiam licitè procuratur eiectio fœtus nondum animati, cum vita matris periclitatur ab extrinſeco.

30 Reſpondeo primò negando antecedens. Magis enim probo ſententiam *Leſſii l. 2. c. 9. dub. 10. nu. 60. Nauarr. de reſtit. l. 2. c. 3. n. 140. Malderi in 2. 2. tr. 3. c. 1. dub. 16. Pontij de matr. l. 10. c. 13. n. 2. Azorij to. 2. l. 2. c. 26. quæſ. 5. Præpoſiti in 3 p. q. 6. de bonis matrimonij dub. 9. n. 74. Vaſq. opuſc. de reſtit. c. 2. §. 2. dub. 6. in fine. Filliucij, Comitoli, Iulij*, & aliorum aſſerentium, abortum fœtus inanimis directè procuratum nullo vnquam caſu eſſe licitum etiam ad vitandam mortem imminentem matri, ex morbo proprio, vel ex aliena malitia. Sed quoad hunc effectum ſemper eſſe æquiparandum pollutioni, vel abortui fœtus animati; quem directè procurare nunquam licet; ſed ſolùm adhibere ad curationem remedia ex ſe ordinata ad ſanitatem, quod licitum eſt, quamuis indirectè, & per accidens ſequatur ex eis abortus.

31 Reſpondeo ſecundò, dato antecedenti, propter auctoritatem illorum grauium Doctorum, negando conſequentiam. Et diſparitas probabilis reddi poteſt; quia ſententia antecedentis non loquitur de adhibendo per abortum remedium præſeruatiuum, quo fœmina de præſenti benè valens liberetur ab infirmitate, quam ſuperuenturam timet à longè; ſed de matre, quæ iam actu ægritudinem contraxit, talemue indiſpoſitionem ex qua lethalis ægritudo ſequitur, quia remedijs alijs impediri valeat, quod de facto contrahatur, & contracta afferat mortem. At verò hæc Propoſitio abſciſſa in diuerſis circumſtantijs procedit, & quæ nullam habent proportionem cum illis. Quia in primis loquitur de fœmina ſanæ adhuc famæ, & grauiditatis incognitæ, illique abortum permittit per modum præ-

ſeruationis, ne grauida deprehendatur longo poſt tempore ex partu, aut intumeſcentia vteri poſt tempus animationis. Deinde non curat, vtrum occultatio alijs medijs obtineri poſſit, aut mors impediri, quę ex manifeſtatione timetur: neq; haſce cautiones adhibet, & quamuis eas adhiberet, potius eſſent ſuſpicioſi, aut ſpeculatiui prætextus, quàm excuſationes practicæ, vel ſolidæ. Et cum illæ ius pro tunc non tribuant occidendi per modũ præuentionis eos, à quibus mortem timet, ſi grauida deprehẽdatur, ſemperq; ea reputaretur culpabilis, & intempeſtiua defenſio; longè minus ius tribuere poſſunt abigendi fœtum ſuum, qui neque tunc eſt aggreſſor, neque futurus eſt poſtea.

32 Obijcies tertiò. Etiam ſoluto morbo accidentali, licet matri anteoccupare animationem fœtus; & conceptionem illius, dum experta eſt vitæ diſcrimen in alijs partubus ex anguſtia vteri, vel naturali arctitudine laterum, vt alijs relatis tradit *Torreblanca in d. lib. 12. c. 13. num. 36.* cui ex modernis accedunt *Moxius*, atque *Mercurialis*. Ergo etiam licet abortus in caſu huius propoſitionis.

33 Reſpondeo negando antecedens, quod eſt improbabile, ſiue ſermo ſit dè animatione fœtus impedienda per abortum, ob nimiam difficultatem partus peculiari experientia comprobatum, ſiue de impedienda conceptione ob eandẽ cauſam per media ſterilizantia, reddentiaq; ineptam matrem ad opus generationis. Vnus cauſidicus *Torreblanca*, de ſterilitate, id curſim docuit, abſque probatione, & examine. Et quamuis pro ſe alios adduxerit, nullum ex fide allegauit, vt *Diana* animaduertit *cit. reſ.* 90. monens inſuper, ab oppoſita ſententia non eſſe recedendum. Quamuis aliàs admittatur vt probabilis opinio illorum, qui affirmant, licitè abigi fœtum nondum animatum, cum neceſſarium eſt ad mortem propulſandam imminentem matri ex morbo. *Sanchez* ſanè, qui hoc tuetur, nihilominus negauit ea *diſp.* 20. *n.* 10. licitè prætendi abortum, quamuis fœtus ſit inanimatus, ad euitandum periculum vitæ, quod ingruerat matri in alijs partubus. Eumque imitantur *Raynaudus, Diana*, & alij. Sed neque ſterilitatem quamuis ab animatione fœtus ſit longè remotior procurari poſſe ob eundem finem docuit expreſse *Diana loc. cit. & Raynaudus cum* Tabiena, *& Toleto*, ſuffragante *Luiſio Turriano*, cum pleriſque viris doctis Academiæ Complutenſis in facti contingentia conſultis *d. 26. de iuſtitia, & iure, n. vlt.* Porrò ſolùm licitum eſt iſti fœminæ negare marito vſum ſui corporis: neque enim ipſi debetur in prædictis circumſtantijs, neque cum tanto diſcrimine ad reddendum illum ſe voluit obligare per contractum matrimonij; immo neque obligationem charitatis tunc incumbere, quamuis vir periculo incontinentiæ laboraret, cenſent *Diana, Pontius, Præpoſitus, Sanchez, Bonac. Caſtropalaus, Gobat*, & alij. Verum *Hurtadus de la Fuente hìc diſſer.* 2 *1. c. 5. qu. 43.* putat, quòd mulier, quæ ob relatam experientiam à debiti redditione legitimè excuſabatur, ſi poſtea conuolet ad ſecundas nuptias, vide-

Digitized by Google

videtur tunc renunciare iuri ſe ſe præſeruandi ab his periculis per denegationem debiti, illudque reddere debet, etiam cum vitæ diſcrimine imminente ſibi ex partu: & probat à pari de eo, qui laborat lepra contagioſa, & incurabili, qui licet ſanum cogere nequeat ad reddendum debitum cum euidenti periculo infectionis, ab eo tamen cogi poteſt, ſi illud exigat, & ſuo diſcrimini velit renunciare: & ſanus non poteſt licitè denegare ſui corporis vſum, ſi ab initio contractionis fuerit conſcius morbi, quo alter laborabat: quia renunciare cenſetur iuri præcauendi ſuum periculum: adeoque mutua obligatio incumbit reddendi, iuſque exigendi, vt docent *Sanchez l.9.de matr.d.24.n.22. Gobat in Quinario tr.5.c.34.num.60.* & alij. Sed huius contrarium ſatis probabiliter docent *Villalobos 1.p.ſummæ tr.13.diffic.48. Caſtropalaus p.5.d.3. pu.4.§.10.n.4. Angles,* & alij, & probabilius exiſtimat *Alloza*.

Obijcies quartò: Fœmina violenter cognita poteſt ſtatim reijcere ſemen receptum: Ergo etiam poterit procurare abortum ne morte violenta pereat, aut infametur. Patet conſequentia; quia continuatur vis retento ſemine, & damna multiplicantur.

34 Reſpondeo. Quòd licèt vim vi repellendo, & impediendo conſummationem delicti poſſit fœmina reſiſtere, & conari, quantum poteſt, ne ſemen virile recipiat totum, aut ex parte, quamuis, reliquum extra vas effundatur; quia id aggreſſori iniquo debet imputari, non verò ipſi, quæ iuſtiſſimè tuetur læſionem ſuæ pudicitiæ: At verò poſtquam violentus oppreſſor ſe retraxit, ceſſauitque à vi inferenda, & effuſo intra vas ſemine, conſummauit ſuum delictum, non poteſt ſemen reijcere: eſſet enim tunc hominem futurum innoxium poſſidentem ſuum locum quaſi occidere, impediendo conceptionem, & animationem eius; & aggreſſor iam ceſſauit à vi, vnde ſicut non licet occidere eum, qui alapa impacta aufugit, ſic nec iſtum.

Obijcies quintò. Non eſt peccatum graue exigere, aut reddere debitum cum periculo abigendi fœtum inanimatum; vt pro ſe adducens *Sanchez,* & *Hurtadum* tenet *Martinus à S.Ioſeph in Monitis Confeſſar.to.1.l.1. tr.50.nu.2.* Ergo nec etiam erit peccatum graue in puella, ſi abortum inanimatum fœtus procuret, ne inuenta prægnans interficiatur, aut infametur.

35 Reſpondeo negando antecedens. Conſtans enim omnium Theologorum ſententia, abſque peccato mortali non poſſe coniuges vti coniugio, quoties graue periculum abortus inde reſultat: nec diſtinguunt inter fœtum animatum, & inanimatum. Sed de quouis abortu idem enunciant, & meritò, quia copula inſtituta eſt in bonum, & generationem prolis: vnde abſurdiſſimum eſſet, ſi vſus eius verteretur in contrarium. Et quamuis matrimonium etiam inſtitutum ſit in remedium concupiſcentiæ, cum hic ſit ſolum finis ſecundarius, alter verò primarius, ac potiſſimus, nunquam ille poteſt obtineri cum graui, ac noto præiudicio iſtius.

Digitized by Google

Sententia ergo *Martini à S. Ioſeph*, quæ obijcitur in contrarium, nec ratione, neque auctoritate ſubſiſtit. Quippe *Sanchez l.9 de matr. d.22. n.1. & Gaſp. Hurtadus d.10. num.11.* quos pro ſe allegat *Martinus*, expreſsè ſentiunt contrarium, quoties imminet abortus veriſimile periculum, & alter certum, alter manifeſtum vocat. Cum verò id excuſant; aut loquuntur de periculo leui, & non benè fundato, cuiuſmodi eſſe cenſent quod timetur ex ſuperueniente coitu; aut ſermo eis non eſt de abortu propriè tali, ſed de diſſipatione materiæ, ex qua vnita, & coagulata fœtus concipiendus eſſet, niſi nouus coitus obſtaſſet.

PROPOSITIO XXXV.

Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiù in vtero eſt, carere anima rationali; & tunc primùm incipere habere, cùm paritur, ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

1 IOannes-Marcus Archiatrus, ſeu Protomedicus Pragenſis in libello, quem inſcripſit: *Idearum operatricum Idea*; doctrinæ huius propoſitionis, nempe non geri in vtero fœtum animatum, anima rationali ſibi propria, ſed tantùm tunc donari anima rationali, cùm paritur, mordicus adhæſit, vt refert *Caramuel in Theologia Fundamentali* edita Francofurti anno 1652. *num.* 1163. eique ipſe tunc probabilitatem aliquam, detuliſſe videtur: conſequenterque admiſiſſe, quod ex ea euidenter ſequitur, nempe fœtum ante partum non eſſe hominem, vtpote carentem præcipua eſſentiali parte conſtitutiua illius, & conſequenter homicidium non committatur, quamuis ſuffocetur intra vterum, vel præmeditato abortu ex eo abigatur.

SVMMARIVM.

§. I.

1 Ioannes-Marcus *putauit à die conceptionis fœtum animari anima rationali, à quo parum diſtat* Thomas Fienus, *dicens, prima quandoque, quandoque ſecunda, aut ad ſummum tertia die à conceptione animari.*

2 *Traditur progreſſus generationis humanæ. Vbi approbatur ſententia docens maſculum animari anima rationali die 40. fœminam verò die 80. à die conceptionis, & hoc præſertim quo ad pœnas. Admittuntur tamen vt probabiles quædam aliæ ſententiæ de animatione à die 30.35.40.45 &c.*

4 *An*

Digitized by Google

4 *An embryo primis diebus, quibus non nutritur, minimè dicatur animatus?*

5 *An dum incipit vitaliter nutriri, & augeri animetur actu anima vegetatiua ſibi propria?*

6 *An in embryone detur ſucceſſio animarum, ita vt prius animetur anima purè vegetatiua, deinde ſenſitiua denique infundatur anima rationalis?*

7 *A qua cauſa introducantur ſucceſſiuè plures animæ?*

8 *Ex quibus oſtendatur falſitas ſententiæ tum* Ioannis Marci, *tum* Thomæ Fieni.

9 *Cur embryo animatus anima purè vegetatiua nequeat dici planta, & animatus ſenſitiua neque at dici beſtia? Vbi in qua ſpecie ſint animæ purè vegetatiuæ, ac ſenſitiuæ intermediæ.*

10 *Aperitur, Rituale Romanum non fauere ſententijs* Ioannis Marci, *vel* Thomæ Fieni.

11 *In pœnis procedit ſententia animationis fœtus die 40 in maſculis, 80. in femellis: at in fauorabilibus, quoad tribuendum baptiſmum poſſunt habere locum aliæ ſupradicta probabiles.*

§. II.

12 *Cui cenſuræ ſubdatur ſententia aſſerens, probabile eſſe, omnem fœtum quamdiù in vtero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eam habere, cum paritur.*

13 *Oſtenditur falſitas partis affirmatiuæ ex claris teſtimonijs Sacræ Scripturæ.*

14 *Demonſtratur ex eo, quod peccatum Originale in vtero ante partum contrahitur. Vbi etiam ex eo quod ſpecialiſſimum priuilegium interceſſit in Conceptione B.M.V.*

15 *Roboratur ex eo, quod aliàs chimericè Eccleſia celebraret Conceptionem Virginis Mariæ propter ſpeciale priuilegium præſeruationis à culpa originali.*

16 *Ex eo quod aliàs nullus paruulus poſſet eſſe martyr in ventre matris, contra veram Theologiam, & ex alijs abſurdis, quæ ex illa ſententia ſequerentur.*

17 *Ex eo quod oppoſita ſententia aduerſatur euidentiæ oculorum.*

18 *Denique ex eo, quod extracti ſecto ventre, vt S. Raymundus Nonnatus, caruiſſent anima rationali; nam iſti non pariuntur.*

19 *Ex his refutatus manet error aſſerentium, fœtum animari anima matris; quandiù eſt in vtero.*

20 *An eadem cenſura ſcandaloſæ abigatur ſententia aſſerens, in nullo abortu homicidium committi.*

21 *An, & quare illud homicidium ſæpè ſit proditorium, & dicatur parricidium?*

22 *Quàm enormiter errauerint Menochius, & alij aſſerentes pœnas homicidio impoſitas, numquam ad abortum trahi?*

23 *Quam ſit abſurdum dicere, fœtum in vtero etiam habentem animam rationalem, verè hominem non eſſe?*

§.III.

§. III.

24 *Iuriſconſulti multi Stoici pro cõtraria ſententia ſteterunt, ſed non pro veritate, pro qua Ariſtotelici.*

25 *Quando, & quomodo fœtus in vtero exiſtens in periculo mortis poſſit baptizari?*

26 *De quo iugo loquatur ſapiens, quod incipere inſinuat à die Natiuitatis?*

27 *An pueri decedentes, etiam in vtero ſine baptiſmo dicantur non carere auxilio ſufficienti?*

28 *Qua voluntate Deus velit ſalutem ipſorum, & cur non dicantur in ſtatu damnationis?*

29 *Cur ætas hominum non computetur à die conceptionis, à quo tempore ſit tutor, & quando detur Angelus Cuſtos?*

§. IV.

30 *Quibus pœnis ciuilibus puniatur abortus?*

31 *Quibus pœnis Eccleſiaſticis plectatur.*

32 *In dubio animationis fœtus, procurans illius abortum an incidat in irregularitatem, & alias pœnas?*

33 *Qui præſumatur in dubio, an ſit maſculus, vel fœmina fœtus eiectus?*

34 *An procurans abortum fœtus animati, dubitans de effectu ſubſequuto, cenſendus ſit irregularis?*

35 *Dubitans an conſilium, vel mandatum influxerit, an cenſendus ſit irregularis, excommunicatus, &c.*

36 *An ſi conſulens non potuit dimouere fœminam ab abortu conſiliato, incurrat cenſuram, & irregularitatem?*

37 *An mandans, vel conſulens abortum fœtus dum non erat animatus, & factus dum animatus, incurrat pœnas?*

38 *An ſi adulter fecerit prægnantem intrare per loca periculoſa, & mortua eſt, vel abortiuit, fiat irregularis?*

39 *Quando ex abortu habita ratione copulæ habitæ à marito cum vxore prægnante contrahantur pœnæ?*

40 *An ſubdatur pœnis procurantis, qui in præſentia prægnantis dicit, nollem te eſſe grauidam propter mala, quæ ſuſpicor mihi, & tibi euentura, ſi ex ipſis moueatur illa ad abortum?*

41 *An fiat irregularis ludens illicitè cum prægnante ſi contingat abortio?*

42 *Quid ſi ſaltet cum prægnante?*

43 *An ad contrahendam irregularitatem requiratur intentio, & propoſitum occidendi fœtum.*

44 *An ipſa mulier grauida procurans abortum ſubdatur pœnæ excommunicationis procurantium.*

45 *An excuſet ab hac cenſura ignorantia iuris, vel facti?*

46 *An qui propinat medica ſterilitatis mulieri, vt impotens fiat ad generandum, contrahat hanc pœnam?*

47 Quis

Digitized by Google

47 *Quis poſſit abſoluere ab incurſa excommunicatione propter abortum?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò: Ex parte oppoſita *Ioannis-Marci Pragenſis* ſtare aliquos, cum quibus *Paulus Zacchias tom. 2. qq. Medico-Legal. l. 9. tit. 1. q. vlt. à nu. 91.* qui docent ſtatim à conceptione fœtum animari anima rationali: vnde aſſerunt, quòd in progreſſu generationis humanæ non producantur ſucceſſiuè tres animæ, ſed ſtatim introducatur anima rationalis, quæ ab initio ſolùm vegetet corpus, deinde magis perfectis organis ſentiendi, conſtituat animal aptum ad ſentiendum: poſtremo demum incipiat diſcurrere: Probant, quia certum eſt, quòd in conceptione Chriſti Domini ſtatim producta fuit anima rationalis, ac quod Beata Virgo nihil aliud concepit, quàm hominem Deum: Ergò etiam in conceptione aliorũ hominum, ſtatim producitur anima rationalis, itaut matres ſtatim concipiãt hominem, non verò brutum, aut plantam, ſequitur *Gaſpar Brauo to. 3. oper. Medicinal. in Miſcellan. prompt. 4.*

Ab hac ſententia parũ diſtat alia *Thoma Fieni in libello de vi formatrice fœtus, q. 8. concl. 11. Haruei* anatomicæ artis periti, *de generatione, animaliũ exercitatione* 58. dicentium, prima quandoque, quandoque etiam ſecunda, aut tertia ad ſummum die a conceptione infundi animam rationalem, Nec non alia *Ferdinandi De-Mena ad librum de Septimeſtri partu c. 14. Card. Toleti l. 2. de anima c. 14.* & aliorum exiſtimantium totum hoc opus abſolui intra ſeptem dies. Et hinc deducunt *Maximilianus Deza* Congregationis Matris-Dei *tr. de miniſtrando Baptiſmo humanis fœtibus abortiuorũ*, referens *Hieronymum Florentinium* eiuſdem Congregationis Theologum, & *Verde in Apologeticis obſeruationibus nu. 30.* fœtum omnem licèt imperfectiſſimè figuratum, tamen ſub conditione eſſe baptizandum, propter hanc ſententiam, quam probabilem exiſtimant.

Vtraque ſententia videtur habere non leue fundamentum in *Rituali Romano* edito iuſſu *Pauli V.* vbi præcipitur, vt in abortu fœtus, baptizetur, non conditionatè, ſed abſolutè, ſi motum aliquem ediderit. Ergo non prius producitur anima ſenſitiua, quàm rationalis: alioquin poſſet fœtus ſe mouere per ſenſitiuam, non adhuc obtenta anima rationali: in quo caſu eſſet incapax baptiſmi.

3 Notandum eſt ſecundò: Quòd vt aperiatur falſitas vtriuſque relatę ſententiæ, explicandus eſt progreſſus generationis humanæ. Recepto ſemine, & per ſex integros dies concalefacto intra vterum matris, die ſeptima apparet maſſa quædam veluti lactis ſpumantis, in eaque tres bullæ amplio-

pliores ad formandas tres præcipuas partes corporis, nimirum cor, cerebrum,& hepar:& hæc eſt prima formatio fœtus. Hic fœtus, ſiue embryo ab initio non nutritur, ideoque nullum alimentum ſumit ex matre, ſed vt poſt aliquot dies incipiat nutriri,& creſcere,adeoque trahere alimentum ex matre,formantur in ea parte,in quo futurus eſt vmbilicus infantis, quidam canaliculi,ſeu venæ,& arteriæ,quæ dicuntur vaſa vmbilicalia,quibus circumducitur corpus infantis, & poſt vnam, aut alteram circumligationē tales canaliculi inſerunt, atque; inſinuant ſeſe oſculis venarum materni vteri,vt ex venis vteri trahant alimentum ad nutriendum infantem,eo pacto,quo arbores trahunt alimentum ex terra per radices. Præterea tribus panniculis,ſeu tunicis circumtegitur, & inuoluitur fœtus,adeo vt fœtus ſit veluti fructus ventris pendens ex vtero tamquam ex arbore per vaſa vmbilicalia,tamquam per pediculum,& panniculis,ac tunicis tamquam cortice,& folijs inuolutus. Poſt aliquot dies incipiunt in fœtu apparere rubræ quædam guttæ,& filamenta,quæ ſunt veluti lineamenta totius opificij,ita vt maſſa illa,quæ die ſeptima videbatur maſſa lactis ſpumantis, appareat tamquam maſſa ſanguinea,in qua claré diſtinguuntur tria illa membra præcipua,cerebrum,cor, & hepar. Procedentibus diebus formantur cætera membra,donec die quadrageſima, vt docet communior opinio cum *Ariſtotele l.7.de hiſtoria animalium c.3.*& *Plinio l.7. c.6.* ſit omnino abſolutum opificium cum omnibus membris, habens magnitudinem formicæ grandioris,vt viſum eſt in abortu cuiuſdam mulieris, teſte *D.Thoma in 3.d.3.q.5.ar.2.ad 3.*Corpus fœminæ tardius formatur,& vt docet communior ſententia,abſoluitur circa diem 80. Pro qua citantur *Sylueſter V. Homicidium 1.nu.3.Azorius par.3.l.2.c.4.quaſ.1.Trullench l.5.c.1.dub.4.num.2. Layman. l.3.tr.3.par.3.c.4.nu.3. Marchinus de Sacramento Ordinis tr.1.par.9.c.3. num.7. Molina de iuſtit.tom.3.tr.3.d.27.nu.1. Menalius in Promptuario V. Abortus nu.19.Nouarius cit.concl.1.nu.5.& 6. Cabrinus ſupra annot.6.num.16. Quaranta in ſumma Bullarij V. Abortus nu.5. Scortia in Bullas Pontificias theoremate 376.Naldus V. Abortus nu.2.Conar. Farin.Sayrus,Auila,& alij,*quos relatos ſequitur *Diana cit.tr.5.reſ.6.cū Gloſſa in proœmio diſtinct.5.V.quadraginta,& ibidem, Barboſa nu.2.*dicentes maſculum animam rationalem accipere die 40.fœminam veró 80.á die conceptionis. Et hanc opinionem ſequi Sacram Vrbis Pœnitentiariam, teſtantur *Naldus ſupra*, & alij apud *Nouariū ſupra.* Eandemque vtporé benigniorem, & communi perſuaſioni conformem, Forum etiam externum ſequi ſolet quoad pœnam homicidij ordinariam,teſte *Anacleto Reiffenſtuel in theol.mor.tr.9.diſt.3.q.3.n.34.*

Non nego tamen dari alias ſententias probabiles circa hoc tempus animationis: vt eſt illa *D.Thomæ cit.3.ſent.diſt.3.qu.5.art.2.* dicentis, quód maris conceptio non perficitur,niſi vſque ad 40.diem, vt Philoſophus dixit: Fœminæ autem vſque ad nonageſimum. Secundó eſt illa *Auguſtini in lib.83.quæſt.q.56.* vbi ſic ſcribit: *Dicitur autem conceptio humana ſic procedere,*

dere,& perfici,vt primis ſex diebus quaſi lactis habeat ſimilitudinem, ſequentibus nouem diebus conuertatur in ſanguinem , deinde duodecim diebus ſolidetur , reliquis decem,& octo diebus formetur vſque ad perfecta lineamenta omnium membrorum,& hinc iam reliquo tempore vſque ad tempus partus magnitudine augetur: Idem refertur à *D.Thoma cit.*dixiſſe S.*Auguſtinum in epiſt.ad D.Hieronymum:* vnde verſus.

Sex in lacte dies,ter ſunt in ſanguine terni,
Bis ſeni carnem,ter ſeni membra figurant.

Quibus apertè concluditur , quadraginta quinque diebus corpus humanum formari,atque adeo animari,& hanc fuiſſe communem ,ac probatam Philoſophiam tempore *S.Auguſtini*. Nam dies illi, quos recenſet,in vnam ſummam coacti faciunt quadraginta quinque,quibus ipſe vnicum addit,vt caput numerationis, eoque computato quadraginta ſex aſſignat. Idem tradit *S.Adephonſus ſerm.de Purificat.B.M.*nec non *Viguerius in Decachordo c.25.& 30.Chord.2.*& ex alijs *Bonaciolus in Enneade mulier.c.3.nu.1.* contendens idem in maſculis,ac in fœminis euenire, neque in iſtis vltra hunc terminum formationem,& animationem rationalem differri. Tertiò eſt illa *Hippocratis* Medicorum Coriphæi *lib.de natura pueri* ſemel, & iterũ repetentis maſculi formationem idoneam infuſioni animæ, vt longiſſimè triginta diebus perfici:fœminæ verò duobus ſupra quadraginta. Idque ex eo probat,quòd purgatio in partu maſculi ad ſummum durat 30. diebus: in partu autem fœminæ 42.Quam ſententiam paſſim approbare ſolent Medici,& latè exornat *Hieronymus Laurentius lib.8.de Hiſtor.anatom.q.19.Peramato lib. de hominis procreatione c.30.* & ex Theologis *Leſſius l.2. de iuſt. & iure c.9.nu.65.Portel in reſponſ.mor.p.3 caſu* 12.*nu*.1. Quartò eſt illa *Bonac. de reſtit.d.2.q.vlt.pu.7.ſect.1.nu.5.& Filliuc.tr.29.c.6.quæſ.1.num.99* qui ex eodem *Hippocrate lib.de dicta tex.71.* exiſtimant marem animari à trigeſimo die,vſque ad 45.ita vt aliquando abſoluatur animatio 30. die, aliquando 35.aliquando 40.aliquando 45.fœminam verò formari, ſeu animari,à 35.die,vſque ad 50.ita vt aliquando abſoluatur formatio , & animatio 35. die,aliquando 40.aliquando 45.& aliquando 50.

4 Notandum eſt tertiò: Quod embryo , ſeu maſſa illa lactea,aut ſanguinea primis diebus,quibus vitaliter non nutritur,non eſt animatus actu vlla anima , ſed ſolum potentia . Videtur expreſſa ſententia *Ariſtotelis l.2. de generat.animal.c.3.*vbi hæc verba habet: *Animam vegetalem in ſeminibus, conceptibus ſcilicet nondum ſeparatis haberi potentia ſtatuendum eſt , non actu prius quam eo modo, quo conceptus , qui iam ſeparatur cibum trahat , & officio eius anima fungatur.* In quibus verbis etiam indicat rationem:quia anima non poteſt poni in materia , quia illam actu viuificet,reddendo aptam ad aliquam operationem vitalem exercendam. Sed embryo primis illis diebus non eſt aptus ad vllam operationem vitalem exercendam: cùm nec poſſit nutriri,quandoquidem adhuc non habet vaſa vmbilicalia , per quæ

trahat alimentum,quo nutriatur. Ergò non animatur actu , ſed potentia, quidem proxima reſpectu animæ vegetatiuæ,& remotæ reſpectu rationalis,pro cuius introductione requiritur organizatio. Vnde *Auguſtinus in lib. qq. veteris teſtamenti*,relatus *in Can. Moyſes 32. q.2.* ait: *Cum ergo corporis lineamenta compacta non fuerint, vbi erit anima?*

5 Notandum eſt quartò : Quod embryo cum iam incipit vitaliter nutriri,& augeri,animatur actu anima vegetatiua . Ratio eſt, quia non poteſt vitaliter nutriri,niſi viuificetur ab anima,ſed vitaliter nutritur, & augetur per intro-ſuſceptionem alimenti,creſcendo ſecundum omnes partes,ſeruata eadem figura. Ergò viuificatur ab anima vegetatiua. Et licet aliqui operationes vitales embryonis tribuerint externo principio,hoc eſt vel animæ matris,vel virtuti formatrici ſeminis: tamen reijciuntur à *S. Thoma 1.p. q. 118. art.2. ad 2.* ex eo,quod operationes vitales oriri non poſſunt ab externo principio. Et confirmatur ex *Ariſtotele l.2. de gener. animal. c.3.* inferente ex eo,quòd conceptus exerceat operationes vitales,quòd ſit animatus. Nõ tamen tunc animatur anima rationali : vnde illius abortus procuratio non eſt homicidium. *S. Auguſtinus in lib. quæſt. Exodi* relatus *in Can. Quod verò 32. q.2.* ibi : *Ideo lex voluit ad homicidium pertinere , quia nondum dici poteſt anima viua in eo corpore,quod ſenſu caret.* Et *S. Hieronymus* relatus *in Can. ſicut, eadem cauſa, & quæſt.* ibi: *Sicut ſemina paulatim formantur in vtero, & tandiu non reputatur homicidium , donec elementa confecta ſuas imagines membraque ſuſcipiant .*

6 Notandum eſt quintò : Quòd in embryone datur ſucceſſio animarum,ita vt prius animetur anima pure vegetatiua , deinde ſenſitiua,ac demum circa diem 30. vel 40. vel alium,iuxta varias ſententias, & ſexum,infundatur anima rationalis . Ita communiter Theologi, & Philoſophi cum *D. Thoma 1.p.q.76.ar.3.ad 3. & q.118.ar.2.ad 2.* & *Ariſtotele l.2. de generat. anim.c.3.* vbi hæc habet verba : *Ergò animam in ijs vegetantem haberi planum eſt: ſenſualem etiam,qua animal eſt , tempore præcedente recipi, & rationalem, qua homo. Non enim ſimul & animal fit, & homo, nec animal, & equus : eademque de cæteris animalibus ratio eſt .* Ratio eſt , nam anima eſt actus corporis organici. Ergò non poteſt eſſe niſi in corpore organizato organizatione conueniente tali animæ . Sed embryo cum primò incipit viuere, non habet organizationem conuenientem animæ rationali: quis enim dicat maſſam lactis ſpumantis pendentem ab vtero per vaſa vmbilicalia, in qua non eſt formata caro,non oſſa,non venæ,non nerui , non caput, non pedes, non crura, non ſanguis , habere organizationem conuenientem homini? Ergò in embryone cum primo incipit viuere,non datur,anima rationalis, nec vlla anima ſenſitiua,ex proportionali ratione , ſed anima pure vegetatiua,qualis eſt in fructu pendente ex arbore, & ex illa alimentum trahente. Confirmatur : nam anima rationalis remanere non poteſt in corpore , abſciſſo capite : quia corpus carens capite non habet ſufficientem organiza-

zio.

Digitized by Google

zionem. Ergò multo minus poteſt primò poni in maſſa carente non ſolùm capite,ſed carne,oſſibus,& omnibus neruis. Patet conſequentia inductione,qua conſtat,quod materia debeat eſſe perfectiùs diſpoſita,vt primò formam recipiat,quàm vt illam conſeruet. Ita aqua poteſt conſeruari priuata frigore intenſo, immò cum intenſo calore: at non poteſt forma aquæ primò introduci in materiam non intensè frigidam; & maior calor requiritur in fœtu,vt primò animetur, quàm adhoc, vt iam animatus non moriatur. Sed diſpoſitio præcipua materiæ ad animam recipiendam eſt organizatio corporis per diſtinctionem membrorum. Ergò ſi anima rationalis non poteſt conſeruari in corpore carente capite,multò minus poterit introduci in maſſam lactis carentem non ſolùm capite,ſed carne,oſſibus,atque omnibus membris,& ſolùm habentem quoddam inchoamentum hepatis, cordiſ; ac cerebri. Accedit,quod ex contraria ſententia aperitur aditus errori eorum, qui dixerunt animam rationalem dari etiam in ſemine abſciſſo; quia licèt non habeat actu organizationem humanam,habet illam potentia, & per ſe ordinatur ad illam obtinendam actu:quæ opinio eſt abſurda, & contra Fidem, ac rationem *Can.Moyſes 32.q.2.*

7 Si quæras cauſam,à qua introducantur ſucceſſiuè plures animæ. Reſpondeo,quòd eſt virtus formatiua ſeminis, excepta anima rationali, quæ infunditur à Deo per creationem,iuxta illud *Zachariæ 12. n.1. Fingens ſpiritus hominis in ea*. Vnde in generatione hominis omnes formæ intermediæ ordinantur aliqualiter ad deſtructionem ſui, per quam remaneant æquiualenter in aliqua forma perfectiore, vt patet in formis omnium ſeminum.

8 Ex his patet falſitas vtriuſque ſententiæ ſupra relatæ: & vlterius poteſt probari ex ſcriptura: nam *Exodi 21. n.22.* iuxtà Verſionem Septuaginta Interpretum,dicitur: *Qui percuſſerit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit,ſi fœtus erat formatus, dabit animam pro anima: ſi non dum erat formatus,mulctabitur pecunia.* Ex quibus verbis clare infertur, fœtum nondum formatum carere animà rationali;nam cùm dicatur, dari debere animam pro anima intelligitur de rationali; & pro fœtu nondum formato aſſignetur ſolùm mulctatio pecuniæ, & pro hac non debeat dari anima pro anima,euidenter infertur, eiuſmodi fœtum nondum formatum expertem eſſe animæ rationalis. Non inficior, textum Vulgatæ nihil dicere de formato, aut non formato;& verſionem illam ſeptuaginta non eſſe ab Eccleſia tamquam de fide receptam; ideoque noſtram ſententiam ex dicta auctoritate non manere de fide. Aſt manet certa, quia dicta Verſione pro hoc loco vtuntur *Sancti Patres*, præſertim *Auguſtinus in lib. quæſtionum veteris, & noui teſtamenti*,relatus in *Can.Moyſes 32.d.2.* ibi: *Moyſes tradidit: Si quis percuſſerit mulierem in vtero habentem, & abortiuum fecerit; ſi formatum fuerit,debet animam pro anima: ſi autem informatum fuerit,mulctatur pecunia.* Similiter pro certo habent *Sancti Patres,S.Auguſtinus* tum *loco citato*,tum

Digitized by Google

in *lib. quæſt. Exodi* relatus *in Can. Quod vero, eadem cauſa, & quæſt. Hieronymus ad Algaſiam* relatus *in Can. ſicut, ibidem.* Eſtque iuxta ſenſum, & praxim Eccleſiæ. Eccleſia enim ſentit dari fœtum animatum, & non animatum: & abortui fœtus animati aſſignat pœnas, quas non ſtatuit contra procurantes abortum fœtus non animati. Videatur *Bulla Sixti V.* incip. *Effrænatam*, & *Gregorij XIV.* incipiens *Sedes Apoſtolica.* Immo etiam leges ciuiles ſupponunt non ſtatim à conceptione fœtum eſſe animatum; nam ſi fœtus fuerit animatus, ſtatuunt in procurantem, tamquam homicidam, capitis ſupplicium, *l. Cicero, ff. de pœnis, & l. necare, ff. de lib. agnoſc.* & alibi. Si verò fœtus nondum animatus erat, is, cuius opera eijcitur, ſi ſit honeſtæ conditionis, amiſſa bonorum parte, in inſulam relegatur: ſi humilioris, & inferioris ſit conditionis, in metallum damnatur, *l. ſi quis aliquid, §. qui abortionis, ff. de pœnis: Diana cit. tr. 3. reſ. 3.* & alij cum *Gloſſa in cit. Can. Moyſes 32. d.* de quo tamen diſtinctius infra. Vnde *Caramuel*, cui placitum Fieni adeo probabile apparuerat, vt dixerit, ſe riſurum, ſi quis oppoſitum diceret, in *Francofurdienſi editione Theologiæ Fundamentalis nu. 1162.* poſtea meliora ſapiens, id improbabile dixit in correctiori editione *nu. 1627.*

Nec obſtat ratio Aduerſariorum deſumpta ex conceptione Chriſti. Nam hæc fuit vndique miraculoſa, & ſupernaturalis: cum fuerit conceptus ex Virgine: à conceptione autem Chriſti ſupernaturali non valet cõſequentia ad conceptionem naturalem aliorum hominum. Videatur *D. Thomas cit. diſt. 3. q. 7. ar. 2.*

8 Nec inferas ex noſtra ſententia, quod homo prius ſit pater plantæ, deinde beſtiæ, ac demum hominis. Nam embryo animatus anima purè vegetatiua, non eſt propriè planta, quia nomen plantæ ſignificat germen terræ animatum anima purè vegetatiua: embryo verò non eſt germen terræ, ſed fructus germinans ex vtero matris. Ex eadem ratione embryo animatus anima purè ſenſitiua non eſt ſimpliciter beſtia, quia nomen beſtiæ ſignificat animal animatum anima non ordinata in via generationis ad animam rationalem. Quare embryo non eſt ſimpliciter planta, neque beſtia, ſed homo inchoatus, ſiue hominis embryo, qui nondum peruenit ad animam rationalem conſtitutiuam hominis. Deinde falſitas illationis, etiam patet; quia ad hoc vt animal ſit Pater, non ſufficit, quòd generet quomodocumque, ſed debet generare animal ſimile in natura ſpecifica, vel certè non multum degenerans à ſpecie generantis. Ideo cùm ex homine generantur vermes, & ex fœminis naſcuntur ranæ, aut alia animalia immunda; nec homines ſunt patres vermium, nec mulieres matres immundorum animalium: quia quod generatur valdè degenerat à natura generantis. Sed embryo carens anima rationali valde degenerat à ſpecie humana. Ergò propriè non eſt filius. Sed ſolus fœtus habens animam rationalem propriè eſt filius.

Falſum etiam inde eſſe noſcitur, quòd homo prius fuerit beſtia, vel plan-

planta, ſi ſumatur formaliter: ſi verò ſumatur ſolùm materialiter, verum eſt, quòd materia hominis, prius fuerit ſub anima irrationali, & ſub purè vegetatiua, & ſub forma ſeminis inanimati, & ſub alijs plurimis formis plantarum, beſtiarum, & rerum inanimatarum, ideoque quòd in aliquo ſenſu fuerit beſtia, vel planta, vt etiam Aduerſarij debent fateri.

Et ſi petas, in qua ſpecie ſint animæ purè vegetatiuæ, ac ſenſitiuæ intermediæ? Reſpondeo, quòd ſunt in ſpecie animæ purè vegetatiuæ, vel ſenſitiuæ ordinatæ in via generationis ad rationalem; licèt talibus animabus non ſit impoſitum proprium nomen, nec ſatis innoteſcat earum vltima differentia.

10 Nec vrget argumentum Aduerſariorum deductum ex Rituali Romano. Nam non ſufficit anima ſenſitiua, vt fœtus poſſit moueri, ſed requiritur, vt corpus ſit ſufficienter organizatum ad motus ſpontaneos; & quia ſufficiens organizatio ad motus ſpontaneos datur ſolùm poſt illos 30. vel 40. alios aſſignatos dies, poſt quos fatentur Philoſophi infundi animam rationalem, ideò prudenter præcipitur in Rituali, vt ſi fœtus edat aliquem motum ſpontaneum, baptizetur abſolutè, quia conuenit inter Philoſophos, quòd tunc recepit animam rationalem.

11 Itaque licèt, quoad pœnas contrahendas forum etiam externum ſequatur ſententiam animationis anima rationali in fœtu à die 40. in maſculis, & 80. in fœmina: tamen in fauorabilibus poteſt, debetque quis vti ſententia de formatione fœtus in die 30. Quocirca fœtus, qui eijcitur in abortu naturali die trigeſimo, vel prope ipſum, niſi certò appareat mortuus, ſaltem ſub conditione debet baptizari. Ita admonent *Raynaudus to. 14. tr. de ſectione Cæſarea ſect. 10. n. 50.* alijque.

Hac vtraque ſententia hic profligata, facilè erit deuincere alteram extremam, de qua eſt theſis proſcripta, quæ duo daret, quorum vnum eſt veluti antecedens, ex quo conſequentia infertur, & quidem benè, niſi malè ipſum antecedens eſſet pronunciatum. Eiuſmodi antecedens eſt, quòd omnis fœtus quamdiu eſt in vtero matris, probabiliter caret anima rationali, quam tunc ſolùm incipit habere, quando paritur, ſeu quando exit à ventre, & ex hoc antecedente ſequitur in nullo abortu homicidium committi, ſi omnis fœtus nunquam eſt homo, donec in lucem edatur. Hæc eſt doctrina in præſenti Propoſitione contenta, contra quam veritas ſtabit in duabus aſſertionibus iuxta Decretum in ſequenti §. Igitur ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

12 Dico primò. Eſt prorſus improbabile aſſerere, omnem fœtum quandiù in vtero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm inci-

incipere eam habere cum paritur. Et contrarium probabile autumare, vt minimum tanquam erroneum, hoc Decreto deijcitur. Quod & fecerunt Auctores etiam ante hoc Decretum, & ipſemet *Caramuel* iam retractauerat in poſteriori *editione Theologiæ Fundamentalis n.1625.* vacillationem illam, qua in priori viſus erat annuere probabilitati doctrinæ Propoſitionis deiectæ. Et *Card. Aguirre* doctrinam communem ex profeſſo examinans, hanc profert cenſuram in *Ludis Salmantic. ludo 5. excurſ. 1. n.25. Doctrinam communem de animatione infantium in vtero ante natiuitatem per propriam animam rationalem, negari non poſſe cenſemus abſque præiudicio Fidei Catholicæ, abſque Theologiæ iniuria, ſine Philoſophiæ dedecore, & ocularis experientiæ præſtigijs:* Vt cum ipſo probabimus.

13 Probatur itaque primò ex Scriptura: *Geneſis* enim 25. & ad *Romanos 9.* de duobus paruulis Eſau, & Iacob dicitur: *Collidebantur in vtero matris*. Ergo habebant animas rationales diſtinctas ab eſſentia matris. Conſequentia ſequitur: Tum quia Scriptura nomen *Paruuli*, quod ponitur in citato loco Geneſis, nunquam attribuit, niſi indiuiduis rationalibus. Tum etiam, quia *Paulus* loco citato de ijs ait: *Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali:* Vbi de eiſdem ſubiectis dicit, nondum egiſſe aliquid boni, aut mali, quæ poſtea agere poſſent aliquid boni, & mali: aliàs incongrua fuiſſet locutio: Atqui extra vterum eſſent compoſita ex anima rationali. Ergo & in vtero *Geneſis 38. verſ. 27. & ſeq.* habetur quod Thamar *inſtante partu apparuerunt gemini in vtero. Atque in ipſa effuſione infantium vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum, dicens: Iſte egredietur prior. Ille verò retrahente manum, egreſſus eſt alter.* Si ergo infans manum retraxit, erat animatus anima rationali antequam à matre effunderetur. Nec obſtat, quòd in proximo, imò in actu tempus partus adeſſet quando manum puer retraxit. Nam licèt actualiter Thamar pareret, tamen prius peperit Phares, & poſtea Zaram, in cuius manu erat coccinum, atque ideò iam habebat animam rationalem, quando manum retraxit, & poſt tempus fuit à matre enixus. Ergo &c. *Ieremiæ item.* 1. dicitur: *Antequam exires de vulua ſanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Sed non poteſt ſanctificari non habens animam rationalem. Ergo Ieremias in matris vulua habebat animam rationalem.

Dices: Iy *ſanctificaui te*, intelligendum eſſe quantũ ad prædeſtinationem ſuo tempore complendam, non quantum ad effectum præſentem: ſicut & illud: *Prophetam in gentibus dedi te:* nõ enim Ieremias in matris vtero prophetauit, frequentiſſimũ eſt enim in Scripturis, vt quę Deus facienda deſtinauit, fuiſſe dicãtur, ad oſtendendũ, ſcilicet, infallibilitatem euẽtus ex immutabili, ac efficaciſſimo eius propoſito: vt ait *Auguſtinus l.17. de ciu. c.18.* Sed huic expoſitioni obſtat communis ſenſus Patrum, & Eccleſiæ, & c. *Niſi cum pridem, de Renunciat.* vbi illa verba intelliguntur non de pura prædeſtinatione, ſed de effectu ſanctificationis Ieremiæ antequam de-

ven-

venire egrederetur: idem habetur ex *Hieronymo in Prologo ad Ieremiam*. Et *Lucæ* 1. dicitur de Ioanne Baptiſtâ in vtero matris exiſtente: *Vt audiuit Salutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius*. Vox autem *infans*, non attribuitur niſi habenti animam rationalem, & non ſolùm ſenſibilem. Præterea Eliſabeth dixit poſtea de eo, quòd *exultauit in gaudio*: gaudium autem non conuenit, niſi ſuppoſito rationali. Quod vrgentius conuincitur ex verbis Angeli ad Zachariam, dicens: *Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ*. Si autem non habuiſſet animam rationalem propriam in vtero, non potuiſſet Spiritu Sancto repleri. Dicere autem, quòd iſtis per miraculum infuſæ fuerunt animæ rationales in vtero exiſtentibus; nefas atque ridiculum agnoſcitur ex eo, quòd abſque neceſſitate, & abſque fundamento nõn ſint adſtruenda miracula in generatione naturali.

Confirmatur ex 2. *Machab. c.* 7. Vbi Machabæorum Martyrum mater ſignificare videtur, filijs ſuis adhuc in vtero exiſtentibus infuſam à Deo animam rationalem. Sic enim loquitur: *Neque enim Ego ſpiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi; ſed enim mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & ſpiritum vobis, iterum cum miſericordia reddat, & vitam*. Spiritus enim, & vita, quam à Domino filijs ſuis reddendam dicit, certè eſt anima rationalis. Ergò de hac eadem anima dicit: non fuiſſe à ſe datam filijs, ſed à Deo; ſed dicit, datam in vtero. Ergo anima rationalis habetur in vtero. Minor probatur: tum quia dicit: *Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis*; tum quia eodem modo dicit, non à ſe datum filijs ſpiritum, ſicut nec compacta membra; ſed membra non poterat ipſa compingere, nec compacta ſunt, niſi in vtero: Ergò ſicut à Deo compacta filiorum ſuorum membra in vtero, ita & in vtero infuſam illis animam daret.

14 Probatur ſecundò. Originale peccatum in vtero ante partum contrahitur. Non contrahitur autem abſque animatione fœtus anima rationali. Ergo fœtus animatur anima rationali ante partum. Cætera conſpicua ſunt. Maior autem patet primò ex Scriptura: *Pſalmo* enim 50. *v.* 7. ait Dauid: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*: Vbi Dauid ſuſcepit perſonam generis humani, vt *S. Auguſtinus ad eum locum* notat. Egreſſus autem ex vtero non dicitur conceptio; quamuis enim conceptio in vtero dicatur natiuitas, numquam tamen egreſſus ex vtero dicitur conceptio; hæc enim ſignificat receptionem, aut captionem; & conceptus dicitur quaſi captus intra vterum vel mentis, vel corporis, & generaliter nihil poteſt intelligi captum, ſiue apprehenſum, niſi intra aliquid, vel ab aliquo contineatur, putà manu, vel carcere. Ergo conceptio ſignificat exiſtentiam fœtus in vtero; vnde & conceptus mentalis dicitur notitia exiſtens in mente, quæ quodammodo paritur, dum extra

men-

mentem per verba in aliorum cognitionem deducitur, vt patet per Auguſtinum de Trinitate. Ergo dum Dauid dicit, ſe in iniquitatibus conceptum à matre, proculdubio ſignificat, ſe habuiſſe in vtero animam rationalem, nam ſine ea non poteſt adeſſe iniquitas. Nec obſtat, quòd in vno homine non ſit niſi vnicum originale peccatum. Vtitur enim Propheta, dum iniquitates nominat, plurali pro ſingulari, vt ſæpe in Scriptura cernitur: & cum originale ſit cauſa, & origo multorum peccatorum; & peccatum Adæ, ex quo traducitur, plures deformitates habuerit, non incongruè dici potuit virtute plura peccata. Sic *D. Thomas 2.2.qu.82. art.2, ad 1.* Immo cum in vnoquoque reperiatur peccatum originale ſibi propriũ, & illud multiplicetur formaliter ad multiplicationem hominum, veriſſimè Pſaltes enunciauit etiam de hoc peccato agendo: *In iniquitatibus conceptus ſum*: quia iuxta *Auguſtinum* iam relatum, generis humani perſonam ibi ſuſcepit, & ſub ſuo nomine de toto illo loquebatur. Patet ſecundò, quia *S. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum c.27.* firmiſſimè tenendum, & nullatenus dubitandum eſſe dixit; Propter originale peccatum, quod carnali conceptione traxerunt, in altera vita eſſe puniendos, non tantum iam natos ex matribus, qui ſine baptiſmo tranſeunt de hoc ſæculo; ſed etiam eos, *qui in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur.*

Confirmatur, quia tamquam ſpecialiſſimum B. V. priuilegium ab Eccleſia celebratur, quod fuerit abſque originali concepta. Atqui hoc deridiculum redderetur, ſi cæteri omnes abſque eo peccatò concipimur, & ſolùm cum illo naſcimur. Ergo, &c.

15 Probatur tertiò, & magis roboratur præcedens confirmatio. Si fœtus tunc primùm eſt animatus anima rationali, quando mater parit, chimericè Eccleſia celebraret Conceptionem Virginis Mariæ, propter ſpeciale priuilegium præſeruationis à culpa originali in eo temporis inſtanti, quando anima eius corpori infuſa fuit; ſi de facto id totum factum fuiſſet, dum Anna hanc Virginem Mariam peperit, & non ante eius partum, ſeu Natiuitatem, quam Eccleſia vt feſtum à Conceptione diſtinctum vniuerſaliter celebrat. Ergo cum Eccleſia nec in hoc, nec in cæteris chimericè, aut cum errore procedat, tenendum eſt longè ante tempus Natiuitatis, ſeu partus fœtum eſſe animatum.

16 Probatur quartò, quia ex contraria ſententia ſequeretur, nullum paruulum interfici in ventre matris, nullumque proinde eſſe martyrem, aut emundari à peccato, quamuis ſimul cum prægnante matre confodiatur data opera in odium Chriſti. Atqui huius oppoſitum fert vera Theologia, cenſens, puerum ita confixum ad Cęlum euolare cum matre, baptizari ſuomet ſanguine, & coronari martyrio. Ergo, &c. Minor patet: ſic enim ſentiunt *Scotus, Paludanus, Richardus, Gabriel, Carthuſianus, Argentina, Vega,* quos relatos ſequitur *Ruiz de Montoya diſp.49. de Præleſt. ſect.4. nu.12. Vaſquez tom.2. in 3. p. diſp.153. n.80. Sà V. Martyrium in fine,*

Tole-

Toletus l.2.c.22.nu.7. cum Sylueſtro, Baſſæus V.Martyrium nu.3. Anacletus Reiffenſtuel theol.mor.tr.7. diſt 3. qu.6. n.42. ibi: *Quinimò ex ſpeciali priuilegio Chriſti, occiſio propter cauſam fidei eſt paruulis inſtar Baptiſmi: unde ſaluantur, etiam ſi in vtero materno occidantur propter Chriſtum, vtpote proprio ſanguine baptizati. Reginaldus*, & alij ita communiter, vt *Ruiz* concludat: *Neque ſcimus ab aliquo Theologorum hoc negari*. Addit præterea *Theophilus Raynaudus to.18. tr.de martyrio per peſtem p.2.c.2. n.8.* idem futurum, quamuis mater non occideretur, aut non eſſet verè Martyr defectu diſpoſitionis prærequiſitæ in adultis; immò quamuis Tyrannus occiſor neſciret eam eſſe grauidam: idque omninò verum credit cum *Henriquez Coninch in 3.p.qu.66.n.123.*

Confirmatur, quia alia etiam abſurda oppoſitam ſententiam conſectantur, nempe, neque B. Virginem, neque vllum alium, ante ſuam natiuitatem ex vtero, abſque ingenti miraculo potuiſſe incurrere originale peccatum: quandoquidem eſſe dicitur ſupra, immò contra totius naturæ, exigentiam, corpus eius ante id tempus animari hominis vita. Rurſus, non fuiſſe purum beneficium, neque magnum, ſed valdè diminutum, iuſtificationem Baptiſtæ, aut Ieremiæ in ventre matrum. Ipſi enim naturæ ſuæ relicti pro illo ſtatu nec erant futuri homines, nec peccatores, nec Sancti; ad anticipandam verò iuſtificationem ipſorum prius neceſſe fuit miraculosè efficere, vt eſſent in ſtatu peccati, & filij iræ, ac damnationis, ex qua poſtea transferrentur ad ſtatum adoptionis, ac gratiæ. Quæ conſectaria quàm ſint contra veram Theologiam nemo eſt qui ambigit.

17 Probatur quartò, quia oppoſita ſententia aduerſatur euidentiæ oculorum, ratione cuius magnum delirium eam opinationem vocat *Ioannes Cardenas hìc diſſert.18.c.8.n.69.* Et meritò, nam vel infuſio animæ rationalis requirit totum tempus nouem menſium, vel non requirit. Si primum: Ergo quando infans naſcitur ſeptimo, quinto, aut quarto menſe, non naſcitur cum anima rationali. Quæ conſequentia euidenter infertur, & conſequens eſt euidenter falſum. Etenim videmus infantibus ſic in lucem editis euidentia ſigna animæ rationalis. Si ſecundum dicatur, nempè infuſionem animæ rationalis non requirere nouem menſes, ſed ſeptimo, quinto, aut quarto menſe infundi: euidenter infertur infundi animam rationalem antequam adueniat tempus pariendi.

18 Probatur vltimò; quia theſis proſcripta non tantùm negat, omnem fœtum, quamdiù in vtero eſt, carere anima rationali, ſed inſuper addit, tunc primùm incipere eandem habere, cum paritur reſtringendo ad eos ſolos, qui pariuntur, adeptionem rationalis animi. Hoc autem euidenter eſt abſurdum. Ergo, &c. Patet minor, nam mater mortua non parit fœtus, qui ab illa extrahuntur ſcindendo ventrem eius, cum neque illi exeant per communem partem, neque illa quidquam conetur ad eductionem ipſorum: ſed ad illam merè paſſiuè ſe habeat: & tamen plures

ex illis viui extrahuntur, vt euidenti experientia demonſtratur, atque argumento eſt *S. Raymundus*, qui ea de cauſa dictus eſt *Nonnatus*, & potiori iure potuiſſet cognominari *Non-partus*. Parere enim eſſentialiter importat actiuitatem, & conatum matris, & pueri exitum per viam communem à natura deſtinatam, vt ex apprehenſione terminorum apud omnes conſtat, & apertè comprobatur ex *l. Annículus* 132. *ff. de verb. ſignif.* ibi: *Falſum eſt, eam peperiſſe, cui mortuæ filius eiectus eſt, l. ſi ego* 11. *§. Idem eſt, ff. de Publiciana in rem actione*, vbi dicitur: *Non natus, qui poſt mortem matris ex ſecto ventre eius extractus eſt*.

19 Ex hactenus dictis habes refutatum errorem illorum, qui confingunt, Fœtum informari anima matris eo tempore, quo eſt in vtero, non verò ſua propria vſque ad partum: quem errorem ex profeſsò refellit *Tertullianus l. b. de Anima c.* 25. & 26. Et Theologi cum *D. Thom.* 3. *p. q.* 68. *art.* 11. *in corpore*.

20 Dico ſecundò. Scandaloſè quoque dictum eſt, In nullo abortu homicidium committi. Et quidem contrarium eſt adeò conforme ſenſui Eccleſiæ, & omnium rectè ſentientium, vt ſententia *Ioannes Marchi*, vel ob ſolam iſtam cauſam rectè abigatur.

Probatur primò, quia conſequenter ad doctrinam negantem animationem fœtus ante partum addebat theſis abacta: *In nullo abortu homicidium committi*. Quæ illatio rectè videtur procedere (quidquid dicat *Ioannes Cardenas*) quia homicidium non committitur, niſi verus homo interficiatur; fœtus autem nondum informatus animo rationali, verus homo eſſe non poteſt, atque adeo nec verè occidi. Cæterum, cum iam ſit clarè oſtenſum, principium vnde id deducitur, eſſe prorſus improbabile, & ſcandaloſum, contrariumque omninò certum, exinde colligi debet, ſæpè homicidium committi in abortibus ſtudioſè procuratis, & oppoſitum eſſe ſcandaloſum, & impium.

Confirmatur iuxta *Auguſtinum in Enchirid. ad Laurent. c.* 86. *impudentia nimia videtur* negari puerperia mori perſæpe intra vterum matris, & antea in illo vixiſſe; neque reperire poteſt S. Doctor, quomodo cum alijs mortuis reſurrectura non ſunt in die iudicij extremi: vbicumque mors illis contigerit. Vnde reſurrectionem illorum Theologicè certam putat ſapientiſſimus *Suarez to.* 2. *in* 3. *part. d.* 50 *ſect.* 3. *concl.* 2. Et ſicut compertum eſt, homicidium propriè nunquam dari, niſi verus homo interficiatur; ita indubitatum eſſe debet, ſemper committi homicidium, quoties homo verè, ac propriè talis priuata auctoritate neci addicitur; & vitæ ſuæ continuatione priuatur. Atqui ſæpè abortus procuratur, cum homo iam eſt formatus, atque animatus in vtero, ſuiſque eſſentialibus partibus, ſcilicet anima, & corpore adæquatè conſtitutus, atque in ipſo ventre matris ſuffocatur, aut veneno afficitur multis diebus ante partum, ne viuus in lucem prodeat. Ergo verè in his abortibus perpetratur homicidiū.

21 Im-

21 Immò illud ſæpè erit proditorium, ac parricidium; proditorium eſſe reſpectu interempti infantis bene colligunt *Molina to. 4. de iuſt. & iur. tr. 3. diſp. 27. nu. 1. & 2. & Raynaudus to. 14. tr. de ſect. Cæſarea ſect. 10. nu. 13.* ex eo, quia cum non ſit inimicus, nec offenſor, ſed innocuus, indefenſus, ex induſtria occiditur. Erit præterea filijcidium, generali parricidij nomine propriè comprehenſum ſecundùm phraſim iuridicã ſi datâ operâ concurrunt ad illum pater, aut mater; iam enim eſt natus in vtero, & ab illis procreatus, etſi nondum editus in lucem publicam, vt cum communi *Anacletus Reiffenſtuel theol. mor. tr. 9. diſt. 3. q. 3. n. 33.* Atque ità hoc genus delicti parricidium ſæpè appellant Auctores, veluti *Cicero in orat. pro Cluentio. Minutius Felix in Octauio n. 53. S. Cyprianus epiſt. 49. Theodoretus lib. 9. de legibus ſub finem,* & alii, quos dabit *Raynaudus ſupra à n. 17.* Nobis vnus *Hieronymus* ſufficiat *epiſt. 22.* in hæc ſcribens de Virginibus Deo conſecratis: *Nonnullæ cum ſe ſenſerint concepiſſe de ſcelere, abortij venena meditantur, & frequenter etiam ipſæ commortuæ, trium criminum reę ad inferos perducuntur, homicidæ ſui, Chriſti adulteræ, necdum nati filij parricidæ.*

Probatur ſecundò ex textu Sacro Exodi 21. *v.* 22. vbi ſecundùm verſionem Septuaginta Interpretum hoc modo legitur: *Qui percuſſerit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit; ſi fœtus erat formatus, dabit animam pro anima.* Falsò ergo dicitur, homicidium verè tale in nullo abortu committi.

Probatur tertiò ex Decretis Pontificum; nam *Stephanus V. in cap. conſuluiſti 20. 2. q. 5.* vt manifeſtum ſuppoſuit, illum *homicidam eſſe, qui conceptum in vtero per abortum deleuerit.* Et *Innocentius III. in c. ſicut, 20. de homicidio, Sixtus V. in Bulla contra procurantes abortum,* incip. *Effrænatam*, quæ eſt 87. huius Pontificis, ex Synodo Conſtantinopolitana, Ilerdenſi, & alijs pluribus, ſæpius tradit, fœtus viuentes occidi antequam naſcantur, necari, ac perimi in vtero; atque adeò Auctores iſtorum criminum irregularitatem contrahere, & alias pœnas impoſitas veris homicidis; immò & hoc ipſum extendi voluit ad alios, quorum praua operâ abiguntur fœtus nondum animati. *Gregorius* verò *XIV.* qui iſtam extenſionem abſtulit, *Bulla* 8. incip. *Sedes Apoſtolica,* iſtam extenſionem abſtulit, reduxitque ad terminos iuris antiqui; expreſsè cauit, ſe loqui dumtaxat, *vbi nec de homicidio, nec de animato fœtu agitur.*

22 Hinc vehementer, enormiterque errarũt *Menoch. de arb. caſu 357. & Tiraquell. in l. Si vnquam, verb. Suſceperit liberos, Cod. de reuoc. donat. à n. 127.* quatenus affirmant, pœnas homicidio impoſitas nũquam ad abortum trahi: Vel enim cenſent, in nullo abortu propriè committi homicidium, vel illud committi exiſtimant, ſaltem dum fœtus abigitur, qui iam eſt actu animatus anima rationali: ſi nunquam committi cenſent, & ex proximè dictis reuincuntur, & apertiſſimè ſubduntur damnationi huius propoſitionis, conſequenterque dicere debent, fœtum, dum in ventre exiſtit, hominem

Digitized by Google

propriè non eſſe, ſed pecus, aut quidpiam aliud. Nam qui aliquem abortum, V.g. eiectionem fœtus non dum animati, *noluit pertinere ad homicidium, profectò nec hominem deputauit, quod tale in vtero geritur*, vt acutè argumentatur *Auguſtinus to.4.lib.2. ſuper Exodum q.80.* Sin verò ex aduerſo aſſerunt, quandoque incurri homicidium propriè, dum fœtus abigitur, putà, dum eſt animatus, & iam actu viuit vità hominis, clarum, apertumque eſt, dum illa tollitur, homicidium perpetrari, & hanc non eſſe extenſionem legis ad caſus improprios; ſed ipſummet caſum legis homicidia punientis, ac vetantis. Vnde & homicidio reſeruato, abortus in eo ipſo reſeruati cenſentur, *Iannario* teſte *de caſib.reſer.reſol.34.nu.37.*

23 Dicere fœtat paruulum in vtero, quãuis iam ſit animata anima rationali caro ipſius, hominem non eſſe, niſi impropriè, alios referens Iuriſperitos *Narbona in annal.anno 1.q.2.ex nu.17.*

At hoc abſurdiſſimum effugium eſt, & Stoiciſmum Papiniani ſapit. Nã homo ille eſt propriiſſime, qui totã hominis eſſentiam habet, nimirum corpus, & animam inuicè vnitas: *c.in quadã de celeb.miſſ.c.neſti 56.d.c.ſi ad matris 114.de conſ.d.4.Gonzalez in c.ſi aliquis num.9.de homicidio.* Et nequit non eſſe homo, qui propter Chriſtum occiſus, eſſet verè, ac propriè Martyr. Horrore autem perfundimur omnes, dum idem Auctor adijcit ibidem *n.20.ex Signorolo, Mandoſio, Theſauro*, & nonnullis alijs neque Chriſtum fuiſſe hominem priuſquam ab vtero matris prodierit in lucem publicam, & ex ipſa fuerit natus. Nemini namque dubium eſſe poteſt illum ab inſtanti Incarnationis fuiſſe verè hominem: id namque habetur in Symbolo, quo rudimenta fidei declarantur. Et quomodo verum erit nouum illud, quod creauit Dominus ſuper terram *Ieremiæ 31.v.22. Fœmina circumdabit virum:* ſi Chriſtus non erat homo eſſentialiter perfectus, dum matre circumdabatur, nec pollebat ſicut alij viri, vſu rationis, ac ſenſus?

Habes ex hucuſque dictis, meritò *Vuilhelmum Sandæum in confut.trium virorum* dixiſſe, enormiſſimæ abſurditatis eſſe theſim iſtam inter omnes ab Innocentio profligatas.

§. TERTIVS.

Argumenta contraria protelantur.

24 OBijcies primò placitis Philoſophorum, immo Iuriſconſultorum. Stoici enim Philoſophi docuerunt, Fœtum dum in vtero eſt, non eſſe hominem, aut animal, ſed partem matris, & portionem viſcerum eius, ſicut fructus pendens, pars arboris eſt. *Seneca epiſt.xvn.* appellauit fœtum *maternorum viſcerum latens onus. Quintilianus declamat.339.* dixit, *partem viſcerum matris*. Faciunt *Plutarchus l.5. de placitis Philoſophorum*

rum c.15 Alexander Aphrodiſeus lib. de Anima c.20. Galenus lib. de hiſt. Philoſophorum, & Lactantius de mundi opificio c.16. quatenus Stoicis hanc ſententiam tribuunt. Vnde *Vlpianus, Paulus, Papinianus, Marcellus,* qui Stoicorum ſcholam ſectati fuere, ſenſerunt, Fœtum non eſſe hominem, animalue. Quare *Papinianus in l. lege Falcidia 9. ff. ad l. Falcid.* dixit, partum nondum editum, hominem non rectè fuiſſe, ibi in fine legis: *Circa ventrem ancillæ nulla temporis admitti diſtinctio eſt, quia partus nondum editus, homo non rectè fuiſſe dicitur.* Et *Marcellus in l.2. ff. de mortuo inferendo,* Fœtum eſſe ait ſpem animantis: nec qui eum interimit proprie hominem occidiſſe. Et *Pompon. in l. vlt. ff. de aſſignand. libert.* non eſſe in rerum natura aſſeruit. Et *Vlpianus in l.1. §.1. ff. de ventre inſpic.* ſcripſit fœtum partem matris eſſe, nec antea credi cognatum, quàm naſcatur. Et *in l.1. §. ſi quis proximior, ff. vnde cognati,* fœtum in rebus humanis non eſſe ſupponit: iuxta quam ſententiam idem *Vlpianus* cenſuit, poſthumo tutorem non rectè dari, *l. ſi nemo 19. §. vlt. ff. de teſtam. tut.* & ætatem hominis à die natali computari docuit in *l. denique 3. §. minorem, ff. de minoribus, l. qui ætate, ff. qui teſtamenta facere:* & muliere prægnante in naue accepta, ſi poſtea pepererit, pro filio vecturam non deberi reſpondit in *l. ſed ædes, 19. §. ſi quis mulierem, 7. ff. locati:* ideoque ancillæ furtiuæ partum vſucapi non poſſe, contra *Scæuolam* docuit *in l. qui vas, 48. §. ancilla, ff. de furtis,* & iuxta eandem Scholam *Paulus* docuit, petita ancilla, petitum cenſeri partum, in *l. Paulus 14. l. partum, ff. de vſuris:* & ancilla prægnante pignorata, pignori datum cenſeri partum, idem docuit in *l. ſi conuenerit 78. §. ſi fundus 2. ff. de pignor. act.* iuncta *l. & quemadmodum l. fideiuſſor, 26. §. vlt. l. Paulus, 29. §.1. ff. de pignor. l.1. Cod. de partu pignor.* & ita fœtus patri ad excuſationem tutelæ non prodeſt, *l.2. §. qui autem, 6. ff. de excuſ. tutor.*

24 Reſpondeo, admittendo eos Philoſophos, & Iuriſconſultos pro ea ſententia ſtetiſſe, ſed non pro veritate, quam docuerunt alij Philoſophi Peripateticæ Scholæ; immo & Iuriſconſulti: Vnde Philoſophi conſequenter exiſtimarunt, in abortu fœtus verum homicidium dari, vt probant *Galenus vbi ſupra, Ariſtoteles l.2. de hiſtor. anim. Plato apud Plutarchum lib. de placitis Philoſophorum c.15.* Et qui iuxta eorum ſcholam crediderunt partum adhuc in vtero latentem animal eſſe, docuerunt abortum procurantem pœna ordinaria homicidij puniri: *Philo in ſpecialibus legibus, Ioſephus l.4. antiqui. c.8. Tertullianus in Apolog. c.349.* Iuriſconſulti non pauci docuerunt. Ideo enim, qui in vtero ſunt, in toto penè iuri ciuili intelliguntur in rerum natura eſſe, vt atteſtatur *Iulianus,* & multis exemplis comprobat in *l. qui in vtero 26. ff. de ſtatu homin.* Immò etiam eſſe in humanis habetur in *l.5. §. eadem.* Et ex *Scæuola* refertur, partum non eſſe partem rei furtiuæ in *l. Partum, 26. ff. de verb. ſignif. l. ſi aliena, 10. in fine ff. de vſucap.* Eccleſia etiam hanc ſententiam veram habet; nempe fœtum adhuc in maternis vteris exiſtentem poſt animationem, perfectum hominem eſſe,

c, ali-

c. aliquan lo 7. c. quod verò 8. c. Moyſes 9.32. q.2. Meritò *Tertullianus de anima c.37.* inquit: *Ex eo igitur fœtus in vtero homo, à quo forma completa eſt.*

Obijcies ſecundò: Si fœtus formatus in vtero eſſet homo poſſet baptizari in periculo mortis. Atqui nequit baptizari. Ergo, &c. Minorem probant *textus in c. ſi quicquid 33. & c. ſi ad matris. 112. de conſecr. diſt.4.* Et *c. qui in maternis, 113.* eodem loco.

25 Reſpondeo, fœtui, dum in maternis vteris exiſtit, ſi opera obſtetricis corpus ablui poſſit, dum forma profertur, validè conferri baptiſmum, vt docuerunt *Gabriel, Victoria, Suarez, Coninch, Bonac. & Prado,* quos relatos ſequitur *Gonzalez ad c. maiores de Baptiſmo nu.7.* probans tum auctoritate eiuſdem textus, ibi: *nec ſexum, nec ætatem excludens,* tum ratione, quia qui in vtero eſt, poſt tempus formationis, & animationis, eſt homo viuens, & animal iuxta veram ſententiam, vt ſupra. Nec contrarium probant textus relati in argumento: Nam textus in *c. ſi quicquid, & c. ſi ad matris,* loquuntur de baptiſmo matris prægnantis, itaut aqua minimè attingat fœtum in vtero matris clauſum, vt facilè conſtat ex *d. c. ſi quicquid,* ibi: *Si ad hoc Sacramentum accipiendum grauidas neceſſitas cogat:* & ex *d. c. ſi ad matris,* vbi diſputatur, an maneat baptizatus infans, cuius mater baptizata eſt, aliquo mortis vrgete periculo, cùm illum geſtaret in vtero: *D.* enim *Auguſtinus* in vtroque textu impugnat Hæreticos, qui exiſtimabant, baptiſmum matris diffundi etiam ad vterum, ſeu fœtum vteri, qui iuxta Stoicos pars viſcerum matris eſt; & ideò negabant, mulierem prægnantem baptizari poſſe, quia ſimul fœtus baptizatus credebatur, & ſi poſtea baptizaretur iterabatur baptiſmus. Contra quos ita ſanxerunt Patres *Concilij Neocæſar. can.6. in hæc verba. De prægnantibus, quod oportet eas baptizare, quando volunt; nihil enim in hoc Sacramento commune eſt parturæ, & illi, qui de eius vtero fuerit editus; quia vniuſcuiuſque in illa confeſſione libertas arbitrij declaratur.* Refelluntur etiam ex eo, quòd infans in vtero habet reverà diſtinctum corpus, diſtinctamque animam, *l. partum 26. ff. de verb. ſignif. l. ſi aliena 10. §. fin. ff. de vſucap.* cum alijs congeſtis à *Caranza de partu c.2. Merillo l.1. obſeru. c.16.* Vnde peculiari benedictione benedici poteſt, vt varijs exemplis firmat *Roſueduſ in Onomaſt. V. Benedictio.* Nec etiam contrariũ probat *Iſidorus relatus in c. qui in maternis,* vbi ait Sanctus: *Qui in maternis vteris ſunt, cum matre baptizari non poſſunt. Quia qui natus adhuc ſecundùm Adam non eſt, renaſci ſecundùm Chriſtum non poteſt; neque enim dici regeneratio in eo potuit, quem generatio non præceſſerit.* Nam omiſſis *Valentia, Laymano,* & alijs, qui accipiunt *Iſidorum* iuxta terminos textus præcedentis, in quo agebatur de baptiſmo matris prægnãtis communicando fœtui, vel non: dicendum eſt cum *Gonzalez ad cit. cap. Maiores, nu.7.* & alijs, *Iſidorum* agere de fœtu informi, & imperfecto ante animationem, cum eſt tantum ſpes animantis, aut puerperium, vt dicitur *c. aliquando 7. c. quod verò 8. c. Moyſes 5. c. ſicuti 10.32.92.* cui verè conue-

nit

Digitized by Google

nit ratio adducta à *D. Iſidoro*, videlicet, quòd ipſe, qui natus non ſit ſecundùm Adam, hoc eſt ad peccatum originale, non poteſt renaſci per gratiã ſecundùm Chriſtum, quia, vt aiebat *D. Auguſtinus Epiſt. ad Dardanum*, nemo naſcitur ſpiritualiter, niſi priùs naſcatur naturaliter, ideſt natiuitate, quæ contingit per animationem fœtus, quæ fit plerumque in viris 40. die conceptionis, 80. vero in fœmina, vt ſuprà fuſiùs viſum eſt.

Obijcies tertiò: & ſimul inſtatur. Peccatum originale non differtur, ſed incurritur ab homine in ipſo primo animationis inſtanti. Atqui non incurritur in vtero, ſed eo tempore, quo paruulus ab illo egreditur. Ergò tunc animatur anima rationali. Probatur minor ex Sacra Scriptura, *Eccleſiaſtici* 40. *ver.* 1. vbi dicitur: *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam à die exitus, de ventre matris eorum vſque ad diem ſepulturæ in matrem omnium.* Quo loci verbum, *creata*, ſatis indicat, tunc primùm incipere iugum illud, de quo eſt ſermo: nam alioquĩ non creari, ſed conſeruari, aut permanere diceretur; ſicut anima non dicitur creari in die exitus de ventre matris, ſi verum eſt, eam infundi corpuſculo aliquot menſibus antequam proles edatur. Iam verò, quòd graue iſtud iugum ſit originale peccatum, ex re ipſa ſumi videtur, quia ſi Adam non peccaſſet, & ſuos poſteros peccato non infeciſſet, neque iugum illud eſſet, neque mors, nec calamitates reliquæ, quæ trahi cum illo recenſet eo loci Sapiens. Quamobrem *Gelaſius Papa Epiſt.* 1. contra *Pelagianos*, ex prædictis eius verbis probat, paruulos grauari iugo originalis peccati. Et *S. Auguſtinus l.* 5. *Hypognoſticon c.* 3. *Quid*, inquit, *eſt hoc graue iugum, niſi peccatum? Et quare dictum eſt iugum, niſi quia ex duobus Adam, & Eua veniat?* Ac paulò infrà: *Hoc iugo, ideſt, originali peccato reuincti maiores, atque minores vitium ex ipſo ortu tamquam aratrum trahimus.*

26 Reſp. Iugum, de quo ſapiens loquitur, & quod incipere inſinuat à die natiuitatis; non eſt peccatum originis in ſe ipſo, ſed in effectibus valdè onerofis, ac grauibus, quos patitur quiuis homo, poſtquam ex ventris ergaſtulo prodit in publicam lucem. Nam, ſi de peccato originis in ſe ipſo loqueretur, velletque illud non incipere, donec paruulus ex vtero egrediatur, conſequenter affirmaret, illud tota vita continuari vſque ad diem ſepulturæ, & cum ipſa vita extingui, vt manifeſtè conſtabit perpendenti verba, quæ obijciuntur, & terminos durationis, qui tali iugo aſſignantur. Porrò peccatum originis, neque tota vita continuatur, ſed ſæpè intra illam remittitur, manentibus adhuc moleſtijs, quas ibi recenſet ſapiens, neque cum vita finitur; ſed poſt mortem continuatur caſu, quo non ſit remiſſum. Iugum ergò, cui conueniunt proprietates ibi adductæ, non eſt originale peccatum, ſed labores, ac ærumnæ, quibus ſubijciuntur homines in pœnam eius à die natiuitatis, vſque ad diem ſepulturæ. Ad laborem quippe de muliere naſcimur, ac breui tempore viuimus, & multis miſerijs replemur, vt *Iob deplorat. c.* 14. *v.* 1. & hoc onere, ſeu iugo premimur à die natiuitatis, quamuis

à die

à die conceptionis verè fuerimus immundi,ſeu maculati à peccato,vt ipſemet *Iob* ſignificat ibi, *verſ.* 4.dicens : *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine,non ne tu,qui ſolus es* ? Atque de his miſerijs locum Eccleſiaſtici intellexit *Auguſtinus l.6.contra Iulianum c.5. & 10.* Cùm verò in libro Hypognoſticon (ſi iſte liber eſt ipſius)dixit,iugum illud eſſe peccatum originale,pro effectu cauſam aſſumpſit,& pœnas huius peccati, quia ex illo ſunt,& in alia peccata ſæpè inducunt,peccatum vocare potuit: quod rectè vocauit *Piña in comment.litterali ad eum locum,2.part.tom.4. in Eccleſiaſt. nu 6.in fine* : & hoc modo in ſacris litteris concupiſcentia ſæpè appellatur Peccatum:quia ex peccato eſt,& ad peccatum inclinat .

Obijcies quartò,ab abſurdo: Ex oppoſita,ſeu noſtra ſententia ſequeretur,plures homines in peccato decedere , quibus tota vita defuit poſſibilitas adipiſcendi ſalutem,quin vlla ſua , vel aliorum diligentia poſſet illis applicari Baptiſmus,aut aliud medium,quo ſtatum peccati exuerent, & renaſcerentur gratiæ. Conſequens abſurdum eſt . Ergò & id, vnde colligitur. Conſequentia in dubium reuocari nequit . Conſequens autem , quod deducitur ex ea ſententia, abſurdum eſſe inde apparet, quia, eo conceſſo,tolleretur generalitas auxilij ſufficientis ad ſalutem omnibus , ac ſingulis filijs Adami : vniuerſalitas redemptionis noſtræ non comprehenderet totum genus humanum,& ſincera , ſeriaque voluntas, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri,non extenderetur ad omnes,ſed ad multos exceptis alijs non paucis:quod refellit ex profeſſo *S. Auguſtinus l.4.contra Iulian.c.8.* cauſam paruulorum agens,& ſic inter alia ſcribens. *Numquid homines non ſunt,vt non pertineant ad id,quod dictum eſt: Omnes homines* ? Iam verò quòd iſtud conſequens legitimè deducatur,ſi paruuli iam in vtero verè homines ſunt,& propriam animam habent ſuo corpuſculo ibi infuſam, inde perſuadetur: Quia ex ipſis plures deficiunt,antequam in lucem prodeant, contra expectationem matris ratione debilitatis , vel alterius cauſæ merè naturalis,& occultæ;quin vlla diligentia , aut prouidentia humana impediri potuerit mors ipſorum, aut adhiberi remedium , quo ſanarentur à vulnere peccati,quod iam contraxerant . Baptiſmus vtique , cùm ex ſua propria inſtitutione poſtulet ablutionem baptizati , paruulis clauſis in vtero nequit validè conferri,vt omnes Theologi ſtatuunt. Circumciſio quoque in lege veteri circa illos exerceri haudquaquam poterat . Remedium legis naturę in alia ſimili cæremonia conſiſtebat ſenſibiliter exercenda erga puerum , & ſupponente illius natiuitatem , Igitur nullum remedium peccato iſtorum applicari valet . Nam,quod *Caietanus* dixit *3.p.q.68.ar.2.* illis ſufficere parentum fidem applicatam ſolo ſigno Crucis , aut inuocatione Trinitatis,iuſſu *Pij V.* Pontificis Maximi meritò deletum eſt , & totus ille commentarius deinceps expunctus in editionibus alijs.

27 Reſp. Eadem omninò eſt difficultas de paruulis iam natis , qui ſine Baptiſmo moriuntur defectu aquæ,aut vi naturæ , vel caſu aliquo improuiſo,

uiſo,

uiſo,quem nulla humana diligentia præuidere:aut præuenire potuit;& tamen nemo negabit,illos tunc eſſe animatos,& redemptos fuiſſe à Chriſto. Omnes igitur diluere debent argumentum ſumptum ex impoſſibilitate applicandi iſtis remedium Baptiſmi,& ſolutio, quæ his paruulis adaptatur, pari iure accommodari poterit decedentibus in vtero. Quocirca Theologi omnes pariformiter de vtriſque philoſophantur, neque vllus propter hanc cauſam auſus eſt negare paruulos animari, aut mori in vtero. Putauit *Lubar 1.2.q.111.diſp.3.dub.3.* difficultatem dirimere dicendo,quòd etiam prædicti paruuli in vtero non omni remedio deſtituuntur: poſſunt enim ſaluari,ſi ſimul cum matre pro Chriſto interficiantur: poſſunt etiam diuiſo matris vtero baptizari: At hæc reſponſio inſufficiens eſt difficultati occurrere: tum quia multoties paruuli iſti moriuntur matre ſuperſtite: Ergò non poteſt remedio paruulorum occurri per matris mortem, aut per vteri materni abſciſſionem: Tum quia ſæpiùs moriuntur paruuli antequam poſſit eorum mors naturaliter præuideri,vel præueniri: nam parum poſt animationem ob aliquod ſeminis vitium,aut maximam debilitatem, matre etiam inſcia,deficiunt. Ergò nequit eorum ſaluti conſuli abſcindendo vterum matris. Tum denique, quia prædictus caſus ſæpè contingit apud infideles negatiuè tales,qui nullam notitiam habent remedij Baptiſmi à Deo præuiſi,& conſequenter nihil minùs cogitant,quàm vterum matris abſcindere. Per quod etiam à fortiori refellitur id,quod dicitur de remedio paruulorum per mortem matris in odium Chriſti: quoniam frequenter matres ſunt in illis regionibus, vbi regnat ſumma ignorantia myſteriorum Fidei,nullusque aduerſus illam deſæuit: vel in illis Prouincijs, vbi omninò regnat prædicta Fides,atque ideo nemo contra illam armatur, nullumque matribus imminet martyrium.

28 Nos ex ijs,quæ adducemus, (Deo fauente)in comment.ad *Propoſit. 4.& 6.* ex proſcriptis ab *Alexandro VIII.* planè difficultati ſatisfaciemus: interim ſufficiat afferre ſolutionem *Salmanticenſium tr.14. diſp.6. de Gratia actuali dub.2.num.55.* dicentium, quòd licèt Deus præuiderit de ſalute omnium hominum,& ad remedium peccati originalis inſtituerit Sacramentũ Baptiſmi,quod quantum eſt de ſe, poteſt omnibus paruulis applicari: nihilominus non voluit,quòd huiuſmodi remedium exiſteret ſemper ſub proxima applicabilitate. Quoniam ſicut Deus voluit voluntate antecedenti ſalutem omnium adultorum: cuius voluntatis effectus ſunt auxilia ſufficientia omnibus oblata,vt ſalutem conſequi poſſint, & nihilominus voluntate conſequenti non voluit ſalutem omnium adultorum, ſed ſolùm prædeſtinatorum;cuius voluntatis effectus in reprobis eſt carentia auxilij efficacis, quo ſalutem reipſa conſequerentur: ita etiam Deus voluit voluntate antecedenti ſalutem omnium paruulorum, & pro ea inſtituit generale remedium Baptiſmi, quod quantum eſt de ſe, poteſt omnibus applicari;& nihilominus voluntate conſequenti non voluit, quod omnibus paruulis

Digitized by Google

applicaretur baptiſmus ; imò nec quòd eſſet omnibus proximè applicabilis. Rationem eſſe vtrobique eandem ſubdunt his verbis: *Quia in mirum ſitu: ſalus adultorum ſecundum ſe eſt quoddam bonum, ita etiam ſalus omnium paruulorum ſecundum ſe : vnde vtraque terminat voluntatem Dei antecedentē, & pro vtraque ſunt inſtituta remedia, & auxilia de ſe ſufficientia. Et quemadmodum ſalus omnium adultorum, attentis omnibus circumſtantijs, eſt impeditiua maioris boni, quod ſplendet in effectibus iuſtitiæ erga reprobos, & miſericordiæ erga prædeſtinatos, atque in varietate prouidentiæ diuinæ intra ordinem gratiæ, quamobrem ſalus omnium adultorum non eſt volita voluntate conſequenti, nec pro ea fuere inſtituta auxilia omnibus communia : ita etiam ſalus omnium paruulorum, & applicatio actualis, ſiue proxima applicabilitas Baptiſmi reſpectu omnium eſſet, attentis omnibus circumſtantijs, impeditiua maioris boni tum quia non daretur varietas in paruulis, ſicut in adultis; tum quia proxima applicabilitas Baptiſmi ad paruulos morientes intra vterum maternum fieri non poteſt, niſi perturbando ordinem naturæ, & introducendo miracula, vel prouidentiam extraordinariam. Qua de cauſa prædicta ſalus, vel proxima remedij applicabilitas non eſt volita voluntate conſequenti pro omnibus paruulis, ſed ſolùm pro aliquibus. Cum tamen rectè cohæret, quòd prædicti paruuli, antequam moriantur, poſſint abſolutè baptizari, & ſaluari*: hæc ibi.

Nec inſtes, quòd prædicti infantes eſſent in ſtatu damnationis, ſicut Dæmones. Nam bene inſurgunt citati Sapientiſſimi Patres: *Quia ex vna parte Baptiſmus inſtitutus eſt pro omnibus viatoribus exiſtentibus in peccato originali, non pro damnatis; & ex alia parte paruuli antequam moriantur, poſſunt abſolutè viuere, naſci, & lauacro Baptiſmi regenerari : atque ideo offertur illis, ſaltem remotè, auxilium ad eorum remedium ſufficiens.*

Obijcies quintò: Iuxta ſententiam Ioannis Marci facillimè explicantur plura, quæ iuxta noſtram ſententiam difficulter expediri valent: vt, Quòd ætas hominum non computetur, niſi à die natiuitatis; potius enim computanda videretur à tempore animationis, quo cœperunt eſſe homines, & viuere vita humana. Item, quòd non detur tutor poſthumo antequam naſcatur, *l. ſi nemo, 19. §. vlt. ff. de teſtam. tutel.* Nec Angelus tutelaris exiſtentibus in vtero peculiaris, ac diſtinctus ab eo, qui cuſtodit matrem.

29 Reſp. Nihil eorum, quæ conglobantur in argumento, ad ſui declarationem indigere ſuppoſitione adeo abſurda, qualis eſt animationis defectus toto tempore, quo paruulus latet intra matris vterum. Nam quòd ætas hominum non computetur, niſi à die natiuitatis, ideo factum eſt, quia dies animationis eſt valdè incertus, ſicut & dies conceptionis, neque vniformiter accidit in fœminis, aut in viris; ſed citius, aut tardius, pro maiori, vel minori virtute ſeminis, aliarumque cauſarum, quæ ad fœtus formationem concurrunt. Quòd verò poſthumo datus tutor, nondum ſit tutor, donec poſthumus edatur in lucem, ex cit. *l. ſi nemo*, id euenit, quia cum alere, & gerere curam perſonæ interimae eſt in ventre, ex natura rei competit matri.

tri.

tri. Bona verò, quæ curare poſſit alius tutor, in eo ſtatu nulla habet; cùm nondum ſit hæres, neque rumpat teſtamentum patris, ſi præmoriatur in vtero, & viuus non egrediatur, *l. 1. & toto tit. Cod. de poſth. hæred.* Satis probabilis ſententia putat, cuſtodiam proprij Angeli inchoari ab inſtanti animationis, ſeu infuſionis animæ: conſequenterque ſtatuit, illum etiam in vtero matris à proprio Angelo defendi, & ibidem præſeruari à morte, & ab alijs malis, quæ natiuitatem eius impedire poſſent, aut præpedire Baptiſmum; quia tunc incipit eſſe viator, & homo à matre deſtitutus peculiaribus ſubſidijs egens, ne moriatur ſub peccato originali, & careat ſalute æterna. Sic expreſse *S. Thomas in 2. ſent. in 1. part. diſt. 11. q. 1. ar. 3. ad* 3. & ibidem *Albertus, Bonau. Richardus, Ægidius, Gabriel, Maior,* alijque *Tertullianus lib. de anima c. 37. & D. Anſelmus in Elucidario poſt med. Alenſis,* atque *Carthuſianus,* quos relatos ſequitur *Card. Aguirre in Ludis Salmantic. Ludo 5. excurſu 2. Suarez l. 6. de Angelis c. 17. nu.* 18. Ex qua ſententia retorquetur argumentum in Aduerſarios. Sed nec contraria ſententia *Magiſtri Sent. Durandi Zumel. Molinæ, Valentiæ, Vaſquez. & aliorum,* quos ſequitur *Vaſconcelos to. 1. de Angelo Cuſtode l. 2. c. 10 par. 3. nu. 7.* fauet Aduerſarijs; nam iſti expreſsè admittunt infundi animam in vtero, & tantum volunt, pro toto ſpatio, quo fœtus eſt animatus in vtero, ad Angelum matris potius ſpectare tutelam, curamque fœtus animati. Reputatur enim fructus ventris, dum non eſt ab eo præciſus: & cuſtodia fructuum adhuc pendentium ex arbore, eidem ipſi commendari ſolet, qui cuſtos eſt ipſius arboris.

§. QVARTVS.

De Pœnis Abortus.

30 PLures diſtinguendi ſunt caſus quoad pœnas ciuiles. Primus eſt abortionis, à qua mulieris mors ſubſequitur ex poculo, & alia re conſimili ei adhibita: in quo mortis pœna damnandus eſt is, qui cauſam præbuit, *l. ſi quis aliquid, §. qui abortionis, ff. de pœnis.* Vnde mulier tale quid paſsa à proprio viro, ei tamquam vxoricidæ pœna *legis Pompeiæ de Parricidijs* imponenda venit: *l. 2. & 3. ff. ad legem Pompeiam de Parricidijs.* Extraneus verò vti homicida puniendus erit. Et in hoc omnes conueniunt.

Secundus caſus eſt in muliere, quæ accepto pretio viſceribus ſuis vim intulit & contra hanc mortis pœna ſtatuitur, ſaltem ſi fœtus eſt animatus, *l. Cicero. ff. de pœnis:* vbi Mileſia quædam mulier, cùm eſſet in Aſia, eo quòd ab hæredibus ſecundis, accepta pœcunia partum ſibi medicamentis ipſa abegiſſet, rei capitalis eſt damnata. Quinimò ex ſententia *Iodoci Dembauder. in pract. rerum criminalium nu. 8. in fine,* aſſaſſinatus crimen hoc caſu committitur; quando ſcilicet ſumus in abortu fœtus animati pretio, & præmio

à matre procurato. Difficultas verò eſt in caſu, quo fœtus nondum fuiſſet animatus. Et adhuc pœnam capitalem *d. leg. Cicero* locum habere in partu exanimi à muliere pretio corrupta abacto, docent *Hippolytus, & alij*, quos refert, & ſequitur *Farinac. p. 6. q. 122. nu. 154.* ex quo contra naturam mulier peccauit, vt ait *Gaſp. Theſaurus in add. ad deciſ. 12. Theſauri Patris*, & viſceribus ſuis vim inferens, & maritum ſpe ſucceſſionis, Rempublicam iure defraudans, & his omnibus pecuniam plus æſtimans. Sed in hoc caſu ego cenſeo locum eſſe pœnæ arbitrariæ, cùm mater non ſit rea homicidij in actu; & textus in *d. l. Cicer.* loquitur de abortione fœtus animati. *Couar. in Clem. ſi furioſus, 2. p. §. 3. nu. 1. De Luca ad Franc. dec. 592. nu. 6.*

Tertius caſus eſt abortus procurati, in quo nec mors mulieris interueniat, vt in primo caſu, nec pretium grauidæ repenſum eſt, vt in ſecundo. Et hoc caſu communior eſt opinio Interpretum diſtinguens partum animatum anima rationali ab inanimato. Et ſi fœtus erat animatus, qui procurauit abortum, reus erit homicidij, & pœna mortis punitur, ſecundùm *Clarum l. 5. ſent. §. vlt. q. 68. nu. 2.* & alios cum *Gloſſa in Can. Moyſes 32. d. 2.* Imo patres, aut matres abortum facientes pœna parricidij damnandos docuit *Solorzanus l. 2. de Parricidio c. 12. n. 17.* & cum *Couar. Gomez, Carrerio, ac Claro, Molina to. 4. de iuſt. & iure tr. 3. d. 27. nu. 2.* Et non deſunt Doctores, qui dicunt occiſionem fœtus animati eſſe proditorium homicidium, & talem abortum procurantes non gaudere Eccleſiæ immunitate. Ita *Farin. de immun. Eccleſ. c. 8. nu. 138. Peregrin. de immun. Eccleſ. c. 3. nu. 8.* & alij. Alij verò docent, quòd talis abortus non punitur pœna mortis naturalis, ſed tantum extraordinaria, arbitrio Iudicis imponenda, etiam ſi prægnans ipſa procuret, ad effugiendam infamiam. *Innocentius in c. ſicut, num. 5. & 6. de homicidio, Fulgoſius in l. ſi mulierem nu. 1. ff. ad legem Corn. de Sicarijs, Alex. in l. quod dicitur, ff. de lib. & poſth. Caranza de partibus naturali. c. 16. de partu abortiuo, & eius pœnis nu. 26.* & veriorem eſſe ſententiam tradit *Theſaur. d. dec. 12. nu. 14.* pro qua ſentētia refertur *l. 4. ff. de extraord. crimin. & l. ſi mulierem 8. ff. ad leg. Corn. de Sicar.* At vt verum fatear textus iſti poſſent intelligi dum abortus eſt fœtus inanimati. Concedo tamen cum *Solorzano*, quòd licet de rigore iuris tales deberent puniri pœna ordinaria parricidij, forenſi vſu receptum eſſe, vt parentes, qui committunt tale crimen, mitiori pœna, quàm Parricidij puniantur. *Vnde Praſ. de Franchis d. dec. 392.* teſtatur, deciſum per Sacrū Conſilium matrem condemnatam fuiſſe ad pœnam fuſtigationis, & detruſionis perpetuæ in Monaſterium. Et pro tali abortu non priuari parentes Eccleſiaſtica immunitate, tamquam proditorium homicidium committentes, docent *Franciſcus De Leone Theſ.uri fori Eccleſ. p. 1. c. 13. Bonac. de cenſ. in partic. d. 2. q. 3. pu. 16. §. 8. num. 8. Diana tom. 2. tr. 1. reſ. 72. & p. 7. tr. 5. reſ. 42. & Theſaurus in praxi p. 1. c. 1. n. 3.*

Illud eſt addendum ex ſtylo Romanæ Curiæ, & praxi Sacræ Pœnitētiariæ longe difficilius concedi diſpenſationem irregularitatis patri, qui abor-

Digitized by Google

abortum ſui filij iam animati cauſauit, quàm alijs extraneis, atque ea propter ſubreptitiam eſſe diſpenſationem à parente obtentam, niſi exprimatur circumſtantia iſta, vt notant *Theſaurus in praxi p.2.c.1.in fine, Alph. de Leone de cenſ. Recoll.nu.58. Diana p.7.tr.5.reſ.21.*

31 Circa verò pœnas Eccleſiaſticas, quandam rigoroſiſſimam, tametſi iuſtiſſimam Conſtitutionem contra omnes procurantes abortum, ſiue fœtus ſit animatus, ſiue non, pœnas grauiſſimas continentem, edidit *Sixtus V. anno* 1588. incipientem *Effrænatam*: quam poſtea moderauit *Gregorius XIV.* (non XIII. vt dicit *Dicaſtillus*, nec XV. vt alij) in Conſtitutione ab ipſo edita *anno* 1592. incipiente, *Sedes Apoſtolica*, vbi has tres pœnas contra procurantes abortum, ſi fœtus ſit animatus, aſſignat. Prima eſt irregularitas homicidij voluntarij, Sedi Apoſtolicæ reſeruata, ſequuto ipſo effectu abortionis. Secunda contra procurantes abortum fœtus animati, præbentes auxilium, vel conſilium, aſſignat maiorem excommunicationem ipſo facto incurrendam, quam *Sixtus V.* aſſignauerat, & reſeruauerat eius abſolutionem Sedi Apoſtolicæ, niſi pro articulo mortis. Sed *Gregorius XIV.* relinquens excõmunicationem, ſuſtulit reſeruationem, & eius abſolutionem commiſit Epiſcopis, vel alijs Confeſſoribus ab ipſo aſſignatis, & ad hoc ſpecialiter deputatis. Tertiò aſſignauit priuationem officij, & beneficij, & cuiuſcumque dignitatis Eccleſiaſticæ obtentæ, & inhabilitatem ad alias inpoſterum obtinendas ipſo facto incurrendam. Videatur *Diana cit. tr.5. reſ.4. & 5.* Non euitantur dictæ pœnæ Bullæ ſi partus intempeſtiuus editus viuus naſcatur, ſi viuere nequeat; quia idem eſt non naſci, ac ità immaturè naſci, quòd viuere nequeat. Ita cum alijs *Nouarius in noni iuris Pontificij pract. concluſ. cõcl. 1. nu.* 14. Immò *Cabrinus de caſibus reſeru. caſu 7. in reſol. praxi pro Incidentibus reſ.* 7. non eximit ab impoſita pœna procuratorem abortus ex eo, quod fœtus ſtudioſè eiectus poſtea ſuperuiuat, & baptizetur; nam ad incurrendã excommunicationem ſufficit præmatura animati fœtus eiectio.

32 Circa quas pœnas, quæritur primò: Vtrum in dubio, an fœtus ſit animatus, procurans illius abortum incidat in irregularitatem, & alias pœnas.

Reſp. quòd in foro ciuili, vbi agitur de imponenda pœna, debet interpretatio fieri in mitiorem partem, ac iudicandum eſt, non fuiſſe animatum. *L. interpretatione, ff. de pœnis,* vbi dicitur, interpretatione legum pœnæ molliendæ ſunt potiùs, quàm aſperandæ. Et hoc nomine ſecundum Iulium Capitolinum laudatus fuit M. Antoninus Philoſophus, cui mos erat, vt omnia crimina minori ſupplicio, quàm legibus plecti ſolent puniret. Adde, quòd in iudicio criminali pœnali vera eſt iuris regula, quòd in dubio capienda eſt illa coniectura, quæ excludit delictum; ad textum in *L. meritò, ff. pro ſocio*; vel ſaltem quę delictum ipſum minuat: cùm in dubio, minus delictum præſumatur, *L. prætor, §. docere, ff. de vi bonorum raptorum.* Ita *Sanchez in Summa l.1.c.10, nu.45. Ioachimus Brulius in reſol. de caſibus*

ſibus reſeruatis dub.11.ſect.3.n.86. Nouarius cit.conſ.1.n.9.

Si verò loquamur in foro conſcientiæ, quoad irregularitatem, tunc communis ſententia tenet, quòd debeat in hoc caſu talis abortum procurans ſe reputare irregularem. Ita cum alijs *Brunus l.c. Scortia in Bullas Pontificum theor.388. Barboſa de poteſt.Epiſcopi p.3.alleg.51.n.141. Megalius in Promptuario v.Abortus nu.3. Caſalichius l.1.reſol.mor.c.1.n.3.* idem dicens quoad excommunicationem *Sayrus de cenſ.l.6.c.15.n.9. Sanch. l.c. n.43.Cabrinus cit.caſu 7.annot.6.n.18.Merolla to.1.d.3 c.3.num.237.Nouarius ſupra n.11.Leander à Sacramento to.5.tr.2.d.11.qu.10. Baunius, Auila, Molina, & alij* cum *Soto.* Tum quia in foro conſcientiæ tutior pars in dubijs eſt eligenda: *c.iuuenis, de ſponſalibus:* Tum etiam, in dubio facti, de homicidio, debet quis ſe tenere tanquam homicidam, & ſic irregularem, *c. ad audientiam, & c.ſignificaſti 1.& 2. de homicidio.* Nonnulli tenent oppoſitum: Ita *Emanuel Moura opuſc.de cenſ.lmis,& incant.ſect.3.c.1.n.47. Ioannes Præpoſitus in 3.p.D.Thomæ q.5.de irregul.dub.8.n.58. Verde in obſeruat. Medico legali obſeru.3.n.28. Gibalinus de irregul.c.4.qu.1.num.26. Bardi de conſc.d.6.c.7.§.4.n.2. & 3. Scildere de princip.conſc.tr.5.nu.71. Machado de perfecto Confeſſario to.1.l.2.par.3.tr.17.docum.10.n.3.Tamburin.de cenſ.l.10. tr.4 c.5.n.18.Gonzalez in cit.c.ſignificaſti 18.n.7.in fin.de homicidio, Anton. de Eſcobar in ſumma tr.4.exam.6.n.161.Eſcobar del Carro tr.de vtroque foro art. 1.num.89.Del Bene de immunit.to.1.c.2.dubit.4.ſect.20.n.22. & ſeqq.* & *Alloza V.Abortus n.8.& 9.* Et ratio eorum eſt, quia in tali caſu non eſt cenſendus irregularis ex eo, quòd irregularitas homicidio ſit appoſita: cum dubitatur, an hic, & nunc commiſſum ſit homicidium; neque ex eo, quòd in dubio homicidij homo debeat cenſere ſe irregularem; quia iura citata id ſtatuentia non comprehendunt noſtrum caſum, cum omnia illa ſupponant ſubiectum capax mortis: agunt enim quando conſtat de morte alicui illata, & dubium, à quo nam ex concurrentibus illata ſit; in caſu iura decernunt eos, in quibus dubitatur irregulares cenſendos eſſe. At in præſenti caſu dubium verſatur circa conditionem ſubiecti; an ſcilicet illud viueret vita humana, nec ne: vnde diſpoſitio iurium non intelligitur de noſtro dubio, & proinde non ſatis conſtat, an in præſenti caſu irregularitas iure ſit illata, & per conſequens nòn eſt dicenda incurri: cum in dubio iuris nemo cenſendus ſit irregularis, *c.is qui, de ſent. excom. in 6.* At ego cum *Diana p.4.tr.2.reſ.16.* cenſeo non eſſe diſcedendum à priori communi opinione.

Verùm communem ſententiam intelligo quantum ad ordinum ſuſceptionem, & adminiſtrationem, quam intrinſecè includit irregularitas: Secus verò eſt, quoad alias pœnas, quæ à Iudice imponi ſolent pro contracta irregularitate, qualis eſt priuatio officij, & beneficii, & inhabilitas ad hæc duo: nam pœna ordinaria ſtatuta delicto certo, non eſt imponenda delicto dubio; ſed extraordinaria pro dubio. Ita *Sanchez cit.*

c.10.

c. 10. n. 43. Barb. d. a'leg. 51. n. 138. Farin. q. 122. n. 138. Scortia ſup. Fagundez in decal. 0. 1. l. 2. c. 10. num. 15. Diana par. 7. tr. 5. reſ. 24. & Renzi cit. ſect. 1. quæſ. 5.

33 Si verò dubium ſit, an ſit maſculus, vel fœmina fœtus eiectus, maſculus præſumitur, quia non præſumitur defectus in conceptione, niſi probetur; fœmina autem ex defectu aliquo concipitur, cum ex Philoſopho ſit monſtrum occaſionatum; & ſic iudicandus eſt animatus poſt 40. dies; & talem abortum procurans iudicandus eſt irregularis, vt ſeruat Sacra Pœnitentiaria. Barboſa cit. alleg. 51. n. 138. Durardus in c. omnis vtriuſque ſexus 19. 1. d. 8. ſect. 11. n. 85. Cabrinus cit. caſu 7. annot. 6. n. 17. Baſſæus V. Abortus n. 1. Gabriel à S. V. eodem V. n. 8. Naldus n. 2. Diana cit. p. 7. tr. 5. reſ. 6. Leander à Sacramento q. 11. & alij communiter. Quamuis Verde videatur tenere oppoſitum.

36 Secunda difficultas eſt. An ſi quis procurauit abortum fœtus animati, ſed dubitat de effectu ſubſequuto, cenſendus ſit irregularis?

Reſpondeo cum Theſauro in praxi par. 1. c. 16. & Renzi cit. c 5. ſect. 1. quæſ. 5 quòd in dubio facti de abortu, ſi quis applicabit media fallibilia ad procurandum abortum, V. g. prægnanti fecit venæ ſectione ſanguinem emitti, & poſtea non poteſt certiorari, an res habuerit effectum; tunc in dubio non eſt cenſendus irregularis; quia non proceditur contra quemdam ad pœnas, niſi conſtat de corpore delicti, l. 1. §. item illud ſciendum, ff. ad Sylianianum: & procedit tàm pro foro externo, quàm interno, Sanchez cit. c. 10. n. 44. Barb. cit. alleg 51. n. 139. Si autem applicata fuerunt remedia efficacia, & communiter effectum trahentia, debet iudicari & irregularitatem, & alias pœnas iuris incurriſſe; vt etiam docet Nauarrus conſ. 47. de homicidio, quia licèt facta in dubio non præſumatur; fallit quando ſunt ſolita fieri: vt l. vlt. Cod. de fide inſtrum. Maſcardus concl. 732 n. 5. & 7.

35 Tertia difficultas eſt. An ſi quis conſilium, vel mandatum dedit ad delictum abortus animati, & conſtat de effectu ſequuto, dubitat autem an ille motus ſit à ſua cooperatione, ſeù conſilio, vel mãdato, an verò aliàs id Principalis eſſet facturus, cenſendus ſit conſulens, vel mandans irregularis, excommunicatus, &c.

Reſp. affirmatiuè; quia in tali dubio præſumptio eſt contra ipſum, & ſic cenſetur pœnas incurriſſe: Ita Sanchez cit. num. 44. prope finem, Sayrus l. 7. theſ. c. 3. n. 2. Farin. qu. 129. n. 140. Theſaurus cit. c. 16. alijque. Immo etiam ſi executor dicat ſe aliàs fuiſſe facturum, non eſt ei facilè credendum, Farin. n. 152. Niſi adſint aliæ coniecturæ infringentes talem præſumptionem, vt ſi proteſtatus etiam fuerat ſe facturum, aut ſe iam præparauerat ad illud, Farin. alios referens n. 129. & 143. cum ſeq. Alij verò tenent ſtari poſſe dicto illius, ſi ſit perſona aliqua fide digna, & non adſint aliquæ coniecturæ contrariæ. Ita cum alijs Diana cit. tr. 5. reſ. 26.

36 Quarta difficultas eſt. An qui dedit conſilium de abortu faciendo, ſi non

ſi non potuit dimouere fœminam à conſilio dato, incurrat cenſuram, & irregularitatem.

Negant aliqui, & mouentur, quia quando id conſulens, operam dedit, vt peiora ſua conſilia argumentis euerteret, faceretque pro viribus, ea vt iniqua, malaque eſſe paterent omnibus, nec ſequenda, non videtur horum executor illis moueri, agique amplius, ſed improbitate ſua dumtaxat, ac malitia. Ita *Henriquez l.14.c.16.n.5. & in Gloſſa lit.O. Baunius in theol·mor.to.2.tr.11.qu.27. Caſpenſis in curſu theol.tr.1.d.1.ſect.9.nu.71. Mazuchellus de caſ.reſeru. d.2.c.18.q.2.n.42. Tanner.2.2.d.4.q.6.dub.4.n.394.*

Contrarium tamen probabilius docent ex *Nau. & Corduba, Auila de cenſ.par.7.d.6.ſect.2.dub.4.concl.3. Petrus Carneio in 3.p.tr.de irregul.d.1.dub.2.q.2.n.3. Card.de Lugo de iuſt.t.1.q.1.d.19.ſect.2.§.2.n.39.* alios referens, & *Leander à Sacramento to.5.tr.2.d.10.q.47.* Ratio eſt, quia non ſufficit reuocare conſilium, vt euitetur irregularitas, ſi in effectu mors ex dato conſilio ſequatur. Vtramque ſententiam putat probabilem *Diana cit. tr.5. reſ. 29.* At *p.4.tr.20.* hanc ſecundam putauit probabiliorem, & tutiorem.

39 Quinta difficultas eſt. An qui mandauit, vel conſuluit fœminæ abortum tempore, quo nondum erat fœtus animatus, intendens, vt ante fœtus anima rationali informationem abortiret, illa verò non adhibuit medicamenta ad hoc faciendum, niſi poſt fœtum animatum, & tandem abortus ſequutus eſt, incurrat irregularitatem, & cæteras pœnas.

Reſp. affirmatiuè; quia tenebatur ſuum conſilium explicare, vel mandatum reuocare efficaciter, ne fieret talis abortus poſt animatum fœtum. Ita Portel.*in addit.ad Dubia Regul.V.Abortus n.4. Baſſæus eodem V. n. 2.* & colligitur ex *c.vlt.de homicidio in 6.*

38 Sexta difficultas eſt. An ſi adulter fecerit prægnantem intrare per loca periculoſa, vt E.g. per tectum domus, vel per feneſtram, & mortua ſit, vel abortiuit, efficiatur irregularis.

Affirmant *Nauar.in man. c.27.n.235. Henriquez l.14.c.15.n.4. Auila d.p.7.d.5.ſect.3.dub.3. Nouarius cit.concl.1.n.12.* & alij probabilius. Licèt cum *Gibalino Leander à Sacramento ſupra d.11.qu.15.* putat probabile, non eſſe irregularem, ſi hoc non vi, aut violentia, ſed conſilio, aut hortatu obtinuit: Quia ipſa ſibi fuit cauſa mortis, & abortus.

39. Septima difficultas eſt. Vtrum maritus habens copulam cum vxore prægnante, ſi ex magna corporis agitatione ſequatur abortus, incidat in irregularitatem, & cenſuram.

Affirmant *Maiolus de irreg.l.5.c.48.§.3. Bonacina de cenſ. d.7.q.4.pu.7. num.22. Barboſa in c.ſicut ex litterarum, 20.n.4. de homicidio, & Nauar.ſup. num.18.* quia in probabili periculo abortus, quoties cautionem non adhibeant ad illum vitandum, dicuntur illum intendere, & procurare: licèt enim inter illos licita ſit copula, non tamen licita eſt procuratio abortus: Secus verò ſi debitam diligentiam, & iuſtam cautelam adhibeant; quia

tunc

Digitized by Google

tunc ſicut excuſantur a peccato mortali, ita & à reſeruatione.

Floronus verò *de caſ. reſer. par. 2. caſu 5. n. 9. verſ. Sextò locum habet*, *Diana cit. tr. 5. reſ. 30. Baſſæus V. Abortus in ſupplem. nu. 15. & Renzi cit. c. 5. ſect. 1. quæſ. 3.* affirmatiuam ſententiam amplectuntur, ſi vir, & vxor nimia vtantur libidine ea intentione, vt abortus ſequatur, ſecus verò ſi abortum non intenderunt, ſed tantùm explere libidinem: tunc enim licèt ex magna illa corporis agitatione abortus fuiſſet ſequutus, & illum aliquo modo præuidiſſent, adhuc tamen excuſant à cenſura, & alijs pœnis remouentur, quia licèt ij peccaſſent mortaliter, & eſſent in culpa; non tamen dicerentur procuraſſe abortum, quia non ſtudioſè, nec ex induſtria ille fuiſſet quæſitus.

Hinc citati *Diana*, & *Renzi* docent virum in pœnas incidiſſe, quoties vxorem ſuam verberaret ea intentione, vt abortus ſequeretur, qui jam ſequutus fuit: verbum enim ipſum *procurare*, ſignificat ſtudioſè, & ex induſtria quærere; ſi verò maritus, vel pater vxorem, aut filium verberando præuidit periculum abortus, peccat quidem mortaliter: at ſi non intendat, immunis eſt à pœnis.

40 Octaua difficultas eſt. An liberetur à pęnis impoſitis contra procurantes abortum ille, qui in præſentia mulieris, cum qua rem habuiſſet, diceret: *Nollem te eſſe grauidam, quia inde graue aliquid malum tibi, aut mihi ſuſpicor euenturum*: vnde ipſa & malo itura obuiam, & amatori gratificatura, abortum procuraret.

Negant rectè, cum *Florono*, *Bellocbio*, & *Mazuchello*, *Cabrinus cit. caſu 7. in reſol. praxi p o Incidentibus, reſ. 13. Diana*, & *Baſſæus locis relatis*; hoc tamen intelligendo eſſe verum, quoties deſiderium hoc exprimendo auerteret futurum, vt prędicta fœmina abortum procuraret; in hoc enim caſu diceretur per alium procurare abortum.

41 Nona difficultas eſt. An irregularis ſit cenſendus ludens illicitè libidinis cauſa cum fœmina prægnante, ſi ex hoc contigerit fœtus animati abortio?

Affirma, *c. ſicut ex litterarum, de hom'cidio*. Hunc tamen Textum intelligunt *Barb.* ibi *n. 2. Graffius p. 1. dec. aur. l. 2. c. 66. n. 13.* & *Nonarius cit. concl. 1. n. 14.* de ludo noxio, ſecus dicentes; ſi ludens fuiſſet mulieris maritus, frater, vel coniunctus, ita vt licitus eſſet ludus in perſonis, nec aliàs eſſet noxius in ſe, ſed gracilis, & agilis.

42 Decima difficultas eſt. An ſaltans cum muliere grauida, ſi iſta abortium fœtus animati patiatur, ille fiat irregularis?

Affirmant, ſi ſaltatio ſit illicita, putà, quia ſit amator obſcænus, vel Clericus. *Sylueſter V. Saltus*, & *Nauar. conſ. 20. de homicidio.*

Verùm alij probabilius dicunt, quòd ſi ſaltatio fuerit moderata, non inducet irregularitatem, licet fuerit illicita. Secus ſi timeretur abortus. Ita *Auila de cenſ. p. 7. d. 6. ſect. 1. dub. 6. Henriquez d. l. 14. c. 15. n. 4. Couar. in Clem. ſi*

Digitized by Google

Furioſus p.2.§.4.n.10. Molina de iuſt. & iure to.4.d.77.n.6. Bonac.d.d.7.q.4. pu. 7.n.22. Barb. in cit.c. ſicut ex literarum n 4. Nouarius cit. concl.1.n.17. & Leander cit.d.11.q.13.

43 Vndecima difficultas eſt. An ad euitandam irregularitatis pœnam opituletur alleganti ſe non habuiſſe intentionem, & propoſitum occidendi fœtum.

Reſp. negatiuè, quoties operatur actum illicitum, & de ſui natura aliquo modo ordinatum ad cauſandum abortum, ex cit.c. *ſicut ex literarum. Nauar. conſ.24. eodem tit. de homicidio, Sayrus dec.24. eod. tit. Henriquez cit.c.15.n.4. Bonac. cit. pu.8. Conar. cit. §.4.* alijque. Quamuis non incurrat irregularitatem indiſpenſabilem. Ita ex *Nauarro in man.c.27. ſub n.240. Additio ad Quarantam V. Abortus, & Nouarius ſup. n.16.*

44 Duodecima difficultas eſt. An excommunicationem impoſitam contra procurantes abortum fœtus animati incurrat ipſa mulier grauida, ſi per potionem, vel alia media ſibi abortum procuret.

Negant *Auila de cenſ p.2.c.15. diſp.3. dub.12. concl.2 §.5. Naldus V. Abortus n.1. Card. de Lugo l.2. reſp. mor. dub.4.n.4. Lezana qq. Regul. to.3. V. Abortus c.11. Alphonſus de Leone de cenſ. recoll.7.n.34. Del Bene de immunit. to.1 c.2. dub.4. ſect.20.n.5.* & alij. Mouentur; nã in Bulla *Sixti V.* vbi talis habetur excommunicatio (quam relinquit *Gregorius XIV.* ſolum reſeruationem tollens) ita habetur: *Qui, vel quæ vti principales, vel ſociæ ad tale facinus committendum opem, conſilium, fauorem, potionem, vel alia cuiuſcumque generis medicamenta ſcienter dederint.* Vbi minimè nominat ipſam fœminam, quæ remedia applicat, quoad iſtam pœnam, ſicut nominat quoad alias pœnas, vt videre eſt.

At non eſt recedendum à contraria communi ſententia, vſu recepta, & ſecuriori, quam docent *Trullench. l.5.c.1. dub.4 n.9. Bonac. cit. pu.7. nu.6. Dicaſtillus to.1.d.10 n.179. Martinez à Prado to.2.c.20 qu 6.n.29. Diana cit. tr.5. reſ.7. Renzi cit.c.5 ſect.2. quaſ.1. Filliuc.* & alij, quam etiam vt veriorem amplectitur *Cabrinus cit. caſu 7. annot.4.* & hanc adeò certam putat *Nouarius cit. concluſ.1. num.15.* vt non poſſit de ea dubitari. Quia textus loquitur etiam de ipſiſmet recipientibus; nam loquitur de ijs, quæ vel vt principales, vel vt ſociæ conſciæ talis criminis ſunt per opem, conſilium, fauorem, potionem, &c. Nec in moralibus debemus ab abſurdo ſubtilizando, trahere verba conſtitutionum.

45 Decimatertia difficultas eſt. An excuſet ab hac cenſura ignorantia iuris, vel facti?

Reſpondeo; quòd cooperantes ad abortum ope, conſilio, fauore, potione, vel alio cuiuſuis generis medicamento, aut iuuantes ſcribendo litteras priuatas, vel apochas, aut alia ratione verbis, aut ſignis, excuſantur a cenſura hac, ſi in illis adſit ignorantia iuris, vel facti, etiam ſi ſit craſſa, ſupina, & affectata. Ratio eſt, quia *Sixtus V.* appoſuit particulam *ſcienter*,

quæ

quæ omnem excludit ignorantiam: niſi ſit coniuncta cum ingenti temeritate, qualis intercedit cum quis vehementem habet ſuſpicionem delicti prohibiti. Ita *Bonac.to.3.d.2.q.2.pu.10.num.10. Diana cit.tr.5. reſ.11. Baſſæus V. Abortus n.10. Alph.de Leone cit.recollect.7. nu.38. Mazucbellus*, & alij.

36 Decimaquarta difficultas eſt. An qui propinat remedia ſterilitatis mulieri, vt impotens fiat ad generandum, hanc contrahat cenſuram?

Reſp. negatiue; quia in hoc *Gregorius XIV.* correxit Bullam *Pij V.* Ita *Diana cit.tr.5.reſ.12.Portel. Machadus, Baſſæus,* & alij communiter cum *Cabrino cit.caſu 7. in reſolut. praxi pro non incidentibus reſ.1.* qui *reſ.2.* idem ait de illo, qui propinatione, vel ſumptione poculi, aut alio quocumque modo malitioſè impedit ne fœtus humanus concipiatur.

47 Decimaquinta difficultas eſt. Quis poſſit abſoluere ab incurſa excommunicatione propter abortum.

Reſp. quòd ſtante moderatione *Gregorij XIV.* abortus eſt caſus reſeruatus Epiſcopo: *Filliuc.to.1.tr.29.c.6.nu.100.* poteſtque ſolus ille Confeſſarius ab Ordinario approbatus ad audiendas confeſſiones abſoluere, qui eſt ab hoc ſpecialiter deputatus ab Ordinario. *Diana cit tr.5.reſ.15.* Et quamuis *Bonac.to.3.d.2.qu.2.pu.10.num.16.* dicat, quòd qui obtinet ab Epiſcopo facultatem ad caſus Epiſcopo reſeruatos, etiam ad iſtum cenſeatur habere illam: Verius tamen requiri ſpecialem deputationem ad iſtum caſum docent *Diana ſupra, Cabrinus cit.caſu 7.verſus finem. Baſſæus V. Abortus nu. 3. Syluius, Prado, Boſſius*, alijſque. Idem *Diana reſ.19. Boſſius, & Prado* docent, quòd quando in Iubilæis conceditur facultas abſoluendi à caſibus, & cenſuris, reſeruatis, intelligatur etiam de iſta. Requiritur ſpecialis deputatio Epiſcopi etiam quoad Confeſſarios regulares, vt bene docet *Verde in Anaceph.tit.8.c.2.§.3.n.298.* ex *declaratione S.Congregationis 7. Ian. 1617.* quidquid dixerit *Gabr.à S.V.* Dicta procedunt pro foro interno: Nam pro abſolutione in foro exteriori obtinenda, recurrendum eſt ad Sūmum Pontificem, cui eſt reſeruata. Ita cum alijs *Diana cit.tr.5. reſ.15.* addens, quòd dum *Theſaurus* dicit, abſolutionem huius cenſuræ eſſe Epiſcopis reſeruatam, intelligendum ſit pro foro conſcientiæ.

PROPOSITIO XXXVI.

Permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in graui.

1 QVis ſit Auctor huius Propoſitionis, non eſt facile inuenire. Citatur pro ea *Tamburinus l.8. Decal.tr.2.c.6.§.1.n.2. & Leſſius l.2. c.12.dub.12.* At iſti tantum loquuntur in neceſſitate valde graui, nec di-

cunt permiſſum furari, (furari enim numquam eſt permiſſum, quia intrinſecè malum vt rectè obſeruarunt Doctores Louanienſes, quos die 4. Maij 1657. conſuluit Epiſcopus Gandauenſis) ſed ſolùm dicunt licitum eſſe ſurripere: *Diana* alios referans *p.1.tr.2.miſc.reſ.29.p.5.tr.8.reſ.23. & p.11. tr.1.reſ.13.* ait quidem, licitum eſſe, non ſolum in extrema, ſed etiam in graui neceſſitate furari; ſed per grauem neceſſitatem intelligit *Diana*, non quouis modo grauem, (vt loquitur theſis hæc proſcripta) ſed valdè grauem, etſi non extremam. Non nego tamen, quòd ſe geſſit parum cautè in abuſu illius verbi *furari*. *Antonius à Spiritu Sancto par.3. Direct. Confeſſ. tr.10.d.9. ſect.8.n.416.* ſine abuſu illius verbi *furari* ait, quòd quilibet in graui neceſſitate conſtitutus poteſt licitè accipere rem alienam ad ſibi ſuccurrendum.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Quid eſt Furtum? Quando Dominus eſt rationabiliter, quando verò irrationabiliter inuitus? Quomodo excuſentur aliquando à mortali acceptiones bonorum Filiorumfamilias, ac pauperum?*

3 *An Furtum ſit intrinſece malum, & vt formaliter furtum, à Deo indiſpenſabile? Quid autem efficiat, dum diſpenſat?*

4 *Quid ſit neceſſitas extrema, quid grauis, quid communis?*

5 *An ſicut certum eſt, in neceſſitate communi, furtum eſſe, & in quantitate magna rem alienam inuito domino accipere; ita è contra licitum ſit in neceſſitate extrema, ſibi ex rebus alienis ſuccurrere, ex illo communi effato: In extrema neceſſitate omnia ſunt communia? Et quomodo intelligatur?*

6 *Quid ſi in extrema neceſſitate proximi, accipiens impotens ex ſuis, ex alienis ſuccurrat? Et quid in æquali extrema neceſſitate ſui, & Domini? An teneatur à Domino petere, dum ſpes eſt, quòd petendo, concedatur?*

7 *An in extrema neceſſitate liceat* furari? *& an affirmatiua pars, ſub hoc termino* furari *ſubiaceat damnationi?*

§. II.

8 *An permiſſum ſit ſubripere alienum in graui neceſſitate indefinitè? Et affirmatiua pars qua cenſura inuodetur, vbi exponitur* cap. ſi quis forte de furtis, *pro parte propugnante Decretum.*

9 *Licèt in graui neceſſitate teneatur dominus ſuccurrere, tamen committitur eius arbitrio, cui ex multis ſuccurrat? Et hinc non eſt ſecura doctrina, de licentia debita ex miſericordia.*

10 *In graui neceſſitate conſtitutis, ex iuſtitia, vel potius ex charitate, ſeu miſericordia teneantur diuites ſuccurrere?*

11 *Cur in graui neceſſitate non ſint omnia communia, vt in extrema?*

12 *An exiſtens in graui neceſſitate, ſi eſſet dedecus magnum mendicare, poſſit licitè*

Digitized by Google

citè rem alienam accipere? Quid in periculo pudicitiæ iacturæ?

13 *Quid ſi tales habeant animum reſtituendi ſtatim ac poterunt?*

14 *An in graui neceſſitate conſtitutus poſſit retinere ablatum, vel quomodolibet debitum, & ſolutionem differre, ſi creditor eadem neceſſitate non prematur?*

15 *An hoc Decreto abacta maneat opinio docens: Quòd pœnitens, qui per aliquod tempus differt ſoluere, cum intentione ſoluendi, & ſine detrimento creditoris, non peccet mortaliter, nec ſit abſolutio deneganda?*

16 *An cenſuræ ſubdatur opinio dicens, quòd poteſt abſolui pœnitens, qui potens reſtituere totum debitum, non vult facere, ſed per partes, ob aliquod emolumentum ſuum, ſi ex iſto modo non ſequatur creditori notabile damnum, & Confeſſor probabiliter credit, quòd negando abſolutionem, nunquam, aut non tam vtiliter reſtituat?*

17 *An in grauiſſima neceſſitate poſſit indigens ſibi ex alienis prouidere.*

18 *Prænotatur, quod in iſta neceſſitate carentia poſſit eſſe ex ijs bonis, quæ natura noluit eſſe communia, vel eorum, quæ voluit eſſe communia.*

19 *Admittitur pars affirmatiua in neceſſitate grauiſſima bonorum ſecundi generis.*

20 *An extendatur hæc damnatio ad neceſſitatem grauem totius Reipublicæ?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò, quòd Furtum communiter definitur ex *D. Th. 2. 2. q. 66. art. 1.* quòd eſt *Acceptio occulta rei alienæ, inuito domino.* Vltima particula intelligenda eſt de inuito rationabiliter, & quoad ſubſtantiam: Si enim irrationabilter ſit inuitus, furtum non erit, vt in ſurreptione rei alienæ tempore extremæ neceſſitatis; & ſimiliter ſi ob amicitiam, vel aliam cauſam putaret domino non diſplicere, non eſſet furtum; tametſi modus, quod occultè, & abſque licentia fiat, ei diſpliceat, quam per verecundiam, vel timorem non audet petere. Quo modo acceptiones bonorum aliquorum parentum factæ à filijsfamilias, ſæpè à culpa mortali excuſantur à Doctoribus. Et hac ratione *Leſſius l. 1. c. 12. nu. 41. Dicaſtillus l. 2. tr. 2. d. 9. dub. 9. num. 11.* excuſant à mortali pauperes, qui tempore meſſis, vel vindemiæ notabilem quantitatem vuarum, vel frumenti collegerunt, auferendo modicum à ſingulis: quia ſi domini ſcirent eorum miſeram conditionem, non eſſent inuiti. Sed de hoc infra.

3 Notandum eſt ſecundò, eſſe Furtum intrinſecè peccatum, manifeſtum eſſe; quia eſt contra alterius iuſtitiam rem propriam illius auferre: & ideò *Exodi 20.* ponitur Septimum præceptum: *Non furtum facies.* Et pro-

probat *D. Thom. cit. qu 66. art. 5. & 6.* eſſe in genere ſuo mortale: ad *Corinth. 6. Nec fures Regnum Dei poſſidebunt*. Et eſſe ita intrinſecè malum, quòd nec Deus poteſt diſpenſare, vt non ſit peccatum furtum; manendo in ratione furti, docent cum *D. Thom. 1. 2. q. 94. art. 5. & qu. 100 art. 8.* communiter Theologi. Poteſt autem Deus facere, quòd acceptio rei alienæ furtum non ſit; ſicut quod hominis occiſio non ſit homicidium, vel quia vt ſupremus Dominus omnium rerum poteſt cui voluerit, licentiam præbere, vt ab alio, quod poſſidet, auferat: & tunc non erit inuito Domino ſupremo, & principali; licet immediatus, & minus principalis ſit inuitus, ſed non rationabiliter: ſiue quia vt Iudex omnium poteſt aliorum bona in peccatorum pœnam alijs applicare. Vtroque modo applicata fuerunt bona Ægyptiorum filijs Iſrael, & poſſeſſiones, ac terræ Chananæorum: & ſic non fuit furtum, aut malum, quòd filij Iſrael ſpoliare t Ægyptios, terraſque Chananæorum ipſis nolentibus poſſiderent, quia à Deo, vt à ſupremo Domino fuerunt ipſis applicatæ, & à Supremo Iudice in peccatorum pœnam fuerunt ablata ab illis, vt docent cum *S. Auguſti o l. 2. quæſt. ſuper Exodum q. 39. & D. Thom. ar. 5. ad 1.* Theologi communiter.

4 Notandum eſt tertiò: Triplicem neceſſitatem ab Auctoribus aſſignari; aliam Extremam, aliam Grauem, aliam Cõmunem. Extremam neceſſitatem patiuntur illi, qui omninò neceſſarijs carent ad victum, & ſuſtentationem, ratione cuius periculum vitæ, vel grauis infirmitatis timent probabiliter, vel alio modo vitæ iacturam pertimeſcunt, vel etiam amittendi mẽbrum, vel ſenſum; quia horum priuatio reducitur ad homicidium. Hanc *D. Thomas cit. q. 66. ar. 7.* vrgentem neceſſitatem appellat. Grauem neceſſitatem illi patiuntur, qui ad ſuum ſtatum carent neceſſarijs; & ſic periculum habent amittendi ſuum honorem, vel cadendi à ſuo decenti ſtatu, vel incurrendæ alicuius calamitatis, nimirum infamiæ, captiuitatis, carceris, aut alterius grauis mali; vel patiendi longam infirmitatem, magnam famem, nuditatem, & ſimiles afflictiones. Etiam cenſetur grauis neceſſitas periculum peccandi ex fragilitate, vt cum mater præ indigentia filias vult proſtituere. Etiam periculum honoris amittendi grauis cenſetur neceſſitas, vitã abbreuiandi, vel ſi cogatur miſeram, & abiectam vitam ducere præ alijs ſuæ conditionis. Neceſſitas communis eſt, quam pauperes, & abiectæ conditionis homines paſſim patiuntur.

5 Notandum eſt quartò: Loquendo de neceſſitate communi, omnes aſſerere furtum eſſe, & mortale rem alienam inuito domino in magna quãtitate accipere. Similiter omnes cum *D. Thoma q. 66. ar. 7.* aſſerunt, licitum eſſe ex alienis accipere, vt ſuæ quiſque valeat neceſſitati extremæ ſuccurrere, ſiue manifeſtè, ſiue occultè; quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia. Cuius rationem aſſiomatis communis, & aſſertionis; ſic reddit Angelicus Doctor. Etenim ante diuiſionem rerum iure gentium introductam,

ctam,omnia erant communia,& à natura omnia inſtituta , vt ex eis quiſque ad neceſſaria vitæ acciperet; adhoc enim condita ſunt à Deo, vt hominum vitæ conſeruationi inſeruirent;poſtea ad euitandas lites,& ob alias rationes,introducta eſt diuiſio rerum , & ſingulis appropriatio illarum iure gentium. Hæc autem diuiſio iniqua foret,niſi ea tacita conditione facta eſſet, vt in extrema neceſſitate omnia ad ſtatum communem redirent, vt cuilibet maneret integrum ad vſurpandum , vel accipiendum ea, quibus extremè indigeret;quia ius poſitiuum iuri naturali nequit derogare. Cùm ergo ex iure naturæ omnes ius haberent ad vtendum rebus creatis, prout neceſſarium fuerat ſuæ conſeruationi, quia adhoc condita ſunt à Deo;ius gentium diuiſionem rerum concedens,debuit illud ius indemne conſeruare,& ſic ſub conditione dicta diuiſionem introducere.

6 Addit *D.Thomas in ſolut.ad 3.*(eſtque commune Doctorum)quòd in caſu ſimilis neceſſitatis proximi,poteſt vnuſquiſque , qui aliunde non habet,vnde illi occurrere poſſit, alienum accipere , vt indigenti ſubueniat: quia debemus proximos ſicut nos ipſos diligere. Addunt denique Doctores, quòd ſi in extrema neceſſitate alienum velles accipere , & Dominus impediret;& te vi expellere vellet, poſſes illum, vt iniuſtum iuris tui inuaſorem aggredi; & ſi alia via non poſſes ab illo protegi,illum occidere. Sed limitant primò,quando alius eſt in eadem neceſſitate conſtitutus;tunc enim non poſſes rem alterius licitè capere; quia in pari caſu,& neceſſitate melior eſt conditio poſſidentis. Sic Doctor *Subtilis in 4.d.15. qu.2.ad 5.*& alij communiter, quos ſequitur *Anacletus Reiffenſtuel Theol. mor.tr.9. diſt.4. q.1.num.11.* Limitant ſecundò,quod non poſſes rem alterius illo inſcio capere,ſi ſpem haberes, quòd petendo poſſes eam ab illo adipiſci (niſi eſſet perſona,quam mendicare dedeceret:) & ſi aliter auferas,non requiſito domino,agis contra debitum ordinem,& peccas. Sed te non peccare mortaliter hunc ordinem non ſeruando,præciſo ſcandalo,eo quòd ſolùm eſt inordinatio in modo(quia ſiue Dominus neget,ſiue concedat , potes accipere,) meritò aſſerunt *Card.de Lugo de iuſtit.to.1.d.16.ſect.7.nu.140.Trullench l.7. c.5.dub.6.nu.3.Leſſius l.2.cap.12.dub.12.nu.66. Layman.l.3.ſect.5. tr.3.par.1. c.1.num.7.*

7 Dixi: *in extrema neceſſitate licitum eſſe ex alienis accipere*, non furari; quia ſapienter *Angelicus Doctor cit.ar.7.in corp. & in ſolut.ad* 2. animaduertit, *hoc non eſſe furtum propriè,& in comment.Caietanus* addit , meritò eſſe animaduerſum,*ob quorundam ignorantiam,*& concludit : *Vnde abuſiua locutio eſt,quòd liceat furari in extrema neceſſitate,& alia huiuſmodi,ſicut non rectè diceretur,quòd Iudici licet committere homicidium.* Id ipſum notant alij communiter,quibus *Abulenſis* præluxit in *c.3.Exodi q.10.*dicens: *Iſte modus loquendi valdè inconueniens eſt,& falſus,ſcilicet,quòd Deus faceret,quòd aliquid, quod erat verè furtum,non eſſet verè peccatum,quia hoc videtur implicare contradictionem.* Quare *Ioannes Cardenas hìc diſſert.23.c.1.ar.1.* ait, iſtam Propoſi-

poſitionem, *Permiſſum eſt furari in extrema neceſſitate,* ſubiacere damnationi huius Propoſitionis; nam (inquit) præcipua intentio huius damnationis eſt damnare eam aſſertionem, quòd in aliquo caſu licitum ſit furtum: Sed hæc Propoſitio admittit, quòd in aliquo caſu licitum ſit furtum. Ergò hæc Propoſitio incurrit eam damnationem. Sed ego licet exiſtimem eam abuſiuam locutionem eſſe tollendam; non per hoc puto eam Propoſitionem ſubiacere damnationi, cum cenſeam Auctorem illius Propoſitionis tantùm abuſiue vſurpaſſe verbum furari pro acceptione rei alienæ, & tantum enormiter erraſſe, quòd non ſolùm in extrema, ſed etiam in quacumque graui neceſſitate licitum ſit accipere alienum propria auctoritate. Vnde *Lumbier, Filguera, Nozes, Riccius, Piſani, Corella,* & alij, qui explicationem harum Propoſitionum aggreſſi ſunt, nihil de hac quæſtione dicunt: ſupponentes ſolùm damnare Pontificem, eam opinionem, quæ admittit poſſe pauperem in graui neceſſitate conſtitutum ſurripere à diuite, quæ neceſſaria ſunt ad eam neceſſitatem ſubleuandam. Et Doctores Louanienſes conſulti ab Epiſcopo Gandauenſi circa hanc Propoſitionem, vt ſupra retuli, relatis verbis illis: *Furari in nullo caſu permiſſum eſt, quia intrinſecè malum:* addiderit: *Surripere autem alienum, permiſſum eſt in extrema neceſſitate, quando aliter haberi non poteſt, ſed illud extendere indefinite ad neceſſitatem grauem, eſt dare anſam pauperibus ad paſſim furandum.* Ipſi ergò Louanienſes propter hoc inconueniens propoſuerunt *SS. D. Innocentio XI.* hanc Propoſitionem in eodem ſenſu, à quo ipſi abhorrebant. Igitur remanet iuxta Decretum Pontificium reſoluendum: *An non ſolùm in extrema, ſed etiam in graui neceſſitate ſit permiſſum ſurripere alienum.* Pro cuius reſolutione, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

1 Dico primò, Permiſſum non eſt ſubripere alienum in graui neceſſitate indefinitè. Et contraria opinio hoc Decreto, vt minimum tamquam ſcandaloſa, proſternitur.

Probatur primò ex *c. ſi quis fortè, de furtis,* vbi ità habetur: *Si quis per neceſſitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecus, pœniteat per Hebdomadas tres.* Quod explicat *D. Thomas cit. qu. 66. ar. 7. ad 1.* dicens, *quòd Decretalis illa loquitur in caſu, in quo non eſt vrgens neceſſitas.* Et nomine vrgentis neceſſitatis toto illo articulo nominat *D. Thomas* extremam: Ergò citra extremam neceſſitatem erit dignum pœnitentia, ac proinde peccatum, aliena inuito Domino accipere. Nec poteſt exponi de communi neceſſitate: Nam ex verbis ipſis patet ſermonem eſſe de graui, in qua quis indiget cibo, vel veſte.

9 Pro-

9 Probatur ſecundò: Ratione *D. Thomæ*; quia citrà extremam neceſſitatem cùm multi vbique ſint grauem neceſſitatem patientes, committitur Domini arbitrio, vt quibus voluerit, ſuccurrat: Et quamuis ſuperflua expendere inter egenos teneatur, non inter illos, qui ſibi offeruntur, ſed inter eos, quos ipſe eligere voluerit. Ergo iniuſtum patitur & quoad modum, & quoad rem, ſi ab aliquo, ipſo inuito, vel inſcio, ſurripiatur, quia ab ipſo tollitur ius, quos voluerit eligendi. Hinc ſecuram non puto doctrinam *Hurtadi De la Fuente hîc diſſert. 22. c. 5. nu. 33.* dicentis: *Infero 6. clandeſtinam acceptionem rei alienæ ſæpiùs excuſari à furto, ratione licentiæ debitæ ex miſericordia, aut religione, aut ſimili alia virtute. Non quia licentia ſub peccato debita ſe ſola, vel per ſeipſam immediatè eiuſmodi effectum præſtet: id enim num. 9. falſum eſſe demonſtrauimus: ſed quia debitum præſtit auferenti iuſtam cauſam præſumendi, dominum non eſſe inuitum quoad ſubſtantiam rei acceptæ, quoties poſitiuè non reſiſtit, nec contradicit expreſsè, nec ex prauis eius moribus conſtare poteſt, eum miſericordiæ defuturum, ſi alienæ neceſſitatis, & obligationis ſuæ conſcius fieret. Iungitur namque in hoc caſu ſimul cum licentia debita, licentia præſumpta ſatis rationabiliter, quæ furtum tollit, & præſtat, ne clam accipiens, id agere cenſeatur contra voluntatem domini, aut eo inuito quoad ſubſtantiam, licèt clandeſtinus accipiendi modus ipſi fortaſſe diſpliceat, neque enim præſumi debet in dubio alterius peccatum, aut denegatio licentiæ ſibi illicita, ſed animus à delicto alienus.* Hæc *Hurtadus*; quæ diſſringuntur ratione data *D. Thomæ*.

10 Confirmatur. In graui neceſſitate conſtitutis non tenentur diuites ex iuſtitia dare eleemoſynam, vt male autumat *Petrus Nauarra*, ſed ex charitate, & miſericordia, vt optimè probant *Sayrus*, & *alij*: Sed charitas, & miſericordia relinquunt poteſtatem cuilibet diſtribuendi res ſuas. Ergo ſi ab alio auferrentur, eſſet rationabiliter inuitus Dominus, & læderetur eius libertas; conſequenterque ſic auferens peccaret mortaliter.

11 Probatur tertiò: Quia in neceſſitate graui non ſunt omnia communia, ſicut in extrema, nec ſub tali conditione facta eſt diuiſio rerum; aliàs exercitium beneficentiæ à diuitibus, & meritum patientiæ à pauperibus magna ex parte auferretur, dum illi non ſinerentur dare, & iſti deſinerent petere, ſed raperent; & ex alia parte pluribus furtis aditus aperiretur: nam multi ſibi perſuaderent, vel fingerent ſe conſtitutos in graui neceſſitate: quo pax, & tranquillitas Reipublicæ turbaretur. Belle etiam *Caramuel fundam. 59. §. 1. num. 1255.* infert contra ſententiam *Dianæ*, & aliorum: *Ergò multi Europæ patibula onerant, dicuntur fures, & habentur infames, qui ſunt innocentes omninò, poſſentque, & deberent excuſari, & ſaluari. Ergò in Tribunalibus audiendus eſſet reus, qui contra aſſereret, ſe graui neceſſitate laboraſſe.*

12 Dico ſecundò: Exiſtens in graui neceſſitate, ſi eſſet dedecus magnum mendicare, adhuc non poteſt licitè rem alienam accipere. Et idem eſt de pudicitiæ iactura. Ita *Sotus de iuſt. l. 5. q. 5. ar. 4. §. quid autem. Andreas à Matre Dei tr. 13. c. 5. pu. 3. n. 39. & Io: Martinez à Prado to. 1. c. 13. q. 5. n. 12.*

Probatur;quia periculum amittendi honorem,vel pudicitiam, grauis neceſſitas iudicatur,non extrema. Et de pudicitiæ iactura magis conſtat; quia nulla neceſſitas cogere poteſt mulierem, vt turpitudinem committat, cum potiùs perire debeat,quàm delinquere.

13 Quòd ſi *Bannez 2.2.to.1.q.32.ar.7.dub.vlt.circa ad 1. & to.2. q.66. ar.2.dub.vlt.& ar.8.dub.2.& q.66.ar.7.& Serra eodem ar.7.* videantur dicere,quòd in tali caſu licitum erit homini, cui eſſet valde inhoneſtum mendicare,occultè aliena ſurripere;tamen tria exigunt in hac ſurreptione,nimirum,& quòd indigens non poſſit ſibi aliter ſuccurrere;& quòd animum habeat reſtituendi;& quòd ex pietate Domini erga huiuſmodi indigentem, ille non ſit inuitus,ſed conſentiat in ſurreptionem iſtam,prout idem aſſerit *Bonac.*de puella ob inopiam conſtituta in periculo amittendi pudorem. Nihilominus non eſt recedendum à noſtra opinione, tradita ex *Soto,Prado,& Andrea à Matre Dei.*

14 Dico tertiò:Licet in graui neceſſitate conſtitutus non poſſit auferre,poteſt retinere ablatum,vel quomodolibet debitum, & ſolutionem differre,niſi creditor in eadem neceſſitate exiſtat. Ita *Andreas à Matre Dei n.* 37.& alij.

Patet ex his,quæ dicam (Deo fauente),*tr.de Reſtitut.* vbi de cauſis excuſantibus à reſtitutione;ſeu dilatione ipſius.

15 Hinc *Corella hic num.*135.ait,quòd non remanet hoc Decreto condemnata opinio, quam cum *Molina,& Bonac.*tenet *Diana p.2.tr.17.reſ.3.* dicens,quòd pœnitens,qui per aliquod tempus dilatat ſoluere debitum, habens intentionem ſoluendi,& ſine detrimento,& damno creditoris, non peccat mortaliter,nec ei deneganda eſt abſolutio. Rationem affert; quia opinio reiecta loquitur de furto alienæ rei ſolùm ob titulum grauis neceſſitatis;& iſta ſolùm dicit,quòd poteſt dilatari ſolutio, quando dilatio non cauſat nocumentum creditori.

16 Inde infert citatus *Corella nu.*136.quòd nec etiam remanet ſubdita damnationi opinio,quam ex *Nauarro,Angelo,Antonino,& Petro De Nauarra* refert *Diana p.3.tr.6.reſ.*5.dicens,quòd poteſt abſolui pœnitens, qui potens reſtituere totum,quod debet, non vult facere,ſed per partes, ob aliquod emolumentum ſuum,ſi ex iſto modo non ſequitur creditori notabile damnum;& confeſſor credat probabiliter,quòd negando abſolutionem, nunquam,aut non tam vtiliter reſtituat. Et in fine iubet *Corella* notari hãc vtramque opinionem, quia ſunt multæ vtilitatis ad alleuiandum ſcrupulos Confeſſarijs.

17 Dico quartò: In grauiſſima neceſſitate poterit indigens ſibi ex alienis prouidere per media non exquiſita, & extraordinaria. Ita *Andreas à Matre Dei cit.pu.3.§.2.nu.38.Hurtadus De la Fuente ſupra c.4.nu.24.*& alij.

18 Pro intelligentia,prænotandum eſt,alias eſſe graues neceſſitates,de quibus loquuti ſumus in præcedentibus concluſionibus, quæ licèt afferant

ca-

rentiam alicuius magni boni, non eſt tamen ex his, quæ voluit natura omnibus communia eſſe; vt ſi ſit in morali periculo cadendi ab ſtatu nobili, vel amittendi famam doctrinæ, nobilitatis, &c. Amittendi Dignitatem, Magiſtratum, Officium, quæ poſſidet: quæ bona, vt conſtat, à natura omnibus communia non ſunt. Aliæ ſunt neceſſitates grauiſſimæ, quæ vel afferunt morale periculum incidendi in extremam neceſſitatem, vt morbus, qui affert periculum mortis probabile; vel carentiam eorum bonorum trahunt, quæ voluit natura eſſe communia omnibus hominibus; putà periculum incidendi in captiuitatem, quæ priuat libertate, quam natura omnibus dedit; incurrendi grauiſſimam infamiam poſitiuam, amiſſa bona exiſtimatione, quam homines naturaliter habent: & idem de morbo non lethali, ſed quod perpetuam, vel longam ſanitatis affert carentiam, quia ſanitas etiam eſt de bonis, quæ natura omnibus dedit. Et de his neceſſitatibus procedit hæc concluſio, quæ:

19 Probatur. Tum quia ſi quis vt ab hoſtibus fugiat, à quibus timet captiuitatem, equo alieno indigeret, nemo negaret, poſſe eum inſcio Domino vſurpare ſibi, tametſi nec equum, aut pretium eius poſſet poſtea reſtituere. Et idem eſt, ſi eſſet neceſſarium ad grauiſſimam infamiam poſitiuam fugiẽdam, quæ pluſquam ipſa captiuitas æſtimatur. Et idem de morbo perpetuo, aut ſimilibus, propter eandem rationem: Tum etiam, quia dictæ ſunt extremæ, aut quaſi extremæ neceſſitates, & in moralibus quaſi extremæ neceſſitates extremis æquiparantur. Neceſſitas quippè grauis tantam habet latitudinem, vt in ſuo ſupremo gradu æquiparetur extremæ; & verificatur, quod eſt vrgens neceſſitas: & ſic idem dicendum eſt de illa, ac de extrema neceſſitate, vt rectè docet *Card. de Lugo d. 16. ſect. 7. nu. 154. Caietanus, Sotus, Lorca, Nauarrus*, quos citat, & in hoc ſenſu bene exponit *Prado to. 1. c. 13. q. 5. à nu. 3. & to. 2. c. 22. q. 4. à nu. 9.* & de his neceſſitatibus accipio *Leſſium, & Tamburinum* initio relatos, & de hac etiam neceſſitate, quam vocat euidenter urgentem loquitur etiam *Ioannes Cardenas in 3. p. Criſis Theol. d. 80. c. 1.*

20 Dico vltimò: Non extenditur hæc damnatio ad neceſſitatem grauem totius Reipublicæ, in qua Reſpublica, aut eius nomine Magiſtratus auferet ſuperflua diuitum, vt opituletur ei neceſſitati communi. Ita *Ioannes Cardenas hìc diſſer. 23. c. 1. ar. 3. n. 16.*

Patet; quia, vt oſtendit citatus *Auctor in cit. d. 80. c. 2. nu. 15. cum S. Thoma 2. 2. qu. 32. ar. 6. Caietano ibidem Suario, & Tapia*, neceſſitas grauis Reipublicæ æquiualet extremæ.

Digitized by Google

PROPOSITIO XXXVII.

Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt.

1 HÆc eſt vna in ordine nono, ex 26. aſſertionibus, ad requiſitionem Epiſcopi Gandauenſis examinatis, & ſuis ſingillatim cenſuris perſtrictis, die 4. Maij anni 1657. Cenſura autem præſentis Propoſitionis eſt. *Hæc aſſertio falſa eſt, naturam hominis de ſe pronam ad malum præcipitans in furta, ac domeſticam pacem perturbans, eò vel potiſſimum, quò iſta compenſatio ipſorum famulorum, & famularum iudicio relinquatur.*

SVMMARIVM.

§. I.

2 *An famuli, & alij tantùm peccent venialiter, ſi occultè accipiunt ab eo, cui non diſpliceat acceptio, ſed modus accipiendi, & ſic Dominus non eſt de ſubſtantia, ſed de modo inuitus? Et quid ſi res talis ſit, vel Dominus eam habeat conditionem, vt petitus negaret? An inſpici etiã debeant facultates Domini?*

3 *Quid ſi famulus accipiat eſculenta, & poculenta in graui quantitate ad ea vendenda, vel ad compotationes, vel ad ludos, vel ad meretricia, vel ad deferenda ad domum ſuæ matris, vxoris, filiæ? Quid ſi dicta eſculenta, & poculenta eſſent delicatiora, & extraordinaria, quæ Dominus ſibi reſeruat? De alijs in vſum in domo Domini remanet facilis reſolutio.*

4 *An, quæ traduntur de famulis, procedant etiam in mancipijs? & quando non peccant accipiendo ad comedendum pro medicina, & ſimilibus?*

5 *Pecuniæ, & aliæ res pretio æſtimabiles ſub qua culpa accipiantur, & debeant reſtitui à famulis, & mancipijs, & à quo fiat reſtitutio in furto mancipij, & quomodo? Vbi decernitur, quid ſibi in foro cõſcientiæ acquirat mancipium, & ſerua.*

6 *Quænam quantitas ſit ſufficiens ad mortale in furto famulorũ, & ancillarũ?*

7 *Quid obſeruare debeant Confeſſarij in furtis, etiam minutis famulorum, & ſeruorum?*

8 *Quid eſt Compenſatio, quæ propria, quæuè impropria? Et an propria requirat, vt fiat cum Iudicis auctoritate?*

9 *De qua compenſatione hìc præcipuè loquimur, de impropria ne? & quot conditiones, vt licita ſit, requirat? An prima ſit, quòd non amplius per compenſationem auferatur, quàm ſit debitum?*

10 An

10 *An ſecunda ſit, quòd compenſatio fiat de bonis proprijs ipſius debitoris? Vbi quid ſi res debitoris mittatur tertio?*

11 *An tertia ſit, quòd debitum ſit certum, & liquidum, vbi excluditur in credito dubio ſiue negatiuo, ſiue poſitiuo.*

12 *Quid vbi datur opinio æquè probabilis pro vtraque parte, creditoris, ſcilicet, & debitoris?*

13 *An ſi probabilius ſit, rem mihi deberi, poſſim vti compenſatione iudicio docti, & prudentis?*

14 *An liceat vti compenſatione, quando debitum actu non debeatur? ſeu an liceat creditori præuenire?*

15 *An quarta conditio ſit, quòd ex compenſatione nullum ſequatur damnum debitori, vbi an debeat iſte moneri de compenſatione facta? An etiam nullum debeat ſequi damnum alteri, putà in re depoſita? &c.*

16 *An quinta conditio ſit, quòd debitum ſit ex iuſtitia, non ex charitate, vel ſola gratitudine?*

17 *An ſexta ſit, quòd fiat Iudicis auctoritate, ſi ſic fieri poſſit. Vbi pro quanto requiritur hæc conditio, & quando dicatur non poſſe fieri cum Iudicis auctoritate.*

18 *An extantibus his conditionibus, licita ſit compenſatio, etiamſi adſit iuramentum de ſoluendo?*

19 *An excommunicatio lata contra furtum patrantes comprehendat vtentes compenſatione? Et quid ſi in excommunicationis ſententia expreſsè excludatur vſus compenſationis?*

§. II.

20 *An famuli, & famulæ poſſint occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt? Et pars affirmatiua, qua cenſura deijciatur, & ex quotuplici capite? Vbi adducitur locus* Matthæi *20. de operarijs murmurantibus aduerſus patrē familias ratione mercedis.*

21 *Quos comprehendat hoc nomen* Famuli *in hoc Decreto?*

22 *An ſartores etiam ſubdantur huic condemnationi: Furtumque non ſit ab ijs fragmenta emere?*

23 *An quando herus eſt creditor famuli ex contractu, aut alio modo licito, poſſit famulus retinendo partem pecuniæ, compenſare operam ſuam, quam maiorem iudicat ſalario condicto?*

24 *An ab hac damnatione Pontifex excludat caſus, in quibus euidens eſt, heros committere iniuſtitiam, vel minuendo ſalarium debitum, vel non ſoluendo mercedem pacto promiſſam?*

25 *An ſufficiat maior probabilitas de iniuſtitia domini, & maiori ſalario ſibi debito, quod aliter commodè obtinere non poteſt, vt famulus poſſit ſibi occultè compenſare?*

26 *An ſubſit huic damnationi aſſerere, quòd vbi famulus cenſet euidenter iniuſtum*

Digitized by Google

ſtum ſalarium poſſit occultè ſibi compenſare, abſque iudicio docti, & prudentis Confeſſarij?

27 *An fidendum ſit iudicio Confeſſarij mediocriter docti?*

28 *In quibus caſibus adeſt certitudo de iniuſtitia domini, & maiori ſalario ſibi famulo debito? Vbi quando famulus poſſit cum iudicio prudentis, & docti ſibi occultè compenſare vſque ad infimum gradum iuſti ſtipendij, & quando vſque ad medium gradum.*

29 *An poſſit occultè ſibi reſarcire, & pro quanto famulus perficiens picturam, in caſu diſcordiæ pictoris, ſi ei nullum fuit promiſſum, nec ſolutum pretium?*

§. III.

30 *An liceat compenſatio in eo, qui ſe obligauit ad aliquid pro certa mercede, ſi expenſæ ad id opus neceſſariæ ſint maioris æſtimationis, valde augeatur numerus perſonarum, quibus opus faciendum eſt? &c.*

31 *Quid reſtituere debeat famulus, qui ex conſilio Confeſſarij indocti ſurripuit exceſſum ſalarij.*

32 *Quid poſſit accipere ſalarij famulus non laborans intra infimum iuſti obſequij?*

33 *Quando ſtipendium cenſeatur iuſtum, quando minimè?*

34 *An, & quando in ſtipendijs pro Miſſis habeat locum compenſatio occulta?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò, poſſe nos loqui de furtis famulorum ſine ordine ad compenſationem, & de ijs, quæ fiunt in compenſationem ſtipendij. Loquendo de ijs, quæ non fiunt in compenſationem; pro ipſis famulis, & pro omnibus, ſtatuenda eſt regula generalis, quam tradit *Caietanus in ſumma V. Furtum notab. 2. & Nauar. c. 17. num. 138.* quos in hac parte vniuerſi Theologi ſequuntur; videlicet, Eum tantum peccare venialiter, qui occulte accipit ab eo, cui non diſplicet acceptio, ſed modus accipiendi; eo quòd acceptio rei quoad ſubſtantiam non eſt contra voluntatem domini, ſed modus tantum accipiendi. Et ſic dominus non eſt de ſubſtantia, ſed de modo inuitus. Et ideò non diſplicet ei, quòd res tollatur, ſed abſque licentia expreſſa, & in occulto tollatur. Ad cognoſcendum autem quando dominus ſit inuitus quoad ſolum modum, colligi debet ex domini natura, & ex conditione, nec non ex qualitate rei: quæ ſi talis ſit, vt poſtulata à domino non negaretur, non erit furtum, ſiue accipiatur à famulo, ſiue a filio, ſiue ab vxore, ſiue ab extraneo. Cœterum ſi res talis ſit, vel dominus eam habet conditionem, vt petitus nega-

ret

ret, & hoc rationabiliter erit furtum reſpectu cuiuſque, rem illam accipere; conſtat enim tum dominum eſſe inuitum quoad modum, & quoad ſubſtantiam. Inſuper inſpiciendæ ſunt circumſtantiæ vel animi intercisi inter furtulum, & furtulum: ſine tamen magna interpolatione ſufficienti ad impediendum, ne ea moraliter vniantur: pro qua interpolatione quantum tempus requiratur, dicemus in *Commentario ad Propoſitionem ſequentem*. Item inſpici debent domini facultates, num ſint copioſæ, vel mediocres; ac denique procedendum eſt in horum furtis iuxtà generales regulas alibi tradendas.

3 Hinc famulus, ſi accipiat eſculenta, & poculenta, ſin graui quantitate ad ea vendenda, vel ad compotationes, vel ad ludos, vel ad meretricia, ſeu etiam ad extrahenda de domo domini, vt putà ſi ea vellet deferre ad domum propriam pro matre, vxore, filijs, &c. grauiter peccaret. Hoc debet intelligi pro caſibus, in quibus quantitas eſſet notabilis, vel quia tota ſimul fuit accepta, vel quia paulatim, ſed cum breui interpolatione, &c. iuxta regulas traditas, ſiue animus ſit continens, ſiue non, dummodò de facto ad grauem perueniant quantitatem. Ita *Malletus Malleat. Bractea* 19. *Antonius à Spiritu Sancto in Direct. Confeſſ. par. 3. tr.* 10. *de furto d.* 6. *ſect.* 4. *num.* 234. *Trullench. in Decal. l.* 7. *c.* 5. *dub* 5. *num.* 6. *Leſſius l.* 2. *de iuſt. l.* 2. *c.* 23. *dub.* 8. *num.* 48. & alij. Secus autem erit, ſi ad proprios vſus accipiant eſculenta, & poculenta, quamuis paulatim ad grauem pertingant quantitatem. Ita *Diana p.* 7. *tr.* 7. *reſ.* 28. *Baſſæus V. Furtum* 2. *nu.* 8. & alij, quos refert, & ſequitur *Antonius à Spiritu Sancto ſupra*. Quòd ſi dicta eſculenta, & poculenta eſſent extraordinaria, & delicatiora, quæ dominus ſibi reſeruat, adhuc lethaliter peccaret, ſi ſurripiat de illis in notabili quantitate. Ita *Diana ſupra*, & alij. Ratio, ob quam tum in iſtis, tum in alijs acceptionibus rei eſculentæ, & poculentæ non ad proprium vſum factis, peccent grauiter famuli, ſi notabilem compleant quantitatem, eſt, quia & quoad modum, & quoad ſubſtantiam, domini ſunt rationabiliter inuiti; vnde & ad reſtitutionem ſub mortali tenentur. Cæterum quando ipſi famuli ad proprium vſum in domo domini paulatim accipiunt eſculenta, & poculenta, cum cenſeantur id facere dominis non inuitis quoad ſubſtantiam, per conſequens non perueuient ad culpam grauem, licèt compleant materiam grauem.

4 Tradita pro famulis, etiam interdum competunt mancipijs: de quibus ſcribit *Tamburinus in Decal. l.* 8. *tr.* 2. *c.* 3. *num.* 5. hæc verba: *Si de his poſterioribus loquamur, puto, ſi modica (iuxta conditionem ſerui, quoad victum, & veſtitum ſibi competentia) à domino ea nolente dare, accipiat, vix poſſe perueniri ad mortale, & interdum nec ad veniale quidem*: Sed clariùs loquitur *Fagundez to.* 2. *in Decal. l.* 7. *c.* 12. *num.* 12. dicens non peccare ſeruos, ideſt mancipia, neque furtum propriè committere, ſi accipiant occultè à dominis, ordinarios cibos ad comedendum, ſecus ſi ad vendendum, vel do-

donandum alijs, prout idem eſt de famulis; & maximè non peccare in eo caſu, quo domini eis de ſufficienti cibo non prouideant. Similiter quãdo mancipia de veſtitu ſufficienter non prouidentur à dominis, furtum non committunt, ſi ab ijſdem clam ſibi de veſtitu ſufficienti prouideant. Ratio eſt, quia totum reſultat in dominorum vtilitatem, qui irrationabiles ſunt, hoc mancipiis ſuis denegando, adeout ius ciuile tribuat actionem dictis ſeruis contra dominos circa huiuſmodi res. *Molina tom. 1. de iuſt. d. 38. & Fagundez ibi:* vbi addit, Neque mancipia peccare aliquid accipiendo clam à dominis ad medicinam, quando eis à dominis negaretur: quia irrationabiliter id negarent, cum neceſſaria ad ſeruorum vitam teneantur prouidere: & hoc maximè, quia ſerui quoad vitam, & quoad membrorum integritatem non ſubduntur dominis, qui ſolùm habent dominium in corporales actiones eorum, quas recta ratio & dictat, & poſtulat.

5 De alijs verò rebus, nimirum pecunijs, aut pretio æſtimabilibus, peccat famulus peccato furti, & mortaliter, ſi in quantitate ſufficiente ad mortale accipiat, & tenetur ad reſtitutionem: vt certum eſt. Quod & de mancipijs etiam procedit. Docet autem *Fagundez d. c. 12. num. 11.* reſtitutionem faciendam à ſeruo, ſeu mancipio impotente reſtituere, qui apud ipſum nec res; nec apud pretium extat; eſſe faciendam ab illis, qui à dicto ſeruo emerunt, vel aliter rem illam acceperunt. Sed non difficile poteſt à ſeruo fieri reſtitutio, dum tenetur reſtituere, ſi attendas, quæ docet cum alijs *Diana p. 7. tr. 7. reſ. 32.* his verbis: *Dicendum eſt igitur, quòd licèt ſerui quicquid acquirunt, domino acquirant, maximè ſi in eo acquirendo vires debilitent; tamen id eſt intelligendum de tempore deputato ad ſeruitium dominorum: neque enim ſerui, aut ancillæ ita poſſidentur à dominis, vt fundus, prædia, aut iumenta, vt ſemper domino fructificent; quamobrem dicendum eſt in foro conſcientiæ ſibi id acquirere, quidquid ſit de foro externo, modò non fraudent dominos debito ſeruitio, & vires ſuas multum debilitent, quod iudicabit prudens Confeſſarius & licitè poſſe illos taliter acquiſita retinere, & expendere inuitis dominis, & peccare mortaliter dominos, furtumque committere in ſeruo, ſi ea ab eis auferant, illis inuitis: quod videtur ſatis rationabile, & probabile*: hæc ille: Qui *reſ. 29.* ait ſe conſuluiſſe cum *Sanchez in opuſc. tr. 1. lib. 1. c. 11. dub. 1. num. 8.* ancillam non fuiſſe adſtrictam reſtituere domino magnam quantitatem pecuniæ ab amaſio acceptam. Et ſi ſeruus cum bonis, de quibus poteſt diſponere, aliquid ludo acquirat, ſibi acquirit; & non domino. Ita *Sanchez cit. dub. 1. n. 11.* idem dicens de acquiſitis aliqua negotiatione ſine vllo præiudicio obſequiorum domini: *Gaſp. Hurtad. de iuſt. d. 1. diff. 18.* & alij.

6 Sed quænam quantitas in famulis ſit ſufficiens ad mortale; dicit *Andreas à Matre Dei tr. 13. c. 5. pu. 4. §. 1. num. 42.* eam ſufficere, quæ ſatis eſt pro furto mortali extraneorum. Verùm plus requiri in illis, vt furtum

graue

Digitized by Google

graue ſit, quàm in extraneis aſſerunt, *Card.de Lugo de iuſt.d.16.ſect.4.* §.2. *num.78.* Et *Anacletus Reiffenſtuel:* dicens certum, *Theol.mor.tr.9.diſt.3.q.2. num.37.* domini enim non ignorant, eam eſſe famulorum conditionem, vt in rerum domeſticarum adminiſtratione, quæ ipſis committuntur, aliquid eorum manibus adhæreat. Sicut qui operarios conducit in vineam, ſupponit pro certo vuas ab ijs comedendas vſque ad ſaturitatem, nec poſſe boui trituranti os alligare. *Porrò* (inquit idem *Reiffenſtuel num.38.*) *quanam quantitas ſufficiat ad peccatum mortale, in famulis, & ancillis, à multis pendet circumſtantijs, ac præſertim à liberalitate, & tenacitate dominorum; quorum aliqui liberaliores ſunt, nec volunt erga famulos iuris rigorem exercere, ſed humana, & communi fidelitate contenti eſſe, dummodò cæteroqui ſua munia exactè præſtent.* Nec reprobo regulam quorundam dicentium, ſeruum, & famulum tunc peccare mortaliter rem domini occultè ſurripiendo, quando, e g. tres partes ſurripiunt, quibus ſi quarta addatur, conſtituet peccatum mortale in furtis filiorum, vel vxoris; ſi verò vna ab illis tribus dematur, duæ remanentes ſufficerent ad peccatum mortale in furto extraneorum.

7 *Monendi tamen ſunt mihi hoc loco pro his, & ſimilibus caſibus Confeſſarij* (inquit optimè *Leſſius l.2.cap.12. dub.8. num.50.*) *vt non facilè in furtis etiam minutis, & quæ ad peccatum mortale non pertingunt, diſſimulent; ſed pro conditione, & capacitate perſonarum ſemper aliquam reſtitutionem iniungant, quæ fiat vel reddendo rem eandem, ſi extat; vel eiuſdem ſpeciei, vel. vel pretium rei, vel compenſando maiori obſequio, quàm ex contractu teneantur: vel ſi creditoribus non poſſunt, conferendo tantumdem in pauperes. Hac enim ratione, cum non impunè tranſeunt, magis ab huiuſmodi peccatis abſterrentur, quàm alijs pænitentiolis, alioquin fiunt ab huiuſmodi furtiola faciliores, & ad maiora gradum faciunt.*

8 Notandum eſt ſecundò, loquendo in terminis huius propoſitionis, an ſcilicet ſit licitum famulis ac famulabus ſurripere heris, ad compenſandam operam ſuam, quòd Compenſatio definitur à *Modeſtino in l.1. ff. de compenſat.* quòd ſit; *Debiti & crediti inter ſe inuicem contributio*. Igitur in compenſatione propriè dicta, duo debita debent interuenire, & bini, qui ſibi debitores, & creditores inuicem ſint, quorum iura compenſatione extinguuntur. Hinc ſi tantum ex vna parte detur debitum, non datur locus compenſationi propriè dictæ, ſed recuperationi: quare effectus recuperationis, & compenſationis diuerſimodè conſiderantur, cùm effectus compenſationis propriæ ſit debitorem compenſantem liberum à debito relinquere, *l.ſi ambo, ff.de compenſat.* nam illa compenſatio eſt quædam debiti ſolutio, vt ait *Iuriſconſultus l.4.§.ſoluiſſe ff.de re iud.* & inducitur cõpenſatio ab illo pũcto, quo debitor creditorẽ ſibi debitorẽ habet, quia eo ipſo debitum creditoris, alterius debito extinguitur. *l.cum alter, l.idẽ iuris ff.de compenſat:* & inde eſt, quòd ſtatim ac debitũ eſt moraliter certum, eo ipſo in,

Digitized by Google

foro conſcientiæ extinguitur antiquum debitum , nec ad hoc aliqua Iudicis requiritur ſententia: ſed ſine Iudice licet vti tali compenſatione, quæ Propria appellatur. Scribentes tamen videntur confundere compenſationem Propriam cum Impropria, quę verius dicitur, Recuperatio debiti, & ſine diſtinctione affirmant exigi Iudicis ſententiam, quoties commode haberi poteſt, pro licita compenſatione. Nihilominus id verum eſt in ſola recuperatione debiti, ſeu in ſola compenſatione impropria, quando ſcilicet non datur debitum vtriuſque partis, ſed ſolùm ex parte vnius: vt ſi Titius nolit mihi dare centum, quæ mihi dare tenetur: Propterea nolo ex eius bonis occultè ſurripere, quod mihi debet; & quidem eiuſmodi compenſatio impropria, ſed propria debiti recuperatio, fieri nequit, omiſſa Iudicis auctoritate, vbi commodè haberi poterit. Cœterum ſumentes compenſationem propriè dictam, qualis erit, Si mihi debes decem, & ego tibi totidem debeo, & vnum per aliud compenſatur, non eſt neceſſaria Iudicis ſententia, ſed remittendo decem, ſoluuntur decem, quæ debentur, ad quod ſuperflua eſt Iudicis auctoritas. Ita *Caſtro-Palaus to.7. d.1. qu.17 §.3. num.6. Card. de Lugo de iuſt. d.16. ſect.5. num.8. Dicaſtillus l.2. tr.2. d.9. num.98. & d.10. dub.7. num.117.* aliique: in hoc commentario nos loquimur de compenſatione impropriè dicta; de impropria enim eſt præſens propoſitio; etenim eſt illa, quæ Recuperatio debiti propriè nuncupatur.

9 Notandum eſt tertiò, ad licitam compenſationem hanc præſertim impropriè dictam ſex exigi conditiones. Conditio prima eſt, quòd non auferatur per compeſationem amplius, quàm ſit debitum; verùm debet eſſe æqualis æſtimationis ipſa compenſatio cum illo; alias violaretur æqualitas, quam iuſtitia depoſcit. Ita cum communi *Anacletus Reiffenſtuel Theol. mor. tr.9. diſ.5. q.6. n.11.*

10 Conditio ſecunda eſt, quòd compenſatio fiat de bonis proprijs ipſius debitoris; quare ſi ſurripiantur bona debitorum reperta titulo pignoris, vel depoſiti, erunt reſtituenda, nec compenſatio fieret licitè; nam ſicuti debitore alienis non poteſt ſoluere, neque creditor de alienis à debitore poteſt aut occultè ſurripere, aut ſponte oblata ſcienter, vel ignoranter accipere, & retinere. Ita *Reiffenſtuel ſupra*, & alij communiter. An autem compenſatio poſſit fieri cum bonis, quæ debitor mittit ad alium vel titulo donationis, vel in ſolutionem debiti: *Vaſquez opuſc. de reſtitutione c.5. §.1. dub.8. num.45.* negat ſi pecunia mittatur in ſolutionem debiti, affirmat, ſi mittatur titulo doni: At *Card. de Lugo cit. d.16. ſect.6. num.102.* rectius negat, etiam ſi titulo doni mittatur; nam donatarius, vel creditor lædereiur per talem compenſationem; habet enim ius ne cum ſuo præiudicio compenſatio fiat.

11 Conditio tertia eſt, quòd debitum ſit certum, & liquidum. Et quidem ſi debitum ſit dubium negatiuum, exploratiſſimum eſt apud om-

nes

nes, nullo modo licere, vti compenſatione cum ſimili dubio, ſcilicet quando rationes non habentur probantes, quòd debitum extet; ſed nec habentur probantes, quòd non extet, cum in dubio melior ſit conditio poſſidentis. Si verò adſit dubium poſitiuum, aut ſola probabilitas, conueniunt Doctores, quòd ſi quis decem debeat alicui, habeat tamen probabilitatem alia decem ſibi deberi à creditore ſuo, etiamſi conditiones ad compenſationem requiſitas, ſeruet, non poteſt licitè clam ſurripere ad compenſandum tale debitum probabile; quia cum ex parte vnius debitum ſit certum, & item ex parte iſtius ſolùm ſit probabilitas de debito certi creditoris ſui, talis probabilitas eſt ſolùm remota, & vincitur à certa poſſeſſione alterius, cuius ſemper melior eſt conditio. Sic docent *Sanchez l.6. Decal.c.3.n.7. Suarez l.c. de leg.c.18.n.5. Trullench.in Decal. l.7.c.15.dub.11. num.5. Bonac.de reſtit.d.1.qu.vlt.par.2.nu.12. Sotus l.5.de iuſt.qu.3. art.3. ad 1. §.Sed tamen, Vaſq. opuſc.de reſtit. c.6.§.3.dub.5.num.83. Bannez 2.2. qu. 66. art.5.dub.vlt. Villalobos tom.1. tr.1. diff.17.num.7. & tom.2. tr.11. diff. 23. num.11. Diana p.7.tr.10. reſ.16. verſ.nec obſtat, & p.9.tr.9. reſ.44.* & alij adeò communiter, vt vnus tantum Auctor vix inueniatur, qui aſſerat in generali, & communi, in caſu probabilitatis æqualis poſſe dari locum compenſationi. Omnes igitur conueniunt, vnoque ore affirmant, deberi debitum eſſe liquidum, & certum, vel per Iudicis ſententiam approbatum.

12 Nec quando tantùm datur opinio æquè probabilis pro vtraque parte, debitoris ſcilicet, & creditoris, licèt vti occulta compenſatione; nam Doctores conueniunt in aſſerendo, debere debitum eſſe liquidum, & certum, ac indubitatum. Non abnuo, Auctores agentes de aliquibus caſibus particularibus, concedere id interdum eſſe licitum: quorum Primus eſt, quando quis nolit, vel non poſſit famam ablatam reſtituere, eſt probabile iſtum teneri cum pecunijs illatum damnum reſarcire; vnde quia eſt probabile tales pecunias deberi diffamato, ideò varij Doctores affirmant poſſe eundem diffamatum per occultam compenſationem ſibi ſatisfacere. Ita docent *Leſſius de iuſt.lib.2.c.11.dub.25.in fine, Aragonius 2.2. q.92.art.2.dub 9. Molina tom.1.d.49.nu.5. Ledeſma, Ioannes à Cruce*, & alij. Secundus eſt, quando duo inuicem ſe diffamarunt, tunc poteſt alter ex illis vti compenſatione, ſequendo ſententiam dicentem id licere, quia dicta ſententia eſt probabilis, quamuis ſententia id negans, ſit item probabilis. Quòd autem talis compenſatio ſit licita, docetur à *Bonac.de reſtit. d.1.qu.vlt.pun.2.num.22. Soto de iuſt.l.4.qu.6. ar.3.ad 4. Rebello de obligat. iuſt.1.par. l.2.qu.18.num.9. Villalobos tr.11. diff.23.n.10. Dicaſtillo l.2.tr.2.d. 12.num.120. Syluio, & Maldero*, quos relatos ſequitur *Diana p.7.tract.10. reſ.16.* & alibi. Secundus eſt, quando quis eſt inſtitutus legatarius in teſtamento minus ſolemni, probabile eſt tale legatum deberi; licèt ſit etiam probabile contrarium; & ideò ille legatarius poterit ex vi ſententiæ pro-

babilis vti compenſatione, aliquid accipiendo, ſeu retinendo. Et ita docent *Leſſius de iuſt.l.2.c.19.dub.3.num.22. & 60. Granadus 1.2. controu.7. de legibus tr.3.par.2.d.15.ſect.2.num.17.* & alij. At ſemper puto verum, quòd inquit *Card. de Lugo cit.d.16.ſect.5.nu.95.* nempe Auctores iſtos nec conſtanter, nec conſequenter procedere; ex vna enim parte negant in generali licere vti compenſatione, quando res tantùm probabiliter eſt debita; & ex alia parte affirmant eſſe licitam compenſationem, quando in aliquibus caſibus particularibus eſt item probabile ipſum debitum. *Andreas à Matre Dei tr.13.c.1.pu.19.num.323.* fatetur ſe non capere diſparitatem. Sed nō inficiatur, potuiſſe apud viros ſic doctiſſimos eſſe aliquas ſpeciales rationes, ob quas mouerentur ad id aſſerendum in vno caſu, & non in alio, & quæ apud ſe latent, apud illos pateſcere. Et ideò aſſerit, quod, probabilitate extrinſeca deſumpta ex doctorum auctoritate, licitum eſt in caſibus illis, in quibus dantur Auctores claſſici ſufficientes ad efficiendam opinionem probabilem compenſatione vti cum probabilitate debiti.

13 Illud magis approbo, quòd ſi probabilius ſit, rem mihi deberi, poſſum vti compenſatione. Ita docent *Andreas à Matre Dei ſupra n.319. Ioannes Martinez à Prado tom.2. Theol. mor.c.22.qu.3.§.3.num.19. Stephanus Spinula opuſc.de el.ct.op.in.d.vlt.ſect.7.* & alij; quia quamplures ex Auctoribus aſſerentibus ad compenſationem debere debitum eſſe certum, loquuntur de certitudine morali, quæ humano modò poteſt haberi, vt *Leſſius l.2.c.11.dub.15 num.58. Rebellus 1.p.l.2.qu.16.num.4. Caſtro-Palaus cit. pu.17. §.3. num.6.* & alij. Sed certitudo moralis, & humano modo habita, eſt, quæ habetur per probabiliorem opinionem firmioribus innixam rationibus, & coniecturis; quidquid enim cum tali opinione iudicatur, vt certum humano modo habetur, vt docet *Sanchez l.2. de matrim. d.69. num.9.* Ergò ſufficit certitudo moralis, quæ per probabiliorem habetur opinionem, vt locus compenſationi detur. Quod poteſt confirmari, quia in foro externo, etiamſi aliquis poſſideat, & alius agat contra eum circa proprietatem, ſi actor probet ſuum ius probabilioribus fundamentis, poteſt, imò tenetur Iudex pro illo ſententiam ferre; & ita poſſeſſorem re à ſe poſſeſſa ſpoliare; vt conſtat attenta condemnatione ſecundæ propoſitionis huius Decreti, & docuerunt etiam *Caſtro Palaus tom.1.tr.1.de conſcientia opinante d.3.pu.10. Card. de Lugo ſupra num.99.* alijque; quia illud axioma: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*: & illud: *In dubio nemo eſt priuandus iure ſibi quæſito*: intelliguntur vel de dubio negatiuo, vel de dubio cum æquali probabilitate habito; quia ſemper intelliguntur cum illo addito: *In pari cauſa*; non verò quando diſpar eſt cauſa vtriuſque, vti eſt quando ex parte vnius eſt opinio probabilis, & ex parte alterius probabilior. Ergo ſimiliter licèt in pari cauſa dubij, vel probabilitatis non poſſit compenſans aliū re ſibi quæſita ſpoliare per cōpenſationē, bene tamen quando eſt diſpar cauſa, & ex parte illius ſunt vrgentiores, & probabiliores rationes, rem ſibi eſſe debi-

bi-

Digitized by Google

bitam probantes. Hoc tamen non eſt committendum iudicio particularis compenſare volentis, ſed prudentis, & docti iudicis animarum.

14 Similiter, non obſtante hac tertia conditione, docent cum *Diana Card. de Lugo cit. ſect. 5. n. 93. & Machadus to. 1. l. 2. par. 3. tr. 23. docum 5. nu. 7.* quòd licet vti compenſatione, quamuis debitum actu non debeatur; & ſic licet creditori præuenire, & compenſare ſibi nunc pro eo, quod debitor nondum debet; ſi prudenter timet tempore ſolutionis debitum non ſibi ſoluendum.

15 Conditio quarta eſt, quòd ex compenſatione nullum ſequatur damnum debitori, aut alteri, & ideo qui ſibi compenſat, tenetur ſaltem ex charitate, ſi commode poteſt monere ſuum debitorem de compenſatione facta, vel ceſſatione debiti, ne iterum ſoluere cogatur, vel ne maneat in mala fide, exiſtimans ſe debere, vel non dare quæ debet; vel ne alijs imputetur ſurreptio rei. Ita Doctores communiter. Vnde licet in foro conſcientiæ compenſatio poſſit fieri in re depoſitata, vt tradunt cum *Diana, Trullench. in Decal. l. 7. c. 4 dub. 5. n. 7.* & alij contra *Comitolum:* tamen nõ poteſt fieri cõpẽſatio cũ re debitoris depoſitata apud creditorẽ, ſi inde præiudicium fiat creditoribus anterioribus. Ita *Card. de Lugo cit. ſect. 6. num. 126. & 127.* alijque, contra *Dianam par. 7. tr. 10. reſ. 18. & Machadum ſupra num. 9.* quia creditor in iſto caſu vteretur compenſatione cum damno tertij: creditor enim antequã velit vti ex rebus creditoris compenſatione, quas res apud ſe creditor habet, nondum debitum recuperat, nec iuuari poteſt, aut præferri alijs creditoribus titulo poſſeſſionis, cum res illas non poſſideret nomine ſuo, nec vt pignora, ſed nomine debitoris cuius erant. Igitur neque poſtea titulum aliquem habet, vt præferatur anterioribus creditoribus, & conſequenter nequit eorum anterioritati præiudicium facere.

16 Conditio quinta eſt, quòd debitum ſit ex iuſtitia, vt detur locus ad compenſandum, ſicque cum debitis ex charitate, vel gratitudine compenſari non debent debita ex iuſtitia. Similiter non licet occulte ſurripere, quod alius ex ſola charitate debet dare; compenſatio enim ordinatur ad recuperandũ, quod alter reſtituere tenetur: Quare cũ nemo reſtituere teneatur niſi debitum ex iuſtitia, cõſequenter pro ſolo debito ex iuſtitia erit licita cõpenſatio. Ita docent, *Sotus l. 3. de iuſt. q. 3. ar. 3. Bonac. de reſt. diſp. 1. q. vlt. p. 2. n. 13. Dicaſtillus tr. 2. d. 9. n. 104. Trullench. cit. l. 7. c. 5. dub. 5. n. 3. Diana p. 7. tr. 10. reſ. 19. Prado c. 22. qu. 3. num. 2. Reiffenſtuel ſupra*, & alii contra *Petrum Nauarra l. 3. c. 5. n. 376. & 393. & Machadum cit. docum. 5. n. 54.*

17 Conditio ſexta eſt, quòd fiat Iudicis auctoritate. Sic *D. Thom. 2. 2. qu. 66. ar. 5. ad 3.* qui rationẽ affert, nam, qui Iudicis auctoritate poteſt rem propriam vendicare, non debet id auctoritate propria efficere; eſt enim Iudicis officium alterius iniuriam propulſare, nec aliquis poteſt in propria cauſa ius dicere, quia fit iniuria publicæ poteſtati, quæ ad hoc conſtituta

eſt,

eſt, vt cuique ius ſuum tribuat. Procedit quando poteſt aliquis rem ſuam recuperare per Iudicis interpellationem. Cenſetur autem non poſſe, quando cum magno detrimento, & expenſis id facere deberet. Item quando ius ſuum probare nequit, defectu teſtium. Item quando iacturam rei familiaris timet, vel amicitiæ contractæ cum debitore; In his euentibus licitè compenſatio fieret ſine Iudicis interuentu, dummodo abſit ſcandalum, vel infamiæ propriæ periculum, vel iniuria alterius. Et ratio horum eſt; quia acceptio in tali caſu non eſt furtum, ſed defenſio proprij iuris, & propulſatio iniuriæ ſibi illatæ. Ita *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 15. nu m. 58. Card. de Lugo cit. d. 16. ſ. c. 5. Tapia l. 5. q. 31. ar. 3. n. 2. Dicaſtillus tr. 2. d. 9. n. 202. Caſtro-Palaus cit. p. 7. d. 1. pu. 17. §. 9. n. 6. Villalobos tr. 11. diff. 23. nu. 4. Prado c. 23. q. 3. nu. 22. Dian p. 7. tr. 16. reſ. 17. Reiffenſtuel ſupra.* Ad reſtitutionem tamen non tenetur, qui iuris ordine non ſeruato, (quem ſeruare poterat) vtitur compenſatione. Ita *D. Thomas loco cit. Leſſius, Tapia, Dicaſtillus*, & alij *ſupra*. Peccat tamen mortaliter vtens occulta compenſatione, ſi rem conſequi poterat, aut Iudicis interpellatione, aut petitione creditoris, ac abſque graui detrimento. Ita cum communi *Gaſpar Hurtadus de iuſt. d. 13. diff. 6.* quia in tali compenſatione Iudicis officium, iniquè vſurpatur. Non deſunt tamen Doctores docentes, non eſſe mortale, ſi occulte, & cautè hoc fiat, & abſque ſcandalo, vel damno alterius, quia (inquiunt) paruum in hoc Iudici, aut publicæ poteſtati nocumentum infertur. Ita *Villalobos diff. 23. num. 7. Card. de Lugo d. ſect. 5. nu. 91. Machadus, Trullench, Baſſæus*, quos affert, & ſequitur *Diana p. 10. tr. 16. reſ. 60. Malderus, & Machadus*, quos relatos ſequutus fuerat idem *Diana p. 7. trac. 10. reſ. 17.*

18 Notandum eſt quartò: Quod extantibus his conditionibus licita eſt compenſatio occulta, etiam ſi iuraſſet debitor de ſoluendo debito. Ita contra *Gutiorrez* alios referentem *de iuram. confirm. par. 3 c. 6. à num. 3.* docent *Couar. alijs relatis in c. Quamuis pactum par. 1. §. 4. num. 9. Molina de iuſt. tom. 1. d. 560. nu. 9.* & alij; quia compenſans dicitur ſoluere. *l. 4. §. ſoluiſſe, ff. de re iud.* Item, quia conditio ſoluendi, vel dandi poteſt adimpleri compenſando, vt in *l. ſi peculium 1. §. de illo verſ. quid ſi hæredis, ff. de ſtatu liber.* & probat *Bart. in l. amplius non peti nu. 8. ff. rem ratam haberi.* Secus eſt ſi dum iurauit ſoluere, habuit intentionem non compẽſandi; quia iuramentum in iſto caſu ſeruandum eſt in forma ſpecifica, vt iurauit, & intendit. Ita cum *Sà V. Iuramentum nu. 21. & alijs Diana p. 10. tr. 16. reſ. 60.*

19 Et præterea, ſi excommunicatio lata fuerit contra eos, qui hoc, vel illud furati ſunt, vt reſtituant; vel contra illos, qui in futuro furtum commiſerint, non comprehendit eos, qui occulta compenſatione aliquid accipiũt; quia iſti minime furari dicuntur, aut rem alienam retinere; ſed ſuam propriam recuperare; & hoc, licet illicitè faciant talem compenſationem non ſeruato ordine iuris (adhuc in ſententia Doctorum, qui dicunt hoc modo

pec-

peccare mortaliter,) quia iſte non peccat contra iuſtitiam, & ſic furari nō dicitur; nec tenetur reſtituere. Ita *Tapia ſupra nu. 4. Vill. lobos diſſ. 23. num. 8.. Leſſius nu. 61. Dicaſt. d. 9. nu.* 111. aliįque. Et hoc etiam ſi dicatur, non obſtante, quòd in compenſationem acceperint; quia ſententia excommunicationis intelligenda erit de illo, qui iniuſto prætextu compenſationis talia bona clam accipere tentauit: aliàs contineret errorem intolerabilem. Ita *Andreas à Matre Dei cit. par.* 19. *nu.* 114. aliįque. His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

20 DIco primò: Famuli, & famulæ non poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicāt ſalario, quod recipiunt: & contrarium aſſerere eſt hoc Decreto, vt minimū tamquam ſcandaloſum, ſeu in praxi pernicioſum, deiectum.

Et quidem doctrina huius Propoſitionis ex duplici capite meritò, vt ſcandaloſa fuit damnata. Primum eſt, quia indiſtinctè loquitur, & ſic non diſtinguit de famulis, ac famulabus, quæ cum heris ſuis pactum fecerunt, vel non fecerunt. Secundum eſt, quòd iudicio cuiuſuis famuli, ac famulę remittitur arbitrari, an eorum opera digna ſint maiori ſalario.

Quantum eſt ex vtroque capite, contra doctrinam huius Propoſitionis ſtat Euangelium *Matthæi cap.* 20. in quo narratur hiſtoria Patrisfamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam: Deinde poſtquam operarios primo mane conduxit, exijt, iterumque alios miſit in vineam ſuam quoſdam circa horam tertiam, quoſdam, ſextam; quoſdam nonam; & quoſdam vndecimam. Sero autem facto, *dixit Dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde eis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. Cum veniſſent ergo, qui circa vndecimam horam venerant, receperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt, quòd plus eſſent accepturi; acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. Et accipientes murmurabant aduerſus Patremfamilias, dicentes: Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares nobis illos feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus. At ille reſpondens vni eorum, dixit: Amice non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade.* Cùm ergo iſte Paterfamilias ſit ipſe Deus, qui nemini iniuriam aut facit, aut facere poteſt, conſequenter iſta parabola oſtendit, quòd immeritò famuli, ſeu operarij conqueruntur, quaſi iuſta mercede fraudentur eorum iudicio à Dominis, cum quibus conuenerunt, cenſentes propriam operam eſſe maiorem ſalario, quod recipiunt; quare ex Euangelio conſtat eſſe ſcandaloſam Propoſitionem præſentem, eò quòd contraria ſit doctrinæ eiuſdem Euangelij, dum dicta Propoſitio cōcedit

cedit famulis poſſe conqueri, ſibi non concedi iuſtè ſtipendium, non obſtã-te conuentione facta cum heris ſuis, à quibus poterunt occultè ſurripere ad compenſandam operam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt. Igitur digniſſime fuit damnata iſta Propoſitio vt iacet, ac ſecundùm illius generalitatem, per quam ſiue conuentio intercedat, ſiue non facit licitam compenſationem famulis, & famulabus, quoties ab eis iudicabitur plus deberi operi ſuæ.

21 Hicque notandum eſt, quòd nomine *Famuli*, comprehenduntur omnes, qui propriam operam, quæcumque iſta ſit, conduci à Dominis volunt: & ideo non eſt reſtringenda doctrina falſa, & ſcandaloſa huius Propoſitionis ad ſolos famulos exiſtentes Domi Domini, vel qui herum per Ciuitatem comitantur, vel ad ſimiles alios; ſed verè falſa, & ſcandaloſa eſt eadem doctrina, etiam pro alijs quibuſcumque inſeruientibus, vt ſunt coloni, cæterique omnes propriam operam alijs locantes; militat enim prò ſingulis eadem ratio. Ratio enim efficaciter ſuadens eſt, quia damnatio afficit Propoſitionem vt iacet, eo quod doctrinam dicat ſcandaloſam circa inſeruientium compenſationem; quare cùm eadem ſcandaloſa doctrina ſit ſemper ſcandaloſa pro quibuſuis ſeruientibus; conſequenter eſt idem aſſerendum de omnibus, ad aliquod miniſterium conductis ab hero. Confirmatur, nam ſi damnaretur, V. g. hæc Propoſitio: *Licet Petro non ieiunare in die præcepti ieiunij, ſi vnum ſtadium itineris, etiam in curru compleat*: certè damnatio ſtaret non tantùm pro Petro, ſed pro omnibus, de quibus ſubſtantia doctrinæ poteſt intelligi, quia damnatio afficit doctrinam: Ergò & in caſu noſtro doctrina damnata de compenſatione à famulis facienda domeſticis, debet intelligi de omnibus, quibus in ratione famuli eadem doctrina competit. Sic intelligunt ſcribentes poſt hoc Decretum, inter quos *Ioannes Cardenas hic diſſert. 23. c. 2. ar. 3. nu. 53.* inquit, quòd *licèt* adminiſtratores vectigalium Regis, aut Reipublicæ *non ſint propriè famuli, ad illos extenditur hæc damnatio, ſicut etiam ad adminiſtratores rei familiaris Communitatum, patronatuum, priuatorum: ad cuſtodes etiam montium, agrorum, vectigalium, item ad Prætores, Iudices, ad quoſcumque alios, qui ex condicto ſtipendio, operam, laborem, aut induſtriam ſuam impendunt.* Et *Hurtadus De la Fuente hic diſſert. 23. c. 1. nu. 2.* probat meritum damnationis his verbis: *Tum quia idem permittendum eſſet (non abſque magna perturbatione Reipublicæ, & latrocinijs frequentibus) militibus ſtipendiarijs, operarijs, ſartoribus, alijſque Officialibus pro mercede annua, vel diurna laborantibus, etiamſi non ſint domeſtici.* Pro quibus facit etiam illa communis doctrina Doctorum, quòd lex etiam pœnalis, vbi eſt identitas rationis expreſſa in lege, extenditur ad ſimilem caſum. Sic docent *Abbas Lambertinus, Syluester, Rolandus, Couarruuias, Antonius Gomez, Molina, Gutierrez, Nau. Menchaca, Antonius Gabriel, Bolognetus, Matienſus, Ripa, & Rochus*, quos refert, & ſequitur *Sanchez l. 3. de matrim. d. 42. nu. 4.* Sed ratio, quæ exprimitur in hac damnatione eſt, quòd famulis videatur

ſala-

ſalarium eſſe minus ſua opera; & hæc eſt eadem in famulis, ac in quibuſcumque alijs, qui ex ſalario conditto exercent ſua munera. Ergò hæc lex damnationis extenditur, ſeu comprehendit omnes caſus ſimiles.

22 Hinc non eſt audiendus Thomas idem *Sanchez to. 1. opuſc. l. 1. c. 7. dub. 3. nu. 4.* dicens: *Si fragmenta, quæ ſuperſunt, etiam eſſent magna, & magni valoris, licitum eſt ea emere à Sartoribus magiſtris, non verò ab officialibus, ideſt famulis, quia illis communiter minùs ſoluitur, quàm merentur factura: atque ita mihi dixerunt multi ex timoratis, & rectæ conſcientiæ, cum quibus hæc contuli, & ſic ſibi compenſant, & ſatisfaciunt his, quæ ſuperſunt: quæ ratio non procedit cum famulis: hi enim pactum iniere cum Magiſtro ſub certa quantitate, & modo in integrum ſoluatur magiſtro, vel non, hic illis in integrum ſoluit. Sic reſpondit mihi in quadam Epiſtola ſuo nomine ſubſcripta quidam ſatis doctus recentior à me conſultus.* Ita Sanchez, cui rectè contradixerunt *Villalobos to. 2. tr. 25. diff. 13. num. 6.* & alij communiter etiam ante hoc Decretum ſcribentes.

Sed melius, diſtinctiuſue oſtendamus meritum damnationis huius Propoſitionis quantum ad vtrumque caput. Et quidem quoad ſecundum caput, manifeſtè apparet ſcandaloſe doceri, poſſe famulos, & famulas in propria cauſa iudicium dare, cum regulariter tantam non habeant prudentiam, nec tanto iudicio ſint præditi; vt de merito ſeruitij proprij valeant ſententiam ferre. Nec aliquis vir pius, ac prudens, viliſſimæ, ac ignaræ famulæ conſuleret, vt ex ſe iudicium ferat, an ſtipendium æquale ſeruitio recipiat, quod Domino ipſa præſtat. Idem eſt de alijs venientibus nomine *Famuli*. Nullus namque eſt bonus Iudex in ſua cauſa aduerſus alios. Et cũ occulta compenſatio fiet indefenſa, & inaudita altera parte, valdè temerè relinquitur abſque alijs præcautionibus deciſio, & exequutio totius cauſæ, ſeruitoribus, operarijs, latoribus, & ſimilibus plerumque imperitis, communiterque obcæcatis amore lucri, ac paſſione adaugendi ſuum ſtipendium. Meritò ergò loquens de hac Propoſitione *Anacletus Reiffenſtuel Theol. mor. tr. 9. diſt. 3. q. 2. num. 39.* ait: *Meritò dicta Propoſitio, ſicut iacet, vt minimum, tamquam ſcandaloſa, & in praxi pernicioſa damnata fuit, quia erat inductiua famulorum ad plurima Furta: Eò præſertim, quòd iudicium de inſufficientia ſalarij relinquebat ipſis famulis, qui ſtante quocumque dubio, ob naturalem erga ſe ipſos affectum, facile pro ſe iudicarent; cùm tamen nemo poſſit eſſe Iudex in propria cauſa.*

Probatur quoad primum caput. Primò: Quoties famuli, & famulæ libera, & ſpontanea voluntate cum Domino paciſcuntur pro determinato pretio, ſeu ſtipendio operæ ſuæ, quamuis ſit inferius eo, quod ipſi debetur, cenſentur condonare quod deficit, cùm abſque vi, & ſine fraude detineantur, & poſſint alium Dominum quærere. Ergò contenti eſſe debent eo ſtipendio, ideoque non poſſunt vti compenſatione ad amplius recuperandum. Sic ſi ſcienter inter Dominum, & famulum conuentum ſit de ſtipendio minori ſolito, quia ſupplex periuit recipi in ſui obſequium, que

Digitized by Google

Dominus non reciperet, niſi minuta mercede ſólita, certè Dominus non tenebitur aliquid dare, ſeu concedere vltra conuentum. Ergo famulus non poterit ſibi in compenſationem accipere clam, & inſcio Domino. Non igitur eſt vera doctrina generalis tradita in iſta Propoſitione. Meritò proindè vt falſa, & animarum ſaluti pernicioſa, damnata; docet enim non eſſe furtum id quod ſanè erit furtum, vt apertè dicit *Villalobos* apud *Dianam p.3.tr.6.reſ.16. Sotus l.5. de iuſtit. q.3. ar.3. §. inter argumenta. Bonac. de reſtit. d.1. q. vlt. pu.2. num.15. Dicaſtillus tr.2. d.9. num.134. Tapia q.31. ar.6. nu.4. Andreas à Matre Dei tr.13. c.1. pu.19. nu.315.* & alij.

Secundò ratione relata à *Rebello de obligat. iuſtit. par.2. l.14. q.15. nu.9.* vbi ſic ait: *Ad tertiam quæſtionem ſatis moleſtam Confeſſarijs, quæ locum habet in ijs, qui ſtato pretio ſuæ operæ, vel rei locatæ non contenti, quod modicum illud eſſe cauſentur, clam aliquid in compenſationem ſurripiunt, quales potiſſimum eſſe famuli ſolent: Reſpondet Sotus l.5. de iuſt. q.3. ar.3. §. Inter argumenta, cum quo videtur eſſe Nauarrus c.17. nu.114. Einſmodi famulos, & idem iuris de cæteris, non excuſari à peccato furti, quando nulla vi, aut fraude à Domino fuerunt coacti ad ſeruiendum. Quæ reſolutio confirmatur, quia ſi pretium ſine vi, ac fraude conſtitutum, attingit ſaltem infimum iuſtum pretium, nihil iniuſtitiæ compenſandum remanet, vt patet: Si verò non attingit, aut id liquidò conſtat, aut non; ſi non conſtat, vti plerumque continget à peccato furti ſanè non excuſabuntur, iuxta illud Apoſtoli, ad Romanos c.14. Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Si verò conſtat, non neceſſariò ſequitur, vt illud ſeruitium ſit dignius maiori pretio pecuniario, etiam ſi conſtet maiori cum fidelitate, beneuolentia, ac diligentia exhibitum eſſe, quàm ratione contractus teneretur; quia inde gratitudo, non tamen pecunia, vel quidquam pecunia æſtimabile, iure iuſtitiæ debetur, quando ſub iuſto pretio, licèt infimo, contraxerunt; alia eſt enim rei, alia gratiæ debitio, vt ait Tullius cōmuniter receptus. Secundò quia ſi dicant non attingere ad infimum pretium, eſt contra eos dilemma: nam aut præſto fuerat alius, qui maius pretium vobis pro veſtro famulatu, ſeruitioue offerret, vel nullus; ſi præſtò erat, cur cum eo non contraxiſtis? Si non erat, cur ſtatum pretium cum dominis iniuſtum cauſamini? cùm veſtra ſeruitia ob conductorum paucitatem minoris pretij fuerint? Quòd ſi forte dicant, fuiſſe alios Dominos; ſed iuſta de cauſa eis noluiſſe ſeruire; non facilè credendum eſſe conſtat.* Ecce quomodo verum non ſit, quòd generatim docebat iſta Propoſitio abſtracta, dum ſine aliqua diſtinctione, ſeu limitatione dicebat, quòd *Famuli, & famulæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt.*

Probatur denique, quia ex abſoluta, & generali doctrina huius Propoſitionis, abſolutè conceditur famulis, & famulabus compenſationem facere, ſurripiendo heris ſuis, non curando de circumſtantijs ad licitam compenſationem requiſitis, ſupra relatis: Ergò iſta Propoſitio vt iacet, & in ſua generalitate loquitur ſcandaloſè, proindèque fuit meritò damnata.

23 Dico ſecundò: Etiam quando herus eſt creditor famuli ex contra-

tra-

tractu, aut alio modo licito, non poteſt famulus retinendo partem pecuniæ, compenſare operam ſuam, quam maiorem iudicat ſalario condicto: & affirmatiua pars ſubijcitur damnationi huius Propoſitionis. Ita *Ioannes Cardenas ſupra ar. 4. d. n. 71.*

Probatur prima pars: Nam herus in eo caſu habet duo iura poſſeſſionis certa ſecundum conſiderationem Theologicam; aliud ius eſt ad debitum pecuniarum, quo obſtrictus eſt famulus: & aliud eſt ius ad valorem contractus circa ſalarium initi; ſtat enim poſſeſſio valoris in contractu, quoties non conſtat de eius nullitate. Atqui compertum eſt omnibus, quòd non ſeruatur æqualitas propria iuſtitiæ, ſi neglectis his duobus iuribus heri, dicatur præualere illa probabilitas ſola famuli de dignitate maioris ſalarij. Et hinc patet ad argumentum, quod duci poteſt ex poſſeſſione famuli; licet enim famulus poſſideat poſſeſſione iuridica, ex parte heri ſunt duo iura poſſeſſionis ſecundum conſiderationem Theologicam, iam allegata, quæ præualent.

Probatur ſecunda pars. Nam licèt damnetur propoſitio docens, poſſe famulum ſubripere exceſſum ſalarij pro compenſatione ſuæ operę, & retinere famulũ pecunias debitas hero, nõ ſit formaliter ſubripere; at eſt ęquiualenter tale, eſt enim ſub ſpecie furti, vt docent communiter Theologi: ſed in hac materia non tam attendendum eſt ad nuda verba, quàm ad mentem Pontificis, quæ eſt velle damnare hoc genus compenſationis ex eo ſolùm, quòd videatur famulo, ſuam operam maiori mercede dignam eſſe; Ergo &c. Confirmatur. Nam, vt ſupra, lex etiam pœnalis, vbi eſt identitas rationis expreſsæ in lege extenditur ad caſus ſimiles, ſeù cõprehendit caſus ęquiualenter eoſdẽ. Atqui in hac lege damnatoria ratio prohibitionis expreſſa in lege eſt, quod famulus velit compenſare operam ſuam, iudicans maiorem ſalario, quod recipit; & hæc ratio eſt eadem in famulo, qui vult compenſare operam ſuam retinendo pecunias debitas hero: Ergo ea damnatio comprehendit etiam hunc caſum.

24 Dico tertiò. In hac damnatione non loquitur Pontifex de caſibus, in quibus luce meridiana clarius eſt, heros committere iniuſtitiam, vel minuendo ſalarium ex iuſtitia debitum, vel non ſoluendo mercedem pacto promiſſam. Ita *Ioannes Cardenas*, *Hurtadus De la Fuente*, & *alij* hîc, *Anacletus Reiffenſtuel* ſupra *num.* 40. & alij.

Patet: nã in hac euidenti iniuſtitia licet famulis petere in iudicio æqualitatem mercedis ſibi debitæ; aut ſi ex aliqua cauſa non poſſint in iudicio ſui iuris æqualitatẽ conſequi, poterunt extraiudicialiter ſibi occultè cõpenſare.

25 Dico Quartò. Sufficit maior probabilitas de iniuſtitia Domini, & maiori ſalario ſibi debito, quod aliter commodè obtinere non poteſt, vt famulus poſſit ſibi compenſare occultè. Ita Doctores ſupra citati, nempe Spinula, Andreas à Matre Dei, & Prado, quibus addendus eſt *Felix à Panormo to. 2. Exam. Confeſ. d. 4. num. 79.* dicens: *Quoties autem famulus eſt*

 mora-

moraliter certus de iniuſtitia Domini, & maiori ſalario ſibi debito, quod aliter commodè obtinere non poteſt, tunc poteſt licitè per occultam compenſationem ſe reſarcire; quia tunc non eſt ſimpliciter putans, ſed certò ſciens, & quilibet habet ius ad reparandum ius proprium certò læſum. Certitudo autem moralis habetur per probabiliorem ſententiam, vt ſupra viſum eſt.

26 Sufficit probatio iam inſinuata. Non tamen ſufficit quòd famulus cenſeat irrogari ſibi euidentem iniuſtitiam in quantitate ſalarij: quare ſubeſt huic damnationi opinio, quæ doceat, licere famulo facere eam compenſationem propter iniuſtitiam, quæ ſuo iudicio ſit euidens. Ita *Ioannes Cardenas hic ar.3.nu.59.* nam damnatio eò tendit, vt quia philautia, ſui ipſius amor, decipit hominem, & credere facit euidens, quod vix eſt probabile; hæc ratio iuſtitiæ non committatur iudicio ipſius famuli. Ergo ſi dicatur ſufficere euidentiam iniuſtitiæ, quam vociferatur famulus, ſubijcitur huic damnationi.

27 Immò addit *Ioannes Cardenas ibidem*, neque fidendum eſſe iudicio Confeſſarij mediocriter docti; ſed dumtaxat iudicio hominis valdè docti, & in re morali verſatiſſimi. Sufficit mihi dicere cum *Felice à Panormo num.*78. & alijs, quòd famulus ſtet iudicio prudentis, & docti Confeſſarij; ſi enim talis eſt, iuxtà difficultatem negotij adhibebit ſtudium, vel aliorum in re ſatis verſatorum iudicium exquiret.

28 Quæritur hic: In quibus caſibus adeſt certitudo de iniuſtitia domini, & maiori ſalario ſibi famulo debito?

Reſpondeo: Primò ſi dominus pretium minus ſoluat, quàm fuerit in pacto conuentum, modò ipſe famulus fideliter partes ſuas adimpleuerit. Ita *Bon. c.de reſtit.d.1.qu.vlt.p.2.n.16. Felix à Panormo nu.*791. & alij communiter. Et ſi famuli pactum nullum fecerunt cum dominis, quorum voluntati relictum eſt dare pretium; tunc tenentur heri dare eam ſtipendij ſummam, quam ordinariè ſolent alij famuli promereri pro ſimili famulatu; & ſi ab heris nō detur, licebit famulis (iudicio prudentis, & docti Confeſſarij) propriā operam compenſandam ſurripiendo, dummodo aliud non obſtet, ſicuti obſtaret, ſi dominus non egebat eo ſeruitio, ſed tantùm ad famuli preces, ſeu ad preces alterius illum admiſit, quia in tali euentu poteſt meritò minus offerre, ac dare pro ſeruitio, cum merces vltroneæ, vt dici ſolet, minus valeant. *Leſſius de iuſt l.2.c.12.dub.10. Nauar.ſumm.cap.17.num 19.& ſeqq. Tol.l.5 ſumm.c.15.num.7. Hurtadus De la Fuente hic diff.23. c.2.* & alij. Attendendum eſt ergo, an famulo magni referat ſuas operas conducere, parui verò referat domino in ſeruitium, & famulatum recipere, vt bene aduertunt *Fagundez to. 2. in Decal.l.7.c.1.n.6.*

Secundò, quando paruo pretio conuenerunt famuli cum Dominis, ſed ea intentione, vt ſeruitio diligenter præſtito, domini poſtea ſuppleant, ſi poſito dicto ſeruitio domini non ſupplent, & ab initio famulorum intentioni aduerterunt. Ratio eſt, quia tunc ex iuſtitia tenentur Domini

ſup-

Digitized by Google

ſupplere, cum ſic implicitè contineatur in pacto inito. Ita *Bonac.* ſupra,& alij cum *Leſſio l.2.c.12.n.63.*

Tertiò, ſi inuitus fuerit à domino coactus dolo, minis, &c. ad ſeruiendum pretio minori infimo iuſto. Ita *Felix à Panormo ſupra*, *Hurtadus De la Fuente* alios referens *c.3.à num.25.* *Dicaſtillus to.1.tr.2.d.9.num.144.* dicens eſſe omnium *Auctorum*. Fauentque aperte *Abulenſis in 3. Exodi 9.10.* aliique Interpretes, proinde excuſantes Hebræos, qui in exitu ad terram promiſſionis multis diuitiis commodato acceptis ſpoliauerunt Ægyptios, quibus pro iniuſta mercede coacti fuerant famulari. Ratio eſt, quia conductor nihil habet, vnde excuſari poſſit probabiliter à ſupplemento ſalarii, cum ipſe vi, aut metu iniuſtis eum compellit ad illud acceptandum.

Quartò, ſi ex neceſſitate cum ſtipendio inferiori famuli ſe conduxerũt, quia domini nolebant eis amplius concedere, ſi id fecerunt abſque animo condonandi, quòd deficiebat ad iuſtum pretium ſaltem minimum, ſed pro eo paruo pretio minori minimo conuenerunt, ne amitterent illam commoditatem. Ratio eſt, nam in tali caſu extat obligatio reducendi pretium ad æqualitatem, iuſtitia ſiquidem obligat, vt omnis inæqualitas ad æqualitatem reducatur: Tum etiam, quia ratione neceſſitatis non cenſentur famuli liberè contrahere, ſed inuoluntariè mixtè, inuitè, & coactè: Ergo ex parte dominorum viget obligatio æquandi pretium cum famulatu, & ſi non faciunt, licitum erit famulis defectum ſupplere ſibi ipſis compenſando. Ita contra *Felicem à Panormo n.790.* & alios, docent *Fagundez, & Bonac. locis relatis. Andreas à Matre Dei cit.pu.19.num.317. Card. de Lugo de iuſt.& iure d.16.num.80. Leſſius l.2.c.12. nu.63. Suarez. Molina, Tambur. Dicaſtillus*, & alii, quos refert, & ſequitur *Hurtadus De la Fuente ſupra:* qui *num.27.* hæc habet: *Siquidem conſenſus ille non habet vim donationis ſpontaneæ, ac liberalis, nec talis eſſe præſumitur in eo, qui potius vellet pingius ſtipendium accipere, quo miſeriam ſuam ſubleuaret. Et aliunde ſola eius neceſſitas non eſt legitima cauſa diminutiua valoris, quem alioqui haberet res locata, vt prætextu ipſius conductori liceat partem iuſti pretij defalcare. Ideò enim neque locatori licet exigere pro re locata ſtipendium maius ſummo, eo quod conductori illa ſit maximè neceſſaria. Atque in emptionibus, & venditionibus idem clariſſimè apparet. Neque enim licitè venditur famelico ſua ipſa fames, quaſi ratione illius poſſit panis, quo actu indiget, ei cariùs vendi, quàm alijs. Neque vice verſa emptor poteſt pretium minus infimo conferre pro pane, aut mercibus, eo ſolo titulo, quòd vendens pecunijs egeat, ac vendendi neceſſitate prematur. Et alioqui quo maior eſſet neceſſitas ſeù vendentis, ſeù locantis, eo plus ſubtraheretur iuſtè de pretio, quod ſoluunt alij, & cum maxima eſſet indigentia, maxima etiam eſſe poſſet iuſtæ mercedis detractio. Hoc autem nullus admittit, & ex terminis præſefert conſpicuam abſurditatem.* Hoc tamen intellige cum *Leſſio*, & aliis, ſi Dominus tali ſeruitio egebat, vel ſi magnum

ex

Digitized by Google

ex eo capiat emolumentum: quod ſi non egebat, ſed ſolum ad preces alterius nullo magno ſuo commodo admittit, meritò poteſt minus offerre, ac dare, merces enim vltroneæ vileſcunt.

Hæc tamen eſt differentia inter hunc quartum, & tertium caſum, quod in tertio is, qui iniuſtè fuit compulſus pro inæquali mercede famulari, ſeſe licitè recompenſare poteſt ſaltem vſque ad medium gradum iuſti ſtipendii. Ita *Zamoranus de compenſationibus d ſp.5.c.12.num.7. Molina tr.2. de iuſt. & iure d.506. Dicaſtillus ſupra*, & alii; quod locum habere poteſt etiam cum pro infimo pretio iuſto iniuſtè cogeretur operari. Ità *Hurtadus De la Fuent. num.28.* Nam ſicut ipſe ius habebat non locandi operam ſuam pro vllo pretio, ita pariter ius habet nolendi locare illam, niſi pro medio, vel ſummo, aut ſi illam locare vellet, iure ſuo quærere poterat alios, qui iuſta offerrent, & nolle conſentire pretio infimo, donec eſſet deſtitutus ſpe inueniendi aliud medium. Alia ratio eſſe cenſetur in quarto caſu de eo, qui non ab extrinſeco, ſed propria neceſſitate compulſus contrahit pro iniuſta mercede, quia iuſtam ſaltem infimam non inuenit; huic enim compenſatio non conceditur, niſi vſque ad gradum infimum; etenim non plus requiritur ad tollendam iniuſtitiam contractus, cum ille iuſte fiat pro pretio infimo.

Quinimò, ſi dominus ſalarium ſoluat non in pecunia, ſed in alijs rebus, quibus non eget, & quas cogitur vendere viliori pretio: vel ſi eget, dominus tradit cariori pretio, & famulus ſolet emere benigniori, quia tempore opportuno, quo ſolent inferiori pretio emi, quia ſic patitur damnum, & nihilominus non valet tales merces domino recuſare ſine proprio damno. Ità *Felix à Panormo nu.791.*

Sextò, ſi dominus promiſit famulo tacitè, vel expreſsè aliquem laborem, vel diligentiam in eo ſequutione officij, vel alterius rei ipſi famulo vtilis, ſed à domino non præſtatur, poterit famulus occulte recipere illud, in quo promiſſum æſtimatur, quia talis promiſſio eſt pretio æſtimabilis. Ita *Leſſius ſupr. num.63. Caſtro Palaus cit.d.1.pu.14.§.3. num.8. Andreas à Matre Dei cit.pu.19.num.316.* alijque. Aliud eſt, ſi famulus minori pretio infimo ſeruiat domino ſperans à domino aliquod beneficium, ſi illud poſtea minimè accipiat; hic enim non poteſt ſibi licitè occultè compenſare. Ratio eſt, quia ſpes promerendæ gratiæ, aut beneficij conſequendi non fuit ſimpliciter conditio ſub qua ea facta eſt condonatio, qua non ſequuta reddatur ea condonatio nulla, ſed fuit cauſa motiua, & finalis donandi: vnde ſi fructus ſpei deſit, ſibi famulus, non domino imputet, & parum refert, quòd ſi id ſcirent, nullo modo ita ſeruirent; non enim obligatio domini oritur erga ſeruos ex eis, quæ fierent, ſed ex his, quæ facta ſunt. Ita *Fagundez, & Eſcobar*, quos refert, & ſequitur *Antonius à Spiritu Sancto p.3.direct.tr.7.d.3.ſect.3.num.90.* contra aliquos, quos refert *Molina tom.1. d.210.*

Septi-

Septimò, ſi dominus vltra famulatum, ſuper quo eſt facta conuentio, alium extraordinarium famulatum imponat, qui diſtincto ſalario ſolet conduci; tunc poteſt famulus ſe reſarcire, quia nemo præſumitur velle ſeruire gratis, niſi id expreſſerit, aut intentionem ſeruiendi gratis habuerit. Ita *Nauarr.ſumma c.17.num.111.& 118. Palaus d.n.8. Andreas à Matre Dei n.316. Felix à Panormo cit.n.791.* qui rectè addit id procedere tantũ de famulatu extraordinario, nẽpe de alio famulatu notabili, qui à perſona diſtincta, & pretio diſtincto fieri ſolet; quia ſunt plures ordinarij famulatus, qui vltrà conuentum à famulis gratis præſtare ſolent dominis, adeoque non poſſunt licitè de illis ſe reſarcire.

29 Ex dictis facilè reſoluitur hic caſus: *Dominus volens plures tabulas depingere, vocauit pictorem: at quia fuerunt diſcordes in quantitate pretij, & ad pingendum ſe obtulit famulus, qui perfecit picturas, ſed nullum ei fuit ſolutum pretium. An poſſit occultè ſe reſarcire?* Et reſolutio eſt *poſſe, ſi non fuit facta conuentio, nec habuit intentionem pingendi gratis, quia dignus eſt operarius mercede ſua; & quando agitur de labore, & opere notabili, nemo præſumitur velle præſtare gratis, niſi expreſſerit. At non debet ſumere pretium, vt alij pictores, ſed minus, vti vltroneus venditor ſuæ induſtriæ, & operæ. In quo pretio computari debet defectus famulatus, ſi notabiliter ob picturam à famulatu defecerit:* Sic *Felix à Panormo n.792.*

§. TERTIVS.

Reſoluuntur quædam difficultates circa hanc compenſationem.

30 PRima difficultas eſt de eo, qui ſe ad tempus, aut in perpetuum pro certa mercede ad aliquid opus obligauit; ſi expenſæ ad id opus neceſſariæ poſtea fiunt multò maioris æſtimationis, aut pretium illius rei multò maius, vel perſonæ, quibus præſtandum opus eſt, multò plures, quàm à principio cogitabantur, & ſic de alijs, vt ſi quis in perpetuum locaret operas ſuas, ſeu molendinum ad molendum conductori, & eius filiis, ac hæredibus ſub certa mercede pro ſingulis annis, poſtea verò ſuccederet maxima filiorum, & hæredum multiplicatio, an adhuc pro eadem mercede molere teneatur?

Syluester V.Locatio qu.7. Angelus c.15. & alij negant, contra *Albericum* affirmantem.

Sed cum diſtinctione res eſt reſoluenda cum *Rebello de oblig.iuſt.2.p. l.14.qu.15.num.15.& 16.* Si enim multiplicatio non ſit maior, quàm à contrahentibus, veriſimiliter præpoſita creditur, verè ſentit *Albericus*; ſi ſecus, rectè impugnatur: imò cum veriſimiliter non credatur præcogitata multiplicatio illa, quando maxima euadit, abſolutè ſententiam *Sylueſtri*, quæ

com-

Digitized by Google

communis eſt, ſequi poſſumus. Poterit etiam locator plus exigere, vel è contractu reſilire, quando illa multiplicatio præcogitata foret, ſi pretium ab initio conſtitutum minùs infimo iuſto veriſimiliter nunc credatur relatum ad illud tempus, quo præcogitabatur ſub eo dubio, quo erat futura. In foro autem iudiciali, ſi læſio ſit vltra dimidium iuſti pretii, actio concedetur.

31 Secunda difficultas eſt de famulo, qui ex errore inuincibili, putà ex conſilio Confeſſarii indocti, quem doctum, & prudentem putauerat, ſubripuit domino exceſſum ſalarii, exiſtimans id ſibi licere, poſtea quam cognoſcit id eſſe illicitum, an *teneatur illum hero reſtituere.*

Reſolutio eſt cum *Ioanne Cardenas ſupra ar. 4. à nu. 77.* quod ſi adhuc durat in famulatu tenetur, remittendo tantam partem ſalarii, quantam ſibi ſubripuerat. Si verò iam eſt finitus famulatus etiam tenetur famulus reſtituere non ſolùm id, in quo factus eſt ditior, ſed tantam partem eius quantitatis, quantum ſub prætextu ſalarii ſubripuerit: nam quando herus, finito famulatu, nondum ſoluit partem ſalarii, etiam ſi bona fide ſit in mora ſoluendi, aut in voluntate non ſoluendi ex aliquo prætextu ſolum probabili; adhuc durat in hero obligatio ex contractu, ita vt quando aduertit malè retineri eam partem ſalarij, tenetur vi contractus præteriti ad ſoluendum integrè: Cum ergo herus non debeat eſſe peioris conditionis, ex contractu, tenebit eodem modo ius ſuum aduerſus famulum: obligatio enim ex contractu non admittit illam indulgentiam reſtituendi tantum, in quo factus eſt quis locupletior dum conſumpſit in bona fide.

32 Tertia difficultas eſt de eo, qui non laborat intra infimum ipſi obſequii ſoliti exhiberi ab aliis, qui eidem miniſterio mancipantur, an *poſſit licitè accipere integrum ſtipendium ſibi conſignatum intra limites iuſtitiæ, quamuis infimum ſit?*

Reſolutio eſt negatiua; ſed pro rata ex illo detrahendum eſt quantum detractum fuit ſeruitio infimo. Ita *Gaſp. Hurtadus de iuſt. & iur. diſp. 6. diff. 7.* Ratio eſt, quia iuſtum ſtipendium non debetur, niſi ſeruienti iuſtè; & ſicut herus non poteſt ex vi contractus exigere operam maiorem ſumma communiter exhiberi ſolita, aut aliam diuerſi generis, quin maius ſalarium præſtet; ita nec famulus poteſt præſtare minorem infima, quin minus ſalarii exigat, quàm alioqui fuerat conſtitutum. Ergo exceſſum reſtituere tenebitur, immò & damnum ex tali omiſſione emergens, lucrumue ceſſans. Verùm quia famulis plerumque eſt difficile præ inopia, aut aliis de cauſis, ſalarium iam acceptum, aut id, quod dominis debent ob domeſtica alia furta, prudentis Confeſſarii erit eis iniungere, vt extraordinariis obſequiis, & indebitis pro poſſe compenſent, quod acceperunt plus iuſto.

33 Quarta difficultas eſt in iudicando, aliquod ſtipendium eſſe iuſtū.

Et reſolutio eſt, iudicari poſſe arbitrio prudentis, habita ratione obſequio-

quiorum,conſuetudinis, temporis,& aliarum circumſtantiarum. Ita *Vaſquez o puſc.de reſtit.c.5.dub.* 10.*nu*.56. *Reginaldus l*.25.*num*.552.alijque. Vnde excuſantur,qui conducunt operam puerorum, tradendo illis ſolummodo victum, quia communi æſtimatione hoc reputatur iuſtum ſtipendium, & eorum obſequium non plus videtur mereri; & talis eſt communis vſus, qui non eſt facile damnandus.Ita *Azorius* 3.*par.l*.8.*c*.13. *quæſ*.2. *Reginaldus nu*.553.alijque,Quod ſi alimenta debita ex contractu,aut vſu adeo miſere tribuantur, vt victus ſuſtentationi, nec mediocriter ſufficiat, nec veſtitus honeſtati,nec eo pertingat, quod in alijs domibus regulariter ſubminiſtrari conſueuit pro ſimilibus ſeruitijs,datur locus compenſationi occultæ,*Corella hic nu*.145.*Hurtadus De la Fuente c*.2.*nu*.22.*Torrecilla*, & alij communiter. Sicut etiam Dominus peccat,& tenetur ad reſtitutionem damni, quãdo puerum,vel famulum conduxerat paruo ſtipendio, hac conditione, vt permitteret ipſum litteris,vel arti operam dare, ſed poſtea non permittit: facit enim contra conuentionem, & non cenſetur famulo iuſtum dare ſtipendium,*Azorius quæſ*.3.*Filliuc.tr*.36.*nu*.106. alijque. Sic etiam ſi herus ipſe debeat docere artem aliquam v.g. ſartoriam, aut ſutoriam,& non docet: vnde in his caſibus locus eſt compenſationi occultæ,v.g.ſi ſcholari nõ permittatur aſſiſtere lectionibus,nec tempus vacandi ſtudio: ſi opifex non doceat officium,cuius addiſcendi cauſa ſe ipſi famulus locauit,aut non relinquat ſpatium addiſcendi,& exercendi illud,ſed alijs eum occupationibus diſtrahat,&c.Ita *Hurtadus De l. Fuente ſupra,& alij.*

34 Quinta difficultas eſt de Celebrante cum inęquali miſſarum ſtipendio.

Reſolutio eſt,ſi merces iuſta,& recepta lege, conſuetudine, aut conuentione taxata ei non perſoluatur, optimo iure ſeſe compenſare poterit, & quod iuſto deeſt,ſibi occultè accipere ex alijs pecunijs eius,qui ipſi Miſſas commendauit,ſeruatis his, quæ in iſtis compenſationibus ab alijs ſeruari debent. Quòd ſi pro ſtipendio exiguo conuenerunt, & minori quàm ſit lege,vel communi æſtimatione taxatum, certum eſt, occulta compenſatione vti non poſſe, ex *Decreto S.Congreg.ſub Vrbano VIII.die* 21.*Iunij* 1625.*vbi* §.2.ſub obteſtatione Diuini iudicij præcipitur Sacerdotibus, Eccleſijs,aut alijs quibuſcumque, ad quos id ſpectat, quod vbi *pro pluribus Miſſis etiam eiuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia, quantumcumque incongrua,& exigua,ſiue ab vna,ſiue à pluribus perſonis collata fuerint, aut conferentur in futurum, abſolutè tot Miſſæ celebrentur; quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint: ita vt alioqui hi, ad quos pertinet ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quinimmò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.* Poſtea autem declaratum fuit authenticè, ne daretur occaſio cauillandi, verba illa,*præſcripta fuerint*,eſſe intelligenda de *præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit,non autem ab ordinario.* Verùm cùm ſtipendia minora minimo iuſto ſic offeruntur,& acceptantur, vt accipiens prudenter cenſea-

tur, non promittere ſingulis applicationem integri fructus, ſed ſolum pro rata ſtipendij dati, non habet locum hoc decretum: v.g. quando Sacerdos id dantibus ſtipendia ſignificat, vel illos monet de taxa iuſtæ mercedis, & ſic ex ipſorum conſenſu Miſſas ad rationem talis taxæ reducit, vel quando multi ſimul ſtipes alicui tribuunt, vt pro cunctis iuxta quantitatem ipſarum Sacra faciant, vel in ſimilibus caſibus, nulla ſit iniuria dantibus ſtipendia, ſi Sacerdos pro ſingulis Miſſis taxatam ſtipem recipiat. Ita *Con.n.b 3.p.q.83. nu.194. Franciſ.de Lugo de Miſſ. l.5.c.12.q.5.nu.51.* alijque. Similiter ſi Sacerdos rogatus dicere decem Miſſas, v.g. recepit inuolutam charta pecuniam, putans eſſe iuſtum ſtipendium, & poſtea reperit eſſe dimidiatum, iuſtè poteſt ad ratam minuere numerum miſſarum, illo monito, qui petijt Miſſas, vel etiam non monito, quoties ex iuſta cauſa non poteſt. Ita *Fraxinell.de oblig.Sacerd.ſect.4.concluſ.1.§.2 num.7. Alphonſus de Leone q.8.ſect.4. Auerſa de Euch.q.11.ſect.17.§. & ſimiliter, Franc.de Lugo ſupra Diana p.10. tr.16.reſ.71. Paſqual.de Sacrif.q.945.*

Etiam in caſu, quo debitum aliter recuperari non valeat, illicitum eſt Sacerdoti, cui Petrus, e.g. anticipate perſoluit iuſtum ſtipendium miſſarũ, quas de nouo poſtulat ab ipſo, ſeſe occultè compenſare ex eiuſmodi pecunijs, eaſque ſubrogare in locum alterius debiti liquidi, quo ipſi Petrus antea tenebatur, v.g. quia alias Miſſas eidem Sacerdoti commendauerat data fide de ſtipendio perſoluendo, & cùm Sacerdos eas dixerit, Petrus nihilominus, illud ſoluere detrectat, nec alia via ſupereſt recuperandi ipſum; vel cùm expenſas iniuſte illum facere coegit litigando, aut alijs modis, vt ſolutionem debiti extorqueret. Eſtò namque in iſtis caſibus Petrus ad reſtitutionem antiquioris ſtipendij, aut expenſarum ſine dubio teneatur, iniquum tamen videtur, vt cum tanto nocumento aliorum Sacerdos iure compenſationis vtatur, & Miſſas denuo commendatas omittat. Ita contra *Peyrinum in Priuilegijs Minim.to.3.c.1.nu.37. Pellizarium in man.regul. tom.2.tr.6. c.3.num.50. & Lezzanam in ſumma qq. Regul.tom.4.V.Miſſa num.34.* docent *Donatus in praxi Regular.tom 3.tr.7.q.46. Tamburinus de ſacrif.Miſſæ l.3.c.1. §.3.num.103. & Diana p.10.tr.16. reſ.66.* Quapropter hunc modum compenſationis ſolùm in eo euentu admittunt *Tamburinus, & Diana*, quo conſtaret totum damnum reſultans ex omiſſione Miſſarum eſſe ſolius Petri debitoris, non verò animarum Purgatorij, vel alterius tertij.

PRO-

PROPOSITIO XXXVIII.

Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parua furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

1 ITa legunt *Ioannes Cardenas*, *Carolus Morales*, *Anacletus Reiffenſtuel*,& alij nempe *parua*,& non *pauca*,vt legunt *Lumbier*,*Torrecilla*,*Corella*,*Piſani*,*Riccius*,*Sandæus*,*& alij*. Equidem theſis relata, & delata ad Sanctam Sedem *parua* ſcribit,& non *pauca*,vt patet ex *Specimine Theologiæ manantis per Belgium p.4. tr.9. §.1.* quod tunc temporis in lucem prodijt,& totam huius delationis litteram, & cauſas detegit. Conſtat inſuper Academiam Louanienſem,ex qua delatio promanauit, ad inſtantiam Archiepiſcopi Mechlinienſis examinaſſe inter alias iſtam theſim, (quæ fuit ordine 16.)ſub termino paruitatis, ac cenſuiſſe eam eſſe prohibendam, nec in praxi tolerandam. Quam cenſuram idem Archiepiſcopus Romam trãſmiſit ad Eminentiſſimos Cardinales Inquiſitionis præfectos per litteras Bruxellis datas die 17.Iulij 1654. quas Lector apud *Fagnanum inueniet 1.p. in 1.Decretal. c.ne innitaris,de conſtitut.nu.337*.vt eorum auctoritate prohiberentur theſes in illa notatæ. Porrò incredibile eſt, Sac.Congregationem, Summumque Pontificem mutaſſe in aliam diuerſam doctrinam ſibi delatam;& cum illa de ſolis paruis furtis loqueretur,& de his tantùm eſſet cõſultatio,loco paruorum,*pauca* ſuffeciſſe, vt alteri quæſtioni reſponderet à nemine excitatæ,ea prætermiſſa,quæ ſola Delatores offendebat. Etenim de paruis,non de paucis loquuntur,qui in hoc puncto à recto tramite exorbitaſſe videntur. Nam quòd furta non ſint multa,ſed pauca,ne apparenter quidem refert ad tollendam reſtituendi obligationem ſub lethali,ſi vnumquodque illorum per ſe ſumptum reſpicit grauem materiam: vnicum enim iuxta fidem ſufficit ad obligationem grauem,neque vlli Auctori Catholico venire potuit in mentem, illam ex eo capite ceſſare, quod fiant pauca eiuſdem generis. Sin verò ſingula quæque nonniſi paruam materiam reſpiciunt, eo tandem negotium redit,vt paruitas inſpiciatur, non paucitas,aut multitudo furtorum ad obligationem grauem excuſandam, aut ſtatuendam; quoniam dum ſumma grauis ex omnibus ſimul ſumptis conficitur,nil apud Auctores intereſt, quod paucis vicibus, aut plurimis ſurripiatur.Nulluſque hucuſque ſomniauit, eamdem ſummam v.g.ſex regalium ſub lethali reſtituendam eſſe, ſi octo, aut decem paruis furtis vſurpetur,ſecus verò,ſi tribus,aut duobus. Ad hæc Pontifex,vt patet ex procemio huius decreti, nec non *Alexandri VII.* non iuſſit examinari, neque

Digitized by Google

condemnare intendit aſſertiones inauditas, ſed eas ſolùm, quas audiuerat, non ſine magno mœrore, nouiter eſſe adinuentas, aut de nouo ſuſcitatas, cùm iam antiquatæ eſſent. Atqui quod ſumma quantumcumque magna non ſit reſtituenda ſub lethali, eo quòd paucis furtis fuerit vſurpata, inauditum prorſus erat, & iuxta dicta adeo abſurdum, vt nulli cordato in cogitationem venerit. Denique non delatores tantùm, à quibus theſim immediatè excepit Sacr. Congregatio, & Sedes Apoſtolica, ſed & alij, qui tunc temporis laxas opiniones corrodebant, *parua* furta legunt, & non *pauca*, vt videre eſt apud *Gonetum in diſſ rt. Theolog. de opinion. probabilitate art. 3. §. 3. Propoſ. 8. & Sinnichium in Saule ex rege c. 116.* Sed & Stephanus Bauni, cui eam laxitatem tribuunt, de paruis furtis diſſeruit, non de paucis, ac ſimiliter Auctores alij quibus videri potuit adſcribenda.

2 Auctor, & aſſertor huius Propoſitionis fuit *Berarducius in Summa Corona p. 1. c. 1. nu 28. in fine*, vbi ſic aſſerit: *Si actus furand procedunt à voluntate interciſa, hoc eſt dum homo furatur illud parum, non intēdit furari maius, nec alio tempore, & poſtea de nouo ſubuenit alia occaſio furandi ſimiliter, tunc quantumcumque reiteret huiuſmodi furta, ſic conditionata, ſemper eſt veniale, nec tenetur de neceſſitate ſalutis reſtituere illa. Quia ſicut multa peccata venialia, numquam poſſunt facere vnum mortale, quantumcumque ſimul ſumpta; ita huiuſmodi parua furta, voluntate interciſa, cùm vnum non ordinetur ad aliud, nec omnia ad vnum finem, quantumcumque ſimul ſumantur, & in aliqua quantitate notabili conſiderentur, numquam facient vnum furtum notabile mortale, & ex conſequenti non pariunt obligationem: quia ſemper remanent in ſua natura, hoc eſt ſunt venialia, ratione paruæ quantitatis, ſiue furtum fiat ſemper eidem, ſiue diuerſis.* Ita ille. Idem in terminis de Religioſis furantibus res Monaſterij, docet *Fernandez in exam. Theol. moral. par. 1. c. 6. §. 2. num. 12. Berarducium appellat quidem Stephanus Bauni in Summa peccatorum pag.* 260. at impugnat: Abſiſtant ergò quidam Bauni tribuere ſententiam, quam reprobat. Nec *Sà V. Furtum nu.* 8. eam amplectitur, licet probabilem dixerit, oppoſitam fauentem Decreto ſequens. Ad hæſerat illi *Nauarrus l. 3. conſil. tit. de ſtatu Monach. conſ. 3. à nu. 27.* & inſuper *l. 5. conſ. 2. de furtis nu. 2.* vtrobique iuxta editionem *Lugdun. anni* 1594. At mutauit in *man. c. 17. n. 139.*

SVMMARIVM.

§. I.

3 *Quàm tertum ſit, furari rem notabilis valoris extrà neceſſitatem, eſſe mortale.*

4 *An ex omnium ſententia poſſit dari materia leuis, immò leuiſſima, quæ ſuffciat ad mortale, ratione nocumenti, ſeu damni extrinſeci, quod eius oblatio ſecum affert. Et quid ſi feratur excommunicatio contra furantes grauiter; vel peccatum graue furti ſit reſeruatum?*

5 *An*

5 *An materia grauis in furto debeat attendi reſpectiuè ad locum, & tempus, in quo auſertur.*

6 *An inter circumſtantias, quæ attendi debeat inſpicienda ſit perſona, cui res ſubtrahitur, & præfertur ſententia docens, quantitatem materiæ penſandam eſſe penès maiorem, vel minorem ſubſtantiam eius, à quo aliquid ſubtrahitur.*

7 *Quæ eſt materia grauis, ſeu magna pro omni qualitate, & ſtatu perſonarum?*

8 *An, & in hac, ſicut in alijs aſſignandus ſit terminus magnitudinis, & paruitatis, & quis ſit?*

9 *Quàm certum ſit, eſſe mortale à prima vice auferre à pluribus parua animo proſequendi vſque ad materiam magnam? Non tamen in huiuſmodi furtis minutis committitur nouum peccatum mortale, ſed continuatur iam cœptum.*

10 *Sententia contraria Angeſti quomodo ſubdatur damnationi huius Propoſitionis?*

11 *Si interciſa voluntate furtula committantur, vt compleant materiam magnam, & magnum interuallum inter ipſa, ac completiuum non debet intercedere, & maior quantitas requiritur, quàm ſi ſimul ab vno auferantur: & hac maior ſi à pluribus dominis, ſed quanto maior?*

§. II.

11 *An teneatur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parua furta voluntate interciſa patrata, quando ex ijs ſimul ſumptis effecta eſt materia magna? & pars negatiua cui cenſuræ ſit obnoxia?*

13 *An qui vltimam accipit quantitatem, per quam completur materia magna, peccet mortaliter, non ſolum, quia ſic incipit retinere iniuſtè rem notabilem alienam, ſed quia illud vltimum coniunctum cum alijs accepit, & ſic non ſolum retentione, ſed etiam acceptione peccet? Vbi pars negatiua refertur, nec non ij, qui eam dicunt non ſubiacere damnationi.*

14 *At deciditur, illum peccare mortaliter per illam vltimam acceptionem, ſi quando compleuit notabilem quantitatem, memor fuit acceptæ præteritæ, quam nondum reſtituit.*

15 *Oſtenditur vtilitas huius reſolutionis.*

16 *Sic etiam reſoluitur, an peccet mortaliter, qui poſtquam furtum graue commiſit, aliquid de nouo accipit ab eodem in parua quantitate.*

17 *An ſententia contraria deciſioni traditæ de culpa graui etiam in acceptione, ſubiaceat damnationi huius Propoſitionis?*

18 *An etiam in caſu, quo omnes illæ quantitates paruæ ablatæ ſint ſolùm ſub peccato veniali, eò quòd fur immemor eſt furtorum leuium præcedentium dum vltimum completiuum magnæ materiæ accepit, poſtea quàm illarum recordatur inſurgat obligatio reſtituendi ſub mortali.*

19 *Quomodo confirmari poſſit pars affirmans exemplo voti ſalutationis Angelicæ, vel eleemoſynæ paruæ per quinquaginta dies?*

20 *Quomodo intelligenda, & accipienda ſit doctrina recentiorum docentium,*

non

non obligare reſtitutionem, dum non committitur peccatum mortale iniuſtitiæ?

21 Quæ inaduertentia excuſet in hac materia, quæue minimè?

22 An ſubdatur huic damnationi aſſerere, furem immemorem præcedentium furtorum leuium, ſubripientium quantitatem paruam, quæ cum antecedentibus conſtituit materiam grauem, non teneri reſtituere ſub mortali?

23 An caſus condemnationis intelligatur non ſolum quando ipſæ paruitates ſunt ablatæ ab vno ſolo Domino, ſed etiam quando à multis?

24 An etiam adſit onus reſtituendi, cum res ablata non extat, neque ex ea factus eſt ditior, qui illam abſtulit minutis furtulis, quorum nec vltimum fuit mortale, defectu aduertentiæ?

25 An etiam adſit onus reſtituendi ſub mortali, ſi dum vltimum furtulum quis accipit aduertit ad præcedentia, at ſunt in diuerſo genere negotij?

§. III.

26 An damnatio locum habeat, etiã in furtis, & dãnificationibus leuibus voluntate interciſa factis per magna interualla temporis, & quod eſt magnum temporis interuallum?

28 Vtrum quando plures per minuta furta graue damnum inferunt vni, eorum ſinguli mortaliter peccent, & ad reſtitutionem teneãtur, ſi communi conſilio, & auxilio ea faciant?

28 Quid ſi vnus nec alium moueat, nec alterius damni ſit conſcius?

29 Quid vero ſi furantes modicam quantitatem, ſine communi conſilio, & auxilio vnuſquiſque tamen ſciat de furto aliorum? Vbi etiam quid ſi feratur excommunicatio contra non reſtituentes, &c. in his furtis, & damnificationibus?

30 An dicta de furtis minutis extraneorum, procedant etiam in furtis minutis filiorum? Vbi in quibus caſibus excuſantur, vel ab omni culpa, vel ſaltem à graui, & quæ in ijs ſit materia grauis?

31 Quid in furreptione facta ab vxore, in quibus caſibus nulla culpa, in quibus leuis, in quibus grauis? Et quam quantitatem poſſit expendere in eleemoſynas, & liberales largitiones?

32 Quid ſi parentes, filij vxoris ex alio matrimonio, fratres, ſororeſuè indigeant grauiter?

33 Quid ſi vxor expendat in neceſſarijs familiæ, quod vir dederat ad ſoluenda debita, &c.

§. I.

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

3 Prænotandum eſt primò, quòd furari rem notabilis valoris extra neceſſitatem, nemo vſque in præſens docuit non eſſe mortale, prout Doctores communiter tradunt, & ex ſe patet huiuſmodi grauis iniuſtitia. Quæ autem materia ſit ſufficiens in furto, vt ſit peccatum mortale, hic eſt examinandum, & determinandum; præmiſſis tamen iis, in quibus Doctores conueniunt.

4 Et primò ex omnium ſententia poteſt dari materia leuis, immò leuiſſima, quæ ſufficiat ad mortale ratione nocumenti, vel damni extrinſeci, quod eius oblatio ſecum affert: vt ſi à pictore auferas penicillum, ſine quo depingere non poteſt, & ſic lucro priuatur ex ſua arte quærendo: ſi à ſartore acum, ſine quo nequit laborare, & ob id priuatur ſuo quæſtu: vel ſi rem parui momenti ex ſe ab illo tollas, qui ſibi eam multum charam habebat, magnique æſtimabat, illa delectabatur, & afficiebatur, ita vt ex eius amiſſione turbationem, & moleſtiam magnam capturus exiſtimetur; in vtroque autem caſu erit mortale ablatio rei paruæ: in primò contra iuſtitiam, obligans ad reſtitutionem lucri ceſſantis; in ſecundò contra charitatem; in neutro autem erit furtum graue propriè tale, quia hoc ex nocumento extrinſeco, & per accidens ſequuto non eſt penſandum, ſed ex intrinſeco, & per ſe, quod ſecum affert. Quare ſi impoſita eſſet excommunicatio contra furantes grauiter; vel peccatum graue furti eſſet reſeruatum; in nullo ex dictis caſibus, aut excommunicatio incurreretur, aut reſeruatio, quia hæ pro furto graui formaliter tali impoſitæ cenſentur, non pro paruo, quod peccatum eſt graue ex damnis extrinſecis, & per accidens ſequutis.

5 Secundò, conueniunt etiam omnes, materiam grauem in furto debere attendi reſpectiuè ad leuem, & tempus in quo aufertur; & quæ in vno loco, aut tempore graue iudicatur, in alio tempore, aut loco cenſetur leuis. Poſſunt enim in vno loco, aut tempore tot pecuniæ, & penuria rerum concurrere, & in alio tanta rerum abundantia, & pecuniæ inopia, vt ſit graue nocumentum hanc, vel illam pecuniam ſubtrahere; quæ ſubtractio in alio loco, aut tempore leue dumtaxat inferret nocumentum. Vnde res, quæ alio tempore valebat duo, modò viginti valet; & quæ vna parte Regni valet quatuor, in alia parte valuerit vſque ad ſeptem, aut octo. Et ſic non poteſt eadem materia grauis, aut leuis pro omnibus temporibus, & locis taxari. Et loquimur tum de ablatione pecuniæ, tum ipſarum rerum pecunia æſtimabilium. Vnde tempore, quo per vnum argenteum

pote-

Digitized by Google

poterant plures homines vno die ſuſtentari, quis dubitabit eſſe graue peccatum illum auferre. Sed hoc tempore ſecus accidit. Hinc prouenit inter Auctores tanta diuerſitas in aſſignanda materia leui, aut graui, vt alii ſtrictiſsimè, alii latiſſimè videantur loqui; quia cum diuerſis locis, & temporibus ſcripſerint, in quibus valor monetæ eſt mutatus occaſione Indiarum, bellorum, & aliarum circumſtantiarum, fuit in cauſa, vt diuerſimodè quantitatem aſſignarent. Vnde arbitrio prudentum Doctores communiter hoc negotium meritò penſandum committunt, qui inſpectis omnibus circumſtantiis loci, temporis, &c. iudicare debent, quæ ſit magna, vel parua quantitas in hac materia.

6 An verò inter circumſtantias, quæ attendi debent, inſpicienda ſit perſona, cui res ſubtrahitur, ita vt maior materia requiratur ad peccatum mortale reſpectu pauperis; eſt inter Doctores controuerſia: *Leſſius l. 2. cap. 12. dub. 6. num. 31. Fern. de Meure 1. 1. c. 18. §. 1. num. 15. Ioannes Martinez à Prado to. 2. c. 2. qu. 2. num. 30. Tapia to. 2 ſuæ catenæ l. 5. qu. 9. ar. 3. num. 2. Dicaſtillus tr. 13. diſſ. 2. num. 5. Barth. à S. Fauſto in ſpeculo d. 2. qu. 18. Vega in ſumma tom. 1. c. 19. caſu 12. Rebell. de obligat iuſt. 1. p. l. 3. qu. 15. ſec. 1. & Trulleuch. in Decal. l. 6. c. 5. dub. 2. num. 5.* negant materiæ grauitatem reſpectiuè ad perſonam eſſe attendendam, ſed reſpectu omnium eandem eſſe materiam ſufficientem, quamuis eorum aliqui materiam illam magis extendant, alii reſtringant. Et omnes in eo conueniant, quod quatuor argentei, vel quinque, eſt reſpectu omnium ad peccatum mortale materia ſufficiens. Et probant primò, quia Furtum mortale, eſt ablatio rei alienæ in magna quantitate, domino rationabiliter, & grauiter inuito: Sed quatuor argentei reſpectu omnium ſunt magna quantitas moraliter æſtimabilis ad humanos vſus, in cuius ablatione etiam ditiſſimus eſt rationabiliter, & grauiter inuitus, vt ipſo neſciente auferatur: Ergo, &c. Secundò, quia per furtum infertur damnum in rebus proximi: & ideo non eſt graue, quia inferat notabile perſonæ damnum, ſed quia auferat notabile bonum, & moraliter æſtimabile, vt quid graue, & vtile ad humanas actiones: Ergo non eſt attendendum cui perſonæ auferatur, vt ſit mortale: ſed quid in ſe ſit. Aliàs qui auferret a Rege, qui habet tot milliones annuatim, centum aureos, non peccaret mortaliter, quia minus damnum ſentiet ipſe in ablatione centum aureorum, & minus ægreferet, quàm alius in ablatione vnius regalis.

Alij per oppoſitum arbitrantur, quantitatem materiæ penſandam eſſe penès maiorem, vel minorem ſubſtantiam eius, à quo aliquid ſubtrahitur; ideoque dicunt, maiorem quantitatem requiri ad culpam grauem reſpectu ditiſſimi, & minorem reſpectu pauperis. Ita *Angelus V. Furtum nu. 54. Sylu. eodem V. qu. 2. Corduba in ſumma qu. 70. Petrus Nauarra l. 3. c. 1. à num. 30. Sotus de iuſt. l. 5. q. 3. art. 3. ad 3. §. his tamen, Bannez 2. 2. qu. 66. art. 6. dub. 2. Aragon. ibi fol. 328. col. 2. Serra ar. 6. dub. 1. concl. 2. Ludouicus Lopez 1. p. in-*

p. inſtruct. c. 32. Ioannes à Cruce in 7. præcep. qu. 2. dub. 2. Rodriquez in ſumma c. 150. concl. 1. & c. 118. n. 27. & 29. Suarez t. 3. de Relig. c. 6. num. 5. Reginaldus to. 2. praxis l. 22. c. 1. qu. 4. num. 19. Layman lib. 3. tr. 3. c. 1. num. 3. Bonac. d. 2. qu. 8. pu. 1. num. 7. Card. de Lugo de iuſt. & iur. d. 16. ſect. 2. num. 23. Sanchez lib. 1. ſumm. c. 4. num. 18. Gardon. l. 5. Theol. mor. qu. 3. c. 2. n. 5. Diana 2. p. tr. 17. & 3. miſcell. reſ. 57. Renzi tom. 1. l. 2. tr. 7. c. 2. quæſ. 12. Tambur. l. 8. Decal. c. 2. n. 8. ibi: *Semper mihi inſedit animo ſententia docens eiuſmodi quantitatem deſumendam eſſe reſpectiuè ad perſonam domini rei acceptæ*. Ratio eſt, quia ideò furtum peccatum eſt graue, quia graue infert nocumentum; & quò grauius nocumentum cauſat, grauius peccatum conſtituit. Atqui grauius nocumentum infertur per furtum eiuſdem materiæ pauperi, quàm diuiti, & diuiti ordinario, quàm opulentiſſimo. Ergo habendus eſt reſpectus ad perſonam, vt inde grauior, aut leuior materia iudicetur ad conſtituendum furtum graue, vel leue. Minor (quæ ab aduerſariis non negatur) patet; quia homo diues in his, quæ minima ſunt, non reputat ſibi nocumentum graue inferri, benè autem pauper, qui plus angitur, plus repugnat tali ablationi; & quia magis re illa indiget, plus læditur, cum illa priuatur. Maior (quæ non admittitur ab alijs,) in primis probatur ex D. *Thoma*, qui 2. 2. *qu. 59. art. 6. ad 3.* inde probat furtum leuis materiæ eſſe veniale, *quia homo in his, quæ minima ſunt, non reputat ſibi nocumentum inferri*. Ergo ex nocumento, quod cauſat iudicanda eſt grauis, vel leuis materia. Idem habet *qu. 10. de malo art. 2.* meritòque pro hac ſententia refertur. Deinde conſtat, quia furtum eſt iniuſtitia, & tunc maior fit iniuſtitia, cum maius nocumentum proximo irrogatur. Hanc rationem his verbis exprimit *Tamburinus* ſupra: *Furti malitia fundatur in duobus, nempe in detrimento, quod proximo fit, & in eiuſdem proximi rationabili inuoluntario. At, quod nocumentum ſit notabile, quodque dominus ſit rationabiliter inuitus, dependet eſſentialiter, vt ita loquar, ab ipſa conditione perſonæ, à qua res aufertur, vt ex ſe patet, nam propterea mox, ex communi ſententia dicemus, maiorem requiri quantitatem ad mortale, quando furtum committitur per modica, perque interpolatas vices, quàm quando ſimul, quia nimirum minus eſt nocumentum, minuſque eſt inuitus dominus ibi, quàm hic. Non poteſt ergo decerni quantitas ſufficiens ad conſtituendum peccatum mortale furti, niſi eiuſmodi conditio perſonæ diligenter inſpiciatur*.

7 Sed eſt inter hos Doctores diſcrimen non paruum in aſſignanda in particulari graui materia pro diuitibus, & pro aliis: ita vt quot capita, tot ſententiæ: Aliqua eorum placita enumerabimus, quia res, quæ ex prudentum arbitrio pendet, ex grauium auctoritate Doctorum eſt accipienda. Itaque *Sotus*, *Layman*, & alii dicunt, mortaliter peccare, qui à mercatore valde diuite aufert duos, aut tres florenos, quorum quilibet (vt inquit *Card. de Lugo*) quinque valet regales, ſeu Iulios: a ciue mediocriter diuite ſex, vel ſeptem circiter regales, ſeu Iulios: ab operario vnum cum

Digitized by Google

dimidio, vel duos regales: à mendico laborem victus diurni: addentes, quòd duo, vel tres ducati à quocumque auferantur, quamuis Rege potentiſſimo, mortale peccatum eſſe. *Serra* inquit, eſſe materiam grauem duos aureos, & ad ſummum tres auferre à Rege, à Marchionibus, Ducibus, vel aliis diuitibus nobilibus; vnum aureum, reſpectu mediocriter diuitum, quatuor regales; reſpectu mechanicorum artificum, duos: reſpectu pauperum, vnum regalem; & reſpectu pauperrimorum dimidium. *Tamburinus ſupra num.2.* tres perſonarum conditiones ſtatuit: pauperes, diuites, & medios inter hos: ſi à paupere auferas vnum, vel duos regales, ſeu Iulios, (inquit) peccabis mortaliter: ſi à valde diuite fureris vnum circiter aureum, ſeù ſcutum, peccabis item mortaliter; ſolùm fatetur, propter rationem ſupra dictam, a ditiſſimo Principe, niſi duos, vel tres aureos fureris, fortaſſe te non peccaturum mortaliter: Si denique clam accipias a communi perſona quatuor, vel quinque regales, ſeù Iulios, mortaliter peccabis. Quòd ſi à prædictis minus fureris, quàm quod dictum eſt, ſolùm peccabis venialiter. Addit, ſe appoſuiſſe illud, *vel,* cum tota hæc furti materia dependeat à qualitate perſonæ; & ita ſemper præ oculis illa haberi debeat, *Felix à Panormo tom.2.d.4.num.769.* ait, quod eſt grauis ad mortale ſufficiens: Primò, ſi à paupere fureris duos Iulios: inter pauperes (ait) veniunt artifices illi, qui viuunt ex labore diei, & tantum vno die lucrantur, quantum ad vnius diei victum ſufficit. Secundò ſi à valde diuite fureris vnum ſcutum. Tertiò, ſi à perſona media, ſeù communi fureris quatuor Iulios: inter perſonas medias, ſeu communes numerans perſonas illas, quæ non ſunt pauperes, nec valdè diuites, ſed commodæ, quæque plus vno die lucrari ſolent, quàm ad vnius diei victum ſufficiat. A præfatis tribus generibus perſonarum minus auferre, eſt veniale. Auferre à Principe ditiſſimo duos aureos, non eſt mortale: mortale tamen eſt auferre à mendico vnum Iulium. *Gardonus* aſſerit, eſſe mortale, ſi à diuite auferatur vnus aureus; à perſona communi quatuor regales; à paupere vnum cum dimidio. *Card. de Lugo num.28.* ſi à Magnate, & opulento auferatur vnus aureus; à diuite ſex, vel ſeptem argentei; ab artifice quatuor; à paupere valor victus diurni. Denique *Bonac. Petrus Nauarra, Diana, & Reginaldus* diſtinguunt quatuor genera perſonarum. Nam aliæ, inquiunt, ſunt perſonæ illuſtres, quæ ſplendide alunt familiam; & reſpectu harum nummus aureus, vt minimum eſt materia peccati mortalis: aliæ quæ viuunt ſuis redditibus, nec aliquo indigent artificio ad vitæ ſuſtentationem, vt ſunt communes diuites: & reſpectu harum circiter quatuor regales: aliæ, quæ ſe ſuo ſuſtentant artificio, & opera, & reſpectu harum duo circiter regales: aliæ, quæ mendicando ſibi conſulunt, & proſpiciunt; & reſpectu harum vnus, vel dimidius regalis.

8 Stando huic ſententiæ, vt ſoluta maneant prioris argumenta, notandum eſt ex *Caramuele,* & aliis, quòd ſicut in aliis materiis eſt aſſignandus

dus terminus magnitudinis, & paruitatis, ideſt materia, quæ abſolutè, & reſpectu omnium ſit magna: & quæ abſolutè, & reſpectu omnium ſit parua; & media inter vtramque, quæ reſpectiuè ad vnam perſonam erit magna, ad aliam non erit talis; ſic in materia iuſtitiæ, de qua agimus: Sit exemplum in recitatione Officii Diuini. Etenim omiſſio decem Pſalmorum reſpectu omnium eſſet materia magna, etiam eius, qui totum Pſalterium debebat recitare; vnius Salutationis-Angelicæ eſſet parua, etiam reſpectu eius, qui ſolam illam recitare teneretur: & trium Pſalmorum omiſſio, reſpectu eius, qui deberet totum Pſalterium, eſſet materia parua: & reſpectu eius, qui vnam Horam Canonicam teneretur recitare, eſſet magna. Similiter in die feſto per quatuor horas laborare eſſet materia grauis reſpectu omnium; & per vnum quadrantem leuis: & reſpectu diei feſti per vnam horam laborare non eſſet materia magna, & eſſet reſpectu illius, qui haberet præceptum vacandi per tres horas; ſi per vnam laboraret. Sic in furto aſſignanda eſt materia magna reſpectu omnium, etiam ditiſſimorum; quia per illam grauiter læduntur; eritque hæc ad ſummum tres aurei, vel etiam duo, ſecundùm diuerſas ſententias ſupra relatas, quia illius ablatio etiam Regi affert notabile nocumentum: etſi enim Rex habeat magnas diuitias, habet etiam magna onera: & niſi prohibita eſſet ſub mortali illa materia, eſſet paſſim obuia repetitio, cum magna iactura illorum; & materia leuis etiam reſpectu pauperrimorum, putà, medius regalis, quia ex ſe paruum illis infert nocumentum; & media, quæ comparatione ad alios ſit leuis, & ad alios ſit grauis, quàm inter relatas ſententias inuenies.

9 Notandum eſt ſecundò, quòd ſi quis à pluribus parua auferret, animo proſequendi vſque ad magnam quantitatem, abſque dubio mortaliter peccaret à prima vice ſaltem ob prauum animum materiam grauem auferendi; intenderet enim graue nocumentum proximo inferre, obligatio autem reſtitutionis, donec cum effectu ad notabile damnum perueniatur, erit ſub leui culpa, ſicut leue eſt damnum re ipſa illatum. Et loquendo de his, qui à pluribus parua ſubtrahunt animo diteſcendi; omninò falſam, & improbabilem iudicant, & vt talem reijciunt communiter Doctores ſententiam contrariam *Hieronymi ab Angeſto c.6. moral.* qui eos à lethali liberat; & ſi de facto ad magnam quantitatem accedant, illam reſtituere debent, vel eius dominis, ſi ſint noti; vel ſaltem communitati illi, à qua abſtulerunt: & ſi hoc fieri non poteſt, pauperibus, vel pijs operibus. Et ratio eſt, quia licèt vni, aut alteri parùm furans noceat, illi tamen communitati ex omnibus coaleſcenti multùm, & Reipublicæ plurimùm nocet, qui abſque vllo titulo rem magnam ſibi vult arrogari, & generi humano, volens ſine labore diteſcere; vt faciunt, qui ponderibus, & menſuris iuſto minoribus vtuntur, de quibus dicitur *Prouerb.11. Statera doloſa abominatio eſt apud Deum.* Et *Deuteron.25. Non habebis in ſacculo di-*

Digitized by Google

uerſa pondera, maius, & minus, &c. Abominatur enim Deus eum, qui facit hoc. Hæc enim ratio furandi, & rem ſuam augendi valde repugnat ſocietati humanæ, & in omni Republica benè inſtituta ſemper fuit, & erit exoſa, & tamquam res multum nociua hominum ſocietati prohibita. Audi *Card. de Lugo cit. d. 16. ſec. 3. num. 50. Dicendum ergo eſt, in eo caſu creditores eſſe notabiliter inuitos. Ad hoc enim non requiritur, ſingulos fuiſſe grauiter læſos formaliter; ſatis eſt, læſos fuiſſe grauiter radicaliter, hoc eſt, in ea re, quæ niſi grauiter prohibeatur, maximum ſequitur inconueniens contra bonum publicum, & contra indemnitatem etiam ſingulorum ciuium; ſi enim liceret vnicuique ex induſtria diteſcere, ex alieno fraudando menſuras, falſificando merces, & alia huiuſmodi faciendo; quæ eſſet facies Reipublicæ? quæ ſecuritas? qui mores? Sicut ergo grauiter prohibetur pollutio procurata, quia licèt ex vna, vel altera pollutione non ſequatur notabile detrimentum contra prolem; ſequeretur tamen maximum, ſi non prohiberetur grauiter omnis pollutio. Sic licèt in hoc caſu non lædatur grauiter aliquis ciuis, læderetur tamen grauiſſimè, ſi hæc iniuria non prohibeatur grauiter; atque adeo ſinguli ſunt grauiter inuiti in ea iniuria: timent enim rationabiliter grauiſſimum Reipublicæ damnum, & ſibimet ipſis, ſi eam iniuriam facilè permittant.* Hęc ſapientiſſimus Cardinalis. Notant tamen *Leſſius cit. c. 12. num. 48. Reiffenſtuel Theol. mor. tr. 9. diſt. 5. q. 2. num. 18. &* alij in ſingulis huiuſmodi furtis minutis non committi nouum peccatum mortale, ſed continuari iam cœptum: omnes enim iſtæ acceptiones, & detentiones cenſentur vna continua executio illius prauæ intentionis.

10 Putat *Ioannes Cardenas hic diſſert. 23. c. 3. ar. 3. num.* 104. hanc opinionem *Angeſti* ſubijci formaliter huic damnationi; ſed nos (vt ex initio, & dicendis patebit) dicimus ſubiici veluti præſuppoſitiuè; quatenus ex præſumptione propoſitionis, quæ directè, & formaliter ſupponitur vt ſcandaloſa, infertur à fortiori falſitas ſcandaloſa iſtius.

11 Notandum eſt tertiò, quòd ſi abſque induſtria, & animo diteſcendi à pluribus, vel eadem minuta acciperet, tunc inter vnum, & aliud furtum leue, ſeù inter alia, & illud quod complet materiam grauem nòn magna interualla interponantur; ſi enim magna intercapedo exiſtat, moraliter furta non continuantur, vt fiant vnum notabile. Ita *Tamburinus ſupra c. 3. num. 3. Antonius à Spir. Sanct. Felix à Panormo*, & alii. Quæ autem intercapedo ſit magna in hac re, dicetur §. 3. Et inſuper maior quantitas rei oblatæ ab eadem requiritur, vt acceptiunculæ ſic repetitæ ſint mortales, quàm ſi ſint ſimul. Ita cum aliis *Tamburinus nu. 4.* quia quando ſimul meritò dominus eſt magis inuitus, maiuſque detrimentum ſentit, quàm quando per partes; quanto maior quantitas requiratur ad mortale, cum eodem *Tamburino num. 5.* remitto prudentis iudicio, ſpectatò nimirum damno proximi, eiuſque inuoluntario, &c. *Felix* verò *à Panormo nu. 771.* admittit ſententiam eorum, qui tenent, quantitatem eſſe debere dimidio maiorem, quàm docuit *Diana p. 1. tr. 6. reſ. 34. concluſ. 3. Corella hic nu. 150.*

Et

Et maior quantitas requireretur, vt eſſet graue peccatum, quàm ſi ab vno dumtaxat caperet, quia illi parum læduntur, nec ita curanti reſtitutionem rerum minutarum, quæ abſque animo aſcendendi ad magnam quantitatem eripiuntur. Ita *Leſſius l. 2. c. 12. dub. 6. num. 47. Bonac. d. 2. q. 8. pu. 1. nu. 9. Sanch. l. 6. ſum. c. 2. num. 15. Card. de Lugo n. 48. Trullench. l. 7. c. 5. dub. 4. nu. 6. Villalob. tr. 3. diffic. 4. num. 4. Felix ſup. Diana, & Corella loc. cit.* Vnde *Sanchez*, & *Rebellus*, quos ſequitur *Felix à Panormo*, dicunt non peccare mortaliter eum, qui in ciuitate populata furatur modica à multis, ſi non deueniat ad quantitatem vnius aurei. His prænotatis ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

12 Dico primò. Tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatũ eſt per pauca furta, etiã voluntate intercisa patrata; quãdo ex iis ſimul ſumptis effecta eſt materia magna: & contrarium aſſerere eſt hoc decreto vt minimum, tanquam ſcandaloſum reiectum, quod ante deiecerat communis ſententia, quam ſequitur *Sanchez l. 8. ſumm. c. 12. n. 3.* quamuis pro oppoſita perperam illum citat *Hozes hic nu. 5.* hæc enim differit *Sanchez* ibi: *Eſt certum, hunc, etiam ſi non habuerit animum in ſingulis furtis furandi ampliùs, teneri ſub mortali reſtituere, quando peruenit ad notabilem quantitatem; atque adeò peccare mortaliter retinendo totam illam quantitatem, vel habendo animum non reſtituendi, cum opportunitas fuerit: & ita docent vniuerſi Auctores citandi.*

Probatur primò. Per ſe videtur abſurdum, vt fur ſub mortali teneatur ſummam magnam, totum ſimul ſublatum reſtituere, venialiter autem paruis furtis ſurreptum; cum hoc nec de quantitate ſumma, nec de lucro furis quicquam demat. Secundò, quia abſolutè, & ſimpliciter vetatur retinere magnam ſummam de alieno. Ergo æquè peccatum eſt illam retinere ſiue tota ſimul, ſiuè paulatim collecta ſit. Sicut quia abſolutè, & ſimpliciter vetatur comedere pluſquam ſemel in die ieiunij, tam peccat mortaliter, qui totum ſimul, quam qui paulatim intercisa etiam voluntate magnam comeſtionem præter vnam fecit in illa die, vt definit *Alex. VII.* in poſteriori ſuo Decreto Propoſ. 1. & nos fusè ibi in commentario. Tertiò, quia nullus datur titulus iuſtus furti. Sed retinere magnam ſummam alienam abſque iuſto titulo, peccatum lethale eſt, & nihil ad hoc confert, quòd ſumma illa vno, vel pluribus furtis collecta ſit. Ergo, &c. Quartò, cum tota illa ſumma, licèt paulatim, vni tantum ſurrepta eſt, graue damnum illatum eſt proximo, & eiuſdem grauitatis, ac ſi tota ſimul ſurrepta eſſet: non enim ex diſtinctione, aut ſucceſſione furtorum damnum nun-

quam

Digitized by Google

quam ſit graue; ſed graue damnum iniuſtè illatum eſt ſub mortali reſarciendum. Ergo ſub mortali reſtituenda eſt illa ſumma.

13 An autem, qui vltimam accipit quantitatem, per quam completur materia magna, peccet mortaliter non ſolùm, quia ſic incipit retinere iniuſtè rem notabilem alienam, ſed quia illud vltimum coniunctum cum aliis accepit; & ſic non ſolum retentione, ſed etiam acceptione peccet, magna fuit controuerſia, in qua nonnulli docuerunt eum non peccare ipſa acceptione vltimi, ſed per hoc, quod iam incipit iniuſtè detinere rem in magna quantitate. Vndè ſi animum habet retinendi, ob hanc iniuſtam detentionem peccare, non verò præcisè per acceptionem illius vltimæ quantitatis. Ita *Nauarrus c.16.num.39. Layman cit.l.3.tr.3 par.1. c.1. num.5. Trullench l.7.c.5.dub.4.num.3. Leſſius l.2.c.12. dub.6.n.42 Sanchez l.7.mor. c.21.n.8. & 9. Granadus 1.2.contr.9.tr.2.diſp.12.ſect.5. nu.51.* citatur etiam pro hac ſententia *Diana p.3. tr.6. miſcell. reſ.25.* quatenus relatis verbis *Granadi*, addit: *quæ ſunt valdè à Confeſſarijs adnotanda, quia ſunt quotidiana, & valde practicabilia*: at ipſe *par.5. tr.5. reſ.53. in fine*, expreſsè contrarium docet. Similiter *Dicaſtillus l.1.tr.2.d.8.* quamuis *nu.50.* huic ſententiæ aſſentiatur, tamen *n.50.* adhæret contrariæ, quam nos vt veram propugnabimus. Mouentur, quia licèt tunc damnum incipiat eſſe notabilis pretii, hoc non infertur per vltimum furtum, ſed per hoc, & præcedentia, quorum vnumquodque ſolum erat veniale: & non eſt ratio, quare vltimum ſit mortale, cum ſit materiæ paruæ, & non alia. Nam quod materia aliorum præceſſerit, non facit, quod lex vltimum, quod verſatur circa materiam leuem, ex ſe dicatur inferre nocumentum in materiâ graui: quemadmodum, qui poſt furtum graue leuem materiam ab eodem ſuſcipit, non peccat mortaliter, licèt hæc materia ſit magna ex coniunctione cum præcedenti, quia ex ſe eſt leuis; & ſic actus circa illam eſt ſolùm venialis.

Et quòd hæc opinio non ſubſtretur condemnationi huius Propoſitionis putant *Corella hic num.147. & Torrecilla in 2. impreſſ. fol.325. nu.18.* Mouentur ex textu eodem propoſitionis abactæ, quæ dicebat: *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca* (ſic ipſi legunt) *quantumcumque ſit magna ſumma totius*: nihil dicendo de culpa primæ vſurpationis: Ergo cum condemnatio ſit ſtrictæ interpretationis, non erit ratio ampliandi eam ad id, quod non dicit. Nihilominus:

14 Dico ſecundò. Peccat mortalitèr per illam vltimam acceptionem, ſi quando compleuit notabilem quantitatem, memor fuit præteritæ acceptę, quam nondum reſtituit. (Si enim iam reſtituerat aliam quantitatem præcedentem, quam abſtulerat, nullus aſſerit peccare mortaliter per leuē nouam acceptionem; cum hæc non inferat vllo modo graue damnum in tali caſu.) Ita *Petrus Nauarrus l.3.c.1.nu.53. Ledeſma 2.p.tr.8.c.21. poſt ſecundam concluſionem, dub.3. Conar.l.1.var.c.3.nu.12. Caſtro-Palaus de peccat. tr.2.*

tr.2.d.2.pu.9.§.4.nu.4.Bonac.de reſtit.d.2.qu.8.pu.2.nu.2. Villalob. to.2.tr.13.d.ff.3.nu.5.Card.de Lugo cit.d.16.ſect.3.nu.38.Tapia l.5.q.9.ar.4. nu.2. Felix à Panormo cit.d.4.nu.770.Sotus,Molina,Vaſquez,& alij quos refert, & ſequitur *Tambur.cit.c.3.nu.8.* & ſolent afferri pro hac concluſione verba *S.Hieronymi in c.2.Epiſt.ad Titum*, relata *in c.fin.14.q.6.*& ſunt iſta: *Nihil refert paulatim,aut ſimul quempiam interimas,vel ſpolies.*

Probatur primò: Quia licèt hæc materia de nouo furata,ſit ſecundum ſe leuis: relata tamen ad præcedentes,& ipſis iuncta, eſt grauis, & complet notabile damnum: Ergo non ſolùm detentio, ſed ipſa acceptio eſt mortalis vti in ieiunio, qui poſt leues comeſtiones aliquid in parua materia comedit,qua completur notabilis quantitas,peccat mortaliter; non quia præcedentes retinet,ſed quia complet magnam quantitatem. Et in die feſto,qui poſt aliquas leues occupationes,aliam ſuſcipit, etiam leuem, quæ cum alijs facit grauem materiam,peccat quando vltimam exercet. Et ratio omnium eſt, quia ille grauiter violat legem, qui facit quòd à parte rei ponatur id, quod grauiter lex prohibet: Hoc facit, qui poſt alia furtiola nouum addit, quo materia grauis furata ponitur.Ergo.

Probatur ſecundò: Quia,iuxta omnium ferè ſententiam,qui poſt furtiola addit aliud, tenetur ſub mortali ſolùm reſtituere illud vltimum, quo completur materia grauis;quia illo reſtituto ſolùm remanet materia leuis, quæ non obligat grauiter. Sic expreſsè ex contrarijs *Leſſius,Granadus*, & alij;& ex noſtris *Bonac.Sotus,Card.de Lugo,Petrus Nauarrus*,& alij quos ſequitur *Tambur.nu.10.*& poſt decretum *Felix à Panormo ſupra, Corella hic num.149.*& alij: Ergò retentio vnius, quamuis ſecundùm ſe ſit leuis,vt tamen illud vnum cum antecedentibus continuatur, ſufficit ad materiam grauem,in ordine ad retentionem: Ergo ſimiliter ad acceptionem, quamuis acceptio vnius ſecundùm ſe ſit leuis, ſecundùm quod illud vnum cum antecedentibus continuatur,ſufficit quòd ſit acceptio materiæ grauis.

15 Nec huius reſolutio vix vtilis eſt pro praxi, vt inquit *Tambur.nu.7.* imò valdè vtilis. Etenim in ſententia aſſerenti,quòd non peccat accipiendo,ſi animum reſtituendi haberet; data opportunitate, etiam ſi impotens eſſet ad reſtituendum. non peccaret grauiter illud vltimum accipiendo, quia non peccaret acceptione,vt ſupponit: nec etiam detentione; ſiquidem, qui animum habet data opportunitate reſtituendi, non peccat per iniuſtam detentionem cùm impotens eſt, vel non occurrit opportunitas. In ſententia verò, (quam propugnamus,) quæ aſſerit, peccare ipſa acceptione,ſi impotens eſſet ad reſtitutionem, peccaret accipiendo vltimam quantitatem, etiam ſi propoſitum haberet reſtituendi data opportunitate;

16 Argumentum contrariæ ſententiæ manet iam ſolutum; ſed circa id, quod addit,an nimirum peccet mortaliter, qui poſtquam furtum graue commiſit,aliquid de nouo accipit ab eodem in parua quantitate? eſt etiam du-

dubium inter Doctores. Sed breuiter dico, quòd ſi illud nouum furtum, ſaltem repetitum,accedit ad magnam quantitatem, erit nouum peccatum mortale,& ſi diſcontinuatum ſit à præcedenti,erit diſtinctum mortaliter in confeſſione explicandum: at ſi quod furatus eſt antecedenter, habeat animum reſtituendi,non erit mortale nouum furtiolum, propter ea, quæ ſtatim dicam: ſi autem habeat animum retinendi, erit illa voluntas peccatū mortale: nouum autem furtum,quod modò in materia leui facit, erit veniale,& auget malitiam præcedentis;non mortale, quia poſt completum primum mortale peccatum, incipit alia ſeries furtorum leuium, & iſtud non vnitur cum antecedentibus ratione intentionis, quia ſuppono non oriri ex intentione accipiendi rem grauem;nec ratione materiæ;quia iam per præcedentia furta facta eſt grauis;& modo incipit noua ſeries, quæ vſquedum accedat ad magnam quantitatem, non conſtituit peccatum mortale,& quando accedit, conſtituit diuerſum à præcedenti, ac ſi eſſent duo furta materiæ grauis. Aliàs dicendum foret, quòd poſtquam quis furatus eſt mille aureos,ſi poſtea ab eodem furaretur vnum aſſem, peccaret mortaliter,quod eſt duriſſimum.Sic *Tapia ſupra ar.4.nu.3. Diana 2.p. tr.3. Miſcell.reſ.43.& alij*: licet alij teneant oppoſitum.

17 Dico tertiò Sententia contraria, quam impugnauimus ſubiacet huic damnationi. Ita *Ioannes Cardenas hic diſſert.23.c.3.ar.1. nu.85.* dicens manifeſtum,& alij.

Probatur primò: Quia damnat Pontifex opinionem, quæ negat obligationem reſtituendi grauem quantitatem ablatam per parua furta: ſed illa opinio id negat: Ergo illam damnat Pontifex. Probatur minor. Ideo adeſt obligatio reſtituendi ſub pœna peccati mortalis, quia completum eſt damnum graue proximo:quod completum eſt per vltimum furtum: ſi autem damnum graue completum non eſſet,non eſſet obligatio ſub pœna peccati mortalis reſtituendi: Ergo qui negat, quòd complere aduertenter materiam grauem ſit peccatum mortale, negat damnum graue inferre proximo afferre onus reſtituendi,quod ſubeſt damnationi: ſi enim mortale non eſſet,aduertenter factum non afferret onus reſtituendi:dum ſumus in reſtitutione ex radice iniuſtæ acceptionis.

Probatur ſecundò:Quia ex hac damnatione certum eſt, propter eam actionem,qua completur damnum notabile, teneri ad reſtitutionem: ſed actio furti, quæ obligat ad reſtitutionem ſub mortali, ſi aduertenter fiat, non poteſt non eſſe culpa mortalis: Ergo fatendum eſt, eſſe mortalem,& obnoxiam damnationi.

18 Dico quartò: Etiam in caſu, quo omnes illæ quantitates paruæ ablatæ ſint ſolùm ſub peccato veniali,eò quod fur immemor eſt furtorum leuium præcedentium,dum vltimum completiuum magnæ materiæ accepit, poſteaquam illarum recordatur,inſurgit obligatio reſtituendi ſub mortali. Ita *Felix à Panormo ſupra nu.774.* & alij communiter cum *Piſani hic.*

Pro-

Probatur primò: Ex pluribus obligationibus eiuſdem ordinis reſultat obligatio grauis: Sed qui plura furta leuia commiſit ſub culpis venialibus, in ſingulis incurrit obligationem leuem; atque adeo habet plures obligationes leues: Ergo reſultat ex illis obligatio grauis. Probatur minor. Nam qui hodie accipit credito (abſque numerata pecunia) vnum panem valoris dimidij argentei, & ſequenti die ſimiliter alterum, & quotidie alterum, vſque ad vigeſimum diem, incurrit viginti obligationes leues: Sed ex illis viginti obligationibus leuibus (immò & ex paucioribus) reſultat obligatio grauis: Ergo &c.

19 *Ioannes Cardenas cit. c. 3. art. 2. nu. 91.* hoc confirmat eandem maiorem exemplo voti ſalutationis Angelicæ; ſi enim (inquit) Titius in ſpatio 50. dierum, in vnoquoque die emiſerit votũ recitandi vnam ſalutationẽ Angelicã pro vna vice; & tranſactis illis quinquaginta diebus, nondũ vllũ votũ ex illis impleuerit, incurret plures obligationes leues ex his votis & ex illis reſultabit obligatio grauis recitandi 50. ſalutationes Angelicas: Ergo plures obligationes leues conſtituunt obligationem grauem, ſcilicet cum perueniunt ad materiam grauem. Aſt antecedens non eſt adeo certum, vt putat iſte Auctor; licet illud indiſtinctè admittant *Valentia, Zumel, & Rodriquez*: nihilominus *Sotus, Aragonius*, & alij id negant in voto ſalutationis Angelicæ. Eſtò admittant in voto eleemoſynæ. Validum tamen poteſt fieri argumentum ſic diſtinguendo de vtroque voto: Vel hæc vota quotidiè recitandi modicam orationem, vel elargiendi modicam eleemoſynam, ſunt emiſſa in honorem diei, & temporis, & tunc non eſt mortale, etiam ſi ſemper violentur; quia in ſingulis diebus extinguitur votorum obligatio, & modicæ illæ materiæ omiſſæ continuari nequeunt: ſed ſi vota non ſint in diei honorem; ſed tantùm dies præfigatur, vt terminus, ne vltra illam executio voti differatur; tunc licet omiſſio ſingulis diebus ſit venialis, tanquam rei modicæ omiſſio: at dum notabilem quantitatem orationis, vel eleemoſynæ omiſſæ attingit, erit mortale: quia tunc obligatio non extinguitur; ſed ſemper tranſit in alium, & alium diem donec votum impleatur. Sicut contingit in ſolutione debiti: tempus enim præfigitur abſolutioni, non vt extinguat debitum, ſi ſolutio non ſequatur: ſed ne vlterius differatur. Vnde ſi adueniente tempore non fit ſolutio, debitum magis excreſcit. Et ſic poteſt valide argui ad caſum concluſionis. Alia exempla, quæ *Ioannes Cardenas* affert, non poſſum hic examinare.

Probatur ſecundò verbis *Felicis à Panormo*: *Si tunc* (inquit) *non aduertit, ſed aduertit poſtea, ſubdiſtinguo: Vel quando aduertit, habuit animum non reſtituendi, & tunc incœpit peccare mortaliter, vt iniuſtus detentor quantitatis notabilis: vel habuit animum reſtituendi, & tunc licèt non peccauerit mortaliter, tenetur ſub mortali ad reſtituendum, ad præcauendam culpam mortalem, quam incurreret, ſi reſtituere nollet; & hoc pacto onus reſtitutionis in caſu oritur ex culpa mortali: nec ſequitur, quod plura venialia integrent vnum mortale, quia peccatum*

Digitized by Google

catum mortale committitur vel in vltimo furtulo, vel in voluntaria detentione totius ſummæ notabilis: furtula enim ſunt actiones talis naturæ, vt poſſint inter ſe continuari moraliter ad conſtituendum vnum damnum notabile.

20 Si opponas. Probabilis ſententia *Tamburini*, & aliorum docet, non obligare reſtitutionem ſub mortali, dum non committitur peccatum mortale iniuſtitiæ: Sed qui immemor quantitatum paruarum antecedenter allatarum, aufert aliam paruam, quæ cum reliquis componit quantitatem magnam, non peccat mortaliter: Ergo is non tenetur reſtituere ſub mortali.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem. Probabilis ſententia *Tamburini &c.* docet, non obligare reſtitutionem ſub mortali, dum non committitur peccatum mortale iniuſtitiæ, defectu perfectæ deliberationis, aut plenæ libertatis, concedo: ex alio capite nego. Illi enim Auctores non loquuntur de obligatione reſtituendi grauem quantitatem minimis furtis ſubreptam: ſed de obligatione reſtitutionis ex damno aliquo graui vnica actione illato abſque culpa graui inferentis, cuius alia longè eſt ratio. Imò argumẽtum plus probaret, quam intenderet, ſed abſurdum. Nam *Tamburinus, Trullench, Malderus, Card. de Lugo*, & alij docent ex culpa tantùm veniali negligentiæ, inaduertentiæ, aut ſemiplenæ deliberationis, nullam in foro conſcientiæ relinqui reſtituendi obligationem. Quia obligatio reſtituendi ob vim iniuriæ adeò tenuis, vt illam venialem reddat ſola parua imputabilitas, non obſtante magna grauitate damni, nec grauis eſſe poteſt, nec leuis. Non grauis, quia tantùm onus pœnale, aut quaſi pœnale, ex bonis proprijs luendum, improportionatum eſt delicto adeo exiguo ex defectu plenæ imputabilitatis, vt non tantum apud homines excuſabile reddatur, verùm etiam coram Deo excuſetur ab inimicitia, & alijs peccati mortalis oneribus. Nõ leuis, quia materia grauis eſt, & magna illa inæqualitas, quæ permanere cognoſcitur, & per iuſtitiam reducenda eſſet ad æqualitatem: iuſtitia autem nunquam præcipit reſtitutionem rei grauis ſub peccato tantum leui. Vndè neque ſub veniali à Religione præcipitur adimpletio voti emiſſi cum deliberatione adeo imperfecta, vt modus eius non ſufficeret ad peccandum lethaliter, quamuis valdè grauis ſit voti materia. Et ſic iuſtitia ipſa, neque ſub peccato leui obligat ad donationes, aut contractus ſemiplenè deliberatos implendos, etiam in materia graui, ſed nullam obligationem imponit, cum grauis, quam materia poſtulabat, immeritò imponeretur. At in caſu noſtro & leuis, & grauis poteſt eſſe obligatio, & grauis eſt, dum materia completa eſt grauis. Ex antecedenti ſolum colligi poteſt nullam eſſe obligandi reſtituendi damnum graue alteri illatum pluribus paruis furtis, aut damnificationibus ſemiplenè dumtaxat deliberatis, aut ex parua quadam negligentia examinandi, vel præcauendi graue periculum damni, quod ex noſtris actionibus, aut omiſſionibus alij imminebat, idque probabiliter admitti poteſt, ac debet iuxta hanc ſententiam. Nã ſi vnica actio-

nec

ne, aut omiſſione damnificatiua datum, ob imperfectionem eius, nullam relinquebat reſtituendi obligationem, à fortiori nullam pariet, cùm non vnica, ſed pluribus eiuſdem imperfectionis infertur.

21 Inſtabis: Cum quis furatur vltimam quantitatem leuem, quæ cum antecedentibus conſtituit quantitatem grauem, deficit illi aduertentia de grauitate ſui furti: in hoc enim caſu loquitur hæc concluſio: Sed vbi deficit aduertentia, deficit plena libertas: atque adeo verificatur, quod defectu plenæ libertatis abeſt peccatum mortale iniuſtitiæ: Ergo ceſſat obligatio reſtitutionis.

Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Deficit aduertentia de grauitate furti, permanente plena aduertentia de illa noua obligatione leui, concedo: non permanéte perfecta aduertentia de obligatione leui denuo adueniente, nego. Hæc autem aduertentia facit, quod cùm aduerterit reliquas ablationes leues cognoſcat reſultare obligationem grauem ex graui proximi damnificatione. Quod aliter euenit in vna damnificatione graui proximi facta ſine deliberatione requiſita ad peccatum mortale, in qua neque circa grauem, neque circa leuem adfuit plena aduertentia, aut deliberatio. Et quidem in omnibus furtis paruis adfuit plena deliberatio; & ideo nihil obſtat, quo minus ex illis omnibus reſultet obligatio grauis.

22 Dico quintò: Subiacet huic damnationi aſſerere, Furem immemorem præcedentium furtorum leuium, ſubripientium quantitatem paruam, quæ cum antecedentibus conſtituit materiam grauem, non teneri reſtituere ſub mortali. Ita *Ioannes Cardenas ſupra n. 97.* & alij communiter.

Probatur. Vi huius damnationis tenetur fur ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parua furta, quando magna eſt ſumma totalis. Aſt quamuis fur ſit immemor furtorum præcedentium, reuera per illa ablata eſt per parua furta quantitas, cuius ſumma totalis magna eſt: Ergo vi huius damnationis tenetur ſub mortali in eo caſu reſtituere: ſcilicet quando aduerterit ad ſummam totalem. Maior patet: damnatio enim fit non ſolùm per Propoſitionem contradictoriam, ſcilicet particularem affirmatiuam: ſed etiam per contrariam, ſcilicet vniuerſalem affirmatiuam. Cùm enim damnatio eò reſpiciat, vt ablatio quantitatis grauis reſarcienda ſit, etiam ſi per parua furta facta fuerit: hoc intelligi non poteſt per ſolam Propoſitionem particularem; ſed ſenſus ipſe poſtulat, vt intelligatur in ſenſu vniuerſali affirmatiuo, vt conſideranti liquet.

23 Dico ſextò: Caſus condemnationis intelligitur non ſolùm quando ipſæ paruitates ſunt ablatæ ab vno ſolo Domino, ſed etiam quando à multis. Ita *Corella hìc nu. 148.* & alij communiter.

Patet: quia in omnibus militat eadem ratio; & damnatio non ſolùm fit per Propoſitionem contradictoriam, ſed etiam per contrariam affirmatiuam, vt modò oſtenſum eſt. Et inſuper, quia Auctor propoſitionis proſcriptæ, nempe *Berarducius*, de vtriſque paruitatibus expreſsè loquitur per

N 2 pro-

propoſitionem vniuerſalem negatiuam, vt verba eius initio poſita perpendenti liquidò conſtabit.

24 Dico octauò: Cum res ablata non extat, neque ex ea factus eſt ditior, qui illam abſtulit minutis furtulis, quorum nullum fuit mortale, nec vltimum defectu aduertentiæ, etiam adeſt onus graue reſtituendi. Ita *Hurtadus De la Fuente diſſert.24.c.2.nu.12.* & alij communiter contra *Dianam 1.p.tr.6.reſ.34.* citantem pro ſe *Granadum, & Lorcam.*

Probatur: Quia adhuc extat damnificatio magna illata proximo: & ſumus in fure, & ita in poſſeſſore malæ fidei, in quo non conſideratur, quod res extet, vel ſit factus locupletior. Et præterea, quia damnatio fit per contrariam affirmatiuam, vt ſupra. Adde quod ſequeretur in actionibus merè damnificatiuis, qualis eſt combuſtio, aut deprauatio rei alienæ, ex paruis pluries contra voluntatem Domini iteratis non conſurgere grauem obligationem reparandi damnum ita illatum, quod profectò abſurdiſſimum eſt. Damnum enim totum ſimul manet, quamuis actiones damnificantes tranſierint, & ſemper inuito Domino per interualla augmentatur, ac cum reliquis moraliter vnitur. Quo ergo iure dici poteſt, illud in quantauis magna quantitate non eſſe reparandum ſub mortali, nec tollendam perſeuerantiam ipſius? Aut quomodo excogitabitur, ius Domini ad reparationem tanti damni, quantum ſimul patitur, eſſe diuiſum in plura parua iura ex ſe totalia, quin integretur ex omnibus vnum ius magni momenti reſpiciens per modum partis ſingula damna irrogata, collectionem verò illorum per modum vnius totius.

25 Dico nonò. Adeſt onus reſtituendi ſub mortali, & ſi dum vltimum furtiolum accipit aduertit ad præcedentia, peccat mortaliter illud accipiendo ſiue ſint furtiola in eodem genere negotij, ſiue in diuerſis. Ita rectè, & verè *Sanchez l.7.ſummæ c.21.nu.16.* & alij contra *Rebellum de obl.gat.iuſtit. p.1.l.3.q.15.ſect.5.nu.44. & Dianam cit.reſ.34.* qui falsò pro ſe citat *Bonac. & Tannerum.*

Patet: quia nil refert, quòd damnum magnum inferatur in furtiolis negotiorum diuerſi, vel eiuſdem generis. Et ſemper militat eadem ratio dãnationis. Vnde quod *Diana* probabiliſſimum dicit, improbabiliſſimum, & tamquam ſcandaloſum deiectum dicendum eſt.

§. TERTIVS.

Enodantur aliquæ difficultates.

26 PRima eſt: An damnatio locum habeat etiam in furtis, & damnificationibus leuibus voluntate interciſa factis per magna interualla temporis?

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo negatiue: quia tunc furta, & damnificationes non continuantur, ita vt ex illis integretur vna materia, damnificatio magna. Ita *Sanchez ſupra, Bonac. de reſt. t. l. 3. qu. 8. pu. 2. n. 3. Diana cit. reſ. 34. Tamburinus, Renzi, Felix à Panormo n. 772. Corella hic num. 150. Torrecilla*, & alii communiter.

Magnum temporis interuallum, & interruptio moralis variè à Doctoribus aſſignatur. Si inter furtulum vnum, & aliud intercedant quatuor anni, interuallum magnum reputatur à *Rebellio cit. qu. 15. ſect. 4. n. 37. verſ. dictum eſt.* Si vnus annus à *Sanchez cit. c. 21. nu. 10. & Renzi to. 1. l. 2. tr. 7. c. 2. quæſ. 19.* Si ſex menſes ab aliis. Si vnus menſis, vel dimidius ab aliis, quos ſequuntur *Diana cit. reſ. 34. Antonius à Spir. tu Sancto p. 3. Direct. Confeſſ. tr. 10. d. 6. ſect. 3. n. 224.* & valde probabile cenſet *Filliuc. to. 2. tr. 31. c. 10. num. 244.* At melius *Thomas de Afflicto de iuſt. & iure d. 17. qu. 66. ſect. 4. n. 130. Tambur. d. l. 8. tr. 2. c. 3. §. 1. num. 3. Felix à Panormo ſupra*, & alii remittunt arbitrio prudentis Confeſſarii; nam furta poſſunt eſſe adeo minima, vt non ſolum vnius anni interpellatio, ſed etiam duorum, vel vnius menſis efficiat, vt inuicem moraliter non continuentur.

Secunda difficultas eſt. Vtrum quando plures per minuta furta graue damnum inferunt vni, eorum ſinguli mortaliter peccent; & ad reſtitutionem teneantur?

27 Reſpondeo: ſi ex communi conſenſu ſeſe inuicem hortantes, & adiuuantes omnes conueniunt ad malum, omnes grauiter peccant, & ad reſtitutionem tenentur. Ita Doctores communiter; quia omnes cauſæ ſunt illius damni, & non eſt, cur vnus teneatur, & non alius, reſtituere: & ſic omnes tenentur; tenetur, inquam, quilibet ad reſtituendum totum damnum in ſoli damni defectu aliorum, cum iure ab eis repetendi, quia fuit cauſa partialis partialitate cauſæ, ſed totalis totalitate effectus, ratione mutui comitatus, &c. qui fuit cauſa totalis totius furti, quod proinde totum attribuitur ſingulis, & multò magis, ſi alios excitarit. Et quilibet ex ipſis, ſicut & illum ſciens ligatur monitorio poſito pro rebus deprædatis, &c. ita vt teneatur ſub cenſura ad reſtituendum rem leuem, & reſpectiuè ad reuelandum. Ita *Felix à Panormo tr. 1. d. 1. c. 1. quæſ. 2. num. 11.* Quod ſi intra terminum monitorii ſciat, quod per aliorum reſtitutionem iam pars remanens ſit exigua: tunc non tenetur illi eam reſtituere ſub peccato mortali, nec ligatur monitorio; ſicut ſi illam ſolum ab initio caperet. Ita *Felix à Panormo n. 16.* & alii communiter.

28 E contra verò, ſi contingat, quod vnus nec alium moueat, nec alterius damni ſit conſcius, ſed caſu vnum botrum v.g. vineæ, vel alium comedat, & ſimiliter alius, ex quibus magna quantitas ablata conſurgat, nullus illorum peccat grauiter, aut tenetur reſtituere; quia nemo eorum per ſe cauſa eſt notabilis damni, nec alium ad maleficium mouet, nec ſcit ab altero eſſe perpetratum; ideoque perinde ſe habent ſinguli, ac ſi ipſi ſo-

lum

lum ſeparatim modicam acciperent quantitatem. Ita etiam communiter Doctores cum *Sanchez l. 7. ſum. c. 21. num. 20.* & conſequenter nemo illorum ligatur monitorio. Ita *Felix à Panormo nu. 17.*

29 Difficultas, quæ remanet reſoluenda eſt, ſi iſti furantes modicam quantitatem vnuſquiſque ſciat de furto aliorum; an omnes peccent mortaliter furando etiam ſi non communicato conſilio furentur, & teneantur ad reſtitutionem? Abſolutè affirmant omnes, peccare mortaliter, *Filliuc. to. 2. tr. 31. c. 10. nu. 249. Merolla to. 1. d. 2. c. 4. num. 194. Maior, Molina, Martinus Nauarrus, Sayrus, Suarez, Rebellius, Vaſquez,* & alij apud *Sanchez ſupra num. 21. Bonacina, Megala, Turrianus,* & alij apud *Dianam p. 2. tr. 17. reſ. 42.* & poſt hoc decretum *Felix à Panormo ſupra num. 18. Piſani hic num. 5. & 6.* & alij. Mouentur primò, quia ſi aduertas fieri magnum damnum per minuta furta à pluribus, & fureris, coopereris, & auxilium ad illud notabile damnum præbeas: Ergo peccas grauiter, & teneris ad reſtitutionem tuæ partis, donec res retenta non fuerit notabilis pretii. Secundò, quia per tuum furtum es cauſa, quòd damnum, quod alioquin magnum non erat, fiat notabile, vt ſi alios ſcias vſque ad tria ſuſcepiſſe, & tu ſuſcipias vnum, quo modo damnum vt quatuor, quod detur magnum, conſurgeret; ergo peccas grauiter, & teneris reſtituere, cum ſis cauſa notabilis damni. Tertiò, quia omnes, qui hoc modo damnum dederunt, poſſunt ſub pœna excommunicationis compelli, vt reſtituant ſuam partem, vt omnes concedunt, & meritò, quia, cum quis ſuam vineam vaſtatam videat, poteſt ab Epiſcopo adipiſci, vt ſub pœna excommunicationis cogat deuaſtatores reſtituere, cum adſit talis cauſa talis excommunicationis ferendæ; & tunc ſi non reſtituas, incurris excommunicationem. Ergo peccaſti mortaliter accipiendo, & modò retinendo peccas; quia excommunicatio nonniſi ob graue crimen incurritur. Quartò, quia ſi tu ſurripiendo pauca non peccares, nec tenereris reſtituere, nec ille pauca ſurripiendo, nec ille, &c. Vnde fieret; vt quis magnum damnum accipiat, & ſpolietur omnibus fructibus, nemine grauiter peccante vel ad reſtitutionem obligato manente; quod videtur magnum inconueniens. Excipiunt *Rebellius, Bonac.* & alij, quando furtula diſcontinuantur per longum tẽporis interuallum: *Petrus Nauarra,* apud *Fagundez in 7. præc. Decal. l. 7. c. 3. num. 5.* dixit, furantes modica in caſu poſita, non peccare mortaliter in accipiendo, ſed tantum in non reſtituendo. Probat, quia in acceptione non ſunt omnes cauſæ partiales illius damni; ſunt autem tales in retentione.

Alij diſtinguunt; cum plures vnus ſciens de alio, ab eodem modica furantur; vel ſimul furantur; vt ſi multi ex eadem vinea ſimul modicum quid accipiant, quod tamen vnitum eſt notabile; & omnes peccant mortaliter, & tenentur ad reſtitutionem; quia tunc ſinguli cooperantur ad damnum notabile proximi; vel ſucceſſiuè furantur, & etiam ſi adſit ſcientia

tia

tia aliorum furtorum, non peccant mortaliter. Ità ex *Molina*, & *Sanchez Afflictus cit. d. 17. q. 66. num. 161.*

Sed abſolute dico, nullum peccare mortaliter, neque in acceptione, neque in retentione. Ità *Sotus l. 4. de iuſtit. q. 7. ar. 3. col. 6. Salas* 1. 2. *tr.* 13. *d.* 16. *ſec.* 27. *num.* 92. *Leſſius l.* 2. *c.* 12. *dub.* 8. *num.* 51. *Trullench. l.* 7. *c.* 5. *dub.* 4. *num.* 7. *Malderus* 2. 2. *tr.* 4. *c.* 1. *dub.* 5. *caſu* 3. *Tannerus.* 2. 2. *d.* 4. *qu.* 6. *dub.* 9. *num.* 285. *Diana ſupra. Fagundez cit. Card. de Lugo d.* 16. *ſec.* 3. *num.* 55. *Dicaſtillus l.* 2. *tr.* 2. *d.* 9. *num.* 79. *Renzi ſupra quæſ.* 24. *Tambur. cit. c.* 3. *§.* 3. *num.* 3. & poſt decretum hoc valde probabile aſſerit *Hurtadus De la Fuente ſupra. c.* 2. *nu.* 15. imò verius ei apparet *num.* 16.

Probatur primò, quia quilibet ſic furans infert paruum damnum: ergo ex hoc capite non peccat mortaliter, & nemini eſt cauſa, vel occaſio furandi alia modica furti: ergo eius furtum non aggrauatur cum alijs, & per conſequens nec eius peccatum in ſe leue, fit graue, quia quilibet non cooperatur ſimpliciter notabili nocumento, ſed in modica quantitate, quę præter ipſius intentionem eſt, quod cum alijs iungatur, & magnam efficiat quantitatem, nec verè conſentit in totum damnum, quin potius ei diſplicet magnum inferri damnum. Hinc diſparitas eſt ab eo, qui ab eodem minima furatur, ſi per vltimum completur materia notabilis; nam conſentit in totum damnum, eique non diſplicent priora furta, quia nondum illa reſtituit; ſicut etiam idem eſt, cum quis à diuerſis ea modica furatur; quia cum nondum ea reſtituerit, ſentit in totum damnum, nec adeſt diſplicentia de illis; & ſic continuantur.

Probatur ſecundò ex inconuenientibus, quæ ex contrariâ ſententia ſequerentur; nam primò cum ſciamus paſſim à Rege plura modica, vel grauia ſurripi, nos peccaremus grauiter vel vnum aſſem ex eius bonis accipientes, quod eſt duriſsimum. Secundò ferè omnes furantes pomum in horto, vel racemum in vinea cenſendi eſſent peccaſſe mortaliter; ferè omnes enim veriſimilius ſciunt etiam alios ſimiliter furari, & omnium furtula in vnam coaleſcere notabilem ſummam cum graui nocumento domini; & tamen nullus prudens Confeſſarius damnat de mortali eum, qui ſibi fatetur furtum pomi ex horto, vel racemi ex vinea, nec inquirit, an ſciat alios ſimilia furtula ex eodem horto, eademque vinea perpetrata. Tertiò, ſi videres famam alterius à pluribus morderi, & tu leuem de illo culpam proferres, peccares grauiter, quia in omnibus illis concurris ad alterius damnum graue, quod ex omnibus coaleſcit, & es cum alijs concauſa illius. Quartò, grauius infinitè peccares ſurripiendo vnum, quàm alius quinque accipiendo, ſi materia grauis eſſet vt ſex; quia ille ſollùm leuiter, tu grauiter delinqueres; & quia per tuum actum es cauſa, quòd alioqui damnum, quod non erat magnum, notabile fiat. Quæ ſunt ab omni ratione aliena.

Ad primum argumentum contrarium conſtat ex dictis. Ad ſecundum

dum

dum dico, illum, qui poſt aliorum furtiola parum accipit, non eſſe cauſam damni notabilis, ſed modici; & hoc modo complere damnum notabile ab alio cauſatum, non eſt notabiliter lædere: ſiquidem quod cum alijs compleat præter intentionem, & per accidens (quia accidit, quod alij tunc, vel prius ſuſtulerint) non eſt cauſa, vt illi totum damnum imputetur, ſed illud ſolum, in quo delinquit. Sicut ſi alij Petro minutatim darent vſque ad 99. & tu poſtea vnum dares, quo centum compleres, non eſſes cauſa, vt dicatur te centum illi dediſſe, quia compleuiſti centum, modicum dumtaxat impertiendo. Similiter in noſtro caſu. Ad tertium dico cum *Soto*, & alijs, quòd licèt excommunicatio non liget, niſi mortaliter peccantem, poteſt tamen ex iuſta cauſa imponi præceptum ſub excommunicatione rei, quæ aliàs non erat grauis; & tunc non obtemperando peccaret mortaliter, & ſic excommunicationem incurreret, non quia accipit, vel retinuit abſolutè; ſed quia ex ſuppoſitione præcepti ſub excommunicatione noluit reddere: Ad quartũ tandem fatendum eſt; in pluribus caſibus contingere graue alterius damnum, quin nullus peccet mortaliter, aut teneatur reſtituere ſub mortali; vt ſi modicè à pluribus fama alterius eſſet imminuta, & ex omnibus conſurgeret fama conſiderabilis; & in noſtro caſu, ſi vnus neſciret ab alio eſſe paruum furtum factum Petro, & modicum acciperet, ex quo graue damnum compleretur. Quo modo omnes aſſerunt, non teneri reſtituere; & ſic nullum eſſe illud inconueniens; aſſerunt *Sanchez n.22. Leſſius n.55. Card. de Lugo n.80.* aliique.

Patet etiam ex his ad fundamentum ſententiæ *Petri Nauarri*: excipe, niſi conſpirent ad inuicem, ne reſtitutionem faciant vel conſilio, ſeu auxilio, aut aliter iniuſtè cooperentur ad illam non faciendam; tunc enim ſicut hoc modo accipiendo ab initio lethaliter peccaſſent, & cum graui onerẽ reſtitutionis, ſic grauiter peccant eiuſdem reſtitutionis omiſſione, nec iam per accidens, & merè materialiter, ſed mutua opera, & conſilio iniuſto per modum vnius conſeruant damnum graue alteri illatum. Sic benè *Hurtadus De la Fuente cit. c.2. nu.18.*

Nec ſententia, & fundamentum *Afflicti* ſubſiſtit: quia ſi non communicato conſilio plures furantur, vt *Afflictus* ſupponit *num.150.* ergo etiam ſi ſimul furentur, vnus non cooperatur cum altero ad damnum notabile.

30 Tertia difficultas eſt. An dicta hucuſque de furtis minutis extraneorum, procedant etiam in furtis minutis Domeſticorum? id eſt, filiorum, vxoris &c?

Reſpondeo certum eſſe, eos poſſe peccare mortaliter peccato grauis furti, ſi rationabiliter, & grauiter inuito Patrefamilias, notabile aliquid ſurripiant. Patet hoc ex illo generali pręcepto decalogi: *Non furtum facies.* Excuſatur verò filius à dicto furto vel ſi pater ex bonis caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus filii vſurpet; vel ſi ſolum pater eſſet inuitus quoad modũ, nõ quoad ſubſtantiã, eo quod ſimilia ſoleat dare; vel ſi peteretur cõcederet;

vel

Digitized by Google

vel ſi eſſet irrationabiliter inuitus, vt ſi acciperet illa, quæ more aliorũ ſuæ cōditionis expēſurus eſt in licitis, ac honeſtis recreationibus; & multo magis, ſi ad dandam eleemoſynam acciperet in graui neceſſitate. Ac tandem ſi filius gerat negotia patris, poteſt deductis expenſis, quas pater facit in illo alendo, pro ſuo labore, & induſtria tantundem accipere, quantum daretur extraneo, ſi animum non habeat gratis id faciendi, ſed ob reuerentiam paternam non vult proteſtari ſe lucrari velle; niſi conſtet parentem illa negotia per ſe facturum, aut inuenturum alium, qui gratis, aut minori pretio faciat. Ita *Bonac. d. 2. q. 10. pu. 1. n. 8. Trullench. l. 7. c. 5. dub. 7. n. 11. Leſſius l. 2. c. 12. dub. 13. n. 81. Villal. tr. 13. diffic. 6. n. 4. Card. de Lugo d. 16. ſect. 4. n. 76. & 77. Reiffenſtuel tr. 9. diſt. 3. q. 2. num. 26. & 27.* Sed nec eadem quantitas eſt ſufficiens ad mortale in furtis filiorum, ac extraneorum; ſed maior. Illa igitur erit notabilis quantitas ad hunc effectum, quæ prudentis arbitrio talis iudicetur, quæ inſpectis conditione ſtatus, ætate, diuitiis, & alijs circumſtantijs, talis iudicetur. Vnde duos, vel tres aureos à patre diuite accipere, non eſſe mortale, ſecus autem à paupere, vel mechanico, docent *Trullench. num. 1. Bonac. num. 5. Leſſius num. 76. Dicaſtillus l. 2. tr. 2. d. 9. nu. 183.* Addit *Card. de Lugo num. 76.* filium parentis habentis 1500. aureos annuos, poſſe abſque mortali accipere 20. vel 30. in anno: *Bannez* verò *2. 2. q. 66. ar. 6. §. ſecundum documentum,* dicit in filio ex parente prædiuite minus 50. aureis non eſſe mortale. Quod in filio Principis tolerari poſſe, non in omnibus aliis ait *Card. de Lugo.* At nequit certa regula pro omnibus præſcribi. Pendet enim ex pluribus circumſtantiis, ex ſtatu, facultatibus parentum, vſu ad quem accipitur, pluralitate filiorum, eorum ætate, ex genio patris, maiori affectu erga filium; quas rectè docent *Felix à Panormo to. 2. d. 4. num. 775.* & alii communiter, eſſe ponderandas à Confeſſario, vt nec facilè ſcrupulum peccati, & laqueum, aut offendiculum iniiciat filio; nec laxet multum habenas ad furandum notabiliter de bonis paternis: illaque notentur ex Prouerb 28. verba: *Qui ſubtrahit aliquid à Patre ſuo, & Matre, & dicit, hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt.* Hinc non damnatur hic opinio Doctorum, quam defendit *Diana ſupra reſ. 35.* quod furtula filiorum familias, immò & famulorum, rerum comeſtibilium, non continuantur, nec conſtituunt materiam grauem, quamuis haberent animum repetendi, & continuandi ipſa furtula, quando tales reculæ ſurripiuntur ſolùm ad comedendum: Ita *Corella hic nu. 150. Torrecilla num. 30,*

31 Ad Vxorem, quod attinet, ea quidem grauiter peccat, & quidem mortaliter, ſi ſummam notabilem ex bonis mariti, vel quorum adminiſtratio ad ipſum pertinet, vtpotè qui ex ipſis tenetur prouidere familiæ, ipſo rationabiliter inuito accipiat. Ita communiter Doctores cum *D. Thom. 2. 2. qu. 62. ar. 1.* In hiſce tamen caſibus multa ſunt obſeruanda. Primò in huiuſmodi furtis maior ad peccatum mortale requiritur quantitas,

quàm in aliis: hæc autem quantitas iudicio prudentis, ſpectato ſtatu, opibus, & cæteris, dijudicanda eſt, num ſit notabilis, & excedens notabiliter conſuetudinem aliarũ mulierũ ſuæ conditionis, nec ne. *Tābur. d. l.* 8. *tr.* 2. *c.* 3. § 4. *nu.* 2. *Felix à Panormo num.* 775. *Reiffenſtuel n.* 29. & alij. Secundò ſi vxor abſumat in bonum familiæ, in quod maritus ipſe erat abſumpturus, ipſa non obligatur ad quidquam reſtituendum. Ita *Gobat. tr.* 5. *Quinarij c.* 22. *num.* 28. & alij. Ratio eſt, quia in nullo damno reali, & æſtimabili, afficit hoc modo maritum; eſtò affecerit eum iniuria, vſurpando ſibi ipſius officium, atque adminiſtrationem bonorum communium. Tertiò ſi maritus ipſe aut omninò inuitus non ſit, aut rogatus facile concederet, aut ſi irrationabiliter ſolùm inuitus, non peccat vxor aliquid ex eiuſdem bonis ſurripiendo; quia ceſſat furtum, vt liquet ex eius definitione. Ita Doctores communiter. Quartò poteſt inſuper vxor libere donare ex bonis ſuis paraphernis, ſpectato iure communi Cæſareo, ac niſi aliter inter virum, & ipſam fuerit conuentum. *l. hac lege*, *Cod. de pactis conuentis.* Imò ipſe maritus peccat, atque ad reſtitutionem tenetur, ſi ſurripiat de iſtis bonis paraphernalibus vxoris. *Felix à Panormo num.* 778. & alij communiter. Quintò poteſt etiam vxor ex bonis communibus facere donationes, & eleemoſynas ſecundum conſuetudinem aliarum mulierum ſuæ conditionis. Quòd ſi vir vetet, videtur vetare exceſſum; alioquin foret irrationabiliter contrarius ſeù inuitus. *Tamburinus d. l.* 8. *tr.* 1. *c.* 2. *num.* 14. cum alijs concedit vxori, cuius vir eſt mediocris patrimonij, vt inſumere poſſit duo pro centũ pro eleemoſynis, & alia duo pro liberalibus largitionibus, imò plus, ſi vir ſit ditiſſimus, ſemper tamen ipſemet *Felix à Panormo num.* 776. & alij potiorem iudicant regulam prudentiæ. Sextò inſuper poteſt vxor in ſuas, liberorum, totiuſque familiæ neceſſitates, atque adeo in victum, veſtitum, medicinas, accipere, & conuertere tantum, quantum teneretur maritus; poſito, quod hic præ auaritia, vel ignorantia non ſubminiſtraret talia neceſſaria. Ita Doctores communiter, addentes, poſſe accipere etiam pro ſoluendis debitis mariti ipſo inuito, quia eſt irrationabiliter talis: nec non quando maritus eſt amens, fatuus, vel abſens; quia tunc ipſa eſt adminiſtratrix niſi aliter à magiſtratu, vel à marito fuerit prouiſum. Septimò poteſt vlterius vxor eas alienationes facere, quas neceſſarias rationabiliter iudicat ad auertendum à marito graue damnum, ſiue temporale, V. g. morbum, mortem, carcerem, ſi præ auaritia, vel ignorantia id negligat maritus, (ſicuti feciſſe Abigail ad perpetuam eius laudem legitur 1. *Reg. c.* 25.) ſiue ſpirituale, miſſas celebrare faciendo, pia loca ſubleuando, eleemoſynas largiendo, ne Deus ipſum ob flagitia puniat, ſed miſericorditer conuertat. Sic enim vtiliſſime gerit vxor negotium mariti, cuius damnum etiam redundaret in ipſammet vxorem, ac proinde is nequit rationabiliter eſſe inuitus. Sic Doctores communiter cum *Card. de Lugo d.* 16. *ſect.* 4. *n.* 69.

Ad-

Addit *Leſſius n.87. & Layman.l.3.tr.4. c.13.n.7.* Quando maritus eſt diſſipator bonorum communium patrimonii in potationes, largas donationes, vel mulieres, non prohiberi vxorem, ſi ita opus eſſe videtur, occulta compenſatione vti, (eo, quod vir tali modo faciat iniuriam vxori) aliquid de bonis mariti ſubtrahendo: dummodò caueat, ne ſoluto matrimonio, propter ignorantiam factæ occultæ compenſationis, reſtitutio dotis ipſi denuò fiat.

32 Si parentes, vel filii vxoris ex alio priori matrimonio indigeant, non ſolùm extreme, ſed etiam grauiter, poſſe vxorem illis moderatè ſubuenire, docent *Molina tom.2.d.274.num.8. Leſſius ſupra n.88. Petrus Nauarra l b.3. de reſt.t.cap.1.n.159. Corduba quæſt.125.* Quod extendunt *Nauarra, Leſſius*, & alii ad alendos fratres, & ſorores ita grauiter egentes. Addunt tamen *Nauarra, Leſſius, Molina*, & alii, quos ſequitur doctus *Felix à Panormo num.780.* quod tales expenſas debeat in ſua portione computare, ſoluto matrimonio. Ego tamen cum *Card.de Lugo nu. 72.* non video cur eas expenſas,ſi moderatæ ſint, debeat diſſoluto matrimonio, computare in ſuam partem: ſicut enim vxor poteſt iuxta ſuum ſtatum ex bonis communibus eleemoſynas facere competentes, quia hæ pertinent ad decentem, & competentem ſuſtentationem; ita à fortiori poterit eas in vnum congregare, vt conſanguineis indigentibus det, qui proculdubio cæteris pauperibus præferendi ſunt. Notat autem benè cum *Molina*, debere tunc vxorem ab aliis eleemoſynis faciendis abſtinere, cõputando nimirum hoc, quod parentibus, filijs, &c. dat loco earum eleemoſynarum, quas poſſet alioqui licitè facere. Benè tamen fatetur, quòd ſi vxor habet bona paraphernalia, vel alia, quorum adminiſtratio liberè ad ipſam pertineat, ex ipſis debere ſubuenire parentibus,vel filiis prioris matrimonii indigentibus, quia ij non cenſentur ita indigere, vt maritus ad eos ſubleuandos concurrere debeat quandiù vxor, ad quam pertinet eis ſubuenire, habet bona ſufficientia ad id præſtandum.

33 Sed quid dicendum, quando vxor expendit in neceſſariis ſibi, vel familiæ id, quod maritus dederat ad ſoluenda debita aliqua ipſius mariti?

Sanchez l.9.de matr.d.5.n.30. Card.de Lugo n.73. & alii contra *Ludou. Lopez t.p. inſtruct.c.16. §. Qualis autem*, reſpondent, ſi vxor id fecit pro graui familiæ neceſſitate,non ſolum non peccaſſe, ſed nec teneri poſtea creditoribus de ſuo ſoluere damnum; quod ea de cauſa patiuntur; nam vſa fuit iure ſuo accipiendo de bonis viri, in cuius dominio adhuc pecunia illa erat antequam creditoribus traderetur id, quod maritus debebat familiæ grauem neceſſitatem patienti.

Imò nec peccat vxor vtendo pecuniis viri ad ſuſtentãdum ſe,& familiam, licèt illæ ex vſuris acquiſitæ eſſent; dummodò parce id faciat, & non poſſit aliunde ex dote ſua, vel aliis bonis ſe ſuſtentare. Ita *Nauarr. c.17. n.298.* & alii, quos refert, & ſequitur *Sanchez l.10.de matr.d.17.n.9.*

O 2 quia

quia cum pecuniæ illæ tranſierint in dominium viri propter commixtionem cum ſuis, & maritus debebat etiam vxori, & familiæ moderatam tamen ſuſtentationem, iure ſuo vtitur vxor.

PROPOSITIO XXXIX.

Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

1 HAnc Propoſitionem attribuunt *Fagnanus in c. Ne innitaris nu. 36. de conſtit.* & alii, *Stephano Bannio in ſumma peccat. pag. 307. edit 6.* Eaque fuit numero XII. quam Vniuerſitas Louanienſis 4. Maii anni 1657. hac cenſura perſtrinxit: *Apertè falſa eſt, & receptiſſimis iuſtitiæ regulis contraria.*

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Vnde damnum dictum, quid ſit, an differat ab expenſis, & an obligatio, vel deobligatio vnius currat quoad alterum ex ipſis?*

3 *Quod eſt damnum, ſeù damnificatio lucroſa, & non lucroſa, & an vtraque ſubſit damnationi?*

4 *Quia damnum poteſt inferri cum culpa, & ſine culpa, quæ eſt culpa Theologica leuis, & grauis: quæ Iuridica, in quo à Theologica differat, & Iuridica quæ latiſſima, latior, lata, leuis, & leuiſſima?*

5 *Regulariter non datur onus reſtitutionis, quando omnis ex his culpis abeſt in damno illato: & è contra adeſt, quando cum culpa lata ſimul Iuridica, & Theologica damnum infertur.*

6 *Non adeſt onus reſtitutionis, ſi res pereat ex caſu fortuito, niſi id in pactum deducatur, vel mora reſtituendi interceſſit, vel ad vſum non conceſſum res adhibeatur.*

7 *Infantes, vel furioſi, quia carentes culpa non ſunt obnoxij reſtitutioni ratione damni illati.*

8 *An, & quando dans operam rei illicitæ, teneatur reſarcire damnum nec intentum, nec præuiſum?*

9 *An ne dum ignorantia antecedens, ſed etiam comitans excuſet à reſtitutione, & cenſura?*

10 *Caſus, in quibus quis ſine culpa propria ad reſtitutionem obligatur, ſed non ante ſententiam Iudicis.*

11 *Qui*

11 *Qui dolo, vel fraude damnum dedit, quid, & quantum teneatur reſtituere?*

12 *An teneatur in conſcientia ad reſtitutionem ex damno illato abſque culpa Theologica graui?*

13 *In foro vero externo ex qua culpa ciuili, ſeù iuridica teneatur?*

14 *Damnum, ſeù damnificatio ſiue lucroſa, ſiue non nouem modis contingere poteſt, ſex directè, & poſitiuè, tribus negatiuè, ſeù priuatiuè. Et qui ſunt iſti modi?*

§. *II.*

15 *An qui alium efficaciter mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio, tenetur ad reſtitutionem illius damni illati: & pars negatiua qua cenſura abigatur? Vbi reijcitur, quia contraria deciſioni Gregorij IX. quia contraria apertiſſimis iuſtitiæ regulis, axiomati iuris:* Qui per alium: *paritati de eo, qui de facto infert damnum: & quia in eſſe moris interdum eſt magis cauſa damni ſequuti tertio ipſe mouens, & inducens, quam actualiter damnificans.*

16 *Omnes nouem modi ſubſunt oneri reſtitutionis, & damnationi, & quomodo?*

17 *An dum cauſæ ſunt efficaces damni illati: ſecus ſi non ſunt tales. Vnde mouens paratiſſimum ad damnum inferendum, non tenetur ad reſtitutionem.*

18 *Quando conſulens minus malum parato inferre maius reſpectu eiuſdem perſonæ non tenetur reſtituere. Et quæ diſparitas ab exequente?*

19 *Quando reſpectu diuerſarum perſonarum conſulens minus malum teneatur reſtituere, quando non?*

20 *In quo caſu non ſolum licitum ſit conſulere minus malum alicui, ſed etiam cooperari cum illo?*

21 *Quantum teneatur reſtituere, qui induxit ad furandum centum, & furatus eſt inductus centum quinquaginta: quantum verò inducens ad centum, paratum tantùm ad quinquaginta?*

22 *Quid reſtituere teneatur inducens paratum ad damnum, vt illud celerius, libentius, atrocius, vel grauius exequatur?*

23 *Tenetur ad reſtitutionem inducens efficaciter, licet inductus ab alio fuiſſet ſimiliter inducendus.*

24 *Quomodo in omnibus modis, etiam indirectis, & priuatiuis militet ratio damnationis?*

25 *Qui mandans tenetur ad reſtitutionem, & cuius damni illati?*

26 *Ad quid tenetur ſi mandans ſit dubius, an fuerit cauſa efficax damni illati?*

27 *Quia ſemper tenetur mandans, quandiù mandatum non ſit reuocatum, quot modis reuocatur. Et quia etiam requiritur, quod reuocatio ſit intimata, ſeù cognita à mandatario, quid ſi à mandatario non ſit exiſtimata ſeria, quidue ſi illius oblitus exequatur mandatum.*

28 *Mandans damnum fieri Petro, ſi non poteſt tempeſtiuè monere mandatarium, quando teneatur monere Petrum. Et quid ſi reuocationem intimauit mandata-*

datarius, qui tamen vult exequi mandatum.

29 *An ratum habens damnum ſuo nomine factum teneatur ad reſtitutionem?*

30 *Quibus mandans tenetur reſtituere, ſeù an, & quando etiam ipſi mandatario?*

31 *Qui conſulens, hortans, rogans, inſtruens, blanditijs, illiciens, &c. tenetur ad reſtitutionem?*

32 *Si conſulens dubitet, an ſuum conſilium fuerit cauſa efficax, ad quid teneatur?*

33 *Quid ſi conſilium à principio non acceptatum, poſtea acceptetur?*

34 *In quibus caſibus reuocans conſilium datum non amplius teneatur ad reſtitutionem?*

35 *An ſi conſilium datum ſit ad indicandam conuenientiam, & vtilitatem, vt accidat, &c. ſufficiat reuocatio per contrariam doctrinam, & rationes, quamuis non perſuadeant, vt conſulens deobligetur à reſtitutione?*

36 *Conſulens homicidium, E g. ſi reuocando conſilium nihil perſuadent, tenetur ne monere eum, contra quem delictum conſuluit?*

37 *Quando licet conſulere minus malum, ſi illud, & aliud maius diuerſas perſonas reſpiciunt?*

38 *An conſulens tenetur ad reſtitutionem etiam ei, cui conſilium dedit. Si ex eo damnum patiatur?*

39 *Qui conſentiens teneatur reſtituere, quando influit efficaciter, an ſufficiat conſenſus tacitus.*

40 *An teneantur poſteriores, ſi à præcedentibus iam datus fuit conſenſus, ſuffragium, &c. irreuocabile?*

41 *In dubio, an damnum ſequutum ſit per ſuum ſuffragium, ad quid teneatur?*

42 *Qui adulator, laudator, irriſor, exprobrator teneatur ad reſtitutionem?*

43 *Qui receptator teneatur reſtituere? An qui fauorem, auxilium, &c. præſtant ne fur reſtituere cogatur.*

44 *An teneantur reſtituere caupones, & alij recipientes pecunias furatas à filijs familias, &c. ijſque corrogantes ſedilia, menſam, chartas, & lumen ad ludendum.*

45 *Qui participans teneatur reſtituere?*

46 *An Chriſtiani in nauibus Turcarum remigantes.*

47 *In quibus actionibus metus grauis damni, aliaque iuſta cauſa excuſet à reſtitutione?*

48 *Qui miniſtri vſurarum excuſentur?*

49 *An excuſetur vendens arma properanti ad iniuſtum bellum?*

50 *Qui mutus, non obſtans, non manifeſtans tenetur ad reſtitutionem?*

51 *An Confeſſarius ex ignorantia, vel malitia non monens pœnitentem de reſtitutione facienda, teneatur ipſe reſtituere?*

52 *An, & qui ſuo malo exemplo monet alium ad damnum, teneatur reſtituere?*

53 *Quo ordine ab iſtis facienda ſit reſtitutio?*

54 *An qui precibus, perſuaſionibus inducit Petrum, qui volebat gratiosè relinquere Ioanni legatum, &c. quod relinquat alteri, teneatur ad reſtitutionem damni Ioanni illatum?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò: Quòd damnum à diminutione rei dictum, iuxta *Sylu. V. Damnum nu.* 1 eſt Maleficium, quo bonum alterius diminuitur. Hinc damnum non venit appellatione expenſarum: ideoque condemnatus in expenſis, non dicitur condemnatus in damnis. *Gloſſa in l. 1. §. fin ff ſi quis ius dic. non obtemp.* & ibi *Alex. num. 7. col. 2. Grati mus for. c. 56. num. 43.* Et abſolutus ab expenſis, non dicitur abſolutus à damnis, *Surdus dec. 261. nu. 4.* vbi *nu. 5* reſoluit, quod expenſas non cenſetur remittere, qui damna remittit: ſequitur *Barb. ad tit. de iniurÿs, & damno dato.* Et qui iurat ſe non petere damnum acceptum ab alio, poterit petere expenſas; quia damnum, & expenſæ ſunt duæ res diſtinctæ; & iuramentum non extenditur pluſquam ad rem iuratam, *c. in noſtra, de iniur. Abbas ibi nu. vlt. Naldus V. damnum nu. 1. Venerus in exam. Epiſc. l. 11 tit. 17. num. 13.* Fructus tamen veniunt ſub nomine damni, & intereſſe. *Riminald. iun. conſ. 166. n. 33. Cyriacus contr. c. 586. n* 100. Damnum enim dicitur non ſolum quando quis amittit, quod ſuum eſt, ſed quando amittit commodum, quod habere poterat, *Decian. conſ. 47. num. 34. vol. 5. Cyriacus n. 101.*

3 Notandum eſt ſecundò: Quòd damnum ſeu damnificatio alia eſt lucroſa, ſiue damnum datum ex quo commodum, ſeu lucrum peruenit ad damnificantem, vt ſunt Furtum, Rapina, aliæque iniquæ vſurpationes, eo quod fur, vel iniquus inuaſor rem alienam ſibi vèdicet, atque inde lucrum capturus in vſum ſuum accipiat; alia eſt damnificatio non lucroſa, ſiue damnum datum abſque eo, quòd aliquid cômodi, ſeu lucri, exinde perueniat ad damnificantem; atque definiri ſolet, quòd ſit Iactura data in bonis externis proximi, abſque eorum vſurpatione; vt putà ſi quis ædes, vel ſegetes proximi incendat, eius animalia interficiat, &c. Vtrumque hoc damnum ſubſtat damnationi huius propoſitionis.

4 Notandum eſt tertiò: Damnum poſſe inferri cum culpa, & ſine culpa. Celebris autem eſt apud Doctores circa hanc materiam diuiſio in culpam *Theologicam*, & *Iuridicam*. Culpa *Theologica* eſt, quam conſiderat Theologus; & coincidit cum peccato mortali, vel veniali. Culpa *Iuridica* non reſpicit quòd ſit peccatum, vel non, quod exerceretur, ſed quòd omittatur aliqua diligentia debita, ex qua omiſſione alterius damnum ſequitur. Et hęc culpa Iuridica alia eſt *Latiſſima*, vt dolus manifeſtus; alia *Latior*, vt dolus

lus præſumptus: alia *Lata*, & eſt omiſſio illius diligentiæ, quam homines illius ſtatus communiter adhibere ſolent: alia eſt culpa *Leuis*, & eſt omiſſio illius ſollicitudinis, quam diligentiores, & prudentiores adhibent: alia *Leuiſſima*, nimirum omiſſio diligentiæ, quam prudentiſſimi, & vigilantiſſimi ſolent adhibere. Hæc igitur culpa *Iuridica*, etſi frequenter coincidat cum *Theologica*, poteſt ab illa ſecerni: vt ſi quis non adhiberet omnem diligentiam, quam ſolent homines communiter in tali negotio adhibere, erit culpa lata *Iuridica*; cùm tamen ſi ex obliuione, aut inconſideratione inculpabili id efficiat, nulla erit culpa *Theologica*. In culpa *leui*, ac *leuiſſima iuridica* amplius cernitur; quia cùm quis adhibet omnem diligentiam, quam ſolent communiter homines ponere in aliquo negotio; nullam committit culpã Theologicam etiam leuem, aut leuiſſimam; quia non tenetur coram Deo ad amplius faciendum. At committit culpam leuem, aut leuiſſimam iuridicam ſi non adhibet curam, quam diligentiores, vel diligentiſſimi ſolent in tali negotio adhibere.

5 Notandum eſt quartò. Regulariter non dari obligationem reſtitutionis, quando nulla ex his culpis committitur in inferendo alterius nocumento, vt tradit *D. Thomas 2.2.q.64.ar.8. Roſignolus de Reſtitut. 1. diſquiſ. 1. §.5.nu.2. Reiffenſtuel Theol. mor. diſt. 5.q.5.num.77.* & habetur *c. fin. de iniur. & damno dato.* Et ratio eſt, quia non oritur ex re accepta, vt ſupponitur; nec ex iniuſta actione, cum nulla detur, vbi nulla culpa committitur. Ideoque ſi puteum apertum relinquas, in quo non ſolent homines periclitari, ſi aliquis in eo caſu præcipitetur, ad nullam teneris reſtitutionem, quia nullius es culpæ reus. Laqueum paraſti ad feram capiendam in loco remotiſſimo, in quo nec homines, nec animalia manſueta ſolent periclitari; ſi homo, vel equus alterius in eo ſuſpendatur, ad nullam reſtitutionem teneris. Proiecisti ſagittam in loco, per quem non ſolent homines pertranſire, aut animalia domeſtica; ſi caſu hominem, vel alterius ouem læſiſti, non teneris aliquid reſtituere. E contra verò certum eſt te teneri ad reſtitutionem totius damni ſequuti, ſi cum culpa lata ſimul Iuridica, & Theologica damnum alteri irrogaſti: vt ſi ignem accendes prope ſegetes alterius non adhibendo ſufficientem diligentiam, ne damnum alterius ſequatur; ſi ſegetes comburantur ex culpa lata; & plena aduertentia, teneris ad totum damnum reſarciendum: *cit. c. fin. de iniurijs, & damno dato*, ibi: *Nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debeas, ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere.*

6 Hinc. Primò, non tenetur ad aliquam reſtitutionem ille, apud quẽ res aliena perijt ex caſu fortuito: quia caſus fortuiti ſunt extra humanam prudentiam, vt ſi domum locatam habeas, & igne, aut tempeſtate deſtruatur: ſi equum conductum ad iteragendum, vel mutuatum recipias, & caſu fortuito vel ſuffocetur, aut moriatur, *l. ſi in rebus, ff. commodati. Inſtit. toto titulo, Quibus modis re contrahitur obligatio:* niſi in caſu, quo in pactum deducas

cas re velle obligari ad caſus fortuitos,quando iuſtè id efficere potes. Poſſunt enim contrahentes ad aſſecurationem rei acceptæ obligari, quando id onus non eſt contra æquitatem contractus : quia nimirum pretium æquiualens pro eo recipiunt : vel niſi commodatarius ad alium vſum vſus fuit re commodata,& ob hanc cauſam perijt, vel fuit in mora reſtituendi tempore debito,quia tunc ad reſtitutionem illius tenetur , niſi fortè res eodem modo peritura eſſet apud Dominum;vel niſi debitor bona fide exiſtimaret domino non diſplicere illum alium vſum,vel moram,*Leſſius l.2.c.7.dub.8.n.36.Card.de Lugo d.8.ſect.9.n.123.*

7 Secundò non tenetur ad reſtitutionem infans , vel furioſus, qui eſt incapax culpæ,ſi damnum intulit,*c.Illud relatum 15.q.1.& l.ſed etſi,ff. ad l. Aquiliam*, *Venerus ſupra n.20. Reiffenſtuel num.78.* nam quia tales doli capaces non ſunt,damnum ab eiſdem illatum reputatur inter caſus fortuitos, niſi culpa alicuius alterius præceſſerit.

8 Tertiò,ſi dans operam rei illicitæ fuit cauſa damni nec intenti, nec præuiſi,nec ex ſua iniuſta actione ſequuti , non tenetur in conſcientia ad ſatisfaciendum pro eo: quia damnum per accidens ſequutum non imputatur ad culpam: Ergo nec ad pœnam, vel quaſi pœnam reſtitutionis. Maximè,quia reſpectu illius damni non eſt voluntaria actio: & ſic nec culpabilis,aut iniuſta. Vt ſi latro domum intraret ad furandum , & caſu, ac omninò fortuito domum incenderet,& in ſimilibus , *Bonac.d.1.q.1.pu.3.§.vn.nu.9.Rebellus 2.p.l.2.nu.19.Leſſius l.2.c.9.dub.15.num.103. Dian.1 p.5. tra.4. reſ.46.Dicaſtillus tr.2.d.3.num.70.* Poterit tamen damnificatus in iudicio agere contra eum,qui damnum intulit , & quod ſibi fuerit per ſententiam adiudicatum,tuta conſcientia retinere,ex *l.in lege,ff.ad legem Aquiliam.*

9 Quartò,non ſolùm ignorantia antecedens,quæ dat cauſam actui,ſed etiam concomitans,quæ non eſt cauſa læſionis (quia ſine illa opus exerceretur) ſed ad illam dumtaxat comitatur,excuſare à reſtitutione: v.g. proijciens ſagittam,adhibens omnem diligētiam,vt alteri damnum non inferas, es tamen ita affectus,vt ſi ſcires hominem cum ea lædi,eodem modo proijceres,ſi caſu tunc homo tranſijt,quem læſiſti,ad nihil reſtituendum teneris. Ratio eſt,quia non inducit obligationem reſtitutionis actio , quæ non eſt cauſa iniuſta mali alieni, vt ſi gauderem de malo alieno non influens in illud: Sed in caſu dicto actio illa non eſt cauſa homicidij , vt talis, quia hoc petit cauſam voluntariam : & licèt in illo caſu homicidium non ſit contra voluntatem,non tamen eſt à voluntate cum cognitione : & ſic non eſt voluntarium: Ergo &c. Ita *Bonac.de reſtit.d.1.q.1.pu.3.§.vn num.7. Leſſius l.2.c.7.dub.9.nu.46. Reginaldus l.10.tr.1.num.70.Petrus à Nauarra l.2. de reſtit. c.1.nu.61.Card.de Lugo d.8.ſect.6.num.72.Dicaſtill.tr.2. d.3.num.68. Roſignolus cit.diſquiſ.1.§.6.to.3.*Contra *Mercatum tr.de reſtit.c.5.*Et ſi occiſus ſit Clericus non incurritur excommunicatio,*Roſignol l.c.§.6.nu.4.*

10 Dixi non dari *regulariter* obligationem alicuius reſtitutionis , vbi

non interueniat aliqua culpa lata, leuis, aut leuiſſima, quia dantur tres caſus in iure, in quibus abſque tua culpa ad aliquam reſtitutionem obligaris. Primus eſt, cùm animal tuum, vel alterius animal occidit, vel ſegetes conculcauit, aut deuorauit, vel hominem læſit, aut damnum quodcumque illi irrogauit; tunc enim teneris vel animal tradere, vel damnum factum reſtituere: *toto tit. in ff. & Inſtit. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur* (& hoc ſi abſque tua culpa factum eſt: ſi enim ex tua culpa contingit, ad totum damnum reſarciendum abſolutè teneris) niſi animal tuum inuaſum ſit ab alio, quia ſi illud occidat, ad nihil teneris: vel ſi latrò domum, vel hortum tuum ad furandum intret; & à canibus tuis lædatur, vel ſi aliquis incautus ad feram tuam, quam ligatam tenes, accedat; & ab illa damnificetur. Secundus caſus eſt, ſi abſque tua culpa mancipium tuum alterum lædat culpabiliter, vel in bonis, vel in perſona; teneris, vel mancipium tradere, vel damna reſtituere. *§. Domino, Inſtit. de noxalibus actionibus, l. quoties, l. de illo, ff. eodem tit.* Dixi culpabiliter, quia ſi ſeruus tuus inculpabiliter damnum faciat, ſicut ille ad nihil tenetur, ſic nec tu. Si autem ex tuo mandato, vel conſilio illud efficiat, ad totum damnum reſtituendum abſolutè teneris. Quod ſi animal, vel ſeruus poſt damnum datum in alterius bonis, cœperit deſinere eſſe ſub tua poteſtate, adhuc actio competeret læſo repetendi idem animal, ſeu mancipium ab eo, in cuius poteſtatem venerit. Ita *Roſignolus l. c. §. 10. nu. 4.* id colligens ex toto *tit. Inſtit. & ff. de noxal. action.* quia ſemper res tranſit cũ vitio: Ex quo etiam colligit, vt ſi ſeruus, qui damnum alteri intulit, manumittatur, poſſit læſus ipſum conuenire vt liberum. Tertius caſus eſt, quando ex domo tua aliquid effunditur, vel proijcitur in viam publicam, vel priuatam, & nocuit tranſeuntibus, vel ibi commorantibus. Quod ſi ex tua culpa factum eſt, ad totum damnum teneris: ſi abſque illa nec fuit proclamatum, vt tranſeuntes vitare poſſent illud damnum, teneris tu, ſi es caput illius domus, vel familię, ad ſoluendum duplum, ſi damnum non fuit in corpore hominis liberi, *l. 1. l. pen. ff. de his, qui deiecerunt, vel effuderunt*. Si capiti viuo nocuit, teneris ad expenſas curationis, & omne aliud damnum ea cauſa contractum; & eodem modo teneris ad reſtitutionem; ſi aliquid ex tua domo appenſum eſt in via, quod nocere poteſt, & de facto nocuit: ſi de facto verò non decidit, aut nocuit, is qui appoſuit illud, debet ſoluere decem aureos propter periculum, & caput familiæ alios decem, ſi vidit, aut ſciuit, quod appenſum eſt, *l. ſi verò, ff. eod. tit.* Hæc autem omnia non obligant in conſcientia, niſi poſt iudicis ſententiam: quia ita ſunt vſu receptæ tales leges, tametſi non ſint pœnales, vt contra nonnullos oppoſitum aſſerentes docent optimè *Dicaſtillus l. 2. tr. 2. d. 3. dub. 1. num. 7. Villalobos tom. 2. tr. 11. diffic. 4. num. 13. Card. de Lugo d. 8. ſect. 3. Diana p. 5. tr. 4. reſ. 52. Roſignolus ſupra §. 5. nu. 5. & §. 10. n. 3.*

11 Notandum eſt quintò. Quòd qui dolo, vel fraude damnum dedit, peccat mortaliter, atque ſub graui culpa ad reſtitutionem tenetur, ſi quantitas

titas

Digitized by Google

titas rei damnificatæ ad quantitatem notabilem aſcendat. Imò talis iniuſtè damnum inferens rem alienam deſtruendo, vel deteriorando, tenetur reſtituere non ſolum damni dati valorem; ſed etiam lucrum ceſſans, ac quodlibet aliud damnum ex illa iniuſta læſione cauſatum. Quia alio modo non induceretur æqualitas quæ per iniuſtam actionem à damnificante inducta eſt. Ita cum communi ſententia *Card.de Lugo d.18.nu.75. Tamburinus l.8. tr.3.c.4.§.1.nu.2. Reiffenſtuel ſupra nu.*81. Debet tamen reſtituere valorem rei, quanti ſcilicet valebat in re, non verò tenetur reſtituere valorem, quem res haberet pro tempore futuro, ſi non deſtrueretur: v.g. occidit quis pullum equi, qui tempore, quo occiditur valet decem aureis, ſi tamen expectetur tempus futurum valeret quinquaginta, non tenetur occiſor reſtituere, niſi tãtum decem aureos, quia iuſtitia ſolùm exigit, vt reſtituatur quantum ablatum eſt: Sed pullus equi quando occiſus eſt, tantùm valebat decem: Ergo hos dumtaxat reſtituere debet occiſor. Ita *cum Sayro, Salonio, & alijs Trullench l.7.c.11.dub.7.nu.*4. Et idem dicendum eſt de deſtraente ſegetes antequam maturæ eſſent, vt cum communi ſententia tenet *Tamburinus l.8. Decal.tr.3.c.4.§.1.n.9.*& cum *Leſſio* probabile putat *Trullench ſupra num.3.* Tenebitur tamen inſuper deſtructor reſtituere lucrum ceſſans, vel damnum emergens, ſi quod euaſit ex tali occiſione, vel deſtructione, vt ſi triticum ob id plus valeret, & cogeretur Dominus ſegetis deſtructæ illud carius emere, quàm ſi ſegetes non eſſent deſtructæ. Ita cum communi ſententia *Tamburinus l.8. Decal.tr.3.c.4.§.1.nu.9.* Nec inde fit occiſorem equi debere reſtituere quinquaginta, ſiquidem occidendo fuit cauſa cur Dominus non habuerit ſuo tempore equum valentem quinquaginta aureos. Reſpondetur namque occiſorem equi non fuiſſe cauſam talis lucri ceſſantis, ſed ipſe Dominus equi fuit illius cauſa, qui decem illis aureis poterat alium ſibi pullum emere, qui tempore futuro valeret eoſdem quinquaginta, quod ſi non emit, ſibi imputet. Ita *Card.de Lugo ſupra nu.*81. qui ſupponit, habuiſſe Dominum adhuc pecuniam neceſſariam ad illum emendum: prout cõmuniter contingit: ſi enim non habuit, & ideo non emerit, iam occiſori pulli imputabitur lucrum ceſſans, & illud compenſare debebit.

12 Notandum eſt ſextò: Quòd nemo tenetur ad reſtitutionem in conſcientia ex damno alteri dato, niſi ex culpa Theologica ſaltem veniali. Ita cum *Molina, Vaſquez, Leſſio, & alijs communiter Card. de Lugo d.8.num.49.* contra *Angelum, Adrianum, & alios.* Ratio eſt, quia obligatio reſtitutionis ex hac radice, oritur ex delicto, quod committitur in iniuſta rei alienæ vſurpatione, vel ex iniuſta damnificatione: Ergò vbi tale delictum non eſt, non erit obligatio reſtitutionis. Imò ſolum culpa lata (extra contractum, & officium) coniuncta cum culpa Theologica graui, ſeu cum peccato mortali, inducit obligationem reſtitutionis in materia graui: & ideò quod ſi quis adhibuit eam diligentiàm, quam communiter illius ſtatus homines circa illam materiam adhibere ſolent: in hoc à culpa lata iuridica liberatur, etiã

ſi non adhibeat curam,quam diligentiores,aut diligentiſſimi in tali negotio ſolent ponere,in quo eſt culpa leuis, aut leuiſſima iuridica, & inſuper niſi habeat plenam notitiam,vel aduertentiam, ſicut requiritur ad peccatum mortale, nam habet obligationem in conſcientia ad reſtituenda damna ex ſua actione ſequuta: v.g. incendis ignem ad coquendos cibos, adhibes diligentiam,quam ſolent homines communiter adhibere,ne domus,aut ſegetes accendantur;incenduntur, quia ſufficientem ex naturali obliuione non poſuiſti,vel aduertenter non adhibuiſti, quam ſolent homines diligentiores,& diligentiſſimi adhibere, non teneris ad damna ſequuta. Aperuiſti foueam,vel ad ædificationem domus,vel ad feram capiendam; & vel oblitus es,quod poterant ibi homines periclitari, vel adhibuiſti ſufficientem diligentiam,ne periclitentur; periclitatur aliquis, & labitur in eam,non peccaſti mortaliter;non es obligatus ad reſtituendum. Ita contra *Layman*,& alios nonnullos oppoſitum docentes tenent *Azorius 3.par.l.9.c.8. verſus finem, Sanchez l.2.ſummæ c.23.num.160. Leſſius l.2.c.7. dub.6.nu.27. Sotus l.4. q.7.art.2 in fine, Nauarra l.2.de reſtit.c.1.nu.48. Villalob.ſupra diff.4. num.11. Card.de Lugo d.8.ſect.5.num.56. Trullench l.7.c.6.dub.4.nu.6. Anton. à Spir. Sancto p.3.tr.10.d.7.ſect.2.nu.246. Reiffenſtuel ſupra nu.87.* Ratio eſt; quia talis obligatio non oritur ex re accepta,vt ſupponitur,nec ex iniuſta læſione: Ergo non datur. Probatur minor;tum quia illa eſt actio iniuſta,in qua homo non facit totum, ad quod tenetur.Si enim totum, ad quod tenetur faciat,iniuſta dici non poteſt. Sed nemo tenetur ad ponendam eam curã, quam diligentiores,aut diligentiſſimi adhibent;ſed quam homines ſuæ cõditionis in tali materia communiter adhibere ſolent.Ergo &c.Tum etiam quia leuis culpa non eſt ſimpliciter iniuria: Ergo non eſt actio ſimpliciter iniuſta,quæ ex leui culpa procedit. Confirmatur,quia licet obligatio ad ſatisfactionem non ſit propriè pœna,tamen communiter,vt pœna accipitur: Ergo ſicut non datur obligatio ad pœnam,vbi non eſt culpa; nec ad pœnã grauem,vbi non eſt grauis culpa, ſic nec obligatio ad ſatisfactionem in materia graui(de qua loquimur),vbi non eſt culpa grauis. Quod verum eſt etiam ſi quis det operam rei illicitæ, quia licet opus ſit illicitum,non eſt tamen iniuſtum. Vnde damnum ſequutum,eſt inuoluntarium. Ita cum *Nauar. Trullench ſupra n.7. Antonius à Spir. Sancto ſupra.*

Dices ex dictis probationibus ad ſummum ſequi, non eſſe obligationem ad reſtituendum in dictis caſibus ſub peccato mortali, non autem, quod non ſit ſaltem ſub peccato veniali: eo quod ſicut ex graui culpa ſequitur obligatio grauis,ſic ex leui leuis.

Reſpondeo,quòd licet ex culpa leui in materia leui oriatur leuis obligatio reſtitutionis, quia ibi datur actio iniuſta cum plena aduertentia, & ſic ſimpliciter voluntaria: At cùm obligatio de qua eſt ſermo,ſit circa materiam grauem,non poteſt ex actione ſolum leuiter culpabili oriri, quia ſi qua deberet eſſe,deberet eſſe grauis: ſiquidem rei grauis obligatio nó poteſt

teſt eſſe (ex natura rei,ſeu ex præcepto naturali)leuis. Cùm ergo ad graue obligationem non detur voluntaria iniuria ſimpliciter, & ſic in materia graui,non poterit leuis obligatio oriri:& ſic nulla dabitur.

13 Dixi in *conſcientia:* nam ſecus eſt dicendum in foro externo, qui enim ex negligentia merè ciuili, ſeù iuridica, ſiue ex culpa leui, ſiue leuiſſima, damnum intulit, in foro externo per actionem ex lege Aquilia de damno dato, ad integram eius recompenſationem compelli poteſt: prout habetur *c. vlt. de iniurijs, & damno dato,* ibi: *Si culpa tua datum eſt damnum, vel iniuria irrogata, ſeù alijs irrogantibus opem fortè tuliſti, aut hæc imperitia tua, ſiue negligentia euenerunt, iure ſuper his ſatisfacere te oportet: nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo iniuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel iacturã.* Cócordat ius ciuile, *l. 2. & ſeqq. ff. ad l. Aquiliã,* & alibi Aſt hæ leges, ceu nimis rigidæ, & in foro animæ vix practicabiles, in hoc cum tanto rigore non videntur receptæ, ac proinde in foro conſcientiæ, ante condemnationem Iudicis ad nihilum obligatus eſſe cenſetur, qui abſque culpa Theologica, ſine peccato iniuſtitiæ, per culpam ciuiliter dumtaxat æſtimatam, fuit cauſa cuiuſpiam damni ſubſecuti, nullo præcedente contractu. Siquidem fini dictarum legum, nec non & boni communis emolumento abundè ſatisfit, ſufficienterque prouidetur, eo quod prædictæ perſonæ in foro externo, & poſt ſententiam Iudicis etiam in foro conſcientiæ ad damnum reſarciendum obligentur. Ita rectè *Reiffenſtuel nu. 91.*

14 Notandum eſt vltimò, quòd dupliciter poteſt contingere iniuſtum damnum, ſeù damnificatio proximi ſiue lucroſa, ſiue non; primò immediatè, ſeù per ſe ipſum id exequendo; vt ſi quis per ſe ipſum furetur, aut rapiat violenter rem proximi, vel ipſius bona damnificet: ſecundò mediatè cooperando ad talem damnificationem; & horum cooperatorum ſunt nouem genera, quæ *D. Thom. 2. 2. q. 62. ar. 7.* his verſibus comprehendit:

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus:
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Quibus verſibus aliqui præponunt hunc:

Quilibet in ſolidum reddat, prius iniuriator.

Iſtorum nouem ſex priores directè, & poſitiuè concurrunt, & tres vltimi cooperatores indirectè, & priuatiuè. Dico priuatiuè potius, quàm negatiue; quia delinquunt omittendo id, quod ex officio, atque iuſtitia facere tenebantur. De *Iuſſione* imprimis loquendo, hoc nomine ille ſignificatur, qui ita iubet, vt alterius animũm ad furtum, vel damnificationem iniuſtam inferendam moueat: vt ſi pater filio, dominus ſeruo, aut aliis perſonis præſertim ſibi ſubditis, iubeat furtum, vel rapinam facere, vel aliud damnum proximo inferre. Sub *conſilio*, ſeù *conſulente,* comprehenduntur ij, qui ſuo prauo conſilio permouent alterum ad aliquod malum,

dam-

damnum, ſiue maleficium proximis iniuſtè inferendum. Huc pertinent adhortationes, preces, atque promiſſiones, vt alter excitetur efficaciter ad damnum iniuſtum inferendum. Nomine *conſenſus* in propoſito intelligitur, aut ſuffragium ad malum inferendum, veluti ſi aliquis e magiſtratu, concilio, vel capitulo præſtet ſuffragium, & conſenſum ad inferendum bellum iniuſtum, vel quodcumque damnum iniquum. Nomine *Palponis*, ſeù *Palpantis*, intelligitur adulator laudans damnificantem, aut ſcelus patraturum commendans, ſic quod ex hoc alter moueatur ad damnificandum. Huc pertinet exprobratio ignauiæ, quod quis V. g. iniuriam acceptam nolit vlciſci, ac huiuſmodi. Per *Recurſum* intelligitur hic, quicumque refugium, aut ſecuritatem, vel quodlibet receptaculum præbet malefactori, ex quo is mouetur ad inferendum damnum. Et hæc aſſecuratio poteſt fieri vel receptando perſonam, vel rem ablatam, aut eius inſtrumenta occultando, aliiſque ſimilibus modis, quibus alter animatur, atque efficaciter mouetur ad inferendum proximo malum, vel omittendam debitam reſtitutionem. Participans aliquis dupliciter poteſt eſſe damni illati. Primò, quia participat de re iniuſtè ablata, vt putà, quia eſt particeps prædæ. Secundò, ſi quis participet in ipſa actione mala & iniurioſa, vt ſi quis adiuuet furem ad furtum perpetrandum, v. g. ſcalas apponendo, vel ipſas fure aſcendente ſuſtinendo, excubias agendo, prædam aſportando, aut ſimiles actiones exercendo, quæ in talibus circumſtantiis proximè iuuāt ad peccatū. Quod attinet ad reliqua tria, nempè ly *Mutus*, *non obſtans*, *non manifeſtans*, quibus indicantur priuatiuè concurrētes ad furtum, aut aliam iniuſtam damnificationem: in primis per *Mutum* intelligitur ille, qui id, ad quod ex officio tenebatur omittit: præcipere, ſi erat Superior: conſulere, ſi conſultor: clamare, aut ſtrepitum facere; ſi erat cuſtos rei, ad damnum. *Non obſtans* dicitur, qui omittit opem, vel operam, qua poterat damnum impedire, & quam officio tenebatur nauare: vt Princeps, Magiſtratus, Præpoſiti viarum, & ſimiles. *Non manifeſtans* denotat eum, qui cum ex officio teneatur, omittit manifeſtare malefactorem; idque ſiue ante factum quando damnum erat impediendum; ſiue poſt factum; quando id eſt reſarciendum: vt Cuſtos rei alienæ cuſtodiendæ deputatus. His prænotatis ſit.

§. SE-

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum: & eliciuntur corollaria iuxta omnes modos comprehenſos ſub damnatione.

15 DIco primò: Qui alium efficaciter mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio, tenetur ad reſtitutionem illius damni illati. Et contrarium aſſerere eſt hoc Decreto, vt minimum tanquam ſcandaloſum abſciſſum.

Probatur primò; quia opinio cenſurata eſt contra deciſionem *Gregorij IX. in cap.ſi culp. 9. de iniurijs, & damno dato*: & receptiſſimam regulam iuſtitiæ: Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur, *l. qui occidit, §.in hac, ff. ad l. Aquiliam. l. Prætor la 2. §.ſi cum ſeruum, ff. de vi bonorum raptorum*. Et qui dat occaſionem damni, illud reſarcire tenetur, *c.fin. de iniurijs, & damno dato, l.cum duabus, §.damna, & §.quidam Sangerism in fin. ff.pro ſocio, Rota p.1. nouiſſim.dec.611.num.1. Cephalus conſ.577. nu.21. Cyriacus contr.582.nu.56.* cum infinitis: aliaque iura adducit doctus, & eruditus conciuis meus *Lucas Matthæus Surrentinus in deciſ.132. Capyc. c. vn. num.5.* Nec non aduerſatur illi antiquæ regulæ communiter admiſſæ, quã ſupra etiam *Angelicus* Doctor refert illis verbis: *Iuſſio, conſilium, &c.* Meritò igitur Vniuerſitas Louanienſis apertiſſimis iuſtitiæ regulis contrariam illam propoſitionem hoc decreto abactam appellauit.

Probatur ſecundò, ex paritate rationis cum eo, qui de facto infert damnum: iſte enim abſolute tenetur reſarcire, ſeu ad reſtitutionem, & quidem ſub mortali, ſi damnum illatum eſt graue; facit namque contra iuſtitiam, quæ ſemper exigit, vt ad æqualitatem reſtituatur: ſed non minus contra iuſtitiam facit, qui mouet, & inducit efficaciter ad grauis damni illationem: Ergo tenetur etiam iſte ad reſtitutionem iſtius damni. Maior patet ex dictis in prænotandis, eſtque adeò nota, & ab omnibus admiſſa, vt omni careat dubitatione. Minor ſuadetur, nam qui efficaciter mouet, & inducit alium ad aliquid faciendum, eſt vera cauſa effectus ſequuti: Ergo cum ad damni reſtitutionem tenetur perſona inducta, quia cauſat illud damnum; conſequenter non minus tenebitur etiam perſona inducens, aut mouens efficaciter. Antecedens patet, quia mouens, & inducens efficaciter ſic cauſat illud damnum, quod non ſequeretur tertio, niſi adeſſet illa efficax motio, aut inductio; ſiquidem ille eſt cauſa damni non vtcumque, ſed efficax ſine quo damnum illud non fieret: quod genus cauſæ à Philoſophis dicitur Cauſa ſine qua non; & ſic declarant cauſam

effi-

efficem damni *Innoc. in c. ſicut dignum, de homicid. & Hoſtienſis ibidem, Altiſiodorenſis l. 4. ſummæ in tr. de ſacram. pœnit. cap. de reſtitut. q. 3. Scotus in 4. d. 15. q. 2. ar. 3. dub. 2. Sylu. V. Reſtitutio 3. q. 6. §. Tertium, Adrianus in 4. in materia de reſtitut. in princip. §. iam dicam, Richardus in 4. d. 15. ar. 5. q. 4.*

Probatur tertiò. Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, *c. qui per alium. 72. de reg. iur. in 6. l. quod iuſſu alterius, ff. eodem.* Exornant *Menochius remed. 1. recup. poſſeſſ. num. 407. Surd. conſ. 360. n. 19. Card. Tuſchus lit. X. concl. 7.* Et non ſolum in iure, ſed & in ſacris litteris phraſis hæc loquendi procedit: vnde *Tertull. to. 2. l. 2. de baptiſmo c. 11.* ſoluit illam oppoſitionem, qua dicitur Chriſtum Dominum neminem tinxiſſe, contra Ioannis teſtimonium *Ipſe vos baptizauit in Spiritu Sancto, ſic: quia, inquit, mandato ipſius vſi ſunt Apoſtoli baptiſmo: illud enim, ipſe vos baptizauit, more communi dictum eſt. Sicut eſt, v. g. Imperator propoſuit edictum, aut Præfectus fuſtibus cecidit. Numquid iſte proponit? Numquid ipſe cædit? Semper is dicitur facere, cui præminiſtratur. Ita erit accipiendum, ipſe vos tinguet, pro eo, quod eſt per ipſum tinguemini, vel in ipſum.* Quia ſemper præcipienti imputatur, quod aliis ipſe imponit, vt faciant. Quod adeò verum eſt, vt *D. Thomas*, & Theologi ipſum ſequentes, negantes, potuiſſe Angelos peccare in momento, quo conditi fuere, præter illam rationem, quam affert ipſe S. Doctor in *3. p. q. 34. art. 3. ad 1.* hac vt potiſſima moueatur, vbi ex profeſſo exagitat quæſtionem, nimirum *1. p. q. 63. art. 5.* quia tale peccatum Deo ipſi conditori naturæ Angelicæ imputaretur, & non tam ipſemet naturæ deficienti.

Probatur quartò. In eſſe moris interdum eſt magis cauſa damni ſequuti tertio ipſe mouens, & inducens efficaciter alium ad damnum illud inferendum, quam ſit talis damni cauſa ipſe actualiter, ſeu effectualiter damnificans: ſed hoc non obſtante nemo liberaliter iſtum actualiter damnificantem a reſtitutionis debito: Ergo potiori iure erit obligatus ſaltem inſolidum ad eamdem reſtitutionem ille qui ad tale damnum efficaciter induxit. Minor eſt certa. Maior probatur, quia interdum ex ſola iubentis inductione inductus extrinſecè cum damno tertij facit, quod animo non facit; ad quod damnum tùm internè, tùm externè ipſe inducens efficaciter concurrit: Ergo ſi omninò in tali caſu tenetur reſtituere inductus, plus tenebitur efficaciter inducens: manifeſtè enim patet, quod ſine inducente non fuiſſet ſequutum damnum: quare efficaciter mouens, & inducens ad illud, habet rationem veræ cauſæ perfectæ talis damni. Ita *Surdus conſ. 312. nu. 27. Tiraquel. in tr. ceſſante cauſa, limitat. 20. n. 28.*

Confirmatur: Quia ille eſt propriè cauſa damni, cuius nomine damnum euenit: ſed damnum ſequutum tertio per iniuſtam actionem alicuius ab alio efficaciter inducti, ſi quæratur, nomine cuius ſit illatum, reſpònderi poterit, quòd ſit illatum à tali inducente, & non rarò cum maiori iniuria damnificati, quam fecerit ipſe inductus: Ergo inducens efficaciter eſt propria cauſa damni, aut maior, aut ſaltem æqua-

æqualis ipſi inducto. Maior habetur ex *Hoſtienſi de ſentent. ſub num.* 4. ſic dicente: *Quæ autem dicatur propria cauſa, dicas, quòd illa, cuius emolumentum, vel damnum ſuo nomine pertinet, ff. quan. appell. ſit. l. 1.*

16 Dico ſecundò. Omnes illi tenetur ad reſtitutionem in ſolidum, qui ſua iuſſione, conſilio, conſenſu, vel alio ex prædictis nouem modis fuerunt cauſa efficax damni iniuſte illati: omneſque nouem modi ſpectare poſſunt ad hanc damnationem.

Prima pars huius aſſertionis eſt communis, & certa: ſumiturque tum ex illo *D. Apoſtoli Rom. 1. Non ſolum, qui talia agunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*: Tum ex *c. notum ſit*, 2. q. 1. vbi dicitur, quod *facientem, & conſentientem par pœna conſtringit*: Tum tandem ex eo, quia omnes illi ſupponuntur fuiſſe cauſa efficax damni illius. Merito igitur præponitur illis duobus verſibus:

Quilibet in ſolidum reddat, priùs iniuriator.

17 Semper tamen loquor cum communi de cauſa efficaci damni iniuſte illati, ſecus enim eſt ſi non ſit cauſa efficax: Vnde primò mouens alium ad damnum inferendum, non tenetur reſtituere, ſi ille, quem mouet, paratiſſimus erat ad inferendum idem damnum; quia tantum inefficaciter mouet ad effectum, & de facto non influit in iſtum: cùm influxus efficax moueat, & applicet ipſum executorem ad opus: atque ideo ſi iam executor eſt determinatus, & applicitus, nullum recipit influxum à conſulente, vel aliter mouente, ita vt iſte influxum exhibeat ad tale damnum. Ità communiter Doctores cum *D. Thoma* 2. 2. *q. 62. ar. 7. in corpore*, & habetur *c. nuper. de ſent. excom.*

18 Secundò, qui conſulit minus malum, ad quod de facto mouet, & inducit paratum maius malum exequi, non tenetur ad reſtitutionem, quia hoc non tam eſt malum coſulere, quàm electionem minoris mali, in quo nulli fit iniuria, neque ad tale malum concurrit efficaciter, cùm potiùs à malo maiori retrahat, in commodum, & vtilitatem illius, qui erat multò plus damnificandus ab eo, qui fuit inductus ad ſolùm minus damnificandum. Imò hic potius operatur quod licitum, & honeſtum eſt: Ita *Innocentius, Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Abbas, Ancharanus, Cardinalis Adrianus, Angelus, Syluester, Caietanus, Armilla, Ioannes de Medina, Sotus, Nauarrus, Veracrux, Corduba, Barth. de Medina, Nieua, Nauarra, Enriquez, Molina, Aragonius, Lopez, Rodriquez*, & alii, quos refert, & ſequitur *Sanchez l. 7. de matrim. d. 11. nu. 15. Leſſius l. 2. de iuſt. c. 13. dub. 3. nu. 19. Card. de Lugo to. 1. de iuſt. d. 19. ſect. 7. nu. 44.* & alii communiter: contra nonnullos oppoſitum ſentientes. Roborat hoc *Sanchez* ex teſtimonio Sancti Auguſtini, quod refertur in *c. ſi quod verius* 33. *q. 2.* vbi de volente occidere vxorem, vt frueretur alia muliere, ait: *Si facturus eſt, quod non licet, iam faciat adulterium, & non faciat homicidium: vt viuente vxore ſua alteram ducat, & non humanum ſanguinem fundat.* Probat etiam ex *S. Epiphanio lib.*

Digitized by Google

contra hæreſes hæreſi 61.& ex *S.Greg.l.32.moral.c.18.*& ex *S.Chryſoſt.hom.27. ad populum Antioch.*& ex *S.Ambroſio l.1.de Abraham c.6.*& ex *S.Thomæ q.1. de malo a.5. ad 14.*& iterum ex *S.Auguſtino lib.de mendac c.7.* Nec eodem modo ſe habet conſulens, & exequens : diuerſo enim modo conſulitur;& mandatur executioni. Conſulitur enim ſub conditione, quod delinquens nolit deſiſtere à maiori damno : executio autem damni abſoluta eſt, neque capax eius conditionis. Et quidem in poteſtate exequentis eſt vtrumque malum omittere; in poteſtate autem conſulentis non eſt (vt ſuppono) retrahere ab vtroque malo ; & ſic hæc inductio ad minus malum non continetur ſub hac damnatione, vt rectè notat *Ioannes Cardenas hic diſſer.23.c.4. ar 2. num.148.* Aliud eſt quando eſt in poteſtate ſuadentis impedire omnino damnificationem, & ſic vtrumque malum, tunc enim peccat mortaliter ſuadendo minus damnum, & tenetur reſtituere. Non quia teneatur ex iuſtitia impedire damnificationem, (homo enim priuatus non tenetur ex iuſtitia, ſed ſolum ex charitate eam impedire)ſed quia cum poſſit impedire,ſuadet illud damnum minus:tunc enim illa ſuaſio non eſt conditionalis, non enim dicit, *ſi infallibiliter ill turus ei damnum maius,* cum ſupponamus poſſe fieri, quod ea damnificatio ſuaſione impediatur: vnde hæc inductio continetur ſub damnatione. Ita *Ioannes Cardenas n.151.& 160.*

19 Præterea dictum intelligitur, quando maius, & minus reſpicit eamdem perſonam : vnde peccat contra iuſtitiam,& tenetur ad reſtitutionem, qui paratum inferre maius malum Titio, inducit conſilio, vt inferat minus malum Sempronio; quia quamuis licitum ſit conſulere minus malum, id intelligitur eſſe licitum, dummodo non ſit in præiudicium tertii. Atqui ſi volenti furari à Titio centum aureos, ſuadeas non furari ab eo eam quantitatem, ſed à Sempronio quinquaginta, iam determinas furem in præiudicium Sempronii, & es cauſa moralis damnificationis eius. Ergo peccas, & teneberis reſtituere, ſi fur non reſtituat. Ita *Sotus, Aragonius, Salonius, Nauarra, Carbo, Ludouicus Lopez, Graſſius, Rodriquez, & Vega*, quos refert, & ſequitur *Sanchez cit.d.11.num.24. Angelus, Syluester, Nauarrus, & Caietanus,* quos refert, & ſequitur *Molina tom.3.de iuſt. d.39. Leſſius ſup. num.20. Ioannes Cardenas nu.162.& ſeq.* qui *num.167.* ait hanc inductionem ſubiacere damnationi; exceptis ſequentibus caſibus. Primus eſt, quo ipſe tertius tenetur ſubiicere ſe illi damno minori, ne alter patiatur illud maius. V.g. ſi quis intendat occidere Regem, & Titius videat malefactorem non poſſe deterreri à tali facinore, poterit illi ſuadere, ne occidat Regem, ſed famulum eius: quia famulus tenetur exponere vitam pro bono publico. Secundus caſus eſt, quo paſſurus minus damnum non ſit rationabiliter inuitus. V.g. ſi fur velit ſurripere à Petro quantitatem magnam, per quam reducendus eſt Petrus ad extremam neceſſitatem, tunc poteſt illum inducere, vt ſurripiat aliquantulum à Paulo prædiui-

te ;

Digitized by Google

te; nam in eo caſu Paulus non eſt rationabiliter inuitus, eo quod tenetur proſpicere, ne Petrus incidat in extremam neceſſitatem. Hi caſus excipiuntur ad mentem *Sanchez ſupra.* Tertius caſus eſt, quo fur velit furari à Petro, & illi ſuadeas, ne noceat Petro, ſed alteri, nullam determinando perſonam, nempe vt illi damnum inferat, cui minus nocebit. V. g. ſi velit furari à Petro paupere, & ſuadeas, ne ab eo furetur, ſed ab aliquo diuite indeterminate. Ita contra *Caſtro-Palaum, & Hurtadum De Mendoza* docent communiter Doctores cum *Molina, & Sanchez locis relat.* quos ſequitur etiam *Diana p.5.tr.7.reſ.19. verſ.Nota tamen.* Imò *Turrianus in 2.2.tom.1.d.95.dub.6.* addit, quòd ſi quis inducat parati ſſimum furari pauperi, vt non iſti, ſed tali diuiti determinato furtum faciat: iſte inducens ad furandum potius diuiti particulari excuſetur à culpa, & à reſtitutione. At contrarium docent alij communiter. Quartum caſum addit *Card. de Lugo ſupra nu.46.* quo fur velit inferre damnum vtrique homini, vel alterutri ex duobus: nec ſupereſt ſpes auertendi illum ab vtroque, potes aperire illi veritatem ſpeculatiuam, dicendo: *Maius peccatum eſt furari ab hoc viro pauperrimo, quam ab illo viro prædiuite.* Cuius aſſerti rationem reddit. *Quia per hoc ſolum explicas illi veritatem quandam certiſſimam: Quòd ſcilicet maius peccatum, & malum ſit, hoc, quàm illud: nemo autem poteſt rationabiliter eſſe inuitus, aut conqueri, quod verit item vtilem, & honeſtam explices indigenti; nam nemo habet ius, vt non explices proximo veritatem honeſtam.*

20 Addunt aliqui non improbabiliter, quòd, quando qui propoſuit committere maius furtum, conſulitur, vt furetur minus, ab eadem tamen perſona, non ſolum, inquam, in tali caſu licitum ſit tale conſilium, ſed etiam licitum ſit cooperari cum illo, & adiuuare ad minus furtum, ne maiorem quantitatem furetur: quia in ea cooperatione dominus nullam patitur iniuriam, nec poteſt eſſe rationabiliter inuitus ex eo, quod alter cooperatur ad minus furtum, cum potius cenſeatur proſpicere rebus domini, & idem facere, quod dominus ipſe faceret, ſi præſens eſſet, qui libenter offerret, quod minoris valoris eſſet, vt retineat quod maioris momenti eſt. At hoc poteſt eſſe verum in bonis, quorum quis dominus eſt; quia in alijs, qualia ſunt bona vitæ, & corporis, quamuis liceat minus conſulere, ne committatur maius, vt abſciſſionem membri, ne committatur homicidium; non tamen licet cooperari ad abſciſſionem propter eumdem finem; quia in his bonis non poteſt præſumi volũtas domini, qui damnum paſſurus eſt, cum non ſit dominus vitæ, & corporis. Ita *Vaſquez opuſc. de ſcandalo ar.1.num.13. Baſilius Pontius de matrim.l.5.c.18. §.5. nu.28. Turrianus cit. d. 95.dub.2.*

21 Tertiò inducens efficaciter alium ad furandum, V.g. centum, ſed inductus ad tale furtum ſurripit centum quinquaginta, non tenetur reſtituere, niſi id, ad quod induxit; quia ad furtum quantitatis excedentis centum, non ſe extendit ille efficax influxus ad furandum tantum centum,

Q 2 Ergo

Ergo non fuit cauſa efficax furti dictæ quantitatis ſupra centum acceptæ. Hinc à ſimili infertur, quod ſi parato furari quinquaginta, ſuadeas furari centum, teneris reſtituere ſolùm quinquaginta, cum ad iſta ſola influxum efficacem præſtiteris, non verò ad ea quinquaginta, ad quæ paratus erat ex ſe ipſo fur. Ita *Bonac.d.1.qu.2.pu.7. num.13. Rebellus de oblig. iuſt. p.1.l.2.qu.14.num. 20. Leſſius lib.2.c.13. num.7. & 16. Villalob. tr.11. diffic.7.num.6. Card.de Lugo ſupra nu.9. Anton.à Spir.Sancto p.3.tr.10. d.29.ſect.1.num.1392;* & loquens de reſtitutione famæ idem docet *Clemens La Fierra tr.de fama colloq.29. modo 1.n.12.*

22 Quartò, ſi conſulas, mandes, aliouè modo ex prædictis moueas iam paratiſſimum ad damnum, vt illud celeriùs, libentiùs, atrociùs, vel grauiùs exequatur, non teneris ad ſatisfactionem totius damni, vt volunt *Bonacina, Baunez, Tapia,* & alii; ſed ſufficit, vt illud amplius, ad quod mouiſti ſatisfacias. Ita *D.Thomas in 4.d.15.qu.1.ar.5.ad 3.quæſtiunc. D.Antoninus 2.p.c.1.tit.12.§.12. Prado c.17. q.6.num.23. Diana p.3. tr.5. reſ.47. & 48. Andreas à Matre Dei de reſtit.c.1.pu.5.§.1.num.111.* & alii; quia in tali caſu non es cauſa efficax mali quoad ſubſtantiam, putà homicidij, aut furti, cum alius paratiſſimus eſſet ad talè malum, ſed circumſtantiæ, nimirum, quòd fiat hoc tempore, hoc loco, cum hac atrocitate, vel grauitate: Ergo ſolùm teneris ad exceſſum damni, ex his circumſtantiis cauſati, non ad damnum ipſum quoad ſubſtantiam reſarciendum. Et licet totius actionis cauſa fueris: quia tamen illa actio vt damnoſa iam parata erat in cauſa, quæ poneret illam, vel aliam eiuſdem ſpeciei, licet diuerſam numero, non inducit obligationem reſtitutionis. Quemadmodum apud Doctores communiter, quos ſequitur *Card.de Lugo ſupra num.9.* non teneris reſtituere, ſi parato furtum facere, vel homicidium conſuleres, vt illud faceret occultè, & cautè, vel in alio loco, vbi minus ſcandalum ſequeretur: vel quod differret in craſtinum, tametſi cauſa fueris, quod diuerſa actio in indiuiduo fieret, quia iam alius erat paratus eam ſecundum ſpeciem exequi. Sicut etiam ſupra dictum eſt, quod ſi parato furari decem ſuadeas vt viginti furetur, non teneris niſi decem reſtituere; vt docent communiter Doctores, quos ſequitur etiam *Reiffenſtuel cit.diſt.3.qu.4.num.62.* quàmuis tunc illius totius actionis, qua furtum decem ſimul fit, cauſa fueris: Aliud eſt, ſi ſpes ſubeſſet eo tempore animum mutandi, iam enim non ſolum circumſtantiæ, ſed ipſius ſubſtantiæ per accelerationem cauſa fuiſti, niſi ſub cōditione conſuleres, quod ſi alius animum mutare noluerit, citiùs faciat, vt etiā docent *Card.de Lugo n.15. Antonius a Spir.San. n.1392.*

23 Quintò tamen tenetur reſtituere damnum illatum, qui alium ad illud inferendū induxit efficaciter, ſed ab alio fuiſſet ſimiliter inducendus; quia licet alius induxiſſet, tamen tu præueniendo cauſa damni totalis verè fuiſti; vnde & reſtitutionis obligationem contraxiſti, quam contraxiſſet alius, ſi induxiſſet ad tale damnum efficaciter, prout alius erat verè inducturus.

Ita

Digitized by Google

Ita *Caiet.2.2. q.63.ar.7.Cou.ad reg.peccatum 2.p.§.12.n.2. Dicaſtill.l.2.tr.1. d.3.dub.3.n.9.* aliique.

24 Secundam partem aſſertionis docent *Corella hic num.151. Caſſianus à S.Elia V.Damnum c.3.* & alii communiter: vnde *Reiffenſtuel cit.q.4. nu. 61.* relatis omnibus nouem malis, ac verſu: *Quilibet in ſolidum reddat, prius iniuriator,* addit merito damnaſſe hanc propoſitionem decreto præſenti Innocentium XI. Vnde miror *Ioannem Cardenas cit.c.4.n.120.* dixiſſe, quod tres modi ſunt, qui ſpectare poſſunt ad hanc damnationem, ſcilicet iubens, conſilium præbens, & adulator.

Patet, quia in omnibus modis verificari poteſt motio, & inductio moralis alius ad inferendum graue damnum tertio; & licet videatur aliqua difficultas de vltimis tribus modis, quibus poſitiuè non cooperatur quis ad damnum tertii; tamen pro rei veritate eſt omnino dicendum, quod licet illa tria vltima genera perſonarum negatiuè, ſeu potius priuatiue, ac materialiter concurrant ad damnum, moraliter tamen poſſunt eſſe veræ cauſæ efficaciter mouentes, & inducentes alium ad inferendum damnum tertio. Exemplo res oſtenditur: Cuſtos ærarii ſi videt furem auferentem rem aliquam ex bonis ærarii ſuæ curæ demandatis, & nihilominus tacet, ac mutus manet, quod ſilentium videns fur, mouetur, ac inde inducitur ad plura bona furandum, in tali caſu ille *mutus, nec impediens, nec manifeſtans,* verè efficaciter influit in damnum, ad quod cenſetur monere, ac inducere efficaciter ipſum furem, ac proinde verificatur motio, & inductio, quæ ſubditur damnationi huius propoſitionis. Hoc manifeſtius fiet afferendo corollaria in omnibus nouem modis. Igitur, ſit.

Corollarium I. de Mandante.

25 OMnis, qui mandat maleficium fieri, ad quod alius non erat paratus, tenetur ad reſtitutionem, vt cum *D.Thoma 2.2. q.62.ar.7.* docent Doctores communiter. Siue explicite id iubeat, ſiue implicitè: vt ſi diceret. *Quis me vindicabit? Quantam iucunditatem mihi afferres, ſi talem hominem vulnerares:* quia talis mandans verè eſt cauſa damni illati. Ita *Syluius 2.2.q.62.ar.7.de iuſſione,* & alij, quos ſequitur *Barth.à S.Fauſto d.15.de reſtitut.qu.5.* Et idem quoad reſtitutionem famæ docet *Clemens La Ficarra de fama colloquio 29.modo 4.nu.16.*

Imò talis mandans eſt principalis cauſa damni illati, & ſic primo loco ad reſtitutionem tenetur. Ita cum communi *Card. de Lugo cit. d.19.ſect. 2.§.1.nu.23.* Etiam ſi mandans tempore, quo mandatarius mandatum exequitur, ſit in ſtatu gratiæ, *Barth.à S.Fauſto ſupra q.57.*

Niſi mandatarius excedat limites mandati in re extraordinaria; tunc enim mandans ad illius reſtitutionem non tenetur: nam talis exceſſus non extitit cauſa efficax, ſed imputabitur mandatario: vt ſi mandans iuſſit leuiter

Digitized by Google

ter verberare,& mandatarius occidat: Ita cum *Azorio*,& aliis communiter *Diana p.8.tr.7.reſ.33*. Et idem eſt ſi mandans mandauit inimicum occidi, ille etiam combuſſit domum, *Afflictus de iuſtitia d.10.ſect.1.nu.59.* Dixi *in re extraordinaria*, nam ſi exceſſus fuit in communiter contingentibus: vt ſi iuſſit furari centum;& mandatarius furatus eſt centum,& quinque: ſi iuſſit grauiter vulnerare, & ipſe occidit, ad totum damnum tenetur mandans; quia cùm hæc ſint tam proxima mandato, meritò mandanti imputantur. Ita cum communi ſententia *Tamburinus l.8.Decal.tr.4.c.2.§.1.nu.2.*

Similiter ſi mandans occidere Caium, mandatarius ex propoſito occidat Seium; non tenetur de damno illato; quia mandatum non influit in mortem Seij, & mandatarius fines mandati excedit. Ita *Afflictus cit.ſect.1.nu.62* contra *Azorium, Sayrum*, & alios, quos ſequitur *Diana p.11.tr.6.reſ.19.* At horum ſententia ſolum vera eſt quando id caſu accidit, puta cùm mandatarius volens tormento Caium occidere, cui Seius erat loco proximus, Seium interfecit, quia tunc mors Seii cenſetur ex mandato oriri, ſi periculum occidendi Seium potuit à mandante præuideri: nam aliàs non tenetur, vt rectè notat idem *Afflictus*.

Suarez alios referens, *de cenſ.d.44.ſect.3.nu.9* ait teneri mandantem, etiam ſi à principio mandatarius non acceptauit mandatum, ſi poſteà illius contemplatione delictum commiſit. Oppoſitum verò docet ex aliis *Azorius tom.3.l.4.c.16.quæſ.1.* Videatur *Afflictus cit.ſect.1.n.53.*

26 Si mandans ſit dubius, an mandatarius ſuo imperio motus ſit ad damnum inferendum, tenetur moralem diligentiam adhibere, vt ſciat veritatem: ſi verò facta diligenti inquiſitione, adhuc dubitet rationabiliter, tunc nihil tenetur reſtituere; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis: Mandans poſſidet indemnitatem ab onere reſtitutionis,& dubitat de damno, ad quod tenetur: Ergo practice poteſt deponere illud dubium ſpeculatiuum,& ſe non teneri tuta conſcientia iudicare. Ita cum communi *Barth. a S. Fauſto q.59. Trullench.l.7.c.13.dub.1.nu.3.*

27 Mandans tenetur ad reſtitutionem, etiam ſi mandatum poſt longũ tempus exequatur, nam ſemper in virtute cenſetur manere,& in effectum influere, donec reuocetur. Ita cum *Azorio*,& aliis *Afflictus cit.ſect.1.nu.51.* Reuocatur autem tum expreſsè, ſi ſcilicet mandans pœnitentia ductus debito tempore reuocauit mandatum,& id intimauit mandatario, vel per ſe, vel per nuntium, qui re ipſa intimauit reuocationem mandatario ante opus patratum: ſi enim poſtea ſequatur effectus, non tenetur mandans ad reſtitutionem; quia mandatum amplius non influit; Si ergo mandatarius opus exequitur id ex ſola ſua malitia facit,& ſic ipſe ſolus tenetur reſtituere. Ita cum communi *Card. de Lugo d.19.nu.23.* Et idem quoad reſtitutionem famæ docet *La Ficarra ſupra modo 6.nu.18.* Quod procedit etiam ſi mandatarius accipiens reuocationem mandati, finxit ſe non accepiſſe reuocationem,& mandatum executus fuit ad lucrandum præmium, quod illi promiſ-

Digitized by Google

miſſum erat: tunc enim damnum non mandanti, ſed mandatario imputabitur. Ita *Tamburinus ſupra nu. 5. Antonius à Spiritu Sancto ſupra num. 1397.* & alii communiter. Aliud eſt ſi mandatarius putet ex ignorantia inuincibili mandantem non ſeriò reuocaſſe mandatum, ſed vt ſatisfaciat aliquibus præſentibus, qui hoc à mandante petebant; quia tunc adhuc mandatum influit, & ſic mandanti adhuc imputatur damnum. Ita *Eſcobar l. 38. Decal. nu. 247. Tambur. ſupra nu. 6. Card. de Lugo num. 23.* contradicente *Diana p. 3. tr. 2. reſ. 14* alios referente. Sicut etiam mandans tenetur, ſi mandatarius accipiat reuocationem mandati, & poſtea illius inuincibiliter oblitus, mandatum exequatur; nam tunc licet per errorem, etiam ex vi prioris mandati, mandatarius operatus eſt. Ita *Card. de Lugo nu. 27. Tamburinus ſupra.* Tum tacite reuocatur mandatum: vt ſi mandans inimicum iubeat occidere, & mandatarius videat iam illos fuiſſe reconciliatos, & pacem iniiſſe: vel videat mandantem contraxiſſe cum illo, quem occidi mandauerat affinitatem ex aliquo matrimonio cum ſuo conſanguineo, vel conſanguinea, *Barth. à S. Fauſto ſupra q. 60. Trullench n. 2. Afflictus cit. ſect. 1. n. 49.*

28 Qui mandauit fieri damnum Petro, & non poteſt iam tempeſtiuè admonere mandatarium, vt deſiſtat, ſi poteſt monere Petrum, cui damnum inferendum eſt, abſque periculo longè maioris damni proprii, tenetur eum monere, vt exequutionem mandati impediat. Ita *Petrus Cornelius in 3. p. tr. 5. de Irregur. d. 1. dub. 2. q. 2. num. 2. Eſcobar l. 37. Decal. nu. 250.* & alii communiter. Ratio eſt, quia etiam ſi damnum eſſet illatum, deberet reſarciri, quando poteſt id fieri ſine longè grauiori damno proprio, vt omnes fatentur: Ergo à fortiori quando nondum eſt illatum, debet impediri etiam cum periculo æqualis, vel non longè maioris damni proprii. Si autem reuocauit mandatum, & reuocationem intimauit mandatario, iam non tenetur ex iuſtitia præmonere proximum, quia iam non ex tuo mandato, ſed ex nequitia mandatarii eſt in periculo; neque etiam tenetur ex charitate cũ æquali incommodo ſuo, quia charitas non obligat cum tanto incommodo. Ita *Card. de Lugo ſupra nu. 30. Afflictus cit. ſect. 1. num. 56.* & alij communiter. Contra *Suarez, & Vuigerſ.* Si præmonere non poteſt, niſi cum grauiori lõgè incommodo proprio, non tenetur; quia ſicut non eſt obligatio reſtituẽdi cum grauiori longè incommodo proprio: ita non erit obligatio impediendi effectum ex cauſa iniuſtè poſita, quando iam non eſt in ſua poteſtate, nec poteſt impedire abſque grauiori incommodo ſuo. Vndè ſi mandauit damnum fortunarum Petro inferri, nec poteſt mandatum reuocare, non tenetur cum periculo vitæ, vel cum graui infamia ſua, vel etiam cum longe grauiori damno fortunarum Petrum præmonere, ſed ſufficiet poſtea damnum illatum reſarcire, ad quod proculdubio tenetur, quia id ex ſua actione iniuſta proceſſit. Ita *Card. de Lugo ſupra n. 31. Antonius à Spir. Sancto n. 1398.* & alij communiter.

29 Qui nec expreſsè, nec tacitè damnum mandauit; quod nomine ipſius

Digitized by Google

ipſius fuit illatum, ad nullam tenetur reſtitutionem; quia nullam poſuit cauſam obligationem illam inferentem: Imò nec tenebitur reſtituere, quamuis poſtea ratum habeat damnum ſuo nomine patratum; quia ratihabitio ſubſequens non poteſt ratihabentem facere cauſam damni illati. Ita *Syluius ſupra, Leſſius l. 2.c.3, dub.3.num.12. Vaſquez de reſtit.c.9. §.1.num.19. Barth.à S.Fauſto ſupra nu.65 Afflictus cit.ſect.1.num.47.Card.de Lugo n.31. Antonius à Spiritu Sancto nu.1399.*& cum *Medin: Eſcobar. l.37. Decal.num. 253.*contra *Nauar.in ſum.c.17.nu.133. Angelum V.Furtum §.20.Syluestrum*, & alios exiſtimantes teneri ad reſtitutionem, quando damnum illatum fuit eius nomine,qui ratum habuit, & ab exiſtimante illum poſtea ratum habiturum: Quibus non fauet regula *iuris 10.in 6.Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*:Nam ratihabitio æquiparatur mandato, quando ratihabens ſciens delictum perpetrandum, & vtique ſuo nomine cum prohibere teneretur, ipſumque perpetratum punire,approbauit potius,& ratum habuit: tunc enim dignus eſt,vt puniatur,ac ſi eius mandato perpetratum fuiſſet delictum:eſt enim velut quoddam mandatum tacitum. *Roſignolus de reſtitut.1.prænot.12.ſect.1.nu.8.*At vero non tenetur reſtituere, ſi ſciat alios nomine ſuo malum machinari, & non impediat,ſi ad id ex officio non teneatur,quia ſolùm agit contra charitatem, non contra iuſtitiã; niſi concurſum cauſæ conſentientis præbeat;vt ſi præſens ſit,ac taceat,cum ſui tractant de damno inferendo;quod ſibi gratum futurum eſſe putant,ex quo mouentur ad illud exequendum;quia tunc ſicut eſt cauſa monens implicitè ad damnum,ita illud reſarciri tenetur. Ita *Rebellus de obligat.inſtit. p.1.l.2.q.13.ſect.3.n.13. Andreas à Matre Dei tr.13 c.1.pu.5.§.2.n.119.*

30 Mandans reſtituere tenetur non ſolùm damnum tertio, verùm etiam ipſi mandatario, ſi quod illi ex mandato ſit ſequutum; hoc tamen damnum debet eſse eius generis, quod communiter ſolet contingere mandatario ex re mandata: vt ſi propter homicidium, vel graue furtum mandatarius condemnetur ad triremes, &c. nam ex talibus delictis communiter ſequitur: hinc ſi mandatarius cum vellet occidere Caium, ab eo ſe defendente occiſus eſt, tenetur mandans ad damnum ſecutum mandatario ex eius nece; quia veriſimiliter mandans potuit timere, ne ab eo ſe defendente occideretur. Ita cum *Rebello Barth. à S.Fauſto ſupra q.61.* Secùs ſi damnum eſſet extraordinarium: nam tunc nec indirectè eſſet voluntarium mandanti, ſed omninò per accidens, ac per conſequens non ei teneretur reſtituere; vt ſi aduocatus grauiter vulneraretur, eo quòd ob mandatum litigantis eius litem defenderit in iudicio:hoc enim damnum accidentarium fuit reſpectu mandantis, cum communiter accidere non ſoleat: *Tambur.l. 8.decal tr.4 c.2.§.1. num.3. Anton.à Spir.Sancto num.1396.* Eſt etiam hic aduertendum, quod ſi mandatarius liberè,& ſponte ſe obtulit mandato, vel ob id reportat lucrum, tunc nihil ei mandans tenetur reſtituere, etiam ex damnis ſequutis communiter contingentibus; quia volenti nulla fit iniuria

iuria

iuria. *Tambur. ſupra num. 3. Andreas à Matre Dei nu.* 118. Secus ſi ſeductus & coactus fuit ad mandatum; nam tunc ſequitur damnum mandatario ex iniuria illi à mandante illata in tali mandato per coactionem. *Dicaſtillus l. 2. tr. 2. d. 4. num.* 86. Sic ſi ſubditus ex mandato ſuperioris exequitur mandatum, tenetur mandans ad reſtitutionem etiam ipſi mandatario, quia quod ſubditi faciunt ex voluntate ſuperioris; non tàm voluntariè, quàm coactè videntur facere, eò quòd imperium eſt quædam vis moralis. Ita *Villalob. tr. 11. diff. 3. nu. 5. Tapia l. 5. q. 29. ar. 2. n. 5.*

Corollarium II. de Conſulente.

31 QVi conſilium præbet, hortatur, rogat, inſtruit, munera promittit, blanditijs allicit ad delictum faciendum, aut contractum iniuſtum, tenetur ad reſtitutionem: etiam ſi admonuerit cauſam exequentem, quæ non reſtituit; quia conſulens eſt cauſa efficax damni, cum alter ſine conſilio non fuiſſet damnum executus, vt ſupponitur. Ita *S. Thomas 2. 2. q. 62. ar. 7. Sylvius ibidem*, vbi de cōſilio, *Sà, Bonac. Azorius, & Filliuc.* quos relatos ſequitur *Baſſæus V. Reſtitutio 3. §. 2. nu. 3. Afflictus cit. ſect. 1. nu.* 114. Et ſi quæ eſt opinio contraria, ſubditur huic damnationi, *Ioannes Cardenas cit. c. 4. ar. 1. n.* 122. Requiritur tamen, vt conſulens præbendo conſilium peccauerit mortaliter: vt eſt, ſi ſcienter, vel ignorantia craſſa, aut grauiter culpabili tribuerit. Ita *Card. de Lugo d. 19. ſect. 2. §. 2. nu. 35. Anton. à Spir. Sancto d. 29. ſec. 3. nu.* 1401. *Reſſenſtuel cit. diſt. 5. q. 3. nu.* 44. Poteſt autem contingere vt conſulens ſolum peccet, & non exequens, quia hic bona fide putat conſilium eſſe iuſtum; vt cùm conſilium petit à Confeſſario, vel à Doctore, & eius auctoritate ductus opus exequitur, quod putauit licitum: quo caſu ſolus Conſiliarius tenebitur ad reſtitutionem, non verò exequens, niſi quatenus ditior factus eſt damno illato, aut quatenus aliquid adhuc ex re aliena apud ipſum extat. Ita *Card. de Lugo, & Anton. à Spiritu Sancto locis relatis: Afflict. nu.* 72. In quo genere (vt rectè ſubdit *Card. de Lugo*) poſſunt facile peccare, & obligari ad reſtitutionem Conſiliarij Principum, qui conſulunt bellum, vel gabellam, vel legis promulgationem, vel quid ſimile, quæ re vera iniuſta ſunt: Princeps enim facilius excuſabitur à peccato, eorum auctoritatem ſequutus, ipſis ſollùm peccantibus, & obligatis ad reſtitutionem pro damnis. Quare docens, hunc Conſiliarium non teneri reſtituere, erit obnoxius dānationis. Ita *Ioannes Cardenas ar. 3. nu.* 142.

32 Quando conſulens dubitat, an conſiliatus eius rationibus, ac conſilio motus maleficium commiſit, *Henriquez de irregular. c. 3. nu. 3. & 4.* dicit, quòd tenetur prudenter interrogare eum, cui conſilium dedit, & ſi alter ſeriò dicat, ſe nec ad facti ſubſtantiam, nec ad accelerationem motum fuiſſe, ex illius conſilio, poteſt illi credere, & liberatur à reſtitutione: quod tamen veritatem habet ſi exequens, putà homicida, ſit ita fide dignus, aut tales aliæ

circumſtantiæ occurrant, vt prudens arbitretur, fidem illi adhibendam eſſe. Ita *Sanchez l.1.ſumma c.10. num.44. Caſtro-Palaus de conſcientia dubia tr.1. d.3.pu.4.nu.1. Diana p.4.tr.3.reſ.28. Trullench l.7.c.13.dub.2.num.5. Anton.à Spir.Sancto num.1405. Baſſæus V.Reſtitutio 6.nu.19.* Quod ſi talis interrogatio non ſit poſſibilis, colligendum eſt ex circumſtantijs: nam ſi ſtatim dato conſilio furatus eſt, vel occidit, cenſetur conſulens cauſa efficax; ſi verò poſt multum temporis, probabiliter credi poteſt non fuiſſe conſiliatum furatum v.g. ex ſuo conſilio, ſed ex alia cauſa, & iam voluntatem elanguiſſe, & fuiſſe remiſſam, & oblitum conſilij. Ita *Salonius 2.2.q.62. ar.7. controu.6. Trullench, Baſſæus, & Antonius à Spiritu Sancto locis relatis*. Quod ſi omnibus tentatis, adhuc conſulens manet dubius; tunc liber eſt ab obligatione reſtituendi; nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Ita contra *Card.de Lugo d.19.ſect.1.num.21.* docent *Salonius, Henriquez, Trullench, Baſſæus, & Antonius à Spir.Sancto locis relatis: Diana p.3.tr.5. Miſcell.reſ.84. Barth.à S. Fauſto ſupra q.68.* dummodo paratus ſit reſtituere, dum ſciuerit, ſuum conſilium fuiſſe cauſam damni, *Medina de reſtit. qu.8. Trullench, Antonius à Spiritu Sancto, & Baſſæus ſupra*.

33 Quando ille, cui furtum conſuluiſti, conſilium non acceptauit: poſtea tamen iterum de re cogitans apud ſe adhæſit conſilio tuo, & furatus eſt, teneris ad reſtitutionem; quia licèt à principio conſilium tuum inefficax fuerit, poſtea tamen vires reſumpſit, & efficaciter mouit ad furtum. Ita *Molina d.730.in fine, Card.de Lugo ſupra nu.41. & cum Rebello Barth.à S. Fauſto q.70.*

34 Si conſulens ante conſilii executionem conſilium quidem retractauit, at ille, cui conſilium præbuit, hæc reuocatio nota non ſit, ante operis executionem, ad reſtitutionem tenetur; ſicut dicebamus de mandante. Si conſilium ſit falſum, vel innixum falſæ hiſtoriæ, ſufficit reuocationem notam ei, qui conſilium accipit, vt non amplius teneatur conſilium præbens, etiam ſi damnum ex alterius malitia ſequatur. E.g. Petit à te conſilium Petrus, an teneatur reſtituere? Reſpondes falsò, nó teneri, & poſtea illi dicis, te falſum conſilium tribuiſſe, & quod verè tenetur; ſi Petrus poſtea non reſtituat, immunis eris ab onere reſtitutionis, quia ex ſua malitia motus, non ex tuo conſilio id fecit. Similiter ſi conſilium des Petro, vt Paulum occidat, quem dicit occidiſſe fratrem ſuum, ſi poſtea reuoces conſilium dicendo illi falſam fuiſſe hiſtoriam, quia Paulus verè non occidit fratrem ſuum, ſufficit hæc reuocatio, vt non cenſearis cauſa damni ſequuti. Denique in caſu, quo conſultor eſſet idiota in facultate illa, & ſe doctum finxit, ſi reuocet conſilium, oſtendendo ſe inſcium eſſe illius materiæ, non tenetur ad reſtitutionem; quia reuera non fuit conſultor, ſed fraudulentus loquutor. In his conueniunt Doctores.

35 Dubium verò eſt, quando conſilium datum eſt, non ad indicandam veritatem, ſed conuenientiam, & vtilitatem, vt occidat, furetur, ob hæc, &

hæc

Digitized by Google

hæc motiua, & ingerendo doctrinam, & dictamen in mente; an ſufficiat reuocatio per contrariam doctrinam, & rationes quibus conſultor modis omnibus conetur auertere alium à damno, quod prius conſuluerat.

Affirmant plures, adhuc teneri conſultorem reſtituere, ſi malefactor tali conſilio vtatur ad damnum exequendum: ob diſcrimen, quod eſt inter mandantem, & conſulentem, quòd mandatarius ſolum in gratiam mandantis damnum exequitur, à quo in fieri, & in conſeruari dependet; at conſilium recipiens in gratiam ſui exequitur motus à conſilio, cuius doctrina, & dictamen ſemper remanet in mente, vt moueat ad effectum. Ita *Bannez 2.2.q.62.ar.7. Phil. à SS. Trinit. de iuſt. d.5. dub.15. Card. de Lugo nu.37. Barth. à S. Fauſto q.69. nu.3. Leſſius l.2.c.13. dub.6. nu.16. Vill. lobos tr.11. diffic.7. nu.6. Molina tom.3. tr.2. d.731. Baſſæus, Malderus, Tapis, Trullench, Eſcobar*, & alii, quos ſequitur *Felix à Panormo tom.2. d.4. nu.497. Ioannes Cardenas nu.140.* dicens opinionem, quæ contrarium docet, contineri ſub hac damnatione. Vnde infert *Card. de Lugo nu.42.* quòd ſi poſt datum furandi conſilium illud reuocaſti, & perſuaſiſti omnino ei, qui conſilium acceperat, ne furaretur, poſtea tamen mutato animo, iterum furtum amplexus eſt, teneris etiam ad reſtitutionem ſi verè fur ex priori illo conſilio tuo motus idem propoſitum renouauit. Imò addit *Molina d.736. num.7.* idem dicendum eſſe, quando ei, qui ex tuo prauo conſilio furatus fuerat, perſuaſiſti efficaciter, vt reſtitueret, quod ille omninò decreuit, poſtea verò mutato animo non reſtituit: nam licèt non omiſerit reſtitutionem ex tuo conſilio, totum tamen illud damnum ortum fuit ex furto prius ex tuo conſilio facto, & ideo tibi imputatur, quia præuidere debueras totum hoc damnum, & omiſſionem reſtitutionis ſequi poſſe ex tuo illo conſilio iniuſtè dato.

Alij verò non pauci docent, quòd ſi conſultor modis omnibus conetur auertere alium, & rationibus, quibus poteſt, diſſuadere, ne malum exequatur, oſtendens omnibus conſideratis opus eſſe iniquum, & non amplectendum, non tenetur reſtituere; quia actio iniuſta non videtur ampliùs moraliter à conſulente, ſed à malitia alterius prouenire. Ita *Reginaldus l.10. num.108. Andreas à Matre Dei ſupra num.117. Petrus Nauarra de reſtit. l.3. c.4. nu.27. Salonius 2.2.q.62. ar.7. controu.9. Azorius p.3. l.4. c.11. quæſ.2. Diana p.2. tr.16. qui eſt ſecundus Miſcellaneus reſ.17. & par.3. tr.5. Miſcell. reſ.83.* citans *Sà V. Reſtitutio num.11. & Tannerum 2.2. d.4. q.6. dub.14. num.394. Antonius à Spir. Sancto ſupra num.1402.* Et hæc ſententia eſt probabilis, ſicut etiam vocant eam *Leſſius, & Villalobos ſupra citati, Tambur. l.6. Decal. c.4. §.5. nu.4. Baſſæus V. Reſtitutio 6. nu.18. & Layman l.2. tr.5. par.2. c.5.* licèt negari non poſſit priorem ſententiam eſſe probabiliorem. Illud verò, quod addit *Molina cit. d.736. nu.7.* circa reſtitutionem, eſt omninò verum, & amplectendum, cum *Barth. à S. Fauſto ſupra q.73.* Sicut etiam ex alia parte exiſtimo verum, quod ait *Card. de Lugo nu.36.* nimirum, excuſari à reſtitutione eum, qui ſolum precibus, blanditiis, vel promiſſis ſollicitauit ad damnum

Digitized by Google

inferendum, ſi re infecta, & integra, preces, & promiſſa ſufficienter, & ex animo reuocet: iam enim exequutor non poterit amplius ab illis moueri: quod intelligi debet eodem modo, quo de reuocatione mandati id explicatum eſt: eadem enim videtur eſſe in vtroque caſu ratio: quod docet etiam *Afflictus cit. ſect.* 1. *n.* 90.

36 Conſulens homicidium, E.g. ſi reuocando conſilium nihil perſuadeat, tenetur monere ſecretò eum, contra quem huiuſmodi delictum conſuluit, vt ſibi caueat: In quo omnes conueniunt. Sed tota difficultas conſiſtit, qua lege ad id teneatur? In qua licèt aliqui arbitrentur, eum obligari quidem lege iuſtitiæ ad reuocandum conſilium, at reuocato conſilio non cogi lege iuſtitiæ monere ſecretò eum, contra quem homicidium conſuluit, ſed tantum lege charitatis, ſi commodè poteſt. Quare ſi reuocato conſilio delictum fuerit admiſſum, non cogitur, inquiunt, compenſare damnum. Et hanc ſententiam probabilem vocant *Azorius p.* 3. *l.* 4. *cap.* 11. *quæſ.* 3. & *Diana p.* 2. *tr.* 16. *reſ.* 18. Sed exiſtimo ad id eſſe obligatum lege iuſtitiæ, cum *Barth à S. Fauſto ſupra q.* 72. & alijs, quos ſequitur *Baſſæus V. Reſtitutio*, 6. *n.* 18.

37 Quando vtrumque malum reſpicit diuerſas perſonas: ſi fur de, vtroque malo inferendo iam cogitabat, & anceps erat, cui ex duobus illud inferret, tunc poteſt quis ei conſulere, vt minus malum amplectatur: nam tunc ſolum conditionate ſaltem implicitè conſulit, & ei explicat veritatem honeſtam. Ita *Card. de Lugo* alios referens *nu.* 46. *Eſcobar l.* 37. *Decal. nu.* 263. *Anton. à Spirit. Sancto num.* 1403. *Baſſæus V. Reſtitutio* 3. §. 2. *nu.* 4. Imo ſi quis anceps ſit, à quo ex duobus furetur centum, poſſum ego ei conſulere, vt potius à Petro, quàm à Paulo amico meo furetur, in gratiam mei; nam per hoc non inclino illum ad furandum alteri, ſed auerto illum à damno inferendo amico, licèt ex hoc indirectè ſequatur damnum alteri, propter firmum propoſitum, & decretum, quod fur habet furandi ab vno ex duobus. Ita *Eſcobar ſupra num.* 267. *Card. de Lugo ſupra nu.* 54. & *Anton. à Spirit. Sancto nu.* 1404. Et ſi fur eſſet determinatus ad furandum magnam quantitatem à Titio paupere, poſſum conſulere vt furetur à Caio diuite adeo leue, vt ipſe teneatur ex charitate illud pati ad vitandum maius malum alterius; tunc enim diues, qui damnum leue patitur, ad vitandum maius pauperis, non videtur rationabiliter inuitus. Ita cum *Bonac.* & *Vaſquez Trullench l.* 7. *Decal. c.* 13. *dub.* 2. §. 2. *num.* 6. *Leſſius l.* 2. *c.* 13. *dub.* 3. *Petrus Nauarra l.* 3. *de reſtit. n.* 32. *Anton. à Spirit. Sancto*, & alii, contradicente *Barth. à S. Fauſto ſupra qu.* 79.

38 Qui conſilium alicui dedit, vt aliquod damnum cuidam inferret, ſed conſultus multa damna paſſus eſt ex illo delicto, non tenetur ad reſtitutionem damnorum, quæ paſſus eſt conſultus, quia exequens huiuſmodi conſilii um debet ſibi damnum imputare, cum liberum illi fuerat conſilium ſequi, & non ſequi, *Azorius ſupra quæſ.* 6. *Sayrus l.* 10. *clauis tr.* 2. *c.* 8. *n* 26.

Antonius à Spir. Sancto num. 1401. *Baſſæus l.c.n.* 7. *Afflictus nu.* 116. *Leſſius l.2.c.13.dub.7.num.55. Dicaſtillus tr.2.d.4.nu.85. Reiffenſtuel cit.tr.9.diſt.5.q.3.num.*47. & patet etiam ex *c. nullus, de reg. iur. in 6.* ibi: *Nullus ex conſilio, dummodo fraudolentum non fuerit, obligatur*. Ex quo textu ſequitur, quòd ſi conſilium detur ad aliquid agendum, quod non ſit apertè malum, & conſilium fuerit fraudulentum, tenebitur conſulens reſtituere damnum illatum ei, cui dedit conſilium. *Afflictus ſupra*, qui *num.* 117. benè infert, quod ſi aduocatus alteri conſulat, vt litem iniuſtam intentet, non ſolum tenetur de damno illato illi, cui lis iniuſte mouetur, ſed etiam conſilium petenti, ſi fraudulenter illi dicat, quod litem vincet; & eadem eſt ratio de cæteris conſiliis falſis. Ratio diſcriminis eſt, quia in delictis non poteſt grauitas conſilii ignorari: at in contractibus, &c. poteſt quis facilè decipi: & ideò conſulens tenetur, quando conſilium eſt fraudulentum.

Corollarium III. de Conſentiente.

39 Ille ratione conſenſus tenetur reſtituere, qui ſuo conſenſu efficaciter influit in damnum, quod ſine ipſo non fieret; quod ſi ſine ipſo fieret, etiam ſi ex eius conſenſus manifeſtatione libentius fieret, non tenetur ad reſtitutionem. Hinc tenentur ad reſtitutionem Conſiliarii Principis, quos ipſe congregat, vt conſenſum præbeant ad bellum iniuſtum, ſi Princeps abſque tali conſenſu non indiceret bellum. Secus verò ſi ipſe iam determinatus ad illud eos congregat, non ad conſilium, & ſuffragium ferendum, ſed vt aſſenſum præbeant, vt Princeps libentius bellum exequatur, quia licèt grauiter peccent illi malo aſſentiendo, non tamen tenentur ad reſtitutionem damni, cum non ſint cauſæ efficaces illius. Ita cum communi ſententia *Bonac. d.1. de reſtit. qu.2. pu. 8. nu.3. Trullench l.7. c.13. dub.2. §.3. num.2. Anton. à Spir. Sancto cit. d.29. ſect.4. nu.* 1406. *Andreas à Matre Dei cit. pu.5. §.2. num.* 120. A fortiori ſi ciues, aliique plebeii homines illud bellum iniuſtum approbant, optent, aut aliter conſentiant, peccant quidem mortaliter iſto ſuo in malum conſenſu, ad nullam tamen teneantur reſtitutionem, quia ille conſenſus ipſorum tantum eſt ſimplex, non cauſa belli ſubſecuti, *Baſſæus V. Reſtitutio 3. §.3. n.9.*

Contingit autem efficax influxus in damnum per conſenſum, quando conſenſus præſtatur ſubſcribendo liti, vel condemnationi iniuſtæ; dando in Capitulo, vel in Senatu ſuffragium pro electione indigni; conſentiendo in bellum iniuſtum, vel in aliud maleficium ex tali conſenſu dependens. Eiuſmodi conſenſus ſufficit, vt ſit tacitus, vt adhuc reſtitutionis obligatio contrahatur: ſic, qui in Capitulo, vel Senatu, humano reſpectu ſuffragari omittit; vel ſubticet ſine rationabili cauſa, animaduertens inde periculum probabile ſubſecuturi alicuius damni grauis, mortaliter peccat, & ad

& ad reſtitutionem tenetur, a qua ſolùm excuſabitur: ſi ex officio id non habeat, vt docet *Innoc.ſup.c.1. de ijs, quæ fiunt à maiori parte Capituli.* Idem tenent Summiſtæ *V.Conſenſus, Molina d.732. in fine, Barth. à S.Fauſto ſupra qu.83.* & alii communiter. Quod ſi præuideat ſuffragator ſe præſente, & ſuffragante, adhuc certiſſime rem contra iuſtitiam concludendam eſſe, nec ad aliud deſeruire poſſe ſuam præſentiam, aut ſuffragium, niſi vt odium ſibi concilietur, & rixæ excitentur, poteſt ſe ſubtrahere, & abeſſe, *Garzias de benefic.to.1.p.3.c.2.n.537. Petrus de Ledeſma in ſumma to.2. tr.7. c.2.concl.24. Ioannes Valerus in differ.vtriuſq.fori V.ſuffragium differit.in fine, & Dian: p.3.tr.2.de dubijs regular.reſ.6. verſus finem.*

Hinc intelligitur quid ſit dicendum in praxi circa dubium, an teneatur ad reſtitutionem, qui per ſuum conſenſum modo dicto influit in damnum, quod ab eo conſenſu motus, & inductus quis intulit tertio; damnatum eſt enim dicere, quod non teneatur, ſi efficaciter induxit; efficaciter autē tunc cenſetur induxiſſe, quando in caſibus prædictis ad reſtitutionem tenetur, vt diximus.

40 Limitantur prædicta circa dantes, vel inducentes alium ad dandum ſuffragium indigno, vel conſenſum in bellum, in condemnationem, &c. cum damno tertii, quia non tenentur, quando à præcedentibus iam datus fuit conſenſus irreuocabilis; ſiquidem in illo caſu non datur efficax conſenſus, id eſt non influitur efficaciter in damnum ſequutum, licèt efficaci conſenſu illud approbetur. Ratio eſt, nam eo ipſo, quod iam eſt ab aliis cauſatum dictum damnum per eorum conſenſum, ſeù ſuffragium, non cauſatur efficaciter à conſentientibus poſt dicti damni effectionem, quod enim iam eſt factum, & cauſatum ab aliis præcedentibus, nequit recognoſcere ſubſequentes tanquam ſui cauſam ſaltem efficacem. Peccant ergo vltimi conſentientes, & à reſtitutione deobligantur, licet iniuſtè, & cum peccato conſentiant, niſi fortè omnes prius ad iniuſtè ſuffragandum, ſeu conſentiendum tanquam totius damni concauſæ conſpiraſſent. Ita *Rebellus de obligat.iuſt.p.1.l.2.qu.14.ſect.5. num.30.& 31.* cum *Caietano, Soto, & Nauarro,* quos appellatos ſequitur *Petrus Nauarra l.3.c.4.num.33.* contra *Cordubam.* Quod ſi damnum ſit adhuc ſequuturum per conſenſum poſteriorum, niſi à conſenſu priorum iam eſſet effectum, non propterea deobligantur à reſtitutione illi priores, qui efficacem influxum præſtiterunt in tale damnum, ad iſtud alium efficaciter mouentes, vel inducentes, non minus, ac ſi ſe ſolis illud cauſarent. Ita *Rebellus cit.num.31.* Et nos in ſimili *corol.1.*

41 In dubio, an damnum ſequutum ſit per ſuum ſuffragium, ſeù per illius ſuffragium, qui illud dedit efficaciter motus, & inductus ab iſto ſic nunc dubitante: quia eſt anceps, num ſuum ſuffragium datum, ſiue per ſe, ſiue per alium fuerit ex prioribus, & neceſſariis ad malum; an verò ex poſterioribus, poſtquam ſufficientia præceſſerunt; negat teneri ad reſtitutionem,

nem *Rebellus eodem num.* 31. vbi hanc opinionem dicit eſſe communem, & veram, quam vocat probabilem *Dicaſtillus tr.* 2. *d.* 4. *num.* 97. At communis, & vera eſt contraria ſententia, quam tenet cum *Bonac. Leſſio, Dicaſtillo, ac Sayro, Andreas à Matre Dei ſupra num.* 123. cum *Nauarro, Trullench num.* 3. *Anton. à Spiritu Sancto nu.* 1408. propter ſpecialem rationem, propter quam in iſto dubio ſuffragii dati non poteſt ſe defendere poſſeſſione, iuxta illud: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis.* Iſta ratio eſt, quia ſi ipſe tunc non teneretur, nec etiam tenerentur alii electores. Nam hinc inde viget dubium, an à ſuffragio priorum, vel poſteriorum ſit ſequutum damnum; & ideò omnes tenentur ad reſtituendum. Adde, quod conſtat de damno ab illis communiter facto, & ſic pro illo ſtat poſſeſſio: quare ipſi incumbit probare non influxiſſe in illud, vt ſic à reſtitutionis onere liberentur.

Corollarium IV. de Adulatore.

42 Adulator, qui & Palpo, ſeù Palpator dicitur, qui adulando, ſeù laudando aliquem de ſtrenuitate, &c. inducit eum ad faciendum damnum, quod aliàs non feciſſet, peccat iuxta grauitatem damni, & tenetur ad reſtitutionem. Sicut etiam ſi poſt patratum maleficium, taliter quis malefactorum laudaret, quòd ob eius adulationem efficaciter impediretur reſtitutio, quam aliàs malefactor erat facturus; proculdubio hic ad reſarciendum damnum illatum per eius adulationem teneretur, quia eſt inſtar conſulentis. Ita *Barth. à S. Fauſto ſupra qu.* 87. *Antonius à Spiritu Sancto ſupra ſect.* 5. *num.* 1411. & alii communiter. Vnde, qui alicui iniuriato nobilitatem ſuam exaggerat, ex quo ille ad vindictam excitatur, & mouetur, tenetur ad reſtitutionem tanquam Palpo, *Andreas à Matre Dei cit. pu.* 1. *§.* 2. *nu.* 124. Quando verò tantummodò laudat, & lætitiam inducit malefactori, ſed ipſum non mouet ad damnum inferendum, non tenetur ad reſtitutionem, cum non influat efficaciter in damnum approbando delictum, *Syluius* 2. 2. *q.* 62. *ar.* 7. *de Palpone, Baſſæus* alios referens *V. Reſtitutio* 3. *§.* 5. *n.* 11. *Trullench l.* 7. *c.* 13. *dub.* 2. *§.* 3. *n.* 1.

Et idem dicendum eſt de iis, qui offenſum vituperant, & irrident, conuitiis afficiunt, exprobrant, eò quòd non vlciſcatur, non furetur, vel aliud maleficium non exequatur: vt ſi quis dicat alteri, Tu es puſillanimus, vel timidus, vel nihil vales, ſi patiaris te ita tractari: vel irridet aliquem de verberibus, &c. ex quo exprobratus, irriſus, &c. mouetur ad maleficium faciendum, tenetur ad reſtitutionem, quia ex tali exprobratione, irriſione, &c. fit cauſa talis damni. Ita *Aragonius* 2. 2. *qu.* 62. *art.* 7. vbi *Syluius, Salonius, & alij, Nauarrus c.* 17. *num.* 132. *Petrus Nauarra l.* 3. *de reſtit. c.* 4 *p.* 1. *num.* 37. *Barth. à S. Fauſto, Trullench, Andreas à Matre Dei, & Antonius à Spir. Sancto locis relatis, Card. de Lugo d.* 19. *ſect.* 2. *§.* 4. *n.* 70. *Eſcobar. l.*

37. *Di-*

Digitized by Google

37. *Decal. n. 278. Tambur. l. 8. Decal. tr. 4. c. 2. §. 3. n. 3.*

Hinc ſi quis exprobraret marito adulterium vxoris, quo irritatus, & pudore affectus maritus eam, vel adulterum occideret, teneretur iſte ad reſtitutionem: cum ſua detractione ſit cauſa huius damni. Ita *Nauarr. Trullench, Barth. à S. Fauſto*, & *Andreas à Matre Dei locis citatis, Villalob. to. 2. tr. 11. diff. 7. n. 9.* & alii communiter.

Nec excuſatur aliquis à reſtitutione, eò quòd non vituperauerit, vel laudauerit alium animo inducendi illum ad tale damnum, ſi attentis circumſtantiis veroſimiliter iudicauit fore ſequendum: quamuis inaduertentia, & bona fides aliquando adulatoris, vel vituperatoris excuſent, vti docent *Rebellus l. 2. q. 14. ſect. 6. n. 33. Barth. à S. Fauſto*, & *Andreas a Matre Dei ſupra, Dicaſtillus tr. 2. d. 4. n. 113.*

Corollarium V. de Receptatore.

43 Receptator furis, vel alterius malefactoris formaliter vt talis, tenetur ad reſtitutionem damni a malefactore exequuti; quia in illud influit efficaciter; talis eſt, qui antequam delictum fiat, recipit, fauet, obſeruat malefactorem, aut inſtrumenta illius, ex quo commodiùs ipſe, & liberiùs poteſt maleficium exequi. Ita omnes docent cum *D. Thom. 2. 2. qu. 62. ar. 7.* vbi *Syluius*, & alii. Ex quo fit, Magnates, & alios viros potentes, qui cum videant ſuos famulos, alioſque fidentes ſuæ protectioni, & potentiæ, plures iniurias facere, nec impediunt, teneri ad illarum reſtitutionem. Ita *Ioannes Martinez de Prado c. 17. q. 6. §. 4. n. 35. Trullench ſupra §. 4. n. 4. Barth. à S. Fauſto ſupra q. 88. Dicaſtillus tr. 2. d. 4. n. 114.* aliique.

At verò ille, qui poſt patratum delictum occultat malefactorem, vel inſtrumenta illius, eum defendit, aut iuuat ad fugiendum, ne capiatur a ſatellitibus, non tenetur ad reſtitutionem, quia non influit in damnum; & quia ſicut ipſi malefactori licet fugere, & abſcondere ſe; ita aliis ad hoc concurrere. Ita *Leſſius l. 2. c. 13. dub. 3. n. 27. Andreas à Matre Dei ſupra §. 2. n. 125. Card. de Lugo d. 19. ſect. 2. §. 4. n. 72.* quia licet per accidens fur animoſior reddatur: ipſe tamen non eo animo facit, nec dat furi ſpem in futurum ſimilis adiutorii, & refugii: quare damnum, ſi quod ſequitur, per accidens conſequitur: illa enim actio per ſe ſolum tendit ad eripiendum miſerum hominem ex præſenti periculo vitæ, vel pœnæ corporalis, vt obſeruant *Card. de Lugo*, & alii. Similiter qui antequam fiat delictum, furem, aut alium malefactorem recipit, non præbendo illi ſecuritatem ad malè agendum, ſed vel ratione amicitiæ, vel conſanguinitatis, vel alterius tituli, vel ratione officii, quo alios hoſpitio ſolet recipere, vt ſunt ſtabularii, non tenetur aliquid reſtituere, quia ſolum eſt materialis receptor furis, minimè influens ad eius maleficium. Ita *Trullench ſupra nu. 4. Syluius d. ar. 7. de Recurſu, Filliucius*, & *Bonac.* quos relatos ſequitur *Baſſaeus V. Reſtitu-*

Digitized by Google

ſtitutio 3. § 5. num. 11. Barth. a S. Fauſto ſupra qu. 88. Vnde in tr. de caſibus reſeruatis in Bulla Cœnæ dico cum communi Theologorum, non incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ, qui modo dicto receptatores hæreticorum ſunt, quia non eos vt formaliter hæreticos recipiunt, aut defendunt. A fortiori, qui bona fide recipit malefactorem ignorans, quòd ſit malefactor, nihil tenetur reſtituere in conſcientia; ſiquidem nulla ratione dici poteſt cauſa damni inde ſubſequuti. Immo etiam ſi dubitet, an ſit malefactor, ad nullam reſtitutionem tenetur: dubietas enim in hoc caſu non tollit bonam fidem; cum nemo cenſeatur malus, niſi probetur. Ita *Barth. à S. Fauſto cit. q. 88.*

Dicitur verò etiam receptator formaliter, qui rem furtiuam recipit in cuſtodiam, vt furi eam ſeruet: hic enim tenetur domino reſtituere: nam ſi eam furi reddiderit, cenſetur furi cooperari ad retentionem rei alienæ. *Trullen h ſupra num. 3. Barth. à S. Fauſto, Syluius, Baſſæus*, & alii communiter. Illam igitur rem, ſeu prædam non poſſunt furi reſtituere, ſed vero domino: ſi hoc abſque magno incommodo poſſunt. Si tamen penſatis omnibus non poſſunt abſque graui incommodo rem domino reſtituere, poſſunt eam in antiquo ſtatu relinquere, latroni eam reddendo. Ita *Leſſius, Trullench, & Andreas à Matre Dei locis relatis, Card. de Lugo ſupra n. 73.* Si tamen dominus domus timeat ſibi imputandum furtum, reſtituendo domino immediatè per ſe ipſum; poteſt illam facere per Confeſſarium, aut Sacerdotem. Ita cum *Sayro, & alijs, Bonac. d. 2. q. 2. pu. 9. n. 2. Trullench, & Barth. à S. Fauſto ſupra.*

Hinc fit teneri ad reſtitutionem eos, qui apud Iudicem, vel alium, fauorem, auxilium, vel patrocinium præſtant, ne fur reſtituere cogatur. Sic cum multis *Sayrus l. 10. tr. 2. c. 11. num. 3. Trullen. h ſup. num. 5. Barth. à S. Fauſto cit. q. 88.* Excuſantur tamen Aduocati defendentes latronem, in illis in quibus ipſi fures ſe iure poſſunt defendere: defendere autem ſe poſſunt, quando culpa eſt occulta, imò & quando non eſt ſemiplenè probata, & quando iniuſtè vexantur, non ſeruato iuris ordine. Quod verum eſt etſi ex hac defenſione ſequatur, quod ipſi fures poſtea non reſtituant, nam id per accidens ſequitur. Ita *Tamburin. l. 8. tr. 4. c. 2. §. 4. nu. 1. Eſcobar l. 37. Decal. n. 281. Anton. à Spir. Sancto ſup. ſect. 9. n. 1413. Barth. à S. Fauſto cit. q. 88. Card. de Lugo n. 71. Dicaſtillus*, & alii. Licèt *Molina d. 733. n. 2.* velit licere, quidem aliis eum adiuuare, dummodo ſi ipſi ſciant illum damnum iniuſtè dediſſe, pro quo in conſcientiæ foro reſtituere tenetur, prouideant, vt occultè ſtatim reſtituat, ſi poſſit, vel ſi non poſſit, præſtet cautionē ſufficientem, qualem in iis circumſtantiis præſtare poſſit. At, vt rectè *Card. de Lugo*, & alii, ad hoc tenentur Aduocati ex charitate: non verò ex iuſtitia; cum vtātur iure ſuo conſulendo furi id ſolum, quod ipſe fur licitè facere poteſt, & ad hoc ſolum illum adiuuent.

44 Non excuſantur Caupones, & alii recipientes pecuniam furto ab-

Digitized by Google

latam à filiisfamilias, vel ſeruis, quandocumque pro comperto habent,vel probabiliter credunt eam eſſe furtiuam, *Barth. à S.Fauſto cit.qu.*88. & alii : tales ſunt, quando pater, vel dominus fuit inuitus & circa modum accipiendi, & circa rei ſubſtantiam, *Trullench ſup.n.*3. Cauponarii, aut alii,qui recipiunt domi ſuæ filiosfamilias, vel ſeruos, vt epulentur, vel ludant, ſi conſtet ſumptus illos, quos faciunt fieri ex furto, nimirum ex bonis parentum, vel dominorum, ſi cauponarii, aut alii, inquam, corrogant filiis familias ſedilia, menſam, chartas, & lumen ad ludendum, tenentur ad reſtitutionem in defectum ludentium. Secus ſi nihil præbeant ad ludendum, ſed ſolum permittant eos in ſua domo ludere, nec eos occultant,vel quaſi defendunt; præſertim ſi filiifamilias, aut alii non propterea deſiſterent à ludo etiamſi e domo expellerentur, *Bonac.* cum aliis *ſup.n.*3.

Excuſatur receptator furum, qui metu ab iis illato id facit : cum enim id, quod agit non ſit omninò intrinſecè, & determinate malum, ſed aliquo modo indifferens, excuſari poteſt ex grauiſſima cauſa, qualis eſt metus, & vis illata. Ita *Card.de Lugo n.*74. & alij.

Corollarium VI. de Participante.

45 Particeps hic ille venit, qui præter modos prædictos quolibet alio modo concurrit poſitiuè ad malum, ſiue immediate cum executore cooperando,ſiue mediatè adiuuando executorem ad damnum inferendum. Poteſt autem eſſe particeps vel in re accepta, non autem in actione; vel in ipſa actione cauſatiua damni,& hoc dupliciter; primò per actionem iniuſtam: ſecundò per actionem iuſtam, aut ex ſe indifferentem. Dicendum eſt ergo,quòd particeps, ſeu concurrens ſimul ad damnum phyſicè, vel moraliter, tenetur reſtituere vel totum, vel partem, attenta ratione habitæ participationis, ſeu præſtiti concurſus ad totum damnũ,vel ſolũ ad partẽ. Ratio cur teneatur eſt,qua verè eſt cauſa efficax talis dãni,vt omnes concedunt. Eiuſmodi participans eſt, qui latronem comitatur, vt eum in furto defendat : qui dat arma alteri, vt faciat: ferrarius artifex, qui falſas claues efficit: qui exploratorem facit fauore malè agentis : qui portas, vel feneſtras reſerat: qui terga defendit : qui in vſuris vſurario ſeruit : qui rem furatam cuſtodit: qui rem à latrone emit, vnde latro ad furandum anſam ſumit : qui rem furatam vendit pro fure ipſo : ac demum quicumque dictis ſimilia præſtat. Ille vero, qui per indifferentem actionem concurrit ad maleficium, ſi liberè participat cum malefactore, tenetur ad reſtitutionem maiorem, vel minorem iudicio prudentis, habita ratione participationis; nam ſicuti non liberatur à culpa qui liberè, & ſua ſponte vult cum fure concurrere, ſic nec eximitur à reſtitutionis onere. Quòd ſi metu, grauis damni per actionem indifferentem concurrit ad maleficium; tunc ſicut liberatur à culpa, ita & ab obligatione reſtituendi: ſecus ſi per

actio-

Digitized by Google

actionem prauam,ac iniuſtam concurrit. Hanc doctrinam optimè tradunt *Rebellus ſupra ſect.7. n.50.Sanchez l.1.ſummæ c.7.n.18.Leſſius de iuſt.l.2.c.9. dub.18.Bonac.ſupra pu.10.à n.4.Villalob.tr.11.diffic.7.n.11. Card.de Lugo n. 74.Dicaſtillus n.122.Prado n.36.*

46 Hinc fit non teneri ad reſtitutionem Chriſtianos captos à Turcis, qui in nauibus Turcarum ex metu compulſi contra Chriſtianos remigant; ſecus verò ſi voluntariè id faciant; quia opus ex ſe indifferens faciunt. At verò ſi ex mandato Turcarum ignem bombardis applicent, ſagittas mittant, pilas explodant, aut alio modo contra Chriſtianos militent & peccant, & ad reſtitutionem tenentur: quia ad rem iniuſtam, & per actionem prauam, ac iniuſtam concurrunt. Ita *Leſſius, & Villalobos ſup. Barth. à S.Fauſto q.98.* & alii communiter.

47 Non tenetur verò ad reſtitutionem,qui metu mortis, aut alterius damni obſeruat inſtrumenta latronis, illius prædam aſportat, vel abducit (vt multoties agricolæ minis compulſi faciunt) ſcalam tenet,dum fur murum, vel feneſtram aſcendit: claues, vel inſtrumenta præbet, quibus fur confringit arcas; quia res ex ſe indifferentes faciunt, & ex graui metu à culpa excuſantur, & ab onere reſtitutionis. At peccat, & tenetur reſtituere, qui etiam metu graui compulſus, arcas referat, res furatas per feneſtram proiicit, quia ad rem iniuſtam per cooperationem iniuſtam concurrit. *Leſſius d.2. c 13.dub.3.n.29. & 30. Bonac.d.1.q.2.pu.10.n.6.& 8.Trullench ſupra dub.2.§.5.n.2.Villalobos ſupra* & alii.

Excuſantur ruſtici, qui pecora ſublata coguntur deducere, at non excuſantur qui pecora e ſtabulo coguntur abigere. Ita *Leſſius,& Trullench locis relatis*, aliique.

Excuſatur à reſtitutione is, qui metu coactus comitatur furem intentione impediendi furtum, quamuis fur illum ſibi comitem adiungat, animo vtendi illius opera ad furandum,& ob id ſecurior reddatur ad furtum patrandum, quia talis comitatus eſt opus ex ſe indifferens, quod ex rationabili cauſa excuſat à peccato, vt patet in famulo, qui ex metu, vel alia iuſta cauſa comitantur herum ad idolum,vel ad meretricandum,*Bonac.ſup. n.7. Trullench ſup. Baſſæus V.Reſtitutio §.5.n.12.* & alii communiter.

Comitantes latronem non animo eum adiuuandi, ſed potius impediendi damnum, non tenentur ad reſtitutionem, ſi alter videns plures in comitatu, & timens mortem aufugit, equo ſuo relicto, quem fur poſtea ſurripuit; comitãtes inquam, non tenentur reſtituere, ſi aliàs in furto non conſenſerint: nam tale furtum per accidens ſequutum fuit ex tali comitatu. Ita *Trullench l.7.c.13.dub.6.num.5. & Anton.à Spir.Sancto cit.d.29. ſect. 9.nu.1432.* niſi comitantes aduertiſſent, vel aduertere debuiſſent ex ſuo comitatu potuiſſe ſequi damnum, nec moralem, ac debitam diligentiam adhibuiſſent, ne illud eueniret;tunc enim ad reſtitutionem tenerentur; quia verè eo comitatu eſſent cauſa efficax illius damni. Ita *Molina to.3. d.736. & Barth.à S.Fauſto q.92.*

48 Excuſantur à peccato, & à reſtitutionis onere miniſtri vſurariorum minus principales, qui non exigunt vſuras, ſed ſunt famuli amanuenſes, qui tantum deſcribunt, deferunt pecunias, numerant, &c. ſi ex rationabili cauſa, ne eijciantur à Domino, aut ſuum commodum perdant, id faciāt. *Tapia l. 5. q. 29. ar. 4. n. 5. Andreas à Matre Dei ſupra nu. 129.* & alij.

49 Vendens arma properanti ad iniuſtum bellum, ſi vendat ſoli parti iniquæ, & recuſet alteri vendere tenetur ad reſtitutionem; nam ita cenſetur damno cooperari. Si autem indifferenter paſſim omnibus vendat, non tenetur, quia remotè agit, & damnum per accidens illi ſequitur: niſi vendat iam contracta pugna; tunc enim tenetur, quia proximè cooperatur: ſicut ſi furenti in cædem inimici præberet gladium. Ita *Leſſius ſupra nu. 31. Trullench cit. c. 13. dub. 2. §. 5. n. 3.*

Corollarium VII. De muto, non obſtante, non manifeſtante.

50 CVi ex officio incumbit damnum impedire, & tamen nulla habita iuſta cauſa non impedit, ſiue non vociferando, *vnde mutus:* ſiue non reſiſtendo; vnde *non obſtans*, ſiue non detegendo, vnde *non manifeſtans* dicitur; & peccat, & ad reſtitutionem tenetur, ſi eius cauſa quis efficaciter fuit motus, & inductus ad damnum tertio inferendum, vel ſi ipſe talis damni fuit cauſa immediata. Hæc ſententia eſt receptiſſima à Doctoribus communiter, vt refert *Petrus Nauarra l. 3. c. 4. nu. 120.* & nos ſupra oſtēdimus, qualiter ex ſilentio alterius poteſt quis efficaciter moueri, aut induci ad inferendum damnum tertio.

Hinc ad reſtitutionem tenentur quodquot ex officio, vel ex contractu tenentur impedire mala, & tamen non impediunt, vt ſunt Gubernatores, Miniſtri publici, Medici, Chirurgi, Tutores, & Curatores, etiam inuiti circa id munus, nam ſemel impoſito officio, inde obligatio iuſtitiæ prouenit: Nautæ nauium ſubmerſionem non impedientes; & omnes, qui ex officio poſiti ſunt cuſtodes boni communis, vel particularis; Patreſque familias, quibus ex officio incumbit inuigilare ne damnum fiat per vxorem, per filios ſub ſua poſitos poteſtate per ſeruos, per propria animalia: Principes, qui latrocinia, homicidia, & iniuſta monopolia non tollunt: Paſtores, Duces belli, & quicumque alij publicam poteſtatem habentes, qui ſuorum ſubditorum mala non auertunt. Igitur omnes prædicti ad reſtitutionem tenentur damni ſequuti, quia ex contractu, vel ex officio ad id ex iuſtitia ſunt obligati; niſi cum ſuo damno æquali, vel maiori in vita, honore; fama, aut rebus familiaribus id præſtare non valeant; nam non cenſentur ſuſcepiſſe ea munera cum tanto onere, ac grauamine; at hæc limitatio non tenet in damnis ſpiritualibus, vt ſunt hæreſes; neque in damno communitatis;

tatis, aut in damnis contra Principem, vel Rempublicam, ſi ſint notabilia, vt machinationes contra illam; nam etiam cum vitæ diſpendio ſunt ea mala auertenda ab his, qui propterea ad officia, vel dignitates ſunt aſſumpti. *Reiffenſtuel cit. diſt. 5. q. 4. nu. 63. Bonac. ſupra pu. 11. nu. 5. & 6. Leſſius l. 2. c. 13. dub. 10. nu. 70. Dicaſt. tr. 2. d. 4. dub. 8. nu. 132. & 141. Azorius 3. p. l. 4. c. 17. quæſ. 2. Rel ell. d. q. 14. ſect. 8. num. 59.* Omnes enim iſti cenſentur efficaciter mouere, & inducere alium ad inferendum damnum tertio, quoties iſte, à quo damnum tertio infertur videt, & ſcit actionem ſuam iniuſtam eſſe notam ipſi obligato impedire, qui tamen eſt *mutus, non obſtans, non manifeſtans*: Ergo tenentur ad damni ſequuti reſtitutionem tanquam cauſæ efficaciter in tale damnum influentes. Et hæc obligatio eis conuenit à fortiori, cùm adhuc teneantur reſtituere, licèt aliquē efficaciter non moueant, aut inducant ad damnum tertij, ſed ſolùm tale damnum non auertant, nam quamuis negatiuè ſe habeant, indirectè & interpretatiuè, voluntariè ſunt cauſa talis damni, per omiſſionem eius, ad quod tenebantur ex iuſtitia. Ita *D. Thomas 2. 2. q. 62. ar. 7.* & omnes cum illo. Sed hæc ſunt intelligenda de non impedientibus ſine iuſta cauſa: ſæpè enim permittuntur in Republica aliqua mala, ne deteriora inde proueniant. Item, debent dicta intelligi, ſi cum debita diligentia in his malis impediendis requiſita non impediantur, aliàs reſtitutionis onus non contraherētur. Quæ autem ſit negligentia ad tale onus ſubeundum requiſita: dico in tractatu de Reſtitutione. Hic ſatis eſt dixiſſe quomodo poſſit efficaciter aliquis moueri, aut induci ad damnū inferendum tertio, etiam non loquendo, non obſtando, non manifeſtando, qui tenetur loqui, obſtare, manifeſtare, ne reſtitutioni ſit obnoxius.

Cui verò ex iuſtitia non incumbit damna aliorum impedire, ſi non impediat, cùm facilè poſſet, clamando, opem ferendo, vel manifeſtando, licèt peccet contra charitatem, ad reſtitutionem tamen non tenetur. Sic, qui videt aliquem ab inimicis inuadi, & non ſuccurrit, cùm de facili poſſet, nō tenetur ad damna ab inimicis illata; & idem eſt, ſi furtum facientem poſſet ſuis clamoribus deterrere, & à cœpta iniuria auertere, & tamen non clamat. Ita *D. Thomas 2. 2. q. 62. ar. 7. ad 3.* & ibi *Salonius, & Aragonius, Leſſius num. 14. Rebellus num. 57. Villalob. tr. 11. diffic. 7. num. 12. Card. de Lugo nu. 99. Tapia l. 5. q. 29. ar. 5. nu. 2. Reiffenſtuel ſupra.* Nec pugnat *c. ſicut dignum, de homicidio*, vbi dicitur: *Qui potuit hominem liberare, & non liberauit, occidit:* Nam ibi agitur de præſumpta voluntate, & fauore præſtito ad tale damnum, non de ſola ſubſidij negatione. Similiter dictis non obſtat animus prauus, aut odium, ex quibus procedit, quòd contra charitatem non impediatur per ſe, aut per alium alterius damnum: nam licèt ſic augeatur culpa, tamen nulla inducitur reſtituendi obligatio, vt tenent *Rebellus d. n. 57. Bonac. eodem pu. 11. nu. 2. Villalobos, & Dicaſtillus locis relatis, Card. de Lugo nu. 100.* & ferè omnes: Ratio eſt, quia adhuc poſito eo animo prauo, deficit reſtitutionis fundamentum, quod eſt debitum ex iuſtitia. Item non obſtat

mu-

munus, quod datur ne quis clamet, vel manifeſtet, aut ne impediat: Etiam ſi inde malefactor ſecurius damnum proximo inferat; nam ſicuti non tenetur reſtituere; qui ſine iniuſtitia non impedit ſine pretio, vtique nec tenebitur ſi non impediat accepto munere, vel etiam pretio, dummodo acceptum pars furti non ſit, quia tunc eſſet reſtituendum ratione rei acceptæ. Ita *Sotus de iuſt. l. 4. q. 7. ar. 3. Nauar. in man. c. 17. nu. 21.* quos relatos ſequitur *Diana p. 4. tr. 4. reſ. 64. §. nota etiam, Card. de Lugo ſupra nu. 102. Villalob. num. 12. Dicaſt. nu. 137.*

51 Confeſſarius *mutus, non obſtans, non manifeſtans* pœnitenti obligationē reſtituendi; ſiue id faciat ex ignorantia, ſiue ex craſſa negligentia, ſiue ex malitia, non tenetur ad reſtitutionem, ad quam tenetur pœnitens, ſed illā non facit, quia à Confeſſario non fuit admonitus, quando dictus Confeſſarius negatiuè ſe habet, nōn monendo, vel præcipiendo, vel cogendo ad reſtitutionem; quia ex officio ei ſolùm incumbit bono ſpirituali pœnitentis attendere, non in bonis alterius temporalibus inuigilare: Ergo licet peccet contra pœnitentem, indebitè circa ipſum exercens proprium officium; non tamen peccat contra alium, cuius temporalibus bonis ex officio non tenetur attendere: Ergo non tenetur ad reſtitutionem damni prouenientis à reſtitutione non facta. Ita *Eman. Sà V. Reſtitutio nu. 21. Azorius p. 3. l. 4. c. 16. quæſ. 3. Reginaldus l. 10. tr. 2. num. 42. Leſſius l. 2. c. 13. dub. 10. nu. 78. Suarez de Pœnit. d. 32. ſect. 7. nu. 9. verſ. Ego verò, Valen. tom. 3. d. 5. qu. 6. pu. 3. Sanchez l. 5. ſumm. c. 6. nu. 5. & l. 2. c. 12. nu. 23. Andreas à Matre Dei ſupra n. 138. Diana p. 2. tr. 1. Miſcell. reſ. 12.* & alii mox allegandi. Quæ doctrina currit etiam pro Parochis, & Epiſcopis, qui ex officio tenentur confeſſiones audire; nam ex officio ſuo non tenentur bonis proſpicere temporalibus aliorum, ſed tantum ſpiritualibus pœnitentis, cuius cauſam agunt, & non alterius. Ita *Bonac. d. pu. 11. nu. 13. Crauſers ad Reg. S. Franc. c. 7. lect. 31. Sanch. Val. Reginald. Suarez, Andreas à Matre Dei, & Diana locis relatis, Serra, Filliuc. Baucius, Leander à Sacramento, Dicaſtillus,* & alii, quos refert, & ſequitur *Renzi tom. 1. l. 2. tr. 7. c. 3. ſect. 3. quæſ. 24. Afflictus ſupra ſect. 2. num. 62.* contra *Leſſium,* putantem probabilius contrarium quoad Parochos, & Epiſcopos. Sententia autem vtriuſque *Nauarri, Martini c. 17. num. 170. Petri l. 3. c. 4. nu. 125. Villalob. nu. 13. Tapiæ nu. 6. Sayri, Molinæ,* & aliorum abſolute quoad omnes Confeſſarios, dicentium teneri ad reſtitutionem, procedit, quando pœnitens talis eſt, vt expreſſe vel tacitè Confeſſario in omnibus ſe tradat dirigendum, taliter quod faciet, vel non faciet, prout ei Confeſſarius dicet, vel non dicet: in tali enim caſu Confeſſarius non monens pœnitentem de reſtituendi obligatione, implicitè ipſum poſitiuè conſulit, ne aliquid reſtituat, vnde efficaciter inducit ad damnum tertij, ac proinde ipſe tenebitur reſtituere, vt pro certo ſupponunt Doctores.

52 Similiter, qui ſuo prauo exemplo mouet alium ad damnum cum damno tertij, v. g. mouendo ad furtum, non tenetur ad reſtitutionem, nam licèt

Digitized by Google

licèt ſit occaſio talis damni, non tamen ſe habet vt cauſa efficax in illo cauſando: peccat propterea contra charitatem ſolummodo, non contra iuſtitiam, niſi ex officio teneatur curare bonum ſpirituale perſonæ, quam malo exemplo induxit ad malum; ſed quia non induxit ad modum cauſæ efficaciter influentis, ſed tantum vt occaſio, ideò ad reſtitutionem non tenetur reſpectu damnum paſſi: qui enim irritatus, ac excitatus ab alterius exemplo malum exequitur, ex ſua malitia, & à ſe motus illud exequitur. Ita *Sanch. l. 1. c. 6. nu. 6. Dicaſtillus l. 2. tr. 2. d. 4. num. 28.* & alij. Si verò dans malum exemplum tenetur ex officio curare bonum temporale, aut impedire damna, vt eſſet Iudex; tunc teneretur ad reſtitutionẽ damni illati tertio ab eo, quem ipſe ſuo prauo exemplo induxit ad tale damnum. Ita probabilius contrario putat *Bonac. d. q. 2. pu. 11. n. 14.* Ducitur, nam inducere aliquem ad malum ſuo prauo exemplo perinde eſt ac non impedire damna: ſed ille, cui ex officio incumbit impedire damna, peccat mortaliter contra iuſtitiã non impediendo cum onere reſtitutionis, vt ſupra probatum eſt: Ergo Iudex, qui ſuo prauo exemplo inducit alium ad damnum: peccat contra iuſtitiam, & conſequenter tenetur ad reſtitutionem. Aliud eſt de dante occaſionem per prauum exemplum, ſi ex officio non tenetur damnum impedire, & ideo ſi iſte v. g. det alapam Ioanni, qui hac occaſione mœrore conſumptus moriatur, ob talem mortem nullam contrahit reſtituendi obligationem. Idem eſt in ſimilibus caſibus. Ita *Bonac. l. c. pu. 3. num. 11. & 12. Leſſius l. 2. c. 12. nu. 123.* aliique. Nec tenetur ad reſtitutionem in dictis caſibus, quamuis animo inducendi ad malum, prauum exemplum, aut aliam occaſionem quis alteri præbet; quia internus animus non influit iniuſtitiam in opus externum, quam ex ſe non habebat; & obligatio reſtitutionis ſolùm ex opere externo iniuſto proficiſcitur. *Bonac. pu. 11. n. 14.* & alii.

53 Eſſet hic pro complemento agendum de ordine, quo tenentur prædicti ad reſtitutionem faciendam. Verum ne hic Commentarius longior ſit, remitto Lectorem ad tractatũ de Reſtitutione. Interim videatur *Reiffenſtuel cit. q. 4. num. 5. & ſeq.* dicens, quòd ſi aliquid proximo iniuſtè eſt ablatum, primo loco, & ante omnes tenetur is reſtituere, ad quem rès furtiua peruenit. Quòd ſi is rem iam conſumpſerit, neque habeat aliunde vnde reſtituat; tunc altero loco tenetur Iubens, tertiò Executor, & poſtmodum alii, vt in ſimili mox dicetur. Si verò nihil ablatum eſt, ſed tantummodò damnum proximo iniuſte illatum, primo loco tenetur is damnum reſarcire, qui coegit, vel fraude induxit, aut alteri imperauit damnum illud inferre, cui alter non fuit auſus contradicere: vt ſi Dux belli iniuſti imperet militi, vt occidat, incendat, ſpoliet. Idem dicendum de eo, qui ſuo nomine procurauit fieri maleficium; ſeu iniuſtam damnificationem: quia talis cauſa eſt primaria mouens cæteras, ac proinde tenetur ante alias ad reſtitutionẽ. Imò ob hanc rationem, ſi talis reſtituat, aliæ concauſæ ſecundariæ non tenentur eidem quidquam refundere. Secundo loco tenetur Executor, in

quan-

quantum fuit executor furti, vel damni iniuſtè illati. Tertiò loco tenentur cæteri, qui conſilium ad illud dederunt, qui conſenſerunt, laudauerunt, aut recurſum, vel obſequium præſtiterunt: hæc *Reiffenſtuel*: quæ docet etiã *Corella hic nu.* 153. qui tamen dicit, quod in hoc decreto non determinat Pontifex, nec diffinit modum reſtituendi.

Docuit etiam *Torrecilla hic nu.* 22. 23. & 24. & *Corella nu.* 155. quod qui precibus, & perſuaſionibus induxit Petrum, qui volebat gratioſè relinquere Ioanni legatum, hæreditatem, aut officium, quod relinquat alteri, nõ tenetur ad reſtituendum vllam rem dicto Ioanni; quia non habebat ius iuſtitiæ ad talia bona. Verum ſi cum fraude, aut deceptione, aut vi cogeret Petrum, ne Ioanni illa relinquat, teneretur ad reſtitutionem, vt commune eſt apud Doctores. Videatur *Diana p. 3. tr. 6. reſ. 33. & 34.* Quia licèt Ioannes non habeat ius iuſtitiæ ad illa bona: tamen habet, quod nullus cum fraude, aut iniurijs impediat id, quod alius ei dare vult: Ergo cum ipſis medijs impedit, peccat contra iuſtitiam cum obligatione reſtituendi: Contra *Dianam* inſurgit *Riccius hic*: ſed validè illum defendit *Carolus Morales*. Videatur.

PROPOSITIO XL.

Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu eiuſdem perſonæ, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito cum intentione lucri.

1 ALiqui cenſent auctorem huius Propoſitionis eſſe *Ioannem Sales in tr. de empt. & vendit. dub. 37. num. 4. & Dianam p. 1. tr. 8. reſ. 58.* quatenus impugnant illam conditionem requiſitam à *Molina*, & alijs, nimirum, quòd vt talis contractus immunis euadat ab vſura, & iniuſtitia, fieri non debet intentione principali reemendi viliori pretio: ita vt, ſine illius lucri ſpe, non eſſet mercator credito venditurus: quæ conditio prima facie videtur eſſe, quam continet proſcripta Propoſitio. At Propoſitio damnationi ſubiecta vnit intentionem lucri cum contractu retrouenditionis præuiè inito. *Diana* verò, & *Salas* nullum pactum ſiue explicitum, ſiue implicitum de retrouenditione adhiberi admittunt. Cæterùm cuiuſcumque illa ſit, certum eſt fuiſſe vnam ex cenſuratis à Facultate Louanienſi, inſtante Epiſcopo Gandauenſi die 4. Maij ann. 1657. ſub his verbis: *Falſa eſt, & palliatiua vſurarum, præſertim cum emptori imponitur onus reuendendi, vti in aſſertione.*

SVM-

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Venditio cum pacto retrouendendi, vel retroemendi emptio,ſeu redimendi, poteſt fieri,vel in fauorem venditoris,& tunc res minus venditur: vel in fauorem emptoris,& tunc res magis valet,& venditur: minus, vel magis in tertia parte ſecundum aliquos,vel in quarta ſecundum alios: vel hoc remittitur arbitrio prudentis.Vel in fauorem vtriuſque, & tunc minus valet,ac ſi apponeretur in fauorem ſolius ementis.*

3 *Licita eſt venditio cum pacto retrouendendi in fauorem venditoris,& retroemendi in fauorem emptoris,& etiam vtriuſque, ſi debitæ conditiones non deſiderentur. Vbi, an hoc procedat, etiam ſi res vendita cum pacto retrouenditionis in fauorem venditoris locetur venditori. Et quid in contractu redemptionis in fauorem emptoris.*

4 *Prima conditio,vt licita ſit talis conuentio eſt,quod abſit fraus vſurarum.*

5 *Secunda,vt iuſtum ſit pretium habita ratione grauaminis.*

6 *Tertia,vt non poſſit paciſci,quòd res poſtmodum pluris vendatur,nec vt minori pretio,ſed quod iuſto pretio emitur,vel vendatur, prout res valuerit tempore redemptionis, aut reuenditionis. Sed an poſſit tunc vendi cum pacto,vt eodem pretio poſtea reuendatur, vel tunc emi, vt eodem pretio tunc redimitur?*

7 *Quarta conditio,quod non tribatur in pactum,vt periculum, aut commodũ rei venditæ ſit apud venditorem,niſi aucto proportionaliter, vel diminuto pretio rei.*

8 *Quinta,vt ſeruetur identitas rei venditæ,niſi pretium augeatur,vel minuatur iuxta leges iuſtitiæ commutatiuæ.*

9 *Quid eſt contractus Mohatræ,quidue formale in eo? Vbi admittitur communis diuiſio pretij iuſti in ſupremum,medium,& infimum.*

§. II.

10 *An ſit licitus contractus Mohatræ reſpectu eiuſdem perſonæ cum pacto retrouendendi.Et pars affirmatiua qua cenſura reijciatur. Et quid ſenſerint Doctores ante Decretum.*

11 *Quid indicet additum in Propoſitione,*cum intentione lucri?

12 *An etiam ſit illicitus iſte contractus, atque vſurarius, ſi adſit pactum implicitum retrouenditionis. Et quando hoc interuenit.*

13 *An hic contractus ſit licitus,ſi ceſſet pactum explicitum, & implicitum, & neſciat venditor emptorem velle retrouendere.*

14 *An etiam ſit licitus,ſi ſciat Venditor emptorem non indigere re empta. Sed pecunia,& reuenditurum rem viliori pretio,& ipſe vendat rigoroſo pretio cum intentione redimendi viliori,nullo tamen pacto interueniente.*

15 *Quid,ſi emptor,ſi alteri venderet, medio pretio eſſet venditurus poſſit mer-*

cator illi dicere, vt ſibi reuendat, & offerat infimum pretium. Vbi quid faciendum, vt ſecurius agatur.

16 An ſit licitus contractus iſte, quando emptor à mercatore petit pecuniam mutuo, ſed iſte ſe pecuniam non habere reſpondens offerat ei merces ad valorem pecuniæ poſtulatæ, ea intentione, vt vendat rigoroſo pretio, & redimat infimo, cum ſciat ipſum propter pecuniæ indigentiam ad hoc deuenturum, ſi hoc non deducat in pactum, nec intendat cogere poſtea.

17 Hic modus contrahendi licèt probabiliter aſtruatur licitus, ſæpe non caret culpa in mercatore, qui ex compoſito ita vendit, vt pretio infimo redimat, tum contra charitatem, tum præbendo malum exemplum, tum ſe ipſum, & alios infamando. Et licèt non teneatur ad reſtitutionem ex iuſtitia, fieri poteſt, vt teneatur ex charitate, ſi ſcilicet alter ſit pauper, & graue ſit illi tale detrimentum.

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

1 PRænotandum eſt primò: Quod venditio cum pacto retrouendendi, vel retroemendi emptio, ſeu redimendi, poteſt fieri, vel in fauorem venditoris; vel in fauorem emptoris; vel in fauorem vtriuſque. Tunc fit in fauorem venditoris, quando onus imponitur emptori: vt, *Vendo tibi hunc equum, cum pacto, vt quando ego voluerim, vel tempore à me aſſignando illum mihi reuendas.* Et tunc ſicut res venditur cum onere, minus valet, quàm ſi valeret ſecundum ſe, etſi abſque onere venderetur; quia illud onus eſt pretio æſtimabile: vnde inferiori pretio debet vendi, ac ſi abſque vllo onere venderetur; quia res magis valent liberæ, quam valeant ſubiectæ. Tunc in fauorem emptoris fit, quando grauamen, ſeu onus imponitur venditori; vt, *Emo à te equum, cum pacto, vt quando Ego voluerim, vel tempore à me præfixo illum à me redimas:* & tunc magis valet illa res, & cariùs debet emi, vt ematur iuſto pretio: ſiquidem venditor præter rem, quam vendit, ſubit grauamen iterum redimendi ad beneplacitum emptoris: & ſic debet penſari non ſolùm valor rei ſecundum ſe, ſed habita ratione grauaminis, quod imponitur venditori. Et ideo aliqui innominati apud *Card. de Lugo to. 2. de iuſt. d. 26 ſect. 13. §. 1 nu. 189.* dicunt rem, quæ venditur in fauorē venditoris cum pacto retrouendendi minus valere in tertia parte, vel magis in tertia parte valere, ſi in fauorem emptoris cum pacto retrouendendi. Alij in quarta parte. Ita *Bonac. de contract. d. 3. q. 2. pu. 3. nu. 2.* qui teſtatur ita eſſe praxim Mediolanenſem Sed melius alii id ſtatuunt, eſſe decernendum prudentis arbitrio, expenſis longitudine, & breuitate temporis, aliiſue circumſtantijs. Ita *Reginaldus, Molina, Menochius, alijque citati à Bonacina*

loco

loco citato,quos ſequitur *Tamburinus l.8. Decal.tr.3.c.7.§.8. num.*19. Tunc demum pactum in fauorem vtriuſque celebratur, quando vtrique libertas relinquitur, vt contractum reſcindere poſſit, & diſſoluere, ſi voluerit; & tunc res minùs valet,ac ſi apponeretur in fauorem ſolius ementis; ita vt ſi in fauorem ſolius venditoris valeret viginti,& in fauorem emptoris triginta,ſi in fauorem vtriuſque valet viginti quinque.Ita *Leſſius l.2. c.21.dub.14. nu.102.Bonac.cit.pu.3.à nu.1.Tamburinus nu.26.*& alii.

3 Notandum eſt ſecundò, eſſe licitam venditionem cum pacto retrouendendi in fauorem venditoris, & retroemendi in fauorem emptoris, & etiam vtriuſque,ſi debitis conditionibus infra aſſignandis fiat. Eſt communis ſententia. Et colligitur ex *Leuitici* 25. vbi Dominus præcepit, vt omnes terræ populi Iſrael ſub conditione redemptionis venderentur: ex *l.ſi fundum,l.quod in te,Cod.de pactis inter emptorem, & venditorem*, & ex praxi communi in cenſibus, qui cum pacto implicito redemptionis venduntur; nec eſt ratio,quare emptio cum grauamine redemptionis impoſito venditori ſit licita,& non venditio cum onere retrouenditionis in fauorem venditoris, ac proinde quando fit in fauorem vtriuſque. Et ratio omnium eſt, quia hic apponitur pretium iuſtum,vt ſupponitur;ſiquidem ſi fiat cum pacto retrouendendi in fauorem venditoris, poteſt onus emptoris compenſari diminutione pretij: & ſi in fauorem emptoris, augendo pretium modo dicto; & ſi in fauorem vtriuſque, illud iuxta regulam datam deſignando: Ergo ſi fiat bona fide animo emendi, & vendendi, quamuis poſtea redimendi,non eſt,vnde condemnetur talis cotractus. Notant *Bonac.n.12. & 16.Maldcrus tr.5.c.2.dub.16.concluſ.3.Sylu.V.vſura nu.15.Petrus Nauar. l.3.c.2.dub.10.Tambur.nu.24.& Villal.tr.21.diff.18. nu.9.* hanc doctrinam locum habere, etiam ſi res vendita cum pacto reuenditionis in fauorem venditoris, locetur venditori,& hoc in pactum deducatur (niſi fortè celebretur ad palliandam vſuram, & maiora onera imponantur venditori,eidemque conductori, quàm poſtulet natura contractus:) nam ſi ego tibi vendo domum cum pacto,vt illam mihi reuendas,& interim loces,duplex interuenit contractus,& vterque iuſtus;alter venditionis,de quo diximus; alter locationis,quia domum iam à te emptam potes locare cui volueris, & ſic eam mihi locare poteris. Cæterum quia in contractu redemptionis in fauorem emptoris manifeſtè datur vſura palliata, cum res, quæ perire non poteſt,vt vinea,hortus,domus,emitur cum pacto redemptionis: ideò merito illicitam eſſe talem pactionem docent *Villalobos nu.10. Petrus Tapia l.5.q.16.ar.14.nu.5.*Pone Petrum à me vineam emere mille aureis,quos dedit cum pacto,vt quando ipſe voluerit,ego eam redimam: colligit ipſe fructus ex ea,& poſtea vult,vt illis mille aureis vineam redimam, committit palliatam vſuram:quia nihil aliud eſt], quàm velle fructus vineæ meæ percipere pro mille aureis,quos mutuauit: & ſic pro mutuo vult lucrum reportare,quod ſpeciem magnam vſuræ præſefert, niſi tantùm de pretio

in redemptione minuatur, quantum valent fructus; vel initio contractus cariori vinea vendatur pretio, pro ſpe fructus percipiendi ab emptore.

4 Prima igitur conditio, vt iuſta ſit talis conuentio eſt, quod non fiat in fraudem vſurarum: quia tunc eſt vſura palliata. Vſura namque palliata dicitur quando ſub alio contractu celatur; & tunc datur in præſenti, quando ab vſurario fieret animo magis mutuandi, quàm emendi, aut vendendi. Emit à te vſurarius domum mille aureis cum pacto, vt poſt annum tanti redimas, interim locat eam tibi, vel alijs, centum aureis: ecce ad lucrandũ hos centum aureos, illos mille quaſi mutuatos dat; & ſic non tam animo emendi, quàm lucrandi. Requiritur ergo bona fides animo emendi, & vendendi: quia non perficitur contractus emptionis, niſi conſenſu vtriuſque, & animo eum celebrandi; & tunc adeſſe bona fides præſumitur, quando, vel qui emit hoc fecit, quia ſufficientes pecunias non habet ad aliquid emendum, niſi cum tali grauamine: vel ſi res precibus venditoris emitur ab emptore, quia aliàs nollet eam emere, vel ipſe emere vellet, ſed qui vendit, non vult alienare eam, niſi cum illo onere. Ita *Reginaldus l. 25. nu. 248. Bonac. nu. 8. Villalob. nu. 4. Tapia n. 3.*

5 Secunda conditio eſt, vt iuſtum ſit pretium habita ratione grauaminis. Quælibet enim venditio, & emptio non ſeruato iuſto pretio iniqua eſt. Nec iuſtum ſeruaretur pretium, ſi res, quæ ſecundum ſe valeret 20. venderetur eodem pretio cum pacto retrouendendi: ſiquidem res minus valet cum illo grauamine, quàm ſecundum ſe valeret: & magis quando grauamen imponitur venditori in fauorem emptoris cum pacto redemptionis. Vnde tantum pretij minuendum eſt, ſi in fauorem venditoris celebretur; vel augendum, ſi in fauorem emptoris, vt ſeruetur æqualitas, & iuſtitia pretij conſiderato onere emptori, vel venditori impoſito: & pro ratione diuturnioris, vel breuioris temporis, quod præfinitur ad redemptionem, vel retrouenditionem, debet augeri, vel minui pretium: quia iuxta maius, vel minus grauamen, quod imponitur, debet dari auctuarium, vt omnes aſſerunt.

6 Tertia conditio, vt non poſſit paciſci, quòd res poſtmodum pluris vendatur, cùm poſſit tunc minus valere; nec vt minori pretio, cùm poſſit plus valere; ſed quòd iuſto pretio vendatur, vel ematur, prout res valuerit tempore redemptionis, aut reuenditionis. Poſſe tamen tunc vendi cum pacto, vt eodem pretio poſtea vendatur, vel tunc emi, vt eodem pretio poſtea redimatur, aſſerunt *Leſſius cit. dub. 14. num. 115. Villalob. nu. 5. Bonac. nu. 14. Tambur. num. 20.* Quia id nihil aliud eſt, quàm vendere cum pacto, vt tali tempore diſſoluatur contractus. Sed aliis meritò diſplicet: quia quando res venditur in fauorem venditoris cum pacto retrouendendi, minus valet res, quia emptori datur cum onere, & grauamine. At quando reuenditur ab emptore priori venditori tantùm valet, quantùm ſecundum ſe æſtimatur: cùm nullum onus imponatur emptori; & è conuerſo quando in

fauorẽ emptoris, quomodo diximus plus valere rem, quia onus imponitur venditori: Ergo non poteſt redimi, aut reuendi eodem pretio, quando abſque onere datur, ac cùm emitur, aut venditur cum illo, niſi incrementum, vel decrementum pretij intra latitudinem iuſti contineatur, vt ſi res, quæ valebat nouem in infimo pretio, vendatur cum pacto redemptionis 12. quod eſſet ſummum conuentione facta, vt venditor redimat pretio 12. quod infra latitudinem iuſti pretij continetur.

7 Quarta conditio eſt, quod non trahatur in pactum, vt periculum aut commodum rei venditæ ſit apud venditorem, niſi tantum augeatur, vel minuatur pretij, quantum tale periculum poteſt æſtimari; quia ex natura contractus venditionis eſt, vt damnum, & commodum rei ſit penes emptorem, *l. illud, ff. de periculo, & commodo rei venditæ*: & ideo fructus rei illius medii temporis pertinent ad emptorem, vt docent communiter Doctores, modo locata non ſit venditori, qui ratione locationis eos tunc percipere valeret.

8 Quinta conditio, vt ſeruetur identitas rei venditæ, vt ſi vacua vendatur, vacua reuendatur: ſi cum fructibus ematur, cum fructibus redimatur: nam ſi quis emeret vineas poſt vindemiam, vel ſegetes poſt meſſem, pacto, vt reuendantur intra annum, quando fortè ſunt cum fructibus, iniuſtitiam faceret; quia res cum fructibus pluris æſtimatur, quàm ſine illis, niſi pretium augeret in reuenditione, vel minueret in prima venditione quantum ſpes fructus æſtimabatur.

9 Notandum eſt tertio: Quòd contractus Hiſpanicè dictus *Mohatra*, vel *Baratas*, Italice *Stocco, Baratto, Porro, Palizza, & Varacho*: Eſt venditio quædam, & emptio mercium; vt quando quis pecuniæ egens, emit pecunia credita merces à mercatore ſummo pretio, & ſtatim ei pecunia numerata reuendit pretio infimo; & hoc fieri poteſt ſeu caſualiter, vel cum pacto explicito, vel implicito; ac intentione principali lucri. Communis autem ſententia admittit diuiſionem iuſti pretii in ſummum, medium, & infimum. V. g. ſi res in ſummo pretio valeat decem argenteos, in medio nouem, & in infimo octo. Exemplificatur autem communiter hic contractus per emptionem ſummo pretio, & reuenditionem eidem factam pretio infimo: at idem eſt, ſi fiat pretio medio, &c. Illud eſt formale in iſto contractu, quòd emptio, & venditio ſit eiuſdem perſonæ; quia ſi quis emat à Petro merces ſummo pretio, & contrahat cum alio, aut alijs de vendendo eas merces pretio infimo, non inuenitur in eo caſu contractus Mohatræ, vt rectè notat hic *Ioannes Cardenas diſſert. 24. num. 5.* His prænotatis, ſit.

§. TER-

§. TERTIVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

10 DIco primò: Illicitus eſt contractus Mohatræ reſpectu eiuſdem perſonæ cum pacto de retrouendendo. E.g. Petrus eget pecuniis, & vadit ad Ioannem mercatorem, vt ſibi eas mutuet; reſpondet Ioannes, ſe non habere pecunias mutuandas, ſuadetque Petro, vt emat credito merces ſummo pretio, cum pacto tamen retrouendendi infimo pretio pecunia numerata, & hoc modo Petrus accipit pecunias, quas deſiderabat, ſed cum detrimento ſuo, & lucro Ioannis mercatoris: hic contractus eſt illicitus initus cum pacto retrouenditionis. Et contrarium aſſerere eſt hoc decreto vt minimum tamquam pernicioſum reiectum, & ante etiam tanquam contractum illicitum, & vſurarium reiecerant *Leſſius nu.* 130. *Card. de Lugo nu.* 205. *Bonac. nu.* 20. *Graffius p.* 1. *l* 1. *c.* 209. *nu.* 4. *Diana p* 1. *tr.* 8. *reſ.* 58. *Andreas à Matre Dei tr.* 14. *c.* 2. *pu.* 7. *nu.* 69. *Tambur. ſupra num.* 10. & alii cómuniſſimè cum *D. Antonino p.* 3. *tit.* 8. *c.* 4. *à verſ. Hic etiam aliquando, & p.* 2. *tit.* 1. *cap. de Barocholis.*

Probatur: Quia is contractus continet vſuram palliatam: nam vt mercator eo lucro potiatur ex pecunia, quam alter petit mutuandam, vtitur fraudulenter eo circuito venditionis, & retrovenditionis. Continet ergo talis contractus vſuram mentalem, vel palliatam, nam huiuſmodi venditio, & emptio cum pacto redimendi, præſumitur tantùm ficta venditio, & emptio, in effectu autem mutuum cum lucro, ex fœnore. Vnde perbelle *D. Ambroſius lib. de Tobia c.* 14. relatus *in c. Plerique* 14. *q.* 3. ait: *Quodcumque ſorti accedit, vſura eſt. Quod velis ei nomen imponas, vſura eſt. Si licitum eſt, cur vocabulum refugis, cur velamen obtexis? Si illicitum eſt, cur incrementum requiris?* Contra quam iniquitatem clamat *Apoſtolus epiſt.* 1. *ad Theſſalonicenſes c.* 4. dicens: *Ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus.*

11 Porrò dicitur in Propoſitione *cum intentione lucri*; quia (vt rectè *Ioannes Cardenas num.* 5.) id pactum retrouenditionis pro infimo pretio ordinatur ad lucrum.

12 Dico ſecundò: Etiam eſt illicitus iſte contractus, & vſurarius, ſi interueniat pactum implicitum retrouenditionis. Ita ante hoc decretum *Graffius, Bonac. Diana, Andreas à Matre Dei* locis relatis, & alii communiter, & poſt Decretum *Ioannes Cardenas, Carolus Morales, Piſani*, & alii, quos ſequitur *Felix à Panormo to.* 2. *d.* 4. *nu.* 717.

Patet, quia etiam cum pacto implicito vſura palliatur, vt patet; re ipſa enim nihil aliud eſt, quàm velle mutuare cum pacto, vt alius teneatur ſol-

uere

Digitized by Google

uere centum, & ſic decem ſupra ſortem accipere. Porrò pactum implicitum eſſet vtcumque indicata intentio, emptorem obligandi ad retrouendendum. Ita *Felix à Panormo ſupra.*

13 Dico tertiò. Si ceſſet pactum explicitum, & implicitum, & neſciat venditor emptorem velle reuendere, hic contractus eſt licitus. Ita hic *Ioannes Cardenas nu. 3. Torrecilla nu. 5. & 6. Corella num. 158. Piſani nu. 2. Felix à Panormo, Lumbier, Riccius,* & alii communiter. E.g. nullum pactum extat retrouenditionis nullaque intentio redimendi vilius præceſſit in mercatore, nec ſcientia, an Petrus panno indigeret, an pecunia, & an illum debeat retrouendere, ſed bona fide pannum vendit credito, venditque iuſto pretio, ſed rigoroſo; non intuitu expectandæ ſolutionis (in quo poſſet eſſe difficultas) & deinde à Petro, vel tunc ſtatim rogetur, vel poſt breue ſpatium redeunte, vt pannum redimat, etiam ſi Petrus ideo emerit, vt retrouendat, dum hæc intentio mercatori non innotuerit, poteſt mercator redimere infimo iuſto pretio numerata pecunia.

Probatur; quia nulla fraus intercedit, nulla palliatio mutui, nullaque ſpecies iniuſtitiæ: quia poteſt vendere rigoroſo, & emere infimo intra limites iuſti pretij. Tùm, quia merces vltroneæ vileſcunt. Tùm quia mercator iſte; quia vendidit credito, non euadit deterioris conditionis, quàm quilibet alius, qui pretio infimo poſſet emere.

14 Dico quartò: Etiam ſi mercator ſciat Petrum non indigere panno, ſed pecunia; & reuenditurum pannum viliori pretio; & ipſe vendat rigoroſo pretio, cum intentione redimendi viliori, nullo tamen pacto interueniente, nec implicito, nec explicito, nec per ſe, nec per alios, in hoc caſu licitum eſt redimere viliori. Ita *Ioannes Cardenas num. 5. Piſani num. 3. Felix à Panormo ſupra,* & alii.

Probatur; quia iſtæ ſunt duæ emptiones, & venditiones diſtinctæ, & ambæ iuſtæ. Et quamuis illa intentio præcedat in mercatore; dùm tamen pactum non intercedit, nullum onus iniuſtum imponitur Petro, nec illa intentio eſt illicita, licèt tendens ad lucrum; alias emere viliùs, vt cariùs vendatur: quod eſt negotiatorum intentum, illicitum eſſet; Tum quia dùm non præceſſit pactum, poſſet Petrus cuicumque vendere illo infimo pretio.

15 Verùm Titius, ſi alteri rem, medio pretio eſſet venditurus: & mercator illi dicat, vt ſibi retrouendat, & offerat infimum pretium, ſciens ob verecundiam, quia ab ipſo accepit credito, conſenſurum videtur illicitè agi, quia intuitu expectatæ ſolutionis exigi videtur illud, in quo pluris vendidiſſet Petrus, ſi aliis vendidiſſet. Vnde cenſeo cum *Tamburino num. 12.* ſecurius eſſe mittere ad forum, vt vendat, & ſi ibi inueniat, qui velit emere: ſi verò non inueniat, redeat; nam ſic ſecurius idem mercator infimo redimat pretio. *Piſani* verò putat ſufficere, quod mercator Petrum mittat ad forum, vt vendat, & quantum reperit, ſibi potiùs, quàm alijs retrouendat,

non

Digitized by Google

non in pactum hoc deducendo, nec ante venditionem, ſed poſt, & liberum ipſum relinquendo, ſi velit ſibi potiùs, quàm aliis vendere.

16 Remanet reſoluendum, quando Petrus à mercatore petit pecuniā mutuo, ſed is ſe pecuniam non habere reſpondens, offert ei merces ad valorem pecuniæ poſtulatæ, ea intentione, vt vendat rigoroſo pretio, & redimat infimo, cum ſciat ipſum propter pecuniæ indigentiam ad hoc deuenturum licet hoc non deducat in pactum, ſed hoc intendat.

In hoc caſu putat *Piſan. nu.* 4. poſt *D. Antoninum, & Bartholomæum Medinam à Diana cit. reſ.* 58 relatos, mercatorem non excuſari à labe vſuræ: Mouetur, quia reuera illud pluris quo vendit, pro mutuo accipit, eſtque palliata venditio, re vera mutuum, vel quaſi mutuum. Et quanquam pactum non præcedat, vnde poſſet alteri vendere: tamen moraliter exiſtimatur, vt Petrus non ſit diſſenſurus, ſi mercator ab eo petat ſibi retrouendi; tum propter indigentiam pecuniæ; tum ne quærat cui vendat, cum difficile ſit ſtatim emptorem inuenire; tùm in gratiam mercatoris credito vendentis.

Sed hunc contractum eſſe licitum, ſi verè intendant emere, & vendere, & nullum ſit pactum explicitum, nec implicitum retrouenditionis eidem perſonæ, quæ vendidit: Ita *Toletus, Reginaldus, Sales, Caſtro-Palaus, Villalobos, Leſſius, Petrus Nauarra, & Bonacina*, quos relatos ſequitur *Andreas à Matre Dei cit. c. 2. pu. 7. nu. 70. Ioannes De la Crux in direct. conſc. 1. p. præcep. 7. qu. 5. dub. 1. concluſ. 1. Diana p. 1. tr. 8. reſ. 33. & 58. Tamburin.* aliique ſcribentes ante hoc decretum, & poſt illud *Ioannes Cardenas nu. 5. Felix à Panormo ſupra*, & alij: Probari poteſt verbis *Leſſii nu. 130. quia* (inquit) *& venditio prima iuſta eſt, cum fiat iuſto pretio, quamuis ſummo, & ſecunda etiam eſt iuſta, qua eædem merces reuenduntur. Nec refert, quòd hæc reuenditio fiat pretio infimo; tum quia pretium infimum etiam eſt iuſtum, præſertim in numerata pecunia; tum quia merces, quæ à venditore ingeruntur, vileſcunt. Nec etiam refert, quòd idem ſit emptor, qui ante erat venditor, quia ſi alius quiuis poterat illo pretio emere, cur non ille, qui vendidit? Imò beneficium alteri in hoc præſtari videtur, dum ille liberatur à quærendis alijs emptoribus, & ſumptibus in proxenetas faciendis: non tamen poteſt illum ad hoc cogere, ſed debet omninò liberum relinquere.* Hæc *Leſſius*.

17 Aduertit tamen *num.* 131. hunc modum contrahendi ſæpè non carere culpa in mercatore, qui ex compoſito ita vendit, vt pretio infimo redimat. *Nam* (inquit) *Primò peccare poteſt contra charitatem; vt ſi cogat miſerum aliquem hominem emere merces, quibus non eget, magno illius diſpendio; cùm poſſit illi facilè, & abſque ſuo incommodo mutuum dare. Secundo peccare poteſt præbendo malum exemplum; nam contractus ille habet ſpeciem mali, & ſuſpicionem vſuræ. Tertiò ſeipſum, & ſuos infamando.* Non tamen tenetur ad reſtitutionem, vt inquit *Nauarrus*: quod *Leſſius num.* 132. intelligit, non teneri ex iuſtitia. Sed fieri poteſt, vt teneatur ex charitate; vt ſi alter ſit pauper, & graue ſit illi tale detrimentum; cùm enim ipſe ſit cauſa illius grauis incom-

modi,

Digitized by Google

modi, tenetur illud amouere ex charitate, ſi commode poteſt: ceſſante tamē paupertate alterius, non tenetur, quia nec charitas, nec iuſtitia illum obligat.

PROPOSITIO XLI.

Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram; poteſt creditor aliquid ſupra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vſura excuſari.

1 HÆc formaliſſimis terminis tradita eſt à *Caramuele l. 2. Theol. moralis d. 14. num. 799.* vbi ait: *Inquiro, An numerata pecunia ſit pretioſior pecunia numeranda? Reſpondent aſſertiuè Nauarrus c. 17. num. 231. & 331. Emmanuel Sà V. Debitum nu. 20. Armilla V. vſura num. 50. Caietanus V. vſura, ad finem.* Et citat deinde *Malderum, Philiarchum, Fabrum, Dicaſtillum, Dianam, Azorium, & Ledeſmam.* At iſti Doctores ideo hoc docent in chirographis, ſeu paginis acerbis, quia non agnoſcunt contractum mutui, ſed alium vt infra, nec omnes illam ſententiam tenent vt probabiliorem; aliqui enim contrariam defendunt, & illam tantum probabilem cenſent.

Proſequitur *Caramuel nu. 800. Ex hac ſententia citati Auctores probabiliter inferunt, poſſe chirographos, obligationes, & debita tametſi ſecuriſſima, ſi ſoluenda poſt aliquod determinatum tempus, emi minoris, ſi parata pecunia: item poſſe debitorem minori pretio, dato tamen ante tempus, extinguere debitū maius: & poſtulo, an Deum communem habeamus an priuatum? Si igitur Deus noſter æquè mutuatarij, ac mutuatoris index eſt, vtrumque eadem ſtatera ponderabit. Ergo ſi centum aurei ſoluendi poſt annum poſſunt hodiè extingui nonaginta quinque paratis; ſi mutuans nonaginta quinque dederit hodie ſub onere, quòd centū poſt annum reſtituantur, nihil acquiſiuit præter ſortem; vel æquitas inæqualis eſt:* Et *num. ſeq.* ſubiungit: *Vſurarius eſt, qui cumque accipit vltra ſortem: vnde ſi nonagintaquinque aurei parati, centum dandis poſt annum æquiualent, qui nonaginta quinque hodie mutuat, & poſt annum centum recipit, vſurarius non eſt; quia nihil ſupra ſortem accepit; eſſet tamen, ſi ſub finem anni plures, quàm centenos acciperet.* Deinde ipſe ſic dicit: *Tu hanc doctrinam perpende, & examina; puto enim iudicio communi decidendam, & non ſcio me audiuiſſe ab aliquo ſe non facere maioris pecuniam præſentem, quàm futuram.* Hæc ille.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Nomine pecuniæ latè dictæ, quid veniat, & vnde dicatur: quid verò intelligatur nomine pecuniæ ſtrictè.*

3 *Pecunia ex ſe infructuoſa, vt ſubeſt induſtriæ, & auaritiæ hominum fœtum gignit, ſed præternaturalem.*

4 *Quid eſt vſura? Et quare in contractu mutui lucrum ex mutuo vi mutui ſit illicitum? An audiendus ſit Caramuel aſſerens, mutuatorem remanere cum Domino morali pecuniæ mutuatæ?*

5 *Res vſu conſumptibiles; pecunia, vinum, frumentum &c. ſunt materia mutui: at cum quo diſcrimine?*

§. II.

6 *An pecunia numerata ſit pretioſior numeranda, loquendo de maiori pretioſitate intrinſeca ipſi pecuniæ? Et pars affirmatiua cui cenſuræ ſubdatur?*

7 *Proſternitur per inconuenientia, quæ ex illa ſequerentur.*

8 *Inter inconuenienti eſt, quod vendens rem ſummo pretio, quod eſt centum, ſi ab emptore non ſoluantur ſtatim dicta centum, de iuſtitia teneretur poſt annum ſoluens dare centum quinque: nec præſumi poſſet ſpontanea ceſſio ipſius venditoris.*

9 *Si numerata pecunia eſſet intrinſecè pretioſior numeranda, exularet æquitas; & iuſtitia in quotidianis expenſis, & contractibus.*

10 *Admittitur commune proloquium: Pecunia numerata eſt pretioſior numeranda, quoad pretioſitatem extrinſecam, ſeu per denominationem extrinſecam: Sed quomodo?*

11 *Si in ordine ad alios contractus poſſet eici: Pecunia numerata eſt pretioſior numeranda, & etiam in ordine ad contractum mutui? Et pars affirmans qua cenſura deijciatur?*

12 *Reijcitur primò; quia in ordine ad mutuationem non conſideratur vtilitas, quam poſſet habere mutuator ſi non mutuaret.*

13 *Confirmatur quia in ſtatu præciſè mutuationis conſideratur pecunia præſens, vt indifferens.*

14 *Non poteſt dici pretioſior pecunia præſens ex neceſſitate, vel vtilitate mutuatarij.*

15 *Proſternitur ſecundò, quia ex contraria ſententia tollerentur de mundo vſuræ, ſeu potius vſura non eſſet amplius mala, & iure naturali etiam prohibita.*

16 *Reijcitur reſponſio aduerſariorum.*

17 *Proſternitur tertiò, quia recipere aliquid vltra ſortem in mutuo, vi mutui eſt vſura damnata.*

18 *Caramuel abutitur termino illo vltra ſortem, dum in mutuo pecuniæ præſentis*

Digitized by Google

tis 95. ducatorum, pretium numerandum 100. negat eſſe ſupra ſortem, ſed eſſe ſortem æquatam pretioſitati pecuniæ numeratæ, & inſuper æquiualentia efficeret, vt nec in lucro ceſſante, & damno emergente lucrum eſſet ſupra ſortem.

19 *Proſternitur quartò ex præſentia lucri ceſſantis.*

20 *An etiam ſi in mutuo pecunia numerata eſſet intrinſecè pretioſior numeranda adhuc ratione huius non poſſet lucrum additum mutuator accipere? & pars affirmans adhuc maneret cenſura confiſta?*

21 *Reijcitur primò, ex eo quod in mutuo mutuator tantum debet ſeruari indemnis.*

22 *Secundò, quia pecunia numeranda, dum poſtea numeratur præſens eſt, & æquè pretioſa mutuata.*

§. III.

23 *Afferuntur argumenta Caramuelis.*

24 *Chirographum poteſt minori pretio emi, ſi non ſit liquidum, facilis ſolutionis, ratione damni emergentis, lucri ceſſantis; & hoc etiam ſi emptor ſua induſtria facilè recuperabit.*

25 *Quando difficultas debiti prouenit ex culpa debitoris, non poteſt ab eo minori pretio emi, ſecus ſi ex alijs capitibus.*

26 *Si debitum ſit liquidum, certum, facilis ſolutionis, ceſſentq; tituli lucri ceſſantis, damni emergentis, probabilis ſententia eſt, quæ docet adhuc poſſe emi minori pretio iuxta conſuetudinem mercatorum.*

27 *Probabilior ſententia negat, quia eſt iniuſta, ac iniqua emptio, ac palliata vſura.*

28 *Non tamen ſententia prior remanet ſubiecta damnationi huius Propoſitionis: & quare?*

29 *Soluitur primum argumentum Caramuelis ductum ex emptione chirographorum minori pretio, iuxta noſtram veriorem ſententiam.*

30 *Soluitur etiam, attenta priori probabili ſententia.*

31 *An ſi mutuator petat anticipatam ſolutionem, poſſit mutuatarius ſoluere minori pretio?*

32 *Quid ſi mutuator neceſſitate preſſus petat anticipatam ſolutionem?*

33 *An ſi mutuator exponat venale chirographum mutuatarij, poſſit iſte illud emere minori pretio?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò: Quòd pecunia latè dicitur quidquid homines in terra poſſident. Pecunia vero idcirco nuncupata eſt, vel

quia, teſte *Plinio Secundo l.18.c.3.& Natur.Hiſtor.l.33.c.3.* Seruius ſextus, & Rex penultimus Romanorum fuit primus, qui æs ſignauit nota pecudum, vt effigie ouium, boumque, &c. vel quia antiqui totum quod habebant, in pecoribus habebant. *Auguſtinus de diſciplina Chriſtiana* relatus in *Can.totum quidquid homines poſſident in terra, quorum Domini ſunt: pecunia vocatur, 6.1.q.3.* Accedit quòd in *Rothomagenſi Concilio legitur in Can.Sancitum eſt, atque omnibus modis prohibitum 33.7.q.1.* verbis illis: *aut aliam pecuniam tribuere:* quo loco *Gloſſa ver.aut aliam pecuniam* commentum agens faſſa eſt: *Aliam benè dixit, quia quidquid habent homines, pecuniæ nomine cenſetur.* Concinit *Ambroſius ad Hilarium in Can.ſi infidelis (dicit Apoſtolus)* diſcedit, *diſcedat.7.in fine 28.q.1.* verbis deducens conſequentiam: *Hoc ergo & de domo, atque agris, hoc & de ijs rebus, quæ iure pecuniario poſſidentur, hoc loco accipiendum eſt.* Ita quidem, vt pecuniæ nomine etiam iura comprehendantur, *vt Gloſſa* adnotat *d. Can. totum quidquid homines poſſident, verb.pecunia.* Strictiùs vero pecunia accipitur, (vt hic) ſola numerata pecunia, ex *Auguſtino Can.ſi fœneraueris homini, ideſt mutuam pecuniam tuam dederis 1.14.q.3.* ibique *non pecuniam ſolam, ex Hieronymo in Can putant quidam vſuram tantum eſſe in pecunia, 2.eadem 14.q.3.* Vbi *Gloſſa V. pecunia comminiſcitur: ſtrictè ſumitur hìc nomen pecuniæ. Nam generaliter dicitur pecunia quidquid habes, vt 1.qu.3. totum.*

3 Notandum eſt ſecundò. Quòd pecunia ex ſe eſt infructuoſa. *Ioannes Chryſoſtomus relatus in Can. eijciens Dominus vendentes, & ementes de Templo, 11.circa finem diſt.88.* contra naturam namque eſt vt artificialia germinent, ſecundum *Philoſophum 1.Polit.* & ideo pecunia, vti ex artificio pecuniam germinare non poteſt, latè *Vgolin.de vſuris c.1.§.5. Cyriacus controu.540.num.11.* Appellat quidem *Baſilius in Pſal.14.* pecuniam beſtiam fecundam per hæc verba: *Quid te iſti tam fecundæ beſtiæ adiungis?* Aſt non ex eo, quod ſuapte natura vim gignendi habeat, cum potiùs natura ſua ſit ſterilis, vt etiam ex *Plutarcho in libello, Quod non oporteat fænerare,* & Ariſtotele conſtat: *Haud numus veluti terra eſt, aut pecus fecundum, vt pariat:* Sed quatenus ex ea induſtria, ne dicam auaritia humana fœtum præternaturalem extorqueat; vt citatus *Ariſtoteles c.polit.c.10.* ait his verbis: *In fænore autem numus numum parit: quare maximè præter naturam eſt is acquirendi modus:* Ideoque Vſura à Grecis dicitur etiam *T bocos*, ideſt Partus; quaſi pecuniæ partus, quia efficit, vt pariat res, quæ natura ſua ad fœtum omnem inepta eſt, & cum in partu animalium producatur ſimile, ita in vſura pecunia parit pecuniam, vt dixi ex *Ariſtotele*. Ex quo optimè *Sotus de iuſt. & iure l.6.q.1.ar.1.* exiſtimat tranſlatum eſſe hoc nomen vſuræ, quod propriè, & ſua primæua ſignificatione indicat quemcumque vſum rei, ad vſum pecuniæ iniquum cum lucro, per antiphraſim, hoc eſt per contrariam locutionem, vt vocamus album id, quod nihil habet de albedine, cùm ſit vndique nigrum: ita vſura dicitur quaſi carens vſu, ad ſignificandam peruerſitatem

huius

Digitized by Google

huius vitii,eò quòd re, quæ vſu conſumitur,& cuius nullus eſt vſus diſtinctus ab ipſa,volunt homines vti,lucrari,ac fructum exigere.

4 Notandum eſt tertiò: Vſuram nihil aliud eſſe,quàm lucrum ex contractu mutui. Ratio autem, quare in hoc contractu lucrum ſit illicitum, eſt,quia (vt inquit *Scotus* mox citandus)in contractu mutui mutuator trãſfert dominium pecuniæ in mutuatarium:cum ergo mutuatarius habeat dominium pecuniæ, nefas eſt, quod mutuator exigat à mutuatario pretium pro vſu,non enim poteſt exigere pro ipſo vſu mutuationis, quia vt ſic pecunia non conſideratur fructifera; nec pro vſu mutuatarij; nam eo ipſo quòd mutuatarius habet dominium,habet vſum,& habet ius vtendi tali re, vnde dicitur fructifera,vt ſubeſt ſuæ induſtriæ: *Induſtria autem*(inquit *Scotus in 4.d.15.qu.2.*)*huius non eſt eius, qui concedit pecuniam: ergo ille volens recipere fructum de pecunia,vult habere fructum de induſtria aliena,quam tamen non dedit ille alius ſibi, ex hoc quod recepit mutuum ab illo*. Et hinc infertur, quòd ſi ſuperaddatur contractui mutuationis alius contractus oneroſus, mutuatori,poteſt exigere pretium;cum id lucrum non ſit ex mutuo,ſed ex alio contractu oneroſo. Vnde quando mutuator dat mutuum cum damno emergente,vel lucro ceſſante, ſuperaddit nouum contractum diſtinctũ à mutuo; obligat enim ſe ad ſuſtinendum illud damnum emergens; aut illam lucri ceſſationem;quod vtrumlibet dignum eſt pretio. Aſſerit quidem *Caramuel*,mutuatorem remanere cum dominio morali pecuniæ mutuatæ: ſed hoc aſſertum tam abſurdum euidenter eſt, vt non egeat refutatione: nec illud ſuſtinere potuit,niſi multa admittendo improbabilia; vt manifeſtè oſtendit *Ioannes Cardenas in Criſi Theol.d.6.c.6.per octo articulos.* At audi *Scotum* ibidem: *Eſtò pecunia maneret ſua, tamen illa pecunia non habet ex natura ſua aliquem fructum, ſicut habent aliqua alia ex ſe germinantia, ſed tantùm prouenit aliquis fructus ex induſtria alterius,ſcilicet vtentis*.

5 Notandum eſt quartò: Res vſu conſumptibiles eſſe materiam mutui, V.g. pecuniam,frumentum,vinum,&c.Sed cum hoc diſcrimine: quòd pecunia non eſt materia emptionis, & venditionis; frumentum autem vinum,oleum,&c.eſt materia mutuationis, & etiam poteſt eſſe materia emptionis,& venditionis. Et ideo quando datur triticum cum obligatione reddendi tantundem, eſt mutuatio: Quando autem datur triticum pretio currenti,ſoluendum poſt ſemi-annum,eſt contractus venditionis tritici; & ſimul contractus,in quo mutuatur pecunia, quæ modò erat ſoluenda in venditione. Et ita vltra pretium iuſtum tritici, non poteſt exigi lucrum abſque labe vſuræ, niſi alii tituli poſſent interuenire. Ita cum *D.Thoma 2.2. qu.78. art.2.* communiter Doctores. His prænotatis ſit,

§. SE-

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

6 DIco primò: Numerata pecunia non eſt pretioſior numeranda, loquendo de maiori pretioſitate realiter intrinſeca ipſi pecuniæ. Et contrarium aſſerere eſt ſcandaloſum, & damnationi huius Propoſitionis ſubiectum.

7 Probatur, quia ex contrario proloquio ſequeretur, licitum eſſe vendere rem aliquam vltra pretium ſummum; nam dato, quòd ſummum pretium alicuius rei ſint centum, ſi dum res iſta venditur ſtatim pecunia numeraretur, & centena dentur, venditor rem ſuam venderet iuſto pretio ſummo, & iniuſto pretio ſummum pretium excedente, quia centum numerata plus valent, quàm ſi de futuro numeranda eſſent. Item ſi venditor rem ſuam vendat credita, ſeu danda pecunia poſt annum, poſſet exigere centum quinque, cùm hæc vt enumeranda, & actu non numerata æquiparentur centum; ſicuti enim numerata pecunia pretioſior eſt numeranda, ità è contra numeranda pecunia vilior eſt numerata, atque ideo venditor rei, cuius ſummum pretium ſunt centum, ſi hæc ſtatim ab emptore non numerentur, poterit venditor exigere centum quinque, quæ vt numeranda æſtimãtur tantum centũ, quæ de præſenti numerarentur, & à venditore iuſtè exigerentur. Hæc autem omnia apertè ſequuntur ex illo contrario proloquio, & ſunt abſurda; meritò ergo damnatum fuit aſſerere, quòd numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, loquendo de maiori pretioſitate realiter intrinſeca ipſi pecuniæ. Quòd autem ſint abſurda, patet, quia ex communi Doctorum ſenſu, & ex vniuerſali conſuetudine, nec non ex naturali ratione iudicatur, venditorem illicitè rem ſuam vltra ſummum pretium vendere, ſi plus exigat, quàm ſit taxata, ita vt ſi centum ſint ſummum pretium, centena ſunt de iuſtitia exigenda, ſiue ſtatim numerentur, ſiue poſt tempus ſint numeranda, & hæc adeo ſunt vera, vt omnes ea concedant.

Confirmantur dicta attendendo inconueniens adductum; nam vendens nunc rem ſummo pretio, quod eſt centum, ſi ab emptore non ſoluantur ſtatim dicta centum, de iuſtitia teneretur poſt annum ſoluens dare centum quinque, & centum quinque iuſtè à venditore exigerentur; & ſi emptor differt ſolutionem ad biennium, teneretur dare centum decem, quia quo plus differtur ſolutio, eo minoris fit pecunia numeranda; & ſimiliter dicatur, ſi ad triennium, aut vlterius emptor differat ſoluere. Quis autem neſcit numquam a venditore exigi niſi centum ab initio cum emptore conuenta, etiam ſi emptor ad multos annos ſolutionem differat, nec ex iuſtitia, (præciſis aliis titulis) aliud debere ſoluere emptorem?

8 Nec

8 Nec præſumi poteſt ſpontanea ceſſio ipſius creditoris: nam ſi ex natura rei numerata pecunia eſt pretioſior numeranda: per errorem venditoris exiguntur ab emptore eædem pecuniæ in numero poſt multos annos, quas ab initio venditionis potuiſſet licitè ſtatim accipere. Quare cùm errans in numerandis ſibi debitis, debeat reſtituere, ſi plus accepit: vel exigere ſi minus, per conſequens de iuſtitia deberetur ab emptore vltra ſummũ pretium, ſi non ſtatim numerauit pecuniam venditori, qui & iuſtè poterit velle reintegrari; eſt enim communis Doctorum opinio, quòd creditores, & venditores tenentur ad æquanda errata inter debitum, & creditum. At nemo (vt experientia oſtendit) ſolet obligare debitorem, vt plus ſoluat, quia diſtulit: eo ductus motiuo, quòd numerata pecunia ſit pretioſior numerãda: imò neque aliquis conſulet creditorem, vt plus exigat, licet ſummo pretio vendiderit, ſi poſt tempus longum ei ſolutio debiti differatur, eo quia pecunia numeranda poſt tempus minus valeat, quàm ſi ſtatim numerata fuiſſet. Igitur propter allegata inconuenientia cum animarum pernicie iniquitati fauentia, meritò ſcandaloſa adiudicata fuit præſens propoſitio etiam quoad primam partem, quatenus ſine limitatione, ſeu reſtrictione docet, numeratam pecuniam eſſe pretioſiorem numeranda.

9 Addo: Si verum abſolutè eſſet, quòd numerata pecunia ſit pretioſior numeranda, taliter quòd ea maior pretioſitas conſiſtat in aliquo valore intrinſeco, & addito pecuniæ ratione præſentiæ, vbi eſſet æquitas, vbi iuſtitia in quotidianis expenſis, & contractibus? Decem præſentia ſunt pretioſiora quàm decem futura, & in contractibus ſi decem promittuntur, decem exiguntur, ſiue dentur de præſenti, ſiue dentur poſt tempus. Error in æquitate, ac proinde æquandus erit iſte? Qui decem obtulit, & conuenit dare, ſi ſtatim dat, det ſolum nouem, & qui decem accipit, vnum reſtituat: decem iuſte dabuntur, & accipientur ſi tempore futuro ſoluantur. Hæc eſſent prorſus ſecundum iuſtitiam practicanda in contrario effato. Vide quæſo quàm verum ſit, non conſiderari inter ſolutionem debiti eam maiorem pretioſitatem pecuniæ ratione præſentiæ: emat quis rem valentem ſolum quadrantem, ſeu terũcium, eumque ſtatim ſoluat, licebit ne venditori eum quadrantem accipere? Certè non licebit, nam conuentio facta fuit de quadrante, quem ſi ſtatim accipit, vltra quadrantem iniuſtè accipit, eſt enim quadrans præſens pretioſior futuro: Erit igitur à venditore expectandum per aliquod tempus, poſt quod licitè accipiet quadrantem prout nec plus, nec minus valet quadrante: Sed quis nugas iſtas aſtruet, vt eſſe expectandum affirmet? nemo ſanè. Emptor igitur det quid minùs: Sed quid poteſt dare pecuniæ citra quadrantem? nihil: ergo res empta pro vno quadrante parato erit empta pro nihilo, vel ad ſummum pro pecunia non danda, ſed tantum parata. At iſta eſſe abſurda non admittenda quis ambiget? Falſum eſt igitur id vnde ſequuntur, ideſt falſum eſt, Pecuniam pręſentem eſſe pretioſiorem futura, pretioſitate tamen augente intrinſecum valorem; ſeu

maiori

Digitized by Google

maiori pretioſitate realiter intrinſeca ipſi pecuniæ,taliter,quod eius valor augeatur,vnde etiam in rigore contractus debeat ille valor computari.

10 Non tamen illud commune proloquium prorſus reiicio, ſed benè intellectum recipio; intelligi enim debet de pretioſitate maiori in pecunia præſenti per extrinſecam quandam denominationem. Scilicet ratione maioris commodi, ſeù vtilitatis, (per contractus præſertim emptionis) quæ conſequuntur ex pecunia præſenti, quare iſta maioris fit propter effectus ab ea prouenientes, ex quorum motiuo præſens pecunia habetur, vt carior, & pretioſior, quàm futura in hominum æſtimatione: & de hac intelliguntur plures Auctores illud effatum admittentes in chirographicis obligationibus & debitis, quantumuis ſecuriſſimis, de quo §.ſeq. inter ſolutionem primi argumenti.

11 Dico ſecundò Quamuis in ordine ad alios contractus poſſet dici, pecuniam numeratam eſſe pretioſiorem numeranda: in ordine ad contractum mutui,id non poteſt habere locum: & conſequenter eo titulo non poteſt quis paciſci de lucro vltra ſortem: Et contrarium aſſerere, eſt, vt minimum tanquam ſcandaloſum,hoc decreto deiectum.

12 Probatur primo. In terminis mutuationis, & in ordine ad illam, non conſideratur vtilitas, quam poſſet habere mutuator, ſi non mutuaret: & quæ poſſet reddere pretioſiorem pecuniam præſentem, quam futuram.Ergo, &c. Probatur antecedens,quia ſi habenda eſſet in ſcrinio,non eſſet domino vtilior præſens, quàm futura: & ſi ei profutura eſſet ad lucrum; iam egredimur terminos contractus mutuationis;& regredimur ad contractum ſe obligantis ad lucrum ceſſans. Similiter ſi conſideretur pecunia abſens, vt minus pretioſa mutuatàrio propter damnum emergens, iam egredimur fines mutuationis, & ingredimur viam alterius contractus, quo ſe obliget mutuator ad ſubeundum damnum emergens, qui nouus contractus eſt pretio æſtimabilis: Ergo, &c.

13 Confirmatur: In ſtatu præcisè mutuationis conſideratur pecunia præſens vt indifferens ad hoc, vt habenda eſſet in ſcrinio,& ad hoc, vt exponenda eſſet negotiationi à mutuatore; abſtrahit enim ab vtroque mutuario. Atqui hoc modo conſiderata non eſt vtilior. Ergo neque vt pretioſior mutuatori: & conſequenter, &c. Probatur minor, quia ſi conſideratur, vt pretioſior mutuatori, iam non conſideratur in ſtatu præcisè mutuationis, ſed in ſtatu obligantis ſe ad lucrum ceſſans.

14 Neque poteſt dici pretioſior pecunia præſens ex neceſſitate mutuatarii; quia ſi mutuator habiturus eſſet pecuniam in ſcrinio, ex ſola neceſſitate mutuatarii, non eſt precisè vtilior, aut pretioſior mutuatori. Sic etiam nec ex eo, quod pecunia eſt mutuatario vtilior, eſt ſibi vtilior. Vide *Scotum ſupra*.

15 Probatur ſecundò. Quia ſi in ordine ad contractum mutui pecunia numerata præſens eſſet pretioſior numeranda abſenti, iam de mundo

tol-

Digitized by Google

tolleretur vſura,ſeu potius vſura non eſſet amplius mala,& nō ſolùm prohibita iure diuino poſitiuo, ſed etiā iure naturali,tanquā hoſtis Reipublicæ vrens bona, dilacerans ſubſtantias,& velut morſu auferendo. Hoc impiū eſt aſſerere. Ergo & id vnde ſequitur. Probatur maior: quia quilibet poſſet ſic conſiderare pecuniam, & vti pretioſiori æqualitas naturalis exigeret plus reddendum eſſe, quàm datum, nec eſſet hoſtis Reipublicæ,&c. Quod autem vſura hæc mala pariat,patet ex Scriptura *Pſalmo* enim 14. *v.* 15. vbi noſtra Vulgata legit: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, &c.* vertit ex Hebræo Maluenda, *Non dedit in morſu*: Optimè quidem, nam ſicut feræ, vt lupi, leones, & vrſi, morſibus lacerant inferiores, vt oues, & pecudes, ita vſurarii diuites, fœnoribus dilacerant, & veluti morſu de alienis bonis auferendo, pauperum ſubſtantias conſumunt. Ideoque in *Pſalm.*71.*v.*13. de Meſſia, & quocumque Principe pauperum patrono dicitur: *Ex vſuris, & iniquitate redimet animas* (ideſt vitas) *eorum*: vſque enim ad has conſumunt: ex quo *Chryſoſtomus* in illud *Matthæi* 5. *tom.*2. *homil.*13. concludit: *Similis enim eſt pecunia vſuraria aſpidis morſui. Sicut enim, qui ab aſpide percutitur, quaſi delectatus vadit in ſomnum, & ſic per ſuauitatem ſoporis moritur: ſic & qui accipit ſub vſuris, pro tempore delectatur, quaſi qui beneficium accipit, & ſic per ſuauitatem beneficij non ſentit quomodo captiuus efficitur. Nam ſicut venenum aſpidis latenter per omnia membra diſcurrit, & corrumpit: ſic vſura per totas facultates eius diſcurrit, & conuertit eas in debitum: Ergo iubet nos Chriſtus mutuam dare pecuniam, non tamen ſub vſuris: quia qui ſub vſuris mutuum dat in prima quidem facie, ſua videtur dare; reuera autem non ſua dat, ſed alterius tollit. Nam videtur quidem neceſſitatem ſuccurrere, reuera autem in maiorem mittit neceſſitatem.*

Reſpondebis: Vſurarium quidem non eſſe, qui nonagintaquinque aureos paratos nunc, æquiualentes tamen centum dandis poſt annum, mutuat cum obligatione vt mutuatarius centum reſtituat poſt annum, nam nihil ſupra ſortem accipit, aut exigit: vſurarium tamen eſſe, ſi ſub finem anni plures,quàm centenos acciperet; & ſic non tolluntur vſuræ per datam doctrinam in iſta Propoſitione.

16. Sed contra eſt: nam dum ſub finem anni plures quàm centenos recipit, vel recipit ex pacto, vel non; ſi non recipit ex pacto, nec recipit ex contractu mutui. Ergo non eſt lucrum ex mutuo vi mutui proueniens, ſique non eſt vſura, ac proinde recipit alio titulo, aut extorquendo. Nec poteſt dici, quod recipiat ex pacto; ſupponimus enim ea nonaginta quinque præſentia fuiſſe iudicata æquiualentia centum dandis poſt annum ab initio mutui:Ergo ſi ſub finē anni plura quàm centena mutuans acciperet, nō acciperet ex vi mutui,cum ſic mutuum fuerit celebratum,vt nonagintaquinque parata reſtituantur poſt annum ad æqualitatem valoris æquiualentis centum dandis poſt annum: acciperet ergo plura quàm centena, titulo donationis, vel titulo gratitudinis, vel ſaltem per iniuſtam extorſio-

nem, eo ipſo quòd ab initio mutui non fuerit factum pactum, niſi prout ea nonaginta quinque iudicabantur æquiualere centum dandis poſt annũ: quòd ſi ab initio dicti mutui eadem nonagintaquinque fuiſſent iudicata ſuperare centum danda de futuro, tunc nec eſſet vſura, plura quàm centena accipiendo: Igitur non habetur cur ſit vſura, ſi ea plura quàm centena accipiantur, cùm non accipiantur vt mutuum reſtitutum cum lucro, vi ipſius mutui proueniente. Stat ergo vſuras tolli per doctrinam præſentis Propoſitionis dicentem etſi pretioſiorem numeratam pecuniam, pecunia numeranda in ordine ad contractum mutuationis.

17 Probatur tertiò noſtra aſſertio: Recipere aliquid vltra ſortem in præciſo contractu mutui, & ſecluſo omni alio contractu, eſt vſura damnata: ſed hæc Propoſitio admittit aliquid vltra ſortem in præciſo contractu mutui, & ſecluſo omni alio contractu: Ergo tanquam licitam admittit vſuram damnatam omni iure: meritò igitur proſcripta eſt.

Reſpondet *Caramuel.* eum, qui dat nonagintaquinque, vt poſt annum recipiat centum, non recipere aliquid vltra ſortem; quia recipit æquiualens: nam nonagintaquinque præſentes, & centum ſoluendi poſt annum ſibi æquiualent, eo quod plus valet pecunia præſens, quàm abſens.

18 Sed contra eſt primò, nam *Caramuel* abutitur eo termino *vltra ſortem*, cuius ſignificatio non pendet ex priuata vniuſcuiuſque vſurpatione, ſed ex acceptione communi. Iuxta quam nomine ſortis intelligitur ea quãtitas materialis, quæ mutuatur, ſcilicet *nonagintaquinque*. Et quidquid ſoluitur vltra nonagintaquinque, ſoluitur vltra ſortem.

Secundò, quia ſi in eo caſu mutuator non reciperet aliquid vltra ſortem propter eam æquiualentiam; etiam concurrente lucro ceſſante, & damno emergente, non poſſet recipi aliquid vltra ſortem. Hoc eſt falſum: Ergo cum dicitur illud verbum *vltra ſortem*: non debet attendi æquiualentia, ſed illa materialis pecunia, quæ re ipſa traditur: & quæ ſuperadditur. Patet maior, nam centum mutuari, & quinque ſuperadditi propter lucrum ceſſans, & damnum emergens, æquiualent centum mutuatis: ſed per te æquiualentia facit, quod illud ſuperadditum non dicatur eſſe ſupra ſortem: Ergo neque ex lucro ceſſante, neque ex damno emergente reciperetur aliquid vltra ſortem.

19 Probatur quartò. Si Petrus indigeat pecunia ad negotiationem, & hoc non obſtante mutuet Ioanni centum aureos; & id lucrum ceſſans valeat quinque aureos, ſecundum communem æſtimationem, & nullum aliud damnum emergat, nullumue ſit periculum ſortis, Petrus poteſt tantum recipere quinque aureos pro eo lucro ceſſante, & non alios quinque maioris æſtimabilitatis pecuniæ numeratæ pro numeranda: Ergo dum ceſſat etiam lucrum ceſſans, & Petrus pecuniam otioſam tenet in ſcrinio, ſi mutuet, ratione maioris æſtimabilitatis pecuniæ numeratæ pro numeranda, nihil poteſt exigere. Antecedens probatur: nam in eo caſu

totus

totus exceſſus valoris, qui eſt in pecunia numerata, eſt, quia pecunia numerata futura eſſet vtilior Petro, dando ei lucrum; quod non poteſt dare hoc anno pecunia numeranda poſt annum: Ergo is non eſt titulus diſtinctus ab eo lucro, quod modo ceſſat in mutuatione: Ergo ſi non eſt nouus titulus, non poteſt eſſe nouum augmentum pretii. Conſequentia etiam primi enthymematis patet; quia ſi non poteſt in eo caſu Petrus accipere niſi quinque: ergò iſte maior valor pecuniæ numeratæ omninò oritur à lucro illo aliàs habendo, & nunc ceſſante: neque eſt titulus diuerſus ab illo: Ergo ſi pecunia habetur otioſa in ſcrinio, quia ceſſat titulus lucri ceſſantis, ſi mutuetur, caret maiori æſtimabilitate, ratione cuius poſſit aliquid ſupra ſortem à Petro exigi.

20 Dico tertiò: Etiam ſi annuatur *Caramueli*; & admittatur ea maior æſtimatio intrinſeca pecuniæ præſentis, quàm futuræ: nec ſequitur quod præcisè ratione illius poſſit mutuator aliquid vltra capitale accipere: & ſic Propoſitio vt iacet ex omni capite vt falſa, & ſcandaloſa meritò reiecta eſt.

21 Probatur primò. In contractu mutui dum ſeruatur omnimoda indemnitas mutuatoris, nihil emolumenti vltra poteſt inde habere, ad hoc vt contineat ſe intra terminos mutui abſque labe vſuræ, vt omnes Doctores vnanimiter docent: ſed quando mutuator habiturus erat pecuniam otioſam, & in ſcrinio concluſam, & ex mutuatione nullum damnum, nullumue periculum imminet; quantumuis dicatur ea pecunia numerata ex ſe pretioſior, quàm numeranda, ſeruatur omnimoda indemnitas mutuatoris, vt ex terminis euidens eſt: Ergo quando mutuator habiturus eſſet eam pecuniam otioſam, & ſine periculo detrimenti, quantumuis dicatur pecunia numerata eſſe pretioſior numeranda; nihil emolumenti vltra ſortem poteſt inde habere mutuator.

22 Probatur ſecundò. Quando ſoluit mutuatarius, ſoluit pecuniam præſentem, & conſequenter pecuniam, nempe nonagintaquinque, quæ habet iam tantam æſtimationem, quantam habuit pecunia eo tempore, quo mutuata eſt: Ergo ſi mutuator velit accipere centum, accipiet quinque vltra ſortem ſic æſtimatam: Ergo etiam dato quod pecunia numerata ſit ex ſe pretioſior numeranda, adhuc non poteſt ratione iſtius aliquid vltra ſortem exigi. Ex quo vlterius ſequitur, reſultare implicationem contradictionis ex ea ſententia *Caramuelis*: nam iuxta illam, quia mutuatori eſt pretioſior pecunia præſens, dum mutuat alteri nonagintaquinque, mutuatarius manet obligatus ad centum; & quando mutuatarius ſoluit, ceſſat obligatio dandi centum, quia ſoluit pecuniam præſentem: quæ eſt manifeſta contradictionis implicatio.

*****

Digitized by Google

§. TERTIVS.

Conuelluntur argumenta contraria: & horum occaſione plures difficultates enodantur.

23 IN verbis *Caramuelis* ſupra initio relatis, tria argumenta continentur, quibus aſtruere intendit, non eſſe vſuram, ſi quis mutuet nonagintaquinque aureos, obligans mutuatarium, vt poſt annum ſoluat centum. Primum eſt. Chirographum debiti ſoluendi poſt annum venditur minori pretio, quàm eſt ſumma chirographi, V.g. chirographum centum aureorum venditur nonagintaquinque numeratis: ſed pretium iuſtum æquiualet rei venditæ: Ergo chirographum centū aureorū ſoluendorū poſt annū, æquiualet nonagintaquinque. Ergo qui mutuat nonagintaquinque, & petit, quod ſoluat mutuatarius centum poſt annum, petit æquiualens: petit ergo æquiualens ſorti, & conſequenter non petit aliquid vltra ſortem.

Secundum argumentum eſt. Demus caſum, quo Titius mutuarit Sempronio centum aureos ſoluendos poſt annum, pro ſecuritate ſolutionis dedit Sempronius Titio chirographum, quo ſe obſtrinxit ſoluere poſt annum eos centum. Titius tamen paulò poſt indiget ea pecunia, ideoquè venale facit illud chirographum pro minori pretio, putà pro nonagintaquinque. Accedit Sempronius, & emit ſuum chirographum pro illis nonagintaquinque, cur enim excludendus erit à iure, quo fruuntur reliqui emptores? Tum ſic. Iuſtitia poſtulat, vt ſeruetur æqualitas inter mutuatorem, & mutuatarium. Sed niſi mutuator mutuans nonagintaquinque poſſit obligare mutuatarium ad ſoluendum poſt annum centum, non ſeruatur æqualitas inter eos: Ergo in eo caſu poteſt obligare ad ſoluendum eos quinque pro centum. Probatur minor. Nam mutuatarius poteſt extinguère debitum ſuum ſoluendo anticipatè nonagintaquinque, & ideo lucrando quinque pro centum, vt conſtat ex ipſa caſus propoſitione: Ergo non ſeruatur æqualitas, niſi mutuator poſſit etiam lucrari quinque pro centum.

Tertium argumentum eſt. Vſurarius eſt quicumque accipit vltra ſortem: At nonagintaquinque aurei parati centum dandis poſt annum æquiualent: Ergo mutuator tradens nonaginta quinque hodie, & poſt annum recipiens centum, nihil ſupra ſortem accipit: Ergo vſurarius non eſt: & conſequenter, &c.

Vt plenè clarèque occurratur primo argumento, examinandū eſt vtrum chirographa debitorum poſſint vendi minori pretio. In qua difficultate:

24 Certum eſt primò, quòd ſi debitum non eſt omnino certum, & liquidum, ac facilis ſolutionis, itaut interueniret periculum exactionum, ſaltem in communi exiſtimatione; metus moleſtiarum, & ſumptuum in illius

illius recuperatione; damnum emergens, & lucrum ceſſans, & ſimilia, poteſt illud viliori pretio emi, quàm ſonat: quia debitum hoc re ipſa eſt infirmum, & minoris valoris, quam continet, & ſic poteſt vilius emi, Sicut cum militi ſtipendium regium debetur, quod creditor timet aut non totum, aut non ſine magno negotio, aut moleſtiis recepturum, poteſt quiſque tale debitum ab illo minoris emere: imò tanta poteſt eſſe arduitas, difficultas, & incertitudo ſolutionis, vt poſſit in medio valore, vel etiam in quarta parte, ac minori emi. Et hoc procedit, quamuis ementi ſit facile, & abſque expenſis in integrum creditum recuperare. Tum quia valor rei non ſumitur ex vtilitate priuata ementis, ſed ex communi æſtimatione, qua communiter æſtimaretur, ſi proponeretur palàm venalis. Tum etiam, quia maior vtilitas, quæ emptori accreſcit ex ipſa re abſque valore intrinſeco illius ſine damno venditoris, non cadit ſub venditione, vt inquit *D. Thom 2.2.qu.77. ar.1.* At in noſtro caſu maior vtilitas illius debiti accreſcens emptori, ex eo quod abſque vlla moleſtia, aut expenſa debitum recuperet, non prouenit ab ipſa re, nec nocet venditori, ſed tota oritur ex induſtria, vel fortuna emptoris: ſua igitur eſt, & ſic emere poterit debitum ſecundum ſe infirmum, & deterius pro eo pretio, quod vt ſic valet venditori: quamuis ſua induſtria, & fauore certò ſciat, de facili illud recuperaturum. Ita *Molina, Salas, & Bonac.* quos relatos ſequitur *Card. de Lugo de iuſt. to.2.d.26.ſect.7.num.94. Leſſius l.2.c.2.dub.9.num.76. Villalobos tom.2.tr.21. diff.8.num.6. Trullench l.7.c.20.dub.10.num.3. Serra 2.2.q.77. ar.1.dub.5.concl.1. Tapia tom.2.l.5.qu.16. ar.13.nu.5. Prado to.2.c.27.qu.4. num.3. Tambur.l.8. Decal.c.7.§.8.num.1.* licet non deſint Doctores contrarium in hoc ſentientes.

25 Certum eſt ſecundò, quòd quando difficultas debiti prouenit ex culpa debitoris, quòd cum facile, & ſponte deberet reddere, ſoluere non vult ſine moleſtiis, & ſumptibus creditoris, non poteſt ipſe illud emere minoris, quàm valet: vt ſi debeat 100. non poteſt emere 90. licèt alii propter difficilem recuperationem poſſent minus emere. Et ratio eſt, quia alii inueniunt debitum illud in eo ſtatu, & difficultate, in qua abſolutè minus æſtimatur: cuius nec fuerunt cauſæ, nec eum auferre tenentur: & ideò iuſtè minus emunt, quòd re ipſa in eo ſtatu plus non valet, vndecumque ad talem ſtatum peruenerit. At debitor ipſe cauſa eſt, quod ad eam difficultatem res peruenerit, & eam tollere tenetur, ſe promptum reddendo ad ſoluendum, vnde ſi ſoluat 90. pro 100. quæ debet, (niſi ſpecialem condonationem à creditore recipiat) ſolùm ſoluit partem debiti, & reliqua debet poſtmodum ſoluere. Ita *Tambur. num.4. Bannez 2.2.qu.77. art.4.dub.5. Sanchez lib.1.conſil.c.7.dub.18. Salas de vſuris dub.27.n.3. Malderus tr.5.c.2.dub.5.concluſ.1. Villalob. ſupra n.1. Card. de Lugo n.100. Tapia nu.2.* Verum eſt, quòd ſi debitum non ſit liquidum, ſed dubium, quod non proueniret ex culpa debitoris, ſed ex aliis capitibus; nimirum vel ob im-

Digitized by Google

impoſſibilitatem ſoluendi, vel ob litem, à quo dependet, vel quia longius diſtat, &c. tunc ſicut alius, ſic & ipſe debitor poſſet illud à creditore emere minoris, quia iam in illo ſtatu, ad quem non deuenit culpa debitoris, non plus valet: Ergo illo pretio, quo æſtimatur in illo ſtatu ab aliis, & ab ipſo debitore, poterit emi, vt rectè docet *Card. de Lugo ſupra, Tambur. n. 3.* Inferunt verò præcitati Auctores, iniuſtitiam committere, eſſeque obnoxios reſtitutioni Quæſtores publicos, alioſque depoſitarios, & Miniſtros Regios, quibus incumbit pecunias Regis recipere, & ſoluere Regis creditoribus, vt Iuriſtis, & aliis; quando ab eis illa debita minoris emunt, & ea poſtea integra recipiunt à Rege; quia ipſi cauſæ ſunt difficultatis illius ſolutionis, vel ſaltem ipſe Rex. Vnde ſicut Rex non poſſet debita illa minoris emere; ità nec Miniſtri eius poſſunt, qui nomine Regis debent illa debita ſoluere: Quo iniuſtitiæ peccato etiam delinquunt illi, qui aliquando ſuggerunt amico, vt emat minori pretio debita illa Regis à creditoribus, quæ poſtea in integrum ſoluuntur emptori amico, diuiſo inter eos lucro illius emptionis: quod vt iniquiſſimum, & iniuſtum meritò prædicti Auctores condemnant.

Igitur præſens difficultas eſt, quando debitum eſt liquidum, certum, facilis ſolutionis; an liceat illud minoris emere, non ab ipſo debitore, ſed ab alio tertio (nam ab ipſo debitore vix aliquis datur aſſerens id fieri poſſe) ſolutione anticipata. In qua:

26 Prima ſententia probabilis affirmat, poſſe emi minoris, dummodo iuſtum detur pretium: & iuſtum iudicatur id quod omnes negotiatores communiter pro talibus chirographis, aut debitis, abſque dolo, aut fraude ſolent conferre. Et probatur primò, quia minus eſt habere actionem, quã rem, *l. minus, ff. de reg. iur.* & minus res æſtimatur de futuro ſoluenda, quàm tradenda de preſenti *§. plus, Inſtit. de actionibus*, ibi: *Qua ratione qui tardiùs ſoluit, quàm ſoluere deberet, minus ſoluere intelligitur. eadem ratione qui præmature petit, plus petere videtur.* Sed hìc non emitur pecunia debita, ſed actio ad illam; & hoc præmatura exhibita pecunia: Ergo minùs poteſt emi talis actio, quàm eſſet debitum futurum, ad quod daretur. Secundò, ſi aliquod ibi eſſet peccatum, eſſet vſuræ: hoc non: Ergo nullum. Probatur minor: quia ibi nullum datur mutuum, nam per mutuum obligatur mutuatarius, ad aliquid ſoluendum; & hic ex parte nullius contrahentium datur obligatio ſolutionis, vt conſtat: ſolum eſt ergo emptio iuris quod alius habebat; quod ius iuſto pretio emitur: & iuſtum eſt pretium, quod communiter æſtimatur: nemo autem pro illo iure daret æquale cum debito, quod concernit. Ita *Caietanus in ſum. V. Vſura, circa finem,* & antea *Innocentius in c. in Ciuitate, de vſuris,* quem refert, & ſequitur *Nauarrus c. 17. nu. 231. Abbas eodem c. in Ciuitate de vſuris nu. 7. Sil. V. debitum nu. 21. Roſella V. Vſura 2 §. 15. Toletus l. 5 c. 31. in fine, Armilla V. Vſura num. 50.* & alii, quos referunt, & ſequuntur *Dian. 4. p. tr. 8 reſ. 49. Bon. d. 21. t. conſil. c. 7. nu. 17. Tambur. n. 2.* Eundem

dem ſententiam fuiſſe publicè edoctam *Louanij à Cardinali Bellarmino* notat *Leſſius ſupra num. 66. Petrus de Ledeſma in ſum. tom. 2. c. 33. tr. 8. fol. 475. col. 2.* dicit poſt factum hanc ſententiam non eſſe damnandam; ſed inde arguit *Diana loco cit.* Ergo nec ante factum.

27 Verior tamen ſententia, talem emptionem vt iniuſtam, & iniquam condemnat: quia re vera eſt inæqualitas inter pretium, & rem venditam: nam ius ad mille liquidum, & certum, mille valet; & ideo qui à principio ſuas merces pro mille vendidit in futurum ſoluendo, iuſto pretio vendidit eas, nec eſt alia difficultas, aliudue damnum, aut incommodum in illo iure, quàm expectatio pecuniæ: ferre autem pretium pro ſola expectatione pecuniæ vſura eſt virtualis. nam ratione dilationis plus accipere, idem eſt ſecundum rem, ac ſi ratione mutui reciperet: quod non licet: quia pecunia ex ſe eſt infructifera; & ſolum ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis poteſt talis receptio excuſari. Ita docent *Sylu. V. Vſura 2. q. 14. Salas de emptione dub. 39. Caſtropalaus d. 5 pu. 13. nu. 6. Sotus de iuſt. l. 6. q. 4. ar. 1. ad 3. Bannez ſupra ar. 4. dub. 5. Leſſius ſupra. Villalob. tr. 21. diffic. 8. num. 3. Barth. à S. Fauſto d. 6. q. 31. Malderus tr. 5. c. 2. dub. 5. concluſ. 2. Card. de Lugo ſupra nu. 96. Diaſtillus l. 2. tr. 9. d. 2. num. 68. Tapia l. 5. q. 16. ar. 13. num. 3. Prado c. 27. q. 4. nu. 9. Ioannes Cardenas hic differt. 25. c. 4. num. 37.* qui licèt contrariam ſententiam falſam exiſtimet, tamen totam rationem, propter quam æſtimantur minoris chirographa debitorum, docet eſſe lucrum ceſſans, aut damnum emergens, ſiue difficultates; & pericula obtinendi ſolutionem; & præterea cum venditor rogat emptorem, vt chirographum emat, quod vltimum ait addere, quia commune eſt inter Doctores, quaſi axioma, quod merces vltroneæ vileſcunt pro tertia parte: & propter hoc vltimũ *Tamburinus* præſertim adhæret contrariæ ſententiæ. Vnde ad primum prioris ſententiæ reſpondetur, textum *in l. minus* procedere quando actio, vel ius habet annexum periculum, laborem, & expenſas: nam ius ad certam ſummam non valet ea minus, niſi ratione periculi, &c. Et textus *§. plus ex Inſtit.* loquitur de eo, qui obligatus ſoluere ante tempus ſoluendi, patitur intereſſe: & ideò, qui cogit eum, plus petit, quàm teneatur. At in rigore tantùm valet actio ad rem, quantùm valet ipſa res præciſis alijs, vt inquit *Baldus in l. 2. Cod. ne l te p. ndente, Bartol. in l. per diuerſus, Cod. m. ndati.* Ad rationem reſpondetur, quòd licèt in rigore metaphyſico non ematur pecunia ſoluenda, vendito iure immediatè, ſed ius ad illam; moraliter tamen pro eadem reputatur vtrumque, quando nulla difficultas, aut periculum timetur.

28 Non tamen ſententia prior remanet ſubiecta damnationi huius Propoſitionis; quia (vt rectè *Ioannes Cardenas c. 3. nu. 33. & ſeqq.* non damnatur expreſſè vt patet ex ipſo contextu Decreti, vbi propoſitio damnata non loquitur de contractu emptionis, & venditionis, ſed ſolùm de contractu mutui: nec damnatur virtualiter; nam non eſt antecedens euidenter inferens propoſitionem damnatam. Primò, quia non nititur eo fundamento

tan-

Digitized by Google

tãquam adęquata ratione, quòd pecunia numerata eſt pretioſior quàm numeranda, ſed etiam, quia etiam chirographum debiti eſt materia contractus emptionis, & venditionis. Ex vtraque enim parte conſtituitur ratio fundamentalis eius opinionis, ita vt neutra ſeorſim ſit ſufficiens fundamentum. Et ideo non infert propoſitionem damnatam, ſcilicet, quòd ſit licitum recipere in mutuo aliquid vltra ſortem: nam in mutuo pecunia non venditur; in chirographo autem actio ad pecuniam capax eſt venditionis. Secundò, nam ea poſitio, quod pluris æſtimatur pecunia numerata, quàm numeranda, licèt ſubſiſtere poſſit in ordine ad vendendum actionem ad pecuniam, quæ actio vendibilis eſt; non tamen ſubſiſtit in ordine ad transferendum præcisè dominium pecuniæ propter argumenta ſuperiori §. allata. Ex quo manifeſtè apparet, opinionem de vendendis chirographis debitorum minori pretio, non eſſe antecedens euidenter inferens opinionem damnatam.

29 Hinc ad argumentum primum relatum *Caramuelis* in noſtra ſententia facilis eſt reſponſio: maior enim cum diſtinctione admittenda eſt, & conceditur, chirographum debiti ſoluendi poſt annum vendi poſſe minori pretio, ſi concurrant tituli lucri ceſſantis, aut damni emergentis, aut iuxta *Tambur: & Ioannem Cardenas*, ſi vendatur tanquam merces vltronea; ſecus ſi prædicti tituli non concurrant. Deinde diſtinguitur minor: pretium iuſtum æquiualet rei venditæ, quando pretium reſpicit omnino ſubſtantiam rei venditæ, conceditur: Negatur verò quando pretium reſpicit circumſtantias. Cum ergo chirographa vendantur minori pretio ob circumſtantias lucri ceſſantis, &c. inde eſt, quòd minus illud pretium, quo venditur chirographum non æquiualet ipſi chirographo, & ſummæ aureorum in ipſo contentæ. Et hinc patet, negandas eſſe conſequentias ſubſecutas.

30 Fateor, quod ea argumentatio videatur habere maiorem vim in priori probabili ſententia, quæ docet, independenter à lucro ceſſante, & damno emergente, & reliquis circumſtantiis relatis, poſſe ea chirographa vendi minori pretio. Adhuc tamen reſpondetur diſtinguendo minorem, claritatis gratia. pretium iuſtum æquiualet rei venditæ, in ordine ad contractum emptionis, & venditionis, conceditur; in ordine ad contractum mutui, negatur: Vel potius negandum eſt ſuppoſitum, quòd in ordine ad contractum mutui detur pretium; itaque quia chirographum eſt venale, reſpectu illius illud pretium minùs eſt æquiualens chirographo: cùm autem mutuum nón ſit venale, ideò neque capax eſt pretij, atque adeo non poteſt reſpectu illius eſſe pretium æquiualens.

31 Vt ſecundum argumentum *Caramuelis* potentius maneat diſſolutum, reſoluendum eſt primò, Sempronium fore vſurarium, ſi ſponte ſua velit ſoluere anticipate Titio mutuatori. (non petenti anticipationem ſuũ debitum minori pretio; quia anticipata ſolutio eſt quædam remutuatio tacita, quia pecuniam, quæ ſua erat vſque ad complementum, iterũ dat transferen-

ferendo dominium in primum mutuatorem;& ideo ſi vult extinguere anticipatè debitum minori pretio,vult habere lucrum ex mutuo; atque adeò committit crimen vſuræ.

32 Reſoluendum eſt ſecundò: Quod ſi Titius neceſſitate preſſus petat anticipatam ſolutionem,poterit Sempronius ſoluere minori pretio,ſi lucrum ceſſet,non aliter: nam ſola neceſſitas Titij ſuperueniens non eſt titulus ſufficiens,vt Sempronius accipiat lucrum ex mutuo. Quod ſi Titius petat anticipatam ſolutionem ex neceſſitate negotiandi per illam pecuniam, poterit Sempronius extinguere debitum minori pretio, ex ſolo contractu ſocietatis,& aſſecuratione lucri. Nam quia Titius vult habere lucrum ex negotiatione,vultSempronius particeps fieri emolumenti reſultantis ex illa negotiatione;& quia incerta eſt quota emolumenti futuri; per modum aſſecurationis exigit illa quinque V.g. pro centum.

33 Nunc,vt propiùs ad formales terminos expreſſos in argumento accedam,reſpondeo,ſi Titius exponat venale chirographum, quo ſe obligauit Sempronius mutuatarius, non licere Sempronio emere minori pretio chirographum, ſi exponitur venale propter difficultatem recuperandi pecuniam mutuatam; quia,ex dictis,mutuatarius tenetur ex iuſtitia auferre eam difficultatem. Si verò non exponitur venale ob eam difficultatem,neque ob aliam cauſam,quæ ſit ex parte Sempronii, ſicut poſſent alii emptores, ita Sempronius poterit illud emere, eo minori pretio, quo ab alio emendum erat. Quando autem dicitur in argumento: non ſeruari æqualitatem inter mutuatorem, & mutuatarium, eo quod mutuatarius poteſt extinguere debitum centum aureorum per nonagintaquinque aureos, & vt nos aſſerimus,non poteſt mutuator imponere onus centum aureorum, per mutuationem nonagintaquinque aureorum; negandum eſt in eo reperiri vllam inæqualitatem contra iuſtitiam. Etenim mutuatarius non poteſt extinguere debitum minori pretio intra contractum emptionis,& venditionis in caſu ſupradicto, in quo poteſt emere chirographum ſuum minori pretiò,ſicut reliqui emptores. Quo pacto nulla eſt inæqualitas inter mutuatorem,& mutuatarium; quia non poteſt mutuatarius extinguere debitum,niſi egrediens à contractu mutui,& tranſiens (de conſenſu mutuatoris) ad contractum emptionis,& venditionis.

Tertij argumenti ſolutionem habes §.præcedenti ſub tertia probatione ſecundæ concluſionis.

PROPOSITIO XLII.

Vſura non eſt dum vltra ſortem aliquid exigitur tanquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tanquam ex iuſtitia debitum.

1 HÆc Propoſitio eſt *Gaſp. Hurtadi de contract. d. 3. diff. 3. Serræ 2. 2. q. 78. ar. 2. dub. 1.* & aliorum, quos ſequitur etiam *Stephanus Bauni in Theol. mor. tom. 3. l. 2. qu. 37.* qui poſtquam firmat pactum iuſtitiæ inducere Vſuram, & Simoniam, non autem pactum amicitiæ, & gratitudinis, ex hac doctrina, poſt multa, ſic infert: *Quid ſi beneficium à collatore, officium à Principe, à priuato mutuum petentes poſtuletur aliquid non tanquam ex iuſtitia, ac obligatione ciuili, & legali debitum, ſed tanquam conditio cum qua, & ſine qua mutuandū: vt ſi dicatur à mutuante mutuatario, ſi mutuum appetis, ſi iuuari pecunijs mutuo tibi à me creditis optas, viciſſim equum commodato dabis, aut iuſto mihi cum pretio vendes; alter nihil obtinebis, ad quos ego te contractus adſtrictum nolo obligatione ciuili, & ex iuſtitia ratione mutui accepti, aut accipiendi, ſed tantùm gratitudinis, cui ſi non parueris, nihil conſequeris: quid tum iuris? Hæc eſt ratio, nam vſura eſt furti ſpecies, proindeque iuſtitiæ oppoſita de cuius, eſt natura, vt lucrum exigat tanquam ciuiliter, & ex æquitate ratione mutui debitum: at, quæ gratitudo largitur, & offert, largitur non coactè, ſed ità liberè, vt in largientis ſit poteſtate non largiri, quod in debitis ex iuſtitia non accidit, quæ ſunt et præſtanda neceſſariò, qui iniuſtus audire non vult, nec peccare.* Ita ille. Eandem non ſemel aperuit *Caramuel*, dum inde intulit, ſimoniacum, & vſurarium non eſſe niſi qui vult talis eſſe, non eliciendo intentionem exigendi ex gratitudine, & ſine obligatione iuſtitiæ. Nec ab ea puto alienum eſſe *Ioannem Poncium in curſu Theolog. d. 55. q. 3. concluſ. 2. num. 10.* dicentem: *Poſſet etiam ſimiliter petere à mutuatario, vt obliget ſe ad dandum mutuum alterum, quando petetur; non quærendo tamen illam obligationem pro pretio mutui; ſed tanquam experimentum beneuolentiæ, & amicitiæ alterius.*

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Aliud eſt accipere aliquid, aliud verò exigere: & explicatur vtrumque: traditurque eſſe vſuram dicere: Do tibi mutuum cum pacto, vt ſis mihi gratus.*

3 *Aliud eſt gratuitum donum, aliud debitum ex gratitudine, & beneuolentia: explicatur diſcrimen inter vtrumque, nec non aperitur luſus verborum, ac palliatio vſuræ iſtius Propoſitionis in ly debitum ex gratitudine, & beneuolentia.*

4 Con-

4 *Conueniunt Doctores, quod accipere aliquid ex mutuatarij beneuolentia, & gratitudine, non tanquam debitum, ſed tanquam gratuitum donum, nec intuitu mutui, ſeu tanquam mutui pretium, poſſit ſine labe vſuræ accipere mutuator, & probatur à D. Thoma, nec hoc ſubeſt damnationi huius Propoſitionis.*

5 *An mutuator debeat cognoſcere ſibi traditum ex gratitudine dari? Quid ſi dubitet? An ſufficiat, quòd prudenter, & probabiliter putet mutuator, ſibi donari gratis? Quæ ſint circumſtantiæ, & coniecturæ, in quibus mutuatarius cenſetur gratis donare, quæ verò indicant contrarium?*

6 *Dubius de hoc mutuator quando teneatur reſtituere acceptum, quando ſibi retinere.*

§. II.

7 *An ſit vſura dum ſupra ſortem aliquid exigitur tanquam ex beneuolentiæ, & gratitudine debitum. Et pars negatiua qua cenſura innodetur? Vbi pars affirmans triplici probatione munitur.*

8 *An ſi in obligatione, quam imponit mutuator mutuatario non fiat mentio debiti gratitudinis, ſed ſolius gratitudinis, etiam vſura committatur?*

9 *An etiam ſubdatur cenſuræ huius Propoſitionis?*

10 *An ſi poſt mutuum aliquid petatur vt debitum ex gratitudine, ſit vſura, ſubdaturque huius damnationi? Et quando hoc accidit.*

11 *An liceat aliquid recipere ratione gratitudinis, etiam ſi illud ſperes, & animum talis ſpei mutuatario manifeſtes?*

12 *Sperare ex mutuo aliquid non principaliter, ſed minus principaliter caret Simonia mentali, & cur? Et an ſit ſignum mentalis vſuræ, & expectationis muneris principaliter ex mutuo, ſi quis non mutuaret, ſi crederet mutuatarium futurum ingratum?*

§. III.

13 *Admittitur debitum amicitiæ, exploditur debitum gratitudinis per relationem ad exigere. Poteſt amicitia in pactum deduci: non poteſt condonatio iniuriæ, quando mutuator ad eam nec ex iuſtitia, nec ex charitate tenebatur. Quidquid eſt debitum ex iuſtitia, vel charitate, aut religione poteſt à mutuatario exigi ex pacto ratione mutui, & quare?*

14 *An ſit liber à crimine vſuræ, qui mutuat obligando mutuatarium, vt ex gratitudine in ſuo piſtrino molat, ſuas merces emat, vt ſibi cùm opus habuerit, remutuet? Quid ſi celebretur contractus conditionatus, iuxta Ioannem Pontium.*

15 *An ſim immunis ab vſura, ſi mutuem, cum pacto vt mutuatarius ſtatim remutuet?*

16 *Quam obligationem antidoralem habet mutuatarius, per quam debet ſe exhibere gratum beneficio.*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò: Aliud eſſe aliquid accipere, aliud verò exigere: Accipere enim importat actum, quem exercet aliquis accipiendo ſponte datum, & gratuitum, nullo pacto interueniente, nec tacito, nec expreſſo; nulla petitione facta ab accipiente; nec quia putetur ex obligatione datum, ſed tanquam mera gratuita, & liberalis donatio. Exigere autem importat, vel pactum tacitum, vel expreſſum, vel ex aliqua obligatione datum, vel ſaltem petitionem aliquo modo ad dandum, veluti impellentem, non ſolum interceſſiuam, vel amicabilem, ex parte accipientis præſupponit. Sic ſi deducatur gratitudo in pactum, dicendo: *Do tibi mutuum cum pacto, vt ſis mih gratus*, vſura committitur, quia pactum tollit ratione gratitudinis, & inducit obligationem iuſtitiæ, quod importat ly exigere. Ita *Felix à Panormo to.2.d.4.nu.630.*

3 Notandum eſt ſecundò: Aliud eſſe gratuitum donum, aliud debitum ex gratitudine, & beneuolentia. Gratuitum donum eſt quod gratis datur, nullo debito ad illud dandum intercedente. Debitum vero quodcumque importat ex obligatione, non gratis datum: vnde coincidit cum debito iuſtitiæ in materia iuſtitiæ. Vnde *S.Thomas 2.2,q.78.ar.2.in corpore*, non alio modo diſtinguit gratuitum donum, quod licitè poteſt accipi, vt mox dicetur, ab eo quod illicitè, & contra iuſtitiam accipitur; niſi per hoc, quod non adſit aliqua obligatio, nec tacita, nec expreſſa. Et certè gratuitum non eſt, quod debitum eſt, cùm gratis dare, & debere, inter ſe opponantur: licèt impropriè gratitudo poſſit dici debitum. Luſus ergo verborum, & palliatio vſuræ eſt id, quod hæc Propoſitio aſſerit, vt §. ſequenti oſtendetur; & ſi dicatur à contrahentibus hoc exigi, non vt debitum ex iuſtitia, ſed ex gratitudine, fruſtrà apponitur illa limitatio, nam eo ipſo quod ſoluitur vt debitū, non poteſt eſſe ex gratitudine.

4 Notandum eſt tertiò: Conuenire Doctores, quod accipere aliquid ex mutuatarij beneuolentia, & gratitudine, non tanquam debitum, ſed tanquam gratuitum donum, nec intuitu mutui, ſeu tanquam mutui pretium, licitè poteſt mutuator: Sic expreſsè docuit *Angelicus Doctor loco proximè citato* dicens: *Si verò accipiat aliquid huiuſmodi, non quaſi exigens, nec quaſi ex aliqua obligatione tacita, vel expreſſa, ſed ſicut gratuitum donum, non peccat.* Cuius rationem aſſignat dicens: *Quia etiam antequam pecuniam mutuaſſet, licitè poterat aliquod donum gratis accipere; nec peioris conditionis efficitur, per hoc quod mutuauit.* Nec hoc ſubditur damnationi huius Propoſitionis, quæ traditur illis verbis: *Vltra ſortem aliquid exigitur*. Sic Doctores ſcribentes

poſt

Digitized by Google

poſt hoc Decretum; vnde *Corella hìc nu.* 164. infert quod ſi mutuatarius, daret mutuatori aliquid vltra ſortem non vt debitum adhuc via gratitudinis, ſed ſolùm merè gratis, non peccaret contra iſtam condemnationem, nec mutuatarius dando, nec mutuator in recipiendo, vt effectus ſolum generoſitatis mutuatarij. Et hoc certum eſſe ait *Ioannes Cardenas hìc differt.* 25.c.64 *num.* 49.

5 Notandum eſt quartò: Quod mutuator debet cognoſcere ſibi traditum ex gratitudine dari. Quod ſi mutuatarius lucrum ex gratitudine donet, & mutuans dubitet, quo animo dedit, non poteſt illud retinere, ſi cum tali dubio accepit; quia in dubio non præſumitur donatio. Ita *Serra* 2.2. *q.*78.*ar.*2.*dub.*3.*concluſ.*4.*Tambur.l.*8.*tr.*3.*c.*8.§.2.*n.*15. *Andreas à Matre Dei tr.*14.*c.*3.*pu.*4.*nu.*31. & alii communiter cum D. Antonino infra referendo. Sufficit tamen, quod prudenter, & probabiliter putet mutuator ſibi donari gratis, vt aſſerit *Dicaſtillus l.*2.*tra.*10.*d.*2.*dub.*13.*num.*285. *Id quod* (inquit) *plerique expreſsè, aut virtualiter concedunt, & nemo, quem viderim, ex auctoribus, negat*. Dantur circumſtantiæ, & coniecturæ, in quibus mutuatarius cenſetur gratis donare. Et hoc regulariter cenſendum eſt, quando mutuans non dedit ſignum; ſe aliquid petere, & mutuatarius nec eſt auarus, nec patitur triſtitiam in dando, aut aliquam moleſtiam, metum, aut coactionem, vt docent *Caiet.to.*2.*opuſc.tr.*8.*q.*3.& 2.2.*q.*78. *ar.*1.*ad* 4. & *Leſſius l.*2.*c.*20.*dub.*6. *num.*41. Si mutuatarius det aliquid ſupra ſortem, timens non recepturum iterum mutuum fortè quandò indigebit, vel ne videatur, aut vocetur ingratus, poſſe datum accipi à mutuante cum formidine affirmat *Diana p.*1.*tr.*8.*reſ.*62.*in fine*, & ſine formidine, *Salas de vſuris dub.*6.*nu.*2. *Layman.l.*3.*ſect.*5.*tr.*4.*c.*16.*nu.*1. *Sotus l.*6.*qu.*1. *ar.*3.& 4. *Caſtropalans to.*7.*tr.*32.*d.*4.*pu.*9.*nu.*3. *Card. de Lugo d.*25. *ſect.*4.*n.* 35. Tum quia *D. Thomas*, & omnes ſemper ad vſuram requirunt, quod accipiatur, & detur vt debitum, & ex vi pari, quod in præſenti non reperitur, vt ſupponitur. Tum etiam quia Simonia non eſt quando Epiſcopus tribuit famulo beneficium, timens quod ſi non conferat, famulus videns ſe ſua ſpe fruſtrari, à ſuo obſequio diſcedat, & ſic nec famulus recipiens datum cum illo timore eſt Simoniacus: Ergo idem dicendum erit de vſura: tùm denique, quia dari tali timore non facit, quòd detur vt pretium; ſed poteſt dari vt vitetur ingratitudo, & lex vſuræ non prohibet, quod alter non ſit ingratus. Ego puto, difficile eſſe, quod in praxi non ſit inuoluntaria dicta donatio, & vſuraria: rarò enim præſumenda eſt donatio: quamuis ſi verè gratis mutuatarius donaret, ſuſtineri poſſet talis doctrina: licèt alioqui cum inuoluntario mixto donet, quia timet alium non mutuaturum iterum, vel eum iudicaturum ingratum; quia tale inuoluntarium non eſt ab extrinſeco cogente, ſed ab intrinſeco, proueniens ex neceſſitate ipſius mutuatarii; & ex voluntate, quam habet iterum mutuum accipiendi: quod non reddit

irri-

irritam donationem. Non præſumitur autem liberalis donatio, ſi mutuans licet non petierit aliquid ſupra ſortem; ſigna tamen dedit, quibus inſinuauit ſe ex mutuo velle lucrum accipere. Ita Doctores cõmuniter cum *D. Antonino 2. p. tit. 1. c. 7. §. 6.* Similiter eſt ſignum nõ donari, quando mutuatarius petit mutuũ, vt ſubueniat ſuæ neceſſitati: ita etiam communiter Doctores cũ *D. Thom. q. 78. ar. 1. ad 7.* vel ſi non ſolet eſſe liberalis, & talia dare: ſi munus ante ſortis ſolutionem offeratur, quia dari præſumi poteſt, vt terminus ſolutionis prorogetur: ſi munus offeratur vſurario, qui nunquam ſolet mutuare, niſi pro intereſſe. At poteſt præſumi donatio, quoties mutuatarius ſua ſponte aliquid offert ſupra ſortem, quando dans mutuum, nec directè, nec indirectè illud petiit, nec ſigna illud volendi dedit, niſi alia ſigna in contrarium appareant; quia vt optimè inquit *D. Antoninus vbi proximè §. 7.* etiam ſi ſit aliquod ſignum, vel etiam multa, quæ præſumptionem donationis indigitent, ſi ſint alia in contrarium fortiora ſigna, non debet præſumi donatio: vel è contra, etiam ſi ſigna appareant, quæ talem præſumptionem denegent, ſi ſint alia fortiora pro illa poteſt præſumi donatio, quia, vt dicitur in iure: *Præſumptio præſumptione retunditur, ſeù eluditur.* Si donantis ſcriptura conſtaret, quod libenter dedit, non coactus; donatio cenſetur, & tunc non eſt locus coniecturis. Ita *D. Antoninus;* & licèt limitent iſtam doctrinam *Medina Cod. de rebus per vſuram acquiren. qu. 14. §. hinc apparet, & Petrus Nauar. l. 3. de reſtit. c. 3. dub. 10. §. poſtremò*, ad caſum, quo ex neceſſitate mutuum non exigeretur: hanc tamen limitationem non admittit *Dicaſtillus l. 2. tr. 10. d. 2. nu. 293.* quia licèt neceſſitas ſit plerumque ſignum ad præſumendum non donari; fortius tamen ſunt ſignum ad præſumendam donationem expreſſa dantis verba, vel ſcriptura edita ex ſe, ſine vlla coactione facta per dantem mutuum. Illa autem coactio, quæ præciſa eſt à neceſſitate, eſt ab intrinſeco, quæ non tollit ſimpliciter voluntarium; & licèt non donaſſet, niſi ab ea excitatus fuiſſet; liberè tamen donat, & eligit donationem, vt neceſſitatem repellat.

6 Dixi in principio huius notandi: *ſi cum tali dubio accepit*: quia ſi mutuator bona fide, credens ſibi gratis donari lucrum accipit, & poſtea dubium de alterius animo ſuboriatur, cum mutuans poſſideat, erit melior eius conditio; & ſic non tenebitur reſtituere, quoties ſibi de alterius voluntate non conſtiterit, vt benè *Andreas à Matre Dei ſupra*, & alii. His prænotatis ſit.

§. SECVNDVS.

7 Dico primò. Vſura eſt, etiam ſi dicatur quod aliquid vltra ſortem, exigitur tanquam ex beneuolentia, & gratitudine ſola debitum:

&

& contrarium aſſerere meritò hoc decreto, vt minimum tanquam ſcandaloſum, abactum.

Probatur primò. Non poteſt aliquid accipere mutuator, quaſi exigens, vel quaſi ex aliqua obligatione tacita, vel expreſſa; ſed ſolum vt gratuitum donum; vt patet ex verbis *D. Thomæ* ſupra relatis: ſed debitum quocumque dicatur etiam ex gratitudine plus dicit, quàm gratuitum donum: Ergo: Minor conſtat ex dictis.

Probatur ſecundò. Reiiciendus omnis modus, quibus pallientur vſuræ Sed petere quinque pro centum mutuatis, & exigere illa tanquam debita ex gratitudine, videtur modus ridiculus palliandi vſuras: Ergo, &c. Minorem probo explicando eam per hunc caſum ex *Ioanne Cardenas n.* 51. Titius vir nobilis habet equum generoſum, qui æſtimatur quingentis aureis. Accedit ad illum Sempronius poſtulans, vt vendat ſibi illum equum. Reſpondet Titius, viros nobiles non eſſe mercatores, qui vendant, quod emerunt: ſe tamen velle dare equum Sempronio non venditum, ſed dummodo det illi quingentos aureos ex mero debito gratitudinis. Quis non rideret, qui hæc audiret? Et meritò ſanè; quia quantumuis dicatur petere ex debito gratitudinis quingentos aureos, reuera eſſet pretium equi. Nunc inquiro, quodnam diſcrimen intercedit inter hunc Titium dantem equum pro quingentis aureis datis ex debito gratitudinis; & mutuatorem, qui petit quinque pro centum dandos ex debito gratitudinis? Sic etiam, qui prohibentur emere, & reuendere frumentum, cum valet triginta argenteis, poſſent fraudem facere legi dicentes, ſe non vendere, ſed dare frumentum, vt ſibi ex debito gratitudinis conferant triginta argenteos in vnamquanque frumenti menſuram: nonne hoc eſt ſatis ridiculum?

Probatur tertio: Qui exigit quinque aureos, vel etiam aliam quantitatem indeterminatam dandam ex debito gratitudinis, imponit nouum onus vltra obligationem antidoralem, quam habet mutuatarius: Ergo is mutuator vſurarius eſt. Conſequentia patet, nam data ratio, ob quam illi Auctores excuſabant mutuatorem ab vſura, erat, quia ſic non imponebat nouum onus vltra obligationem antidoralem, quam habet mutuatarius, ortam ex beneficio ſibi dato. Probatur antecedens: obligatio antidotalis, quam habet mutuatarius non determinat tantam quantitatem; imò nec quantitatem indeterminatam reſpicit: non obligat enim mutuatarium ad hoc, quod det aliquod donum materiale; ſed ſolum ad hoc, quod ſe gratum exhibeat; poteſt autem ſe exhibere gratum, non ſolùm tradendo aliquod materiale, ſed etiam oſtendendo ſigna beneuolentiæ vtilia benefactori, exhibendo ſigna præcipui honoris; patrocinando in caſibus occurrentibus, in quibus benefactor indigeat patrocinio; & præcipue ſuccurrendo in extrema, aut graui neceſſitate, ſi ea oppreſſus inueniatur. Ergo qui exigit ab illo aliquod lucrum ſiue determinatum, ſiue indeterminatum dandum ex mutuo, quamuis dandum ex debito gratitudinis, imponit nouum

uum onus vltra obligationem antidoralem, quam habet mutuatarius.

8 Dico Secundo licèt in obligatione, quam imponit mutuator mutuatario non fiat mentio debiti gratitudinis, ſed ſolius gratitudinis, etiam vſura committitur, & eſt caſus damnationis.

Probatur prima pars; tum ſecundo, & tertio argumento iam relatis: quæ poſſunt formari cum eadem vi, omittendo ly debitum: Tum ex *Cardinali de Lugo*: Nam mutuator, qui obligat mutuatarium, vt ex gratitudine det aliquid ſupra ſortem, licèt non imponat illi obligationem in conſcientia (quia gratitudo non obligat ad gratificationem externam ſub mortali, vt ſæpè, neque ſub veniali) imponit tamen vinculum humanum promiſſionis, cui homines honeſti, & honorati reſiſtere non audent. Quod propterea eſt nouum onus, & quidem magnum. Tum denique ex *Piſani hic*. Nam qui vult obligare mutuatarium, vt ex gratitudine det aliquid ſupra ſortem, tentat imponere illi obligationem ciuilem ortam ex eius promiſſione; ratione cuius obligationis ciuilis poteſt cogi à Iudice ad ſoluendum illud ſupra ſortem: Sed obligatio antidoralis non habet in ſe eam obligationem ciuilem: Ergo ea obligatio ciuilis eſt nouum onus ſuperadditum antidorali. Sed qui ratione mutui tentat imponere nouum onus, vſurarius eſt: Ergo.

9 Probatur ſecunda pars; quia obligatio intenta pacto expreſſo, vel tacito, & ex debito gratitudinis pro eadem ſumitur, & idem re vera eſt. Ergo &c.

10 Dico Tertio: Non ſolùm damnatur in hac propoſitione poſſe adijci initio mutui pactum de aliquo præſtando, vt debito ex gratitudine, ſiue expreſſum, ſiue tacitum; ſed etiam poſtmodum, etiam ſi nullum interceſſerit pactum, poſſe aliquid peti, vt debitum ex gratitudine; vt cum quis pluries inſtat, & mutuatarium interpellat, vt ſibi aliquid tradat; inculcans hoc ſibi ex gratitudine deberi. Ita *Piſani hic nu. 7.* & alij cum *Felice à Panormo* mox citando.

Probatur: quia hoc etiam importat illud verbum *exigitur*, poſitum in hac propoſitione: vtroque enim modo aliquid exigitur.

11 Dico Tertiò licet aliquid recipere ratione gratitudinis, etiam ſi illud ſperes, & animum talis ſpei mutuatario manifeſtes. Ita *Scotus in 4. d. 15. q. 2. litter. O. Felix à Panormo tom. 2. d. 4. n. 630.* & alij, exiſtimantes hunc caſum non ſubdi damnationi.

Probatur: quia non accipis ratione mutui, ſed titulo gratitudinis, qui eſt titulus virtutis; & illud ſperans, ſperat honeſtum; animum etiam talis ſpei mutuatario manifeſtare, non eſt ei imponere nouam obligationem, ſed relinquere adhuc liberum ad dãdum aliquid vt emereat gratitudinem: Et quidem primum docet expreſsè *D. Thomas q. 13. de malo art. 4. ad 13.* vbi ſic ait: *Munus aliquod vel à manu, vel a lingua, vel ab obſequio poteſt vſurarius ſperare ex mutuo, quod concedit, dupliciter: Vno modo quaſi debitum ex quadam*

obli-

obligatione tacita, vel expreſſa; & ſic quodcumque munus ſperet, illicite ſperat. Alio modo poteſt aliquod munus ſperare, non quidem debitum, ſed quaſi gratuitum, & abſque obligatione petendum: & ſic licitè poteſt ille, qui mutuat, ſperare ab eo, cui mutuat, ſicut ſi facit ſeruitium alicui, confidit de eo, vt amicabiliter ſuo tempore ſeruitium faciat. D. Thomam ſequuntur *Caiet. tom. 2. opuſc. tr. 8. q. 2. Bannez 2. 2. q. 78. art. 1. dub. 3. Aragonius, Salonius, Serra*, quos citat, & ſequitur *Prado c. 28. q. 1. n. 43.* & alij communiter. Secundum dicit etiam *Caietanus 2. 2. q. 78. ar. 1. ad 4.* (in quo ſequitur eum *Serra, Salonius, Prado, Trullench. l. 7. c. 19. dub. 3. n. 4. Diana p. 1. tr. 8. reſol. 62.*) quòd ſcilicet non ſolum licet hanc ſpem, & intentionem internam habere, ſed etiam eam alteri manifeſtare, dicendo ſe ſperare ab eo opera amici, gratumue futurum, & beneficium factum per mutuum, remuneraturum, dummodo ex parte obligationem non imponat, ſed ſolam iſtam antidoralem ſine pacto ſignificet; quia talis expectatio, & petitio non reddunt donationem inuoluntariam, cum ibi nullam obligationem imponat, ſed liberum relinquat. Vnde ſi poſtea ex gratitudine mutuatarius, donet, poteſt mutuans illud recipere, quia non recipit munus immediate ex mutuo, ſed media amicitia, & liberalitate alterius. Quod indicant verba illa *D. Thomæ 2. 2. q. 78. ar. 2.* ſupra relata, nempe: *Si verò accipiat aliquid huiuſmodi, non quaſi exigens, nec quaſi ex aliqua obligatione tacita, vel expreſſa; ſed ſicut gratuitum donum, non peccat.* Sed hæc doctrina non eſt coram auaris diuulganda, nè inde anſam accipiant palliandi vſuras: ſed potius diuulgandum ſignum, quod liberaliter, & verè gratis donetur, vel donatum fuerit: quod tradunt Tamburinus ſupra *nu. 19. Scilicet, ſi mutuans reddat munus acceptum, & mutuatarius nihilominus ſponte iterum donet.*

12 Notanda ſunt enim hic verba *Caietani cit. ar. 1. ad 4.* quæ ſunt: *Quoniam peccatum cordis, & operis in eadem ſunt ſpecie, quia facere, & deſiderare aliquid inter ſe conuertuntur in bonitate, & malitia, ſciendum eſt, quòd deſiderare aliquid vltra ſortem dupliciter contingit. Primò ex mutuo, hoc eſt propter mutuum. Secundò non ex mutuo, ſed ex beneuolentia amicabili eius, cui mutuatur. Et ſi quidem hoc ſecundo modo ſperetur aliquid vltra ſortem, conſtat non eſſe vſuræ peccatum, quoniam nihil inde, hoc eſt ex mutuo, ſperatur. Si verò primo modo, ſubdiſtinguendum eſt, quia aut ſperatur ex mutuo principaliter, aut ſecundariò: ſi principaliter, vſuræ vitium eſt, contra domini præceptum, Nihil inde ſperantes. Si ſecundariò, vſuræ peccatum non eſt, vt Auctor dicit in quæſt. de malo q. 13. art vlt. Quoniam licitum eſt ex beneficio, quod confert proximo de ſuo, habere oculum ſiniſtrum ad vtile. Contingit autem hic ſecundarius reſpectus, quando aliquis mutuat, nihil propter mutuum expectans, ſed expectans ex gratitudine illius, cui mutuat, quod non erit ingratus, ſed ſicut gratiam illi facit mutuando, ita ille gratus, vel in remutuando, vel in ſeruiendo, vel in munuſculo iuxta conditionem ſuam erit, non vt vſuram ſoluat, ſed vt gratis ſe gratum exhibeat. Debetur enim ratione mutui & res quæ mutuo eſt conceſſa propter ipſā*

rem mutuatam , et gratiâ propter affectum mutuantis gratis : & propterea ſperans vtrumque cum ſuis effectibus, non peccat . Hæc Caietanus , qui in hoc conuenit cum D. Antonino ſupra citato;in eo autem ab eo diſcedit,quod iſte putat eſſe ſignum mentalis vſuræ , & expectationis muneris principaliter ex mutuo, ſi quis non mutuaret, ſi crederet mutuatarium futurum ingratum; quod tamen negat *Caietanus* , quem ſequitur *Prado n.47.Caſtropalaus d.4.pu.9.nu.2.Trullench.nu.2.Villalobos tr.22.difficult.4. n.2.* nempe ait, quòd in foro conſcientiæ non eſt ſignum ſufficiens mentalis vſuræ , quod quis non mutuaret, ſi crederet mutuatarium futurum ingratum ; quia in arctiori materia , ſcilicet in Simonia , docet *D. Thomas quæſt.8. art.11.* quòd ſi quis vadat ad Eccleſiam propter diſtributiones , aliàs non iturus, non eſt Simoniacus : Et ita non eſt vſurarius, qui mutuat ſperans ex gratitudine lucrum ; aliàs non mutuaturus ; quia remuneratio ſperata non eſt ratio quod mutuet, ſed conditio impellens ad mutuum . Vnde ſicut eſſet Simoniacus , qui diſtributiones vt pretium aſſiſtentiæ in choro reciperet, non verò quia eas accipit vt quid ipſum impellens ad aſſiſtendum ; ſic in præſenti . De hac tamen ſententia ſolum affero verba *P.ſani hic n. 3. Hæc* (inquit) *Opinio eſt probabilis, nec in damnata continetur : attamen mihi videtur ineſſe periculum vſuræ mentalis , dum ità aliquis afficitur , vt non eſſet mutuaturus ſi re ſperata careat : per hoc enim videtur illud donum intendere ob mutuum, & quaſi debitum : vnde cautè incedendum eſt .*

§. TERTIVS.

Diſſoluuntur argumenta contraria , quorum occaſione multi caſus reſoluuntur .

OBijcitur primò *D.Thomas 2.2.q.78. ar.2.* vbi *ad 2.* inquit : *Dicendum, quod recompenſatio alicuius beneficij dupliciter fieri poteſt . Vno quidem modo ex debito iuſtitiæ, ad quod aliquis ex certo pacto obligari poteſt : & hoc debitum attenditur ſecundum quantitatem beneficij, quod quis accepit . Et ideo ille, qui accipit mutuum pecuniæ , vel cuiuſcunque ſimilis rei, non tenetur ad plus recompenſandum, quàm mutuo acceperit : vnde contra iuſtitiam eſt , ſi ad plus reddendum obligetur. Alio modo tenetur aliquis ad recompenſandum beneficium ex debito amicitiæ : in quo magis conſideratur affectus , ex quo aliquis beneficium contulit, quàm etiam quantitas eius quod fecit : & tali debito non competit ciuilis obligatio, per quam inducitur quædam neceſſitas , vt non ſpontanea recompenſatio fiat.* Ergo D.Thomas & admittit debitum gratitudinis,& tantùm excludit obligationem ciuilem ; admittit ergo quod poſſit exigi ex obligatione naturali, & vt debitum ex gratitudine .

13 Re-

13 Reſpondeo, D.Thomam loqui de debito amicitiæ, non gratitudinis, quod negat in corpore articuli, ſi propriè accipiatur, & per reſpectum *ad exigens*, vt ſupra vidimus: debitum autem amicitiæ admittit: & explicat ad ſecundum; de quo dixerat in corpore: *Recompenſationem verò eorum, quæ pecunia non menſurantur licet pro mutuo exigere, putà beneuolentiam, & amorem eius, qui mutuauit, vel aliquid huiuſmodi*. Itaque poteſt amicitia in pactum deduci pro mutuo, vt etiam docent communiter Doctores; quia non eſt pretio, ſeu pecunia æſtimabilis: & idem eſt de ſignis amicitiæ, vrbanitatis, familiaritatis, cum abſque incommodo, & moleſtia mutuatarij poſſunt exhiberi. Aliud eſt quando ratione mutui obligatur mutuatarius ad condonationem iniuriæ, ad quam nec ex iuſtitia, nec ex charitate tenebatur, ſed habebat ius exigendi vindictam, vel ſatiſfactionem per publicam poteſtatem: quia vi mutui obligatur ad aliquid præſtandum, quod pretio æſtimari debet. Ita *Petrus Nauarra l.3.c.2.n.286.Card.de Lugo d.25.ſect.8.num 38.* aliique contra *Sotum l.6.q.1. art.2. §.exiſtit.* Dixi: ad quam nec ex iuſtitia, nec ex charitate tenebatur; quia mutuans poteſt exigere, vt mutuatarius priuatam vindictam condonet: cùm enim mutuatarius non habeat ius ad illam, petit, quod alius aliàs debebat ex iuſtitia facere; & ſic licite poteſt in pactum deduci, vt inquit *Leſſius l.2. c.20. dub 7. n. 57.Trullench.l.7.c.19.dub.5.n.2.* Et generaliter quidquid erat aliàs debitum ex iuſtitia, poteſt à mutuante exigi ex pacto ratione mutui, vt ſi perſecutori mutuet, vt ceſſet ab ea actione; ſi mutuet ei, cuius operas antea ſoluerat, vt exhibeat eas: ſi ei centum mutuet, qui aliàs centum debebat, vt ſimul cum mutuo centum debita ſoluat; ſuppoſito, quòd ſit liquidum debitum, vt habetur *c.1.de vſuris, c.dominus 23. q.2.c.vlt.14.q.4.* Quia hic nullum eſt lucrum, ſed redemptio propriæ vexationis: neque imponitur mutuatario obligatio, quam anteà non haberet. *Caiet.2.2.qu 78. art.2. Caſtropalaus d.4.pu.14.n.1.Prado c.28.q.2.n.4.* Similiter poteſt in pactum deducere, vt ſibi, vel alteri reddat, quæ ſunt ſolum debita ex charitate; vel religione, vti eſt obligatus medicus, quando alius non eſt, ſoluto ſtipendio mederi; aduocatus patrocinari; diues proximo grauiter egenti ſuccurrere: vel ſi eſſet obligatus ex voto ad aliquam eleemoſynam præſtandam: et tu ex vi mutui exigeres, vt votum illud exequeretur; vel ſi compelleres vi mutui, vt miſſam audiret, ſacramenta reciperet, cùm aliàs ex Eccleſiæ præcepto teneretur; quia obligatio ciuilis, quæ obligationi ex charitate, vel religioni ſuperaddita eſt, non habet rationem pretij: quia non tam cedit in vtilitatem mutuantis, quàm mutuatarij, quem obligat, vt non deficiat ab obligatione, quam habebat; & ſic eam non debet oneroſam reputare. Accedit, quod ex omnium ſententia poteſt adduci in pactum mutui, quod alter deſiſtat ab iniuria, quam mutuanti, vel alteri inferri nitebatur: Sed quando petit, vt adimpleat, quæ ex charitate, obedientia, &c. tenetur facere obligat, vt deſiſtat ab iniuria, quam Deo, vel eius charitati irrogat

Digitized by Google

ea non faciendo: Ergo nihil indebitum exigit: & ſic non erit vſura talem adimpletionem in pactum ex vi mutui deducere. Ita *Ioannes de Medina qu.4.de vſuris §.iam patet. Molina d.309.*poſt initium, *Card. de Lugo d.25. ſect.5.num.4.*alijque. Contrarium docent *Couar. Bonac.* & alij; & vtrumque probabile exiſtimat *Tambur.l.8.decal.tr.3.c.8 §.2. n.9.*

Obijcies tertio. Liber eſt à crimine vſuræ, qui mutuat obligando mutuatarium, vt ex gratitudine in ſuo piſtrino molat, vel ſuas merces emat, vt ſibi cùm opus habuerit remutuet: Ergo vſura non eſt, &c. Antecedens docent Doctores relati à *Diana p.1.tr.8.reſ.59.*

14 Reſpondeo negando antecedens;& opinio contraria ſubiacet huic damnationi, vt rectè notati *Ioannes Cardenas hic c.6.n.59.* Ratio eſt; quia imponitur illi nouum onus propter mutuum: nam cum obligatio gratitudinis ſolùm obliget ad exhibendum ſigna aliqua gratitudinis pro arbitrio gratificantis; atque adeo ea obligatio gratitudinis non obſtringat ad molendùm in piſtrino benefactoris, neque ad emendum merces eius, &c. & obligatio eſt nouum onus, ad quod non obſtringit obligatio antidoralis. A fortiori remanet damnata opinio Adriani, Almaini,& aliorum,quos ſequitur *Rodriquez in ſumma Hiſpana tom.2. c.197. num.5.* qui docent non eſſe vſuram mutuare cum pacto, vt mutuatarius remutuet cùm mutuans opus habuerit, in ſuo molendino molat, ſuas merces emat, &c. quia pactum apertè importat obligationem ciuilem additam. Scio *Ioannem Poncium cit. concl.2.n.10.* docere, poſſe aliquem dare mutuum cum conditione, quod alter poſtea mutuum det; &, ſi non dat, quod non continuabitur mutuum, dicendo: *Do tibi mutuum ea conditione, vt poſt menſem, vel annum des mihi, ſi petiero aliud mutuum: quod ſi non feceris, volo repetere mutuum meum: Sed non obligo, vt tum des mihi mutuum: Si verò non dederis, propter defectum iſtius conditionis, nolo continuare mutuum, ſed illud repetam; quia non volo illud continuare, niſi ad illud tempus:* Et ſimiliter aſſerit, quod mutuans poſſit mutuare cum hac conditione: *Volo tibi mutuare rem meam ad annum; &, ſi tum ex gratitudine dederis mihi aliquid, continuabo illud, ſed tamen ſine obligatione:* Mouetur quia tunc fit contractus conditionatus, & nulla imponitur ciuilis obligatio mutuatario: Sed hæc ſecundum eius mentem dicta eſſe volo cum *Diana p.11.tr.7.reſ.22.*

15 Aliud eſt, ſi mutues, vt mutuatarius ſtatim remutuet: docent enim *Malderus tr.5.c.3.dub.4.concluſ.2. Diana p.1.tr.8.reſ.60. Leſſius cit.c.20.dub.8.num.53.Villalobos tom.2.tr.22.difficul.4.n.3.*& alij, non eſſe vſuram ſi mutuem tibi pecuniam ea lege, vt ſtatim mihi remutues frumentum, vinum, oleum, &c. modò hoc ſibi non ſit magis damnoſum, quàm illud mihi: nam, vt inquit *D.Thomas 2.2.q.78.art.2.ad4.* licet ſibi mutuanti vnum,aliquod aliud mutuum recipere; non tamen licet eum obligare in poſterum ad mutuandum: Et ratio eſt, quia poſtulanti à me officium amicitiæ, poſſum ab eo viciſſim poſtulare idem officium: quod ſi præſtare nolit, eum vt in-

vt ingratum repellere; nec per hoc accipio aliquid ſupra ſortem; nam pecunia reddenda correſpondet ſorti,& obligatio de præſenti mutuandi,correſpondet officio amicitiæ,quod de præſenti illi exhibeo: igitur non erit vſura,ſi mutuatario dicas: *Si vis à me mutuo obtinere pecunias, oportet te mibi mutuare frumentum, vel iuſto pretio vendere, vel locare mihi prædium: aliàs nihil obtinebis*. Et hanc ſententiam hoc decreto non condemnari docent *Torrecilla hic num.*8.*Corella num.*165.Sed dixi,modò hoc illi non ſit magis damnoſum: quia ſi remutuare illi damnoſum ſit,eo quod de facili non poteſt habere remutuum,vel ſunt aliquæ expenſæ faciendæ ad illud, certum eſt eſſe vſuram,& iniuſtitiam, cum non ſeruetur æqualitas.

Obijcies tertio: Non eſt vſura mutuare exigendo, vt mutuatarius impleat obligationem, quam habet: Sic enim non eſt vſura, quod mutues Petro mille aureos cum onere, vt reſtituat tibi debitum liquidum, & certum: neque quod mutues Ioanni centum cum onere, vt audiat Miſſam in die feſto; quia nullum nouum onus illi imponis. Sed mutuatarius habet obligationem antidoralem, per quam debet ſe exhibere gratum beneficio mutuationis: Ergo non erit vſura, ſi mutues cum onere, vt impleat eam obligationem.

16 Reſpondeo ad maiorem,patere ex dictis:& diſtinguendo minorem:mutuatarius habet obligationem antidoralem,per quam debet exhibere ſe gratum, dando aliquid lucrum temporale, nego: exhibendo aliquod ſignum gratitudinis verbis, vel factis, ſuo arbitrio,concedo. Et ideo quidquid petit lucri mutuator, licèt dicat eſſe ex gratitudine, id ſine dubio excedit obligationem antidoralem; atque adeo eſt nouum onus.

PRO-

PROPOSITIO XLIII.

Quidni, nonniſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falsò crimine elidere?

PROPOSITIO XLIV.

Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, vt ſuam iuſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non eſt probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.

1 COmmuniter Auctores has Propoſitiones attribuunt *Caramueli* in prima editione Fundamentalis: ibi enim *num.* 1151. etiam inquit: *Viginti, & plures Doctores aſſerere eum, qui imponit falſum teſtimonium alicui, vt ſuam iuſtitiam, & honorem defendat, non peccare mortaliter.* Sed in editione Lugdunenſi, anno 1657. aliter diſcurrit. Nam *fund.* 61. *nu.* 1802. hanc ſtatuit primam concluſionem: *Innocens falsò accuſatus non poteſt crimen imponere falſo teſti, ſi tale illud ſit, quod teſtimonium non infirmet; poteſt autem imponere tale, quod falſum teſtimonium infirmet. Poteſt, inquam, quin peccet contra iuſtitiam, & teneatur ad aliquam reſtitutionem; quia peccabit contra veritatem.* Secundam concluſionem ſtatuit *num.* 1823. *Non eſt poſſibilis caſus, in quo innocens falsò accuſatus poſſit ſine mortali imponere crimen falſo teſti, quod eius teſtimonium infirmet. Ergo impoſitio eiuſmodi nunquam erit iuſta defenſio, ſed ſemper vel vindicta, vel periurium. Quod clariſſime oſtendo: Nam vel Titius per iniuriam apud Tribunalia traductus contra accuſatorem deponit calumniam cum iuramento, vel ſine iuramento: ſi primum, erit periurus: ſi ſecundum, non acceptabitur in iudicio eius depoſitio. Ergo quocunque ſe vertat, reus erit peccati mortalis: peccabit enim mortaliter, ſi peieret, & mortaliter etiam, ſi ſine moderamine inculpatæ tutelæ, iniquo teſti falſum teſtimonium imponat. Omitto ipſum mendacium; nam mentiri Reipublicæ in materia graui, etiam præciſo iuramento, eſt graue peccatum.* Itaque *Caramuel* in hac editione Lugdunenſi: in qua etiam multas alias ſententias reuocauit, quas olim tradiderat, affirmat, eum, qui falſo accuſatori obijcit crimen falſum, etſi ea exceptio proſit ad defenſionem falsò accuſati, peccare mortaliter contra veracitatē, non verò contra iuſtitiam: & hoc ſolùm docuerat *Bannez, Ioannes De la Cruz, Ledeſma, & Orellana;* qui falsò citantur pro ſententia proſcripta. Erro-

ri

ri autem cauſam tribuit *Diana p. 3. tr. 5. reſ. 4.* qui cùm in titulo ſolùm propoſuiſſet, an hoc ſit peccatum mortale, adducit pro ea ſententia negantes relatos Doctores: illi verò non negant eſſe peccatum mortale contra veracitatem, religionem, &c. ſed ſolū ex parte iuſtitiæ; vt rectè notat *Card. de Lugo to. 2. de iuſtit. d. 40. ſect. 2. num. 25.* qui eiuſdem eſt ſententiæ, ſicut etiā *Dicaſtillus* latè contra quendam innominatum, *l. 2. de iuſtit. tr. 2. d. 12. dub. 2. nu. 404.* *Tamburinus* verò *l. 9. decal. c. 2. §. 2. num. 5.* ait ſibi probabile eſſe, non eſſe peccatum contra iuſtitiam, vnde non oriri onus reſtitutionis: at *nu. 6. & ſeqq.* dicit incertum ſibi eſſe an peccetur mortaliter, etiam ratione periurii, cum per *Caſtropalaum*, etiam in iudicio poſſit adhiberi æquiuocatio in iuramento. Et tandem concludit nodum hunc in aliud tempus reſeruare.

2 At Summus Pontifex meritò illas Propoſitiones damnauit, tum quia adhuc reperiebantur in priori editione *Caramuelis*: tum quia ſic fuerunt oblatæ cenſurandæ: & ex alia parte admodum falſæ, animarumque ſaluti pernicioſæ ſunt, vt iacent. Prior enim interrogat: *Quidni, ſeu cur nonniſi venialiter quis peccabit, ſi magnam detrahentis auctoritatem ſibi noxiam falſo crimine ſtudeat elidere, vt ſe à moleſtia liberet?* Reſpondetur: Ergo-ne ſolùm veniale erit, ſi virum magnæ auctoritatis mihi leuiter detrahentē, mihique tantùm leuiter noxium, graui falſo crimine, notabili afficiam iniuria, vt cum eius damno magnam illius elidam, ſeu totaliter deſtruam auctoritatem; vt me à moleſtia tum leui, tum leuiſſima liberem? Ergo-ne venialis tantùm culpa cenſenda ſemper eſt, quod quilibet, ſibi crimen falſum etiam graue imponendo, ſe infamet, ſi ſic magnam detrahentis auctoritatem qualitercumque ſibi noxiam elidere poterit, vt noxam ſiue magni, ſiue parui momenti à ſe repellat? Ergo-ne veniale peccatum interdum erit mendacium grauiter pernicioſum proferre? Has tres conſequentias tanquam ſcandaloſas nullus negat: ſicut nec aliquis inter Catholicos Doctores illas affirmat, niſi quod per generalem huius XLIII. Propoſitionis ſenſum, illas video affirmari, & edoceri. Hæc tam ampla, falſa, & ſcandaloſa doctrina ſub terminis diuerſis iterum replicatur in Propoſitione XLIV. in qua & aliquid vlteriùs additur verè falſum, meritòque damnatū. Venenum detegamus. Vult, probabiliter non eſſe mortale, ſed ſolùm veniale, quotieſcumque falſum crimen ſiue graue, ſiue leue imponitur alicui, vt proprius honor, & propria iuſtitia defendatur generatim, ſcilicet nō ſolùm ſi grauiter, verùm etiam ſi leuiter proprius honor; & propria iuſtitia læſionem patiantur. Hoc eſt primum caput doctrinæ ſcandaloſæ huius Propoſitionis: ſecundum eſt, quod ponitur in illis verbis: *imponit falſum crimen alicui*, non determinando an ille debeat eſſe perſona, quæ iniuriam infert, vel an etiam tertia perſona, quamuis innocens, ſit intelligenda. Tertium caput conſiſtit in eius vltima parte, quæ eſt: *Etſi hoc non ſit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia*. Et tamen Facultas Theologica

Lo-

Louanienſis, die 4. Maij anni 1657. eam in ordine tertiam hac cenſura afficit: *Ne vmbram quidem præfert probabilitatis, ſed cumulum complet temeritatis, ſpatioſam calumniatoribus, & impoſtoribus portam aperiens*. Has Propoſitiones tàm ample fuiſſe intellectas à *Caramuele* proferente non exiſtimo: at quia etiam in ſenſu non tam amplo venenum continent, ideo pro defenſione Decreti, & veritatis notitia plures aſſertiones afferam, præmiſſis notandis.

SVMMARIVM.

§. I.

3 *Quid eſt detractio, quidue fama, cuius detractio eſt iniuſta denigratio?*

4 *An, & in quo differant ſpecie detractio, & contumelia? An ſit detractio etiã in præſentia iniuriati, & quomodo coniungantur detractio, & contumelia?*

5 *Quid eſt detractio materialis, quidue formalis: & an vtraque ex genere ſuo ſit peccatum mortale, grauius furto, at leuius homicidio? Ex quibus capitibus non eſt mortalis?*

6 *An grauitas, vel leuitas detractionis ſit accipienda ex grauitate criminis impoſiti, aut detecti, vel ex grauitate infamiæ ſubſequutæ: & quæ circumſtantiæ attendendæ ſint; & quando pluries leuiter delinquens peccet mortaliter?*

7 *An ſit mortale delicta proximi per generalia verba detegere, quibus conſtare nequeat, ipſum mortale commiſiſſe?*

8 *An detrahere alteri in confuſo, & generaliter, non exponendo aliquid in particulare, innuendo verò graues illius defectus, ſit mortale peccatum obligans ad reſtitutionem?*

9 *Quod peccatum ſit defectus naturales animi, vel corporis reuelare?*

10 *An ſit mortale dicere, aliquem morbo Gallico laborare?*

11 *An defunctorum grauia occulta crimina detegere ſit peccatum mortale? Et quorum Hiſtoriographis ſcriptio permittatur?*

12 *Qui ſint quatuor modi directi, & qui alij quatuor indirecti, quibus exercetur detractio? Et an ſi crimen ſit verum, at occultum, ſit peccatum mortale reuelare illud vni, vel alteri viro cordato, qui illud ſub ſecreto continebit?*

13 *An reuelare crimen verum occultum vni, vel alteri prudenti viro ad leniendum dolorem offenſæ, ad petendum conſilium, ad conſolationem ſui, culpa vacet?*

14 *An peccet mortaliter, & quando qui refert crimen occultum proximi, non aſſeueranter, ſed dicendo ſe ab alijs illud audiuiſſe, ſine eo quòd vel augeat, vel confirmet audita?*

15 *Loqui de aliorum peccatis aliàs occultis coram his, quibus nota ſunt, quando licitum, quando illicitum, venialiter, quando mortaliter ſit?*

15 *Caret-ne graui culpa narrare graue crimen notorium in eo loco, in quo eſt pu-*

publicum, etiam illud ignorantibus? Quod & quando delictum eſt publicum, ſeu notorium facti, quod, & quando famoſum?

17 *An par ſit reſolutio eius, qui crimen in vno loco publico, in alio narraret, ad quod, inſpecta conditione hominum, & conuictu illorum, faciliter eſſet peruentura breui tempore eorum notitia?*

18 *An varietur reſolutio, ſi iniuſtè publicatum ſit delictum?*

19 *Si quis in vno loco publicè diffamatus eſt publicitate iuris, poteſtnè tàm pœna, quàm crimen quo diffamatus eſt, in alio loco etiam diſtanti, ad quem non eſſet de facili illius notitia peruentura, narrari abſque peccato graui?*

20 *An delictum publicum publicitate facti, vel famoſum in vno loco poſſit abſque graui culpa, in alio proferri, ad quem non eſſet breui tempore peruenturum?*

21 *An ceſſet licentia reuelationis dum graue damnum infamato, præter infamiam, continget? Et quid ſi honeſtè viuendo infamatus famam recuperauit?*

22 *Quando infamare eum de nouis criminibus, qui iam de aliquibus eſt diffamatus culpæ graui non adſcribatur?*

23 *In quibus caſibus detegere crimina occulta ſit licitum, immò obligatorium?*

24 *An damnatio harum Propoſitionum extendatur ad teſtimonium falſum in indicio, & extra?*

§. II.

25 *An peccet mortaliter, qui in iudicio falſo accuſatus, imponit falſum crimen accuſatori, vel teſti? An etiam ſi illud imponat extra iudicium iniquo detractori: Et negatiua pars cui cenſuræ obnoxia ſit?*

26 *Quid Pontifex intendat oſtendere dum negat etiam modale Propoſitionis XLIV.* Probabile eſt? *Et an ex huius damnatione inferri poſſit reiectio ſententiæ docentis, licitum eſſe amplecti ſententiam probabilem, relicta probabiliori, dum agitur quæſtio de honeſtate actus, & extra ſententiam Iudicis?*

27 *An peccet contra iuſtitiam tum legalem, tum particularem reus, qui in iudicio imponit falſum crimen in quo teſti?*

28 *An ſententia Caramuelis, & aliorum ſubdatur huic damnationi?*

29 *An ſit falſa, & ſubijciatur damnationi ſententia docens, quod non peccat mortaliter contra iuſtitiam qui extra iudicium imponit falſum crimen mẽdacij infamatori ſuo?*

30 *Dum reo non conſtat interrogari iuridice, poteſtne & negare crimen, & dicere accuſatorem mentiri, & calumniari?*

31 *Quid etiam extra iudicium poſſit quis obijcere proximo iniquo ſui detractori?*

32 *In quibus caſibus licitum ſit reo occulta crimina teſtium detegere? in quibus verò peccet mortaliter?*

33 *Quæ culpa ſit ex ſuo genere infamare ſe ipſum ſine cauſa: quæ verò ex adiunctis circumſtantijs?*

34 *Quæ cauſa reddant licitam infamationem ſui ipſius?*

35 *An ſit mortale ad vitanda leuia tormenta, falsò ſibi crimen imponere, ob quod morte ſit plectendus?*

36 *An ſaltem non ſit mortale ad vitanda tormenta grauia?*

37 *Cur diſpar ſit reſolutio in caſu, quo reus metu tormentorum, vel ſine fatetur verum crimen occultum, propter quod morte afficitur?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionum.

3 PRænotandum eſt primò: Quod Detractio à *D. Thoma 2. 2. q. 73. ar. 1.* definitur, *quod ſit Denigratio iniuſta alienæ famæ per occulta verba.* Fama autem cùm ex *Soto l. 4. de iuſt. q. 6. ar. 3.* ſit Communis recta, & clara opinio, & æſtimatio bonæ, & inculpatæ vitæ, voce manifeſtata, quam de aliquo habét homines: qui defectum, vel crimen occultum manifeſtat alijs, quantum eſt ex ſe tollit, vel minuit illam opinionem, quam de illo, de quo dicuntur, auditores habebant; & quia talis iniuria in abſentia irrogatur, dicitur quod fit *per occulta verba*; non quidem ſimpliciter, & abſolute talia, ſed comparatione ad eum, de quo dicuntur, quia in eius abſentia propalantur, iuxta illud *Eccl. 10. Si mordeat Serpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.*

4 Notandum eſt ſecundò: Quòd ſicut factis poteſt homo offendere proximum coram, & in abſentia, vt per rapinam, & furtum, ob quam rationem hæc duo differunt ſpecie in confeſſione detegenda; ità verbis, vel in propatulo, illius crimen, aut defectum obijciendo, vel in abſentia, crimen aut defectum verum occultum, vel falſum propalando. Primum fit per contumeliam; ſecundum per detractionem. Vnde licet hæc duo in genere conueniant in eo, quod eſt malum de proximo enunciare, differunt tamen ſpecie: tum quia contumelia lædit honorem, qui eſt teſtimonium excellẽtiæ alterius; detractio famam: tum & præcipuè, quia illa in præſentia profertur, hæc in abſentia; & ſic penès maiorem rationem inuoluntarij per ſe primò diſtinguuntur. Vnde ſat non eſt in confeſſione dicere, ſe malum de alio enunciaſſe, ſed an in præſentia, vel in abſentia dictum ſit, debet exprimi. Quandoque tamen detractio in præſentia committitur, & tunc ſimul eſt contumelia: vt ſi alicui coram eo, & aliis verbum infamatorium dicatur; quod vt obiectum patienti, eſt contumelia, quia tunc eius honor deprimitur; ita quatenus manifeſtat alijs crimen, vel defectum infamatorium, eſt detractio, quia bona illius fama denigratur, & recta æſtimatio diminuitur. Etenim, vt benè inquit *Petrus Tapia tom. 2. ſuæ Catenæ l. 5. qu. 14. ar. 2. num. 4.* præſentia, & abſentia conſtituentes has duas ſpecies iniuriæ ac-

ci-

cipiuntur formaliſſimè. Præſentia quidem, quatenus loquens dirigit verbum ad conuiciatum, cum in faciem alloquens, irreuerenter dehonorando: Abſentia verò, quatenus dirigit ſermones ad alios, apud quos minuitur bona opinio, ac fama alterius, ac ſi eſſent abſentes ab ipſo corporaliter. Itaque contumeliator dicitur loqui in præſentia cùm alloquitur offenſum; in abſentia verò quando loquitur alijs de illo, quamuis non loquatur expreſsè cum his, aut cum illo dicendo, *Tu es Iudæus*; aut alijs, *Iſte eſt Iudæus*: Sed ſufficit, quòd coram eis referat, quia in verbo ſic prolato vtraque relatio reperitur, & contumeliæ ad eum, cuius crimen profertur; & detractionis ad eos, qui de illo audiunt: & tunc datur duplex malitia confitenda, & reſtituendus eſt honor ablatus per contumeliam, & fama per detractionem deturpata.

5 Notandum eſt tertiò: Quòd detractio alia eſt formalis, illa videlicet, qua ex animo infamandi probroſa dicuntur, quæ nunquam à malitia exuitur: Alia materialis, qua crimina, & defectus deteguntur, non ex animo infamandi, ſed ex alio motiuo: quod ſi honeſtum fuerit, excuſabit à peccato: cæterum ſi ex leuitate animi, vel inconſideratione culpabili verba infamatoria dicantur, eſt detractio, licèt materialis, praua, & peccaminoſa. Vtraque autem detractio praua ex genere ſuo eſt peccatum mortale contra iuſtitiam, grauius quidem furto, ſed leuius homicidio. Ita cum communi ſententia *Anacletus Reiffenſtuel Theol. moral. tr. 9. diſt. 6. qu. 1. num. 5. & 6.* Et ratio eſt: quia lædit Proximum in bono vt plurimum graui, quodue præſtantius eſt pecunia, iuxta illud *Prouerb. 22. Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ*. Item *Eccleſiaſtici 41. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri pretioſi, & magni*. Vnde & Poeta canit:

Omnia ſi perdas, famam ſeruare memento.

Dixi notanter ex *genere ſuo*: Siquidem detractio ex leuitate materiæ, ex imperfecta deliberatione, & ex imperfectione affectus lædendi alterius famam, quandoque non eſt niſi veniale; quomodo explicat *D. Thomas ſupra ar. 2. ad 3. D. Auguſtinum ſerm. 14. de Sanctis*, ponentem inter peccata minuta verba detractoria, quæ cum facilitate dicuntur.

6 Notandum eſt quartò: Quod grauitas, vel leuitas detractionis non eſt ſemper accipienda ex grauitate criminis impoſiti, aut detecti; ſed ex grauitate infamiæ ſubſequutæ. Licet enim regulariter loquendo narrare defectus veniales, non ſit niſi veniale, quia cum ab his nemo excuſetur, parum læditur fama alicuius per hoc, quod de illo proferantur; & peccata grauia occulta propalare graue ſit ex ſuo genere peccatum, vt communiter Doctores dicunt: aliqua ſunt tamen peccata grauia reſpectu aliquarum perſonarum, quæ de illis proferre nullum, vel leue erit peccatum; vt ſi de iuuene aulico, vel alio equite, qui de hoc parum curant, vel potius ipſi de eo ſe iactant, peccata laſciua proferres, ſolicitationes, &c. de milite duella,

lites, aut vulnera. E contra verò poteſt de aliqua perſona res leuis pronunciari, quæ grauiter læderet ſuam famam; vt ſi de fœmina honeſtiſſima, vel de graui viro rem aliquam minùs honeſtam; tametſi non eſſet graue peccatum, proferres. Attendendæ ſunt ergo omnes circumſtantiæ, vt qualitas perſonæ, de qua detrahitur; auctoritas detrahentis, leuitas, malitia, bonus, vel malus affectus audientium, qui poſſunt in deteriorem, vel meliorem partem rem ſumere, eam diuulgare, vel etiam augere. Vnde de viro graui; aut Religioſo dicere eſſe mendacem, ideſt crebrò mentitum, peccatum erit mortale, licet mendacia limites venialis non excedant; non autem eſſet mortale de illo in abſentia dicere, ſemel, aut iterum fuiſſe mentitum, quia per hoc parum eius fama læderetur: *Petrus Nauarr. l. 2. de reſtit. c. 4. par. 2. dub. 5. nu. 312. Rebellus de oblig. iuſtit. 1. p. l. 4. q. 2. Molina tom. 5. d. 26. num. 4. Leſſius l. 2. c. 11. dub. 3. nu. 14. Dian. p. 5. tr. 5. reſ. 69. Dicaſtillus l. 2. tr. 2. d. 12. num. 107. Felix à Panormo to. 2. d. 4. num. 851.* Attendendum eſt etiam an ex multis leuibus detractionibus oriatur infamia grauis; ſi enim tam multas leues detractiones, quamuis interpellatis ſermonibus, aggeris, vt ſenſim notabiliter de bona fama hominem deijcias, peccas mortaliter. Ita *Card. de Lugo de iuſt. tom. 1. d. 10. ſect. 3. num. 46. & §. 1. nu. 52. & §. 2. nu. 52. Tamburinus l. 9. n. 4. c. 3. §. 2. n. 4.*

7 Ex qua doctrina colligitur primò reſolutio illius caſus: An ſit peccatum graue delicta proximi per generalia verba detegere, quibus non poſſit conſtare ipſum mortale commiſiſſe: vt dicere, eſſe valdè ſuperbum, auarum, iracundum, contentioſum, præſumptuoſum, inanis gloriæ cupidum, & ſimilia, quando de illis alias non eſſet diffamatus. Et quamuis *Sayrus l. 11. c. 6. n. 2. Azorius 3. p. l. 13. c. 4. dub. 5. Diana p. 5. tr. 5. reſ. 69. Felix à Panormo ſupra, Syllueſter*, & alii cum *D. Antonino 2. p. tit. 8. c. 4.* in principio negent, quia illa ex ſe non magis ſonant peccatum veniale, quàm mortale, & poſſunt accipi pro naturali inclinatione, & motu primo: & ſic non cenſetur inferri notabilis infamia: cæterum hoc videtur periculoſum, & ex circumſtantijs penſandum, an mortale, vel veniale ſit: vt ſi perſona, de qua dicuntur, tantæ opinionis, & ſanctitatis ſit, vt notabiliter eius fama lædatur, & perſona, quæ loquitur, modeſta ſit, nec ſolita ſimilia dicere, niſi cum magno fundamento: vel ſi audientes ità malè affecti ſint, vt in peiorem partem eſſent interpretaturi, non eſſet liberandus detrahens à mortali, & ab onere reſtitutionis; quia iniuſtam dedit cauſam notabilis infamiæ ſubſequutæ, *Nauarrus c. 17. num. 24. Petrus Nauarra l. 2. c. 4. par. 2. dub. 6. num. 314. Dicaſtillus l. 2. tr. 2. d. 12. n. 114.* & alij cum *Leſſio l. 2. c. 11. dub. 3. n. 18.*

8 Secundò, alteri detrahere in confuſo, & generaliter, non exponendo aliquid in particulari, innuendo verò graues illus defectus, erit mortale peccatum obligans ad reſtitutionem; vt ſi de re aliqua graui eſſet conuerſatio, & quis diceret, ſe aliquid ſcire de Petro, quo non parum confunderetur: vel dicendo: *Petrus deberet tacere coram me: ipſe enim ſcit, quòd eum agnoſco:*

Digitized by Google

ſeo: quia per huiuſmodi loquutiones confuſas,& quaſi prægnantes,aliquid peius fortaſſe concipitur , quàm ſi aliquid graue in particulari diceretur. *Tapia cit. qu. 14. ar. 4. num. 2. Card. de Lugo d. 14. ſect. 4. nu.* 50. Non tamen eſt mortale de aliquo ignoto,vel indeterminato male loqui, niſi redundet in aliorum damnum . Mortale autem de Monaſterio religioſo in communi male loqui. *Felix à Panormo ſupra.*

9 Tertiò,niſi ob reuelationem defectuum naturalium animi , vel corporis alius à conſequendo bono aliquo temporali (quomodo non malitiam detractionis,ſed aliam talis loquutio haberet) impediretur,non eſſet graue peccatum hos defectus propalare: Vt ſi dicas,eſſe indoctum,ignarum, indiſcretum,parui iudicii,eſſe cæcum,gibboſum,deformem,quia tales defectus non ſunt culpabiles,& regulariter ſunt manifeſti , vel de facili poſſunt manifeſtari: Vterque *Nauarrus, Martinus c.* 18. *n.* 24. *Petrus ſuprà num.* 307. *Leſſius l. c. c.* 11. *dub.* 3. *nu.* 14. *Dicaſtillus nu.* 111. Verum eſt , hos defectus in præſentia obijcere,graue poſſe eſſe peccatum , inſpecta perſona de qua dicuntur,modo,& tempore,& loco,& perſona,quæ loquitur . Idem ſcilicet non eſſe mortale dicunt *Felix à Panormo , Dicaſtillus* , & alij de aliquibus defectibus natalium,vt ſi dicas, eſſe filium Clerici,natum ex adulterio : niſi ob id putetur valde contemnendus ab his,qui audiunt: non tamen de omnibus,vt ſi de aliquo honorabili viro dicas,eius auum viliſſimum exercuiſſe officium,vel fuiſſe publice flagellatum,vel eſſe ex genere Saracenorum, Iudæum confeſſum,nouum Chriſtianum,ex Hæreticis procedentem. Maxime hoc in Hiſpania,vbi ſolent tales defectus ægrius ferri, ac ſi crimina grauia manifeſtarentur , & à plurimis bonis conſequendis multum impedire.

10 Quintò: Non pecco mortaliter,ſi dicam,te morbo Gallico laborare,ſi tibi dedecus non eſt fuiſſe mæchatum, vt de milite, vel nobili adoleſcente,&c. vt ſupra. Secus ſi dedecus tibi ſit: & ſic regulariter eſt: quia ordinarie hic morbus ex mæchia procedit. Ita *cum Bonac. Tambur. ſupra*: qui recte excipit, niſi ſtatim ſubdam illius morbi cauſam fuiſſe extraordinariam; nempe te fuiſſe infectum ex loco frigido,vel ex hoſpitij infecta ſupellectili,vel vt accidit non ſemel infantibus, ex lacte nutricis infectæ.

11 Sexto defunctis detrahere, de illis crimina occulta detegendo , eſt graue peccatum iuxta grauitatem materiæ;quia fama quoddam bonum,eſt quod etiam poſt mortem perſeuerat. Ita cum communi *Card. de Lugo d.* 14. *ſect.* 4. *nu.* 44. Quare peccant grauiter hiſtoriographi, qui occulta defunctorum crimina in ſuis hiſtorijs ſcribunt. Ita *Sotus l.* 5. *q.* 10. *ar.* 2. *Dicaſtillus l.* 2. *tr.* 2. *d.* 12. *num.* 124. & alij communiter : quamuis hi Auctores concedant, quod ſi non ſint nimis occulta,licitum erit ob bonum commune ea ſcribere;quia poſteri plurimùm inſtruuntur ex hiſtoriis in conſilijs capiendis , & ad res præclaras incenduntur ſpe honoris , & timore infamiæ à turpibus deterrentur . Vnde ſecundum prædictos Auctores plus licet in hac parte

hiſto-

hiſtoricis, quàm alijs. Cæterum expendere debent, cum ſcribunt delicta alicuius perſonæ nobilis, cuius infamia, illius tota familia maculatur, præponderet ne vtilitati, quam legentes futuri ex tali narratione accipient, damno, quod ex tali infamia prouenit proſapiæ? quia niſi præponderet prædicta reuelare, illicitum erit. Et licèt leuius ſit peccatum, cæteris paribus, condemnatis putà Paganis, Hæreticis, &c. detrahere, quam alijs de quibus eſt ſpes ſalutis: & ſic amplius requiritur, vt detractio illorum ſit mortalis, quàm iſtorum, negari non poteſt, eſſe graue peccatum, grauiſſima crimina, vel defectus illis imponere, vel occultos illorum propalare: quia licet ad finem ſupernaturalem non ſint iam ordinati, adhuc proximi noſtri manent quoad naturam humanam: Quare ſicut non licet eis deſiderare duplex maius tormentum, ſecundum regulas charitatis, quia adhuc eos, vt proximos ſecundum naturam humanam conſideramus: ita non licet famam illorum, quam poſſident, quoad homines, auferre: aliàs de hæretico nobili iam mortuo liceret falsò aſſerere, fuiſſe proditorem Reipublicæ; & de Ariſtotele fuiſſe totius Philoſophiæ ignarum; de Cicerone omninò imperitum; de Lucretia fuiſſe publicam meretricem, & alia, quæ nimis dura videntur. Ita *Salonius 2.2.qu.62.art.2.controu.2. concluſ.3. Card. de Lugo num.43.* & alij contra *Molinam Malderum, & alios.*

12 Notandum eſt quintò: quod octo modis poteſt exerceri detractio, Primò imponendo alicui falſum crimen: Secundo augendo, & amplificando verum crimen: Tertio manifeſtando crimen occultum: Quarto interpretando, & explicando factum honeſtum alicuius in ſiniſtram partem: vt ſi dicat, praua intentione factum: & his quatuor modis dicitur directè quis detrahere: qui hoc verſu continentur.

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens.

Alijs quatuor modis indirectè dicitur quis detrahere; quorum Primus eſt negare rectè facta, & bona alterius. Secundus diminuere rectè facta. Tertius malitioſè reticere bona alterius loco, & tempore, quo eius reticentia vergit in vituperationem illius: vt ſi cæteri ex eius taciturnitate falſam eſſe laudem concipiant; vel aliter in eius opprobrium redundat. Quartus eſt ità remiſsè, & frigide laudare, vt cedat in vituperationem laudati. Hunc quartum modum non explicauit D. Thomas, quoniam ad ſecundum, vel tertium reducitur: & hi quatuor modi alio verſu explicantur.

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remiſsè.

Omnibus iſtis modis detrahere eſt ex ſuo genere peccatum mortale. Vnde *Roman.* 1. dicuntur detractores *Deo odibiles*. Et *Iacob.* 4. dicitur *Nolite detrahere alterutrum: Fratres mei, qui detrahit fratri, detrahit legi,* ideſt, vt exponit *D. Thomas 2.2.qu.74.art.2.ad 3.* contemnit præceptum de dilectionè Proximi. Et licèt aliqui putent, quod ſi crimen ſit verum, at occultum, non ſit peccatum mortale reuelare illud vni, vel alteri viro

cor-

Digitized by Google

cordato, qui illud ſub ſecreto continebit, quia per hoc parum, aut nihil alterius fama læditur. Ita *Caietanus 2.2.q.73.art.2. Petrus Nauarra l.2.c.4. num.33. Martinus Nauarrus in man.c.18.num.33. Gratius, Tannerus, Ioannes à Cruce, Bauny, Baſſæus, Zambellus, & Cælestinus*, quos refert, & ſequitur *Diana p.2.tr.17.reſ.22. & p.3.tr.5.reſ.33. & p.6.tr.6.reſ.9. Tamburinus ſupra num.7.* qui hinc cum nonnullis excuſat à mortali viros, vxoreſque, qui inter ſe de occultis alterius peccatis confabulantur: modò non ſit veriſimile alterutrum ea diuulgaturum: nihilominus contrariæ ſententiæ *D. Thomæ 2.2.q.72.art.1.ad 2.* ſubſcribo, quam tuentur *Serra 2.2.qu.73.art.2. dub.1. Sotus l.4.qu.10.art.2. Rebellus l.4.qu.3.dub.1.concluſ.1. Bannez 2.2.q.72.art.2. Malderus 2.2.tr.7.c.1.dub.4.concluſ.1. Villalobos tr.11.diffic.36.c.8. Card.de Lugo d.14.ſect.4.num.52. Tapia l.5.q.14.art.4.nu.3. Trullench l.7.c.10 dub.11.num.1. Prado c.25.qu.2. num.8.* & alij. Et conſtat primò ex verbis Angelici Doctoris: *Etiamſi vni ſoli aliquis de abſente malum dicat, corrumpit famam eius, non in toto, ſed in parte.* Etenim (vt bene notauit *Card. Lugo*) ad lædendum grauiter famam alterius non requiritur, vt detractor reddat proximum infamem, ſed ſufficit, quòd in parte famam eius corrumpat. Quemadmodum, vt furtum ſit grauis læſio fortunarum, non requiritur, quod reddat inopem, eum, à quo accipitur, ſed ſufficit, quod in parte eius ſubſtantiam diminuat. Secundo, quia valor, & pretium rei debet ex communi æſtimatione penſari, ſed magis apud homines æſtimatur bona opinio, & fama apud vnum, vel alterum virum cordatum, & prudentem (qualis eſt ille, cui ſecretum committitur, & ſeruaturum cenſetur) quàm apud alios plebis; & ægriùs fertur apud vnum virum prudentem dehonorari, quàm apud plures infimæ ſortis; quia, (vt inquit *D. Thomas 1.2.qu.2.art.2.ad 3.*) quærunt homines maximè honorari à ſapientibus, quorum iudicio credunt ſe eſſe excellentes, & felices: Ergo non eſt leuis, ſed grauis læſio famæ apud vnum, vel alterum ſapientem infamari. In confeſſione autem abunde per fructum Sacramenti compenſatur damnum famæ, quod accipitur: Et ideo infamia intrinſeca ipſi confeſſioni, vel integritati eius ſuſtineri debet, quamuis non debeat materialiter integrari confeſſio, ſi periculum infamiæ extrinſece immineret.

13 Concedunt tamen communiter Auctores, quod reuelare crimen verum occultum vni, vel alteri prudenti viro ad leniendum dolorem offenſæ ad petendum conſilium, ad conſolationem ſui, non erit vllum peccatum; quia durum valde eſſet, quòd quis cogatur iniurias acceptas nemini manifeſtare; maxime quando talis vtitur iure ſuo, & modo proportionato lenire vult dolorem: quod per compaſſionem amicorum fieri, tradit *D. Thomas 1.2.q.38.ar.2.ad 3.*

14 Aliqui cenſent, quod qui refert crimen occultum proximi, non aſſeueranter, ſed dicendo ſe ab aliis illud audiuiſſe, ſine eo, quod vel augeat, vel confirmet audita, nõ peccet mortaliter, etiam ſi coram multis ſic

re-

Digitized by Google

refert; quia ſic loquens non infert ex ſe graue damnum in fama; eo quod ſi audientes concipiunt malam opinionem, non oritur ex illo modo referendi audita, aut dubia, ſed ex ſua leui credulitate, iuxta illud *Eccleſiaſtici 19. Qui citò credit, leuis eſt corde*. Sic *D. Antoninus 2. p. c. 2. tit. 2. §. 3. verſ. quantum ad tertium, Sotus in 4. d. 15. p. 4. art. 1. Caietanus 2. 2. q. 73. ar. 2. Faber de reſtit. in 4. ſent. diſt. 15. q. 3. diſp. 53. nu. 29. Diana p. 3. tr. 5. reſ. 28. Serra 2. 2. q. 73. art. 2. dub. 2. concluſ. 2. in fine, Armilla V. Reſtitutio num. 4. except. 7.* Et hoc licet narratio facta ſit à viro magnæ auctoritatis, ſi ipſe non aſſeueret, ſed rem dubitanter, vt audiuit, refert. Quia hæc narratio ex ſe & ex ſua natura non aufert famam, nec efficaciter cauſat iniuriam. Idem docet *Felix à Panormo cit. d. 4. num.* 851. qui tamen addit, quod ſi referens præuideat auditores eſſe leues ad credendum, vel ſi id referat animo nocendi, tunc peccat mortaliter, ſed contra charitatem, qua obligamur ad non inferendum alteri malum: ſed non contra iuſtitiam, quia talis actus non eſt ex natura ſua ablatiuus famæ; niſi relatum firmet auctoritate: dicendo ſe id audiuiſſe à perſonis fide dignis. Et prædicti Auctores abſque diſtinctione loquuntur criminis grauis, aut grauiſſimi; & ſic pro omnibus idem ſentire videntur. Sed loquendo non de criminibus grauiſſimis, vt hæreſis, proditionis patriæ, Sodomiæ, &c. ſed ſolum de grauibus, & à viro non magnæ auctoritatis relatis, idem tenent *Bannez 2. 2. qu. 73. art. 2. dub. 2. Leſſius l. 2. c. 11. dub. 5. Card. de Lugo d. 14. ſect. 4. num. 56. & 57.* At loquendo de quocunque crimine graui occulto, verius alij docent eſſe mortale illud referre, vt auditum coram multis, niſi à perſonis leuibus, & omninò fide indignis auditum referatur; quia narratio etiam ex auditu ex ſe generat conceptum malæ famæ in auditoribus, qui alijs referunt; & ſic creſcit infamia orta ex tali narratione, & breui fit abſoluta, & quaſi certa, vt ſi de fœmina honeſtæ famæ dicas, te audiuiſſe eam cum tali viro fornicaſſe, quis non diceret eam multum famæ apud audientes perdidiſſe! Quis audientium prauum de illa conceptum non faciet? Et ſi iſti alijs referant ſe audiuiſſe, & iſti alijs, qualiter fama illius verberabitur? Ita *Aragonius 2. 2. q. 62. art. 2. fol. 199. col. 2. Sylnius 2. 2. q. 63. art. 2. quæſt. 16. concl. 3. Salonius ibi controu. 2. Malderus 2. 2. tr. 7. c. 1. dub. 13. Tapia l. 5. qu. 14. art. 4. num. 4. Prado cap. 25. q. 2. num. 25. & alij cum Soto l. 4. de iuſt. q. 6. art. 3. ad 4. §. quatenus denique.* vbi præclare dixit: *Modus iſte infamandi eſt tanto pernitioſior, quanto vſitatior, & minoris æſtimatus; nempe dum quis, quæ audiuit, refert. Audiſti ſcilicet vicinam tuam amicum acceptare: id autem (vt ingenium eſt hominum) ſtatim in aures vicinæ hiſce verbis ſuſurras: Hoc, aut illud audiui; ego quidem non credo, ſed audita refero: eſt profectò ingenioſus, ſed peſtilens detrahendi modus: nam quò te ipſum ſanctius iuſtificas, maiorem tibi arrogas fidem, & ideo peius infamas: Sic enim fama, vt ait ille, vires acquirit eundo.*

15 Loqui de aliorum peccatis aliàs occultis coram his, quibus nota ſunt, eſt actus indifferens, & ex fine poteſt honeſtari, vel deprauari. Si

enim

enim ex animi leuitate, vel curioſitate, quis ea narret, vel de his loquatur, erit actus otioſus, & peccatum veniale: Si vt alij à ſimilibus abſtineant, exemplo lapſorum, aut punitorum, vel ex alio recto fine, erit actus virtutis: ſi ex odio ad perſonam, vel vt quantum eſt ex ſe, amplius infametur, erit peccatum graue contra charitatem: nunquam autem contra iuſtitiam ita vt obligationem reſtitutionis inducat: quia per talem delationem nihil famæ detrahitur proximo, qui iam eſt apud audientes diffamatus. Ita *Aragon.2.2.q.73. art.2.diffic.2. Dicaſtillus l.2.tr.2.d.12.num.*110.& alii communiter.

16 Narrare graue crimen notorium in eo loco, in quo eſt publicum, etiam illud ignorantibus, non eſt graue peccatum, aut detractionis contra iuſtitiã, aut murmurationis contra charitatem; & conſtat ex communi vſu hominum, etiam timoratorum, qui quando aliquod delictum committitur in præſentia populi, ſine aliquo ſcrupulo narrant illud omnibus abſentibus. Et ratio eſt, quia ab eo, de quo ſic detrahitur vel nulla, vel minima fama aufertur; eo quod per accidens eſt, quod ignoretur ab illis paucis; & infamia illa moraliter loquendo in promptu eſt, vt perueniat ad omnes incolas illius vrbis. Vnde illa extenſio minimum detrimentum infert, ſuppoſita publica infamia. Et ſic ſi abſque cauſa tales defectus dicantur, erit peccatum veniale; ſi cum illa, nullum. Ita *Caietanus tom.10.opuſc.tr.31.reſponſ.9. Molina tom.5.d.32.num.8. Bannez 2.2. qu.63. art.2.dub.3.Card.Lugo num.59.Tapia cit.q.14.art.5.num.1. & 2. Dicaſtill.l. 2.tr.2.d.12.num.303.* Porrò habemus publicum, ſeu notorium facti, & famoſum. Primum eſt, quod in præſentia multorum eſt perpetratum, vt in foro, in platea publica: & quod paſſim ab omnibus ob oculos verſatur, vt ſi publice concubinam habeat, & filios eius alat domi. Famoſum autem illud dicitur, cuius fama ex ſufficientibus indiciis orta, ad multos peruenit, ita vt maior pars Ciuitatis, pagi, viciniæ, parœciæ illud norit, & quod manifeſtum eſt maiori parti alicuius congregationis, nimirum collegij, aut conuentus, vbi non pauciores quàm decem reperiuntur; vt ſi in congregatione eſſent decem, & à ſex ſciretur, publicum, ſeù famoſum dici poterit; & ſi eſſet communitas 12. & à ſeptem notum eſſet, ſolùm tamen eſſet notorium reſpectu illius communitatis, non abſolutè reſpectu totius vrbis, aut parœciæ. Sed ea abſolutè dicuntur publica, quæ eo loco cum illis circumſtantijs ſunt geſta, vel propalata, vt cuiuis innoteſcere potuerint videlicet in foro, vel platea publica, quia non curauit auctor, quis viderit, vel non. Vnde rectè *Caietanus* per Publicum intelligit, quod per ſe habet, vnde in communem notitiam perueniat. Et bene addit *Dicaſtillus num.298.* quod ſi aliquis eſt infamatus in Curia Regia, vel alia Ciuitate, vbi concurrere ſolent ex toto regno, & inde ſpargi, per illud dicitur pro toto Regno infamatus. Sed aduertit bene *Tapia num.* 10.quod in paruo loco ſufficit, & requiritur, vt à maiori parte ſciatur, vt publicum factum

dicatur; ſed in magno oppido, & Ciuitate licèt id ſufficiens ſit, non tamen requiritur: nam licet ad maiorem partem non deueniat, iudicandum erit publicum arbitrio prudentum, quod tot perſonis innoteſcit, vt breui credatur ad notitiam maioris partis peruenturum.

17 Propter eandem rationem (ſecundum prædictos Auctores) idem dicendum eſt de eo, qui crimina in vno loco publica, in alio narraret, ad quod, inſpecta conditione hominum, & conuictu illorum, faciliter eſſet peruentura breui tempore eorum notitia; quia ſic paruum, aut nullum detrimentum famæ irrogatur. Vnde rectè aſſerunt, non eſſe mortale peccatum ea in tali loco propalare.

18 Quod verum exiſtimo ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè publicatum ſit tale delictum, & de facto eſt iam publicatum, & notorium; quia nihil refert ad publicitatem veri criminis, quod factum iuſte, vel iniuſte publicatum ſit: Et ſic æquè benè vti poſſunt homines publicitate; quia hoc ipſo quod factum verè publicum ſit, egreditur cancellos occulti; & diffamatus ius non habet, vt ab eo narrando alij abſtineant; quia licet per iniuriam nemo ius amittat, quod habebat, poteſt illud amittere per id quod per iniuriam ab alijs factam ſequitur, nimirum per hoc, quod ſit in propatulo; quia hoc ipſo quod ſit publicum, ius amiſit, vt homines aliter de ſe ſentiant. *Molina cit. d. 32. num. 7. Bannez ſupra, Card. Lugo num. 65. Dicaſtillus num. 326. Tapia num. 9. Tambur. num. 9.* Si autem crimen diuulgatum falſum eſſet, nullatenus poſſet ab his, qui ſciunt veritatem, referri, aut vlterius protrahi, ſine graui peccato iniuſtitiæ, vt certum eſt.

19 Si quis in vno loco publicè diffamatus eſt publicitate iuris ſimpliciter tali, poteſt tam pœna, quàm crimen, de quo diffamatus eſt, in alio loco etiam diſtanti, ad quem non eſſet de facili illius notitia peruentura, narrari abſque peccato graui, præciſo alio extrinſeco nocumento: vt ſi quis publicè eſſet flagellatus, per plateas verecundiæ infamis cauſa ductus, adductuſue in publico theatro, ſcilicet Inquiſitionis, & in ſimilibus caſibus; poterit eius crimen, ob quod ſic punitus eſt, ad remotiſſima loca perduci, etiam ad illa, ad quę non eſſet eius infamia peruentura, tametſi hoc redunderet in alios ab ipſo reo: Et ratio eſt, quia Iudex licitè publicat eam ſententiam, ſinę vlla reſtrictione, & executioni mandat in loco publico, & in tempore maioris concurſus populorum, vt in omnium veniat notitiam, ad exemplum iuſtitiæ, & terrorem male factorum; ideoque iuſtè priuat illos per ſententiam fama, publicè eos infamando: & ſic illi abſolutè fama priuati, nullum ius habent ad illam. Licitum ergo eſt omnibus talia vbique proferre, & ſcribere: & ſic conſuetudine introductum eſt, vt delicta ſic publicata ſcribantur, hiſtoriis commendentur, typis mandentur, & promulgentur, ut à quibuſuis legantur: Sic *Caietanus ſupra, Molina num. 8. Dicaſtill. nu. 314. Tapia num. 4. & 5. Card. de Lugo num. 72. & 36.* Non ignoro tamen *Leſſium, Bann. Dianam, & alios,* quos ſequitur *Tambur.*

num.

num. 11. abſque diſtinctione docere, delicta publica in vno loco publicitate iuris, poſſe vbique publicari abſque iniuſtitia Intellige ſi ſententia publica ſit ſimpliciter, vt ſi publicatio facta eſt in villa, ciuitate, aut regno; hęc enim extendi poteſt ad omnes verbis, vel litteris. Cæterum ſi ſententia non ſit omninò publica, ſed intra limites alicuius Congregationis, vel Communitatis dumtaxat, vt ſententiæ latæ à Prelatis intra vnum Monaſterium, vel Religionem, non poſſunt extendi extra Religionem, nec extra Monaſterium, niſi alias ex circumſtantiis credatur moraliter breui tempore fore extra monaſterium intra Religionem extendendam: Et ſimiliter ſententiæ Sanctæ Inquiſitionis, quæ pronunciantur, & executioni mandantur in Tribunali, vel Aula ſecreta coram deſignatis Prælatis, & perſonis: non licet eis extra referre huiuſmodi ſententias, condemnationes, vel crimina, ob quæ ſunt prolatæ. Sed peccarent mortaliter extra tale ſecretum narrando quæ ibi audierunt; quia ad hunc finem illa ſententia non amplius publicatur, ſed clam profertur; quia Iudices nolunt infamiam extra limites illius conclauis vocatorum extendi, vt ex vna parte ſufficiens correctio publica adhibeatur, & ex alia nimia confuſio, & infamia temperetur, quia non maiorem exigebat delictum, & circumſtantia perſonæ. *Molin. num.7. Souſa tr.2.de Confeſſar.ſollic.c.16.num.8.Card.Lugo num.73.74.& 75. Tapia num.6.* Quod ſi ſolùm ſit publicum publicitate iuris ſecundùm quid, nimirum per teſtium depoſitionem, & rei confeſſionē ante prolationem ſententiæ Iudicis, quãuis eam ferre iuſte poſſet, nefas erit talia crimina, ſi aliàs publicitate facti nõ ſint notoria, in locis, vbi ignorãtur publicare; quia ex vi illius non eſt adhuc fama deperdita, nec per iuſtam ſententiam eſt reus illa priuatus. *Molina num.6. Card.Lugo num.72. Dicaſtill.num.318.*

20 An autem delictum publicum publicitate facti, vel famoſum in vno loco poſſit ſine peccato mortali in alio proferri, ad quem non eſſet breui tempore peruenturum, vel in eo publicandum creditur: Aliqui cum *Soto l.5.q.10.art.2.* dicunt eſſe peccatum mortale, & contra charitatem, & contra iuſtitiam, obligarique proinde ad reſtitutionem tale narrantē. Alij cum *Salonio 2.2.qu.73.art.2.controu.3 concluſ.4.* dicunt eſſe peccatum mortale, contra charitatem, non contra iuſtitiam: & ſic non obligare ad reſtitutionem. Alij verò probabiliùs docent, non eſſe peccatum graue nec contra iuſtitiam, nec contra charitatem. Ita *Caietanus ſupra, Nauarrus in man.cap.18.num.26.Bannez 2.2.q.73.ar 2.dub.3.Serra ibi dub.2. Fagundez præcepto 2.l.5.c.3.n.10.Filliuc.tom.2.tr.32.cap.9.num.235.Machadus tom.1.l.2.par.3.tr.14.docum.2.num.12.Diana p 3.tr.5.reſ.17.& p.4.tr.4.reſ.128.& p.10.tr.12.reſ.5.Card.Lugo num.72.Felix à Panormo num.851.Tamburinus num.11.* Patet primo: Quia ſemel publicata alicubi delicti infamia, omnes habent ius ad ea cognoſcenda, vt in conuictu humano ſe incolumes ſeruent, & caueant a publicis criminibus. Secundo, quia hoc

ipſo, quod ſic publicata ſint, iuris aut facti publicatione, per publicitatem illam diffamatus ius ad famam amiſit, quia ipſa facti euidentia repugnat, ne poſſit conqueri, ſibi fieri iniuriam narratione factorum, quæ iam erant poſita in propatulo. Tertio: quia qui talia publica crimina coram commiſit, vel de eis indicia manifeſta dedit, ſponte ſua videtur cedere iuri, quod ad famam habebat: quia hoc ipſo, quod in publico crimen commiſit, vel eius dedit indicia manifeſta, non videtur curare quis ſciat, vel non; eo enim loco, & modo facit, vt omnibus pateſcere poſſent; & per accidens fuit, quod celarentur aliquibus. Quarto: ex communi hominum vſu, & conſuetudine, etiam timoratorum, qui non putant ſe grauiter peccare, ſi publica crimina alibi referant, literis præſcribant, hiſtoriis commendent, vel commẽdata legant, aut referant.

21 In caſibus, in quibus diximus licere delictum publicum proferre, & de eo loqui duæ limitationes conſiderandæ ſunt. Prima, ſi damnum graue aliquod præter ipſam infamiam, infamato contingat: vt ſi propterea ei denegentur debiti honores, vel idem priuetur bonis, in carcerem conijciatur, vel puella non nubat, &c. tunc enim peccatur mortaliter contra charitatem, non tamen contra iuſtitiam; vnde adeſt onus ad reſtitutionem damni, *Tam. iur. num.* 15. Secunda: ſi aliàs honeſtè viuendo infamatus famã recuperauit: tunc enim proferens delictum non ſolum peccat contra charitatem, vt concedit etiam *Dicaſtillus nu.* 337. & alii; ſed etiam contra iuſtitiam vt rectius docent *Molina d.* 33. *nu.* 2. *Card. Lugo nu.* 85. *Tapia art.* 5. *num.* 8. quia licet hic non potuerit acquirere ius, vt dicatur probus pro eo tẽpore, quo improbus erat; potuit tamen illud acquirere benè viuendo; ne improbum fuiſſe aliquando, apud neſcientes publicetur: & hoc acquirit, quando per publicam emendationem, & temporis lapſum penitus abolita fuit prior infamia, & oblita: Si tamen præterita infamia non eſt obliuioni tradita, etiamſi emendata fuerint crimina; nec contra iuſtitiam, aut charitatem grauiter delinqueret, qui ea commemoraret, vt patet ex dictis.

22 Infamare eum de nouis criminibus, qui iam de aliquibus eſt diffamatus, non eſt peccatum mortale, ſi nouum crimen, quod narratur, parum auget narrationem præteritam, etiamſi ſit diuerſæ ſpeciei ab eo, de quo eſt diffamatus; vt ſi de eo, qui publice habetur vt fur, dicas eſſe periurum; vel ſi delictum, quod de nouo refertur ſit annexum, & affine ei, de quo eſt diffamatus; vt ſi de famoſo luſore dicas eſſe blaſphemum, non audiſſe ſacrum, ne ludum relinqueret, vel ſuæ familiæ non curare: vel ſi delictum, quod de nouo dicitur ſubintellectum ſit in eo, de quo eſt diffamatus, vt ſi de meretrice, etiam falſo narres aliquam fornicationem occultam; quia hoc parum, aut nihil addit eius publicæ famæ. At ſi vnum crimen ſub alio ſubintellectum non ſit, nec illi affine; hoc de nouo propalare erit peccatum graue. Vt ſi de fœmina diffamata de vno adulterio, narres aliud occultum; quia fama non conſiſtit in indiuiſibili, & grauiter augetur per criminum multi-

pli-

plicationem:& multo magis ſi de diffamato in vno genere, occultum crimen alterius generis detegas cum illo non connexum, vt ſi de adultero dicas,quod eſt fur: conſtat enim diuerſis partibus fama;& qui amiſit vnam, magni æſtimare ſolet aliam, *Petrus Nauarra l.2.c.4.ſub.8.num.328. Leſſius l.2.c.11.dub.14.Card.de Lugo num.58. Dicaſtillus num.117. Tapia ar.4 nu.6. Villalobos*,& alii.

23 Notandum eſt ſextò: Nullum eſſe peccatum, primò detegere crimine occulta ad denunciandum delinquentem,ob emendationem, vel accuſandum,ob bonum iuſtitiæ publicum,debitis ſeruatis circumſtantiis,quia ordo charitatis præfert bonum ſpirituale,vel publicum,temporali, vel particulari. Vnde ſi filius,aut ſeruus non bene viuant, & aliter corrigi non poſſunt,licitum eſt id denunciare parenti,aut domino,vt corrigantur. Ita communiter Doctores cum *D.Thoma 2.2.q.73.ar.2.* Secundò licitum eſt crimina occulta detegere ad euitandum graue damnum commune, vel damnum particulare conſiderabile ſui,vel aliorum, ſiue in vita, ſiue in membris,aut bonis fortunæ. Vt ſi imponatur homicidium innocenti, licitum eſt,imò debitum aperire Auctorem; ſi noſcas Petrum furem eſſe, potes eos monere cum quibus habitat, vt ſibi caueant; quia ordo iuſtitiæ,aut charitatis petit,vt ius ad famam habeatur ſine præiudicio aliorum. Vnde quando ad euitandum graue damnum detegitur delictum, non læditur fama ex intentione,ſed vitatur malum;& læſio famæ ſequitur per accidens, & præter intentionem,vt conculcatio ſegetum, vel occiſio paruuli iacentis in via, ad fugiendum,& mortem vitandam.Ita *Tapia cit.q.14.ar.6. à nu. 4.Card.de Lugo à nu.95.*& alii cum *Bannez 2.2.q.73. ar.2. dub.1. concluſ.2.* Vnde etiam ſequitur,quod ſi quis ſe fingit magnū Medicum,Artificem, vel Aduocatum in aliorum præiudicium,licitum eſt ei,qui certò ſcit illius defectum,illum detegere; ad obuiandum alienum præiudicium: vt ſi aliquis vellet illius opera vti in aliquo ex his officiis,poteſt illi reuelare eius inſufficientiam,ne illi fidat. Hocque eſſe licitum probabile iudico cum *Leſſio l. 2.c.11.num.55.& Petro Nauarra l.2.c.4.num.131.* contra *Sotum l.5.qu.10. ar.2.Card.de Lugo nu.104. Tapiam num.8.*& alios, etiam ſi criminum occultorum reuelator acceperit notitiam iniuſtè, putà per vim, aut fraudem, V.g.aperiendo litteras clauſas, & ſigillatas,&c. quia licet iniuriam fecerit extorquendo ſecretum,poſtquam tamen habet notitiam, in graui neceſſitate ea vti poteſt;ſicuti iniuſtitiam fecit, qui equum iniuſtè accepit;ſed poſtquam eum apud ſe habet, illo in graui neceſſitate vti poteſt, etiam cum morte equi, imò ipſius Domini. Verùm dictum intelligendum eſt ſecundùm quod eſt neceſſarium dumtaxat ad finem vitandi prædictum damnū; & ſi ad intentum ſufficit manifeſtare ſub ſecreto,ita faciendum eſt;& ſi graue damnum ex manifeſtatione alteri ſequatur,& ſolùm leue euitetur, non erit licita talis manifeſtatio:non autem requiritur, quod damnum euitandum ſit maius,vel æquale;ſed ſufficit,ſi graue ſit, quamuis minus: vt ſi in-

no-

nocenti immineat pœna exilij perpetui, vel triremium, & alteri ex manifeſtatione tua mors euentura timeatur, licitè potes, imò debes illud manifeſtare. *Villalobos tr. 11. diffic. 38. nu. 4. Dicaſt. nu. 93. Tapia num* 10. Tertiò, licitum eſt occultum detegere crimen, quando expedit bono communi, vel ipſius diffamati, vt ſi beneficium eſſet recepturus, vel ordines, vel aliud munus, ad quod eſſet inhabilis: tunc illud dicere ei, qui remedium adhibere poſſet, licitum eſſet, & debitum, quando de illius vita inquiritur, & etiamſi non inquiratur: quia præponderare debet commune bonum, & etiam ſpirituale ipſius peccatoris, illius famæ. Quartò, quando quis intendit Collegium ingredi, habitum, aut Canonicatum ſtatuti recipere, licitum eſt declarare cum minori damno poſſibili defectum illius occultum; tum vt præiudicium aliorum euitetur; tum vt ipſe poſtea ingrediens mala fide, non poſſideat mala conſcientia; tum denique, quia ea lege res proponitur, vt ſi quæ inhabilitas, vel defectus etiam occultus ſit in prætenſore, iuſtè detegi poſſit. Sed ſi hic bona fide procedat, tenebitur cõſcius eius defectus, prius ſecretò eum monere ſi poſſit, vt à prætenſione deſiſtat. Ita *Villalobos n. 4. Dicaſtillus nu. 103.* & alii cum *Petro Nauarra l. 2. c. 4. part. 2. dub. 3. num. 301.* Denique licet peccatum, vel defectum alterius reuelare, quando id neceſſarium eſt ad bonum temporale alterius, dummodo id fiat ſub ſecreto, & ſolùm quantum neceſſarium eſt ad conſequendum tale bonum, & euitandum malum; & cum probabilitate, & ſpe, quòd non publicabitur; vt defectus natalium, quod eſt fur, quod morbo Gallico infectus, licet manifeſtare ei, cum qua vult matrimonium contrahere, vel his, qui de hoc agunt; & furtum ſerui, ne in familiam alterius recipiatur. *Petrus Nauarra ſupra, Dicaſtillus nu.* 104. & alii.

24 Notandum eſt vltimò, damnationem Propoſitionum extendi, non ſolùm ad teſtimonium falſum, quod imponitur in iudicio teſti iniquo; ſed etiam ad teſtimonium falſum, quod extra iudicium imponitur detrahenti grauiter. Nam Propoſitiones damnatę id non limitant ad teſtem, neque ad iudiciũm: loquuntur enim vniuerſaliter de falſo teſtimonio dicto contra quemlibet infamatorem. His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum, vtramque Propoſitionem damnans.

25 DIco primò: Peccat mortaliter, qui in iudicio falsò accuſatus, imponit falſum crimen accuſatori, vel teſti. Similiter ſi extra iudicium imponatur crimen falſum alicui, iſte peccat mortaliter, ſi crimen graue imponat detractori, etiam prætextu minuendi auctoritatem detracto-

ſtoris & detractionis: Oppoſitum vtrique parti aſſerere eſt hoc decreto, vt minimum tanquam ſcandaloſum, expulſum.

Prima pars propugnatur à *Molina tom.5.de iuſtitia tr.4.d.24.nu.2 Sanchez l.6.conſil.c.5.dub.20.nu.4.Card.de Lugo d.40.ſect.2. nu.25. Caramuele in edit.Lugdunenſi, Felice à Panormo ſupra nu.853.Serra 2.2.q.69.art.2.dub.* & alus communiter cum *D.Thoma 2.2. q.69.ar.2.* vbi proponit eam quæſtionem: *Vtrum accuſato liceat calumnioſè ſe defendere*. Et inter alia reſpondet: *Falſi atem autem proponere in nullo caſu licet alicui*. Quod clare proſequitur, & ex contextu liquet loqui de culpa graui.

Probatur primò: Ex verbis relatis *Angelici Doctoris: Falſitatem proponere in nullo caſu licet*, ſic: Semper eſt peccatum dicere falſum; & ſi ſit in materia graui, eſt peccatum graue: Sed imponere crimen falſum teſti iniquo, eſt dicere falſum in materia graui: Ergo imponere crimen graue teſti iniquo eſt peccatum graue. Maior quoad primam partem eſt de fide: Licèt enim à quibuſdam antiquis exiſtimatum fuerit, licere aliquando mendacium, vt conſtat ex *Origene l.6. Stromatum, Caſſiano lib.Collat. Collat.17. à c 17. vſque ad 21. Clemente, Eraſmo,* apud *Sixtum Senenſem lib.5.nota* 107. ſuper illud *D.Pauli ad Galat.2.ver.11*, de reprehenſione, & quæſtione de circumciſione in Antiochia; hi enim Auctores approbant mendacium, ac effatum illud *Platonis l.31. Dialog.3. de Republ. Mendacium hominibus pro medicamento eſt vtile*: cui conſonat illud *Abbatis Ioſephi* apud *Caſſianum cit.Collat.17.c.17.* ſic aientis: *Eo* (ſcilicet mendacio) *vtendum eſt, quaſi natura ei inſit ellebori*. Aſt error iſte iam proſcriptus fuit ab *Innocentio III. c.ſuper eo de vſuris*. Immò & à Spiritu Sancto *Eccleſ.7. v.21. Noli velle mentiri omne mendacium*. Et videndus eſt ipſe *Sixtus Senenſis vbi ſupra,* cum *D.Auguſt.lib.4. contra mendacium*. Quoad ſecundam partem etiam liquet: ſi enim mendacium ſit ex ſua natura malum in materia graui; graue malum, & peccatum eſt: Minor etiam conſtat: quomodo enim in mendacio ſit materia leuis, imponere crimen falſum grauiſſimum, imperceptibile prorſus eſt. Conſequentia etiam eſt manifeſta. Nunc ſubſumo. Sed malitia ex natura ſua inhærens actui non poteſt ab eo auferri, aut diminui per relationem ad bonum finem, neque ex neceſſitate finis, nempe hic propriæ defenſionis, ad quam ille aſſumitur, vt medium: Ergo, &c. Probatur hæc minor, Primò, bonitas, vel neceſſitas finis non tollit neque malitiam, neque grauitatem naturalem actus: naturæ enim rerum neque tolli, neque minui poſſunt. Secundò: Si actus natura ſua malus eſt, nulla eſt neceſſitas illum faciendi, quia nulla eſt neceſſitas peccandi: cum omnia toleranda ſint, ne fiat peccatum. Tertiò mendacium non amittit malitiam, etiam ſi dicatur ad ſeruandam vitam propriam, vel alterius, vt docet *D.Auguſtinus cit.lib. contra mendaciũ*, & communiter dicitur de fide; eo quia natura ſua malum eſt. Ergo impoſitio falſi criminis non amittit malitiam ſuam mortalem, etiam ſi aſſumatur vt medium ad defendendam propriam iuſtitiam.

Pro-

Digitized by Google

Probatur ſecundò: Ratione communiter tradita, ſed efficaciſſima. Impoſitio falſi criminis accuſatori, vel teſti vel deſeruit ad defenſionem, vel non? Si non deſeruit, erit infamatio iniuſta proximi ſine neceſſitate, vel vtilitate: Si deſeruit, hoc erit probando illam per teſtes, qui cum debeant iurare, committent peccatum periurij, & per conſequens eos ad hoc hortari, erit peccatum mortale. Perperam autem profert *Lumbier hîc nu.* 1918. hoc argumentum eſſe inefficax, ex eo quod ad minuendam auctoritatem infamatoris ſufficit ſimplex affirmatio iudicialis. Loquimur enim modo de infamato in iudicio: Vt autem infamatus minuat auctoritatem accuſatoris, aut teſtis, ne ſibi noceat; nihil proſunt ea, quæ extraiudicialiter affert.

Probatur etiam aliis argumentis, quibus probabitur ſecunda pars; quæ non minùs militant pro hac, quàm pro illa.

Secunda pars propugnatur ab iiſdem Auctoribus, qui ſtant pro prima. Et probatur primò, ea argumentatione prima propoſita pro prima parte. Semper enim eſt peccatum mortale mentiri in re graui.

Probatur ſecundò. Hæc falſa criminis impoſitio non eſt defenſio, ſed vindicta priuata, quæ numquam licet: Ergo eſt peccatum lethale. Antecedens probatur. Vt licita ſit defenſio, debet eſſe cum moderamine inculpatæ tutelæ: Sed hoc moderamen non inuenitur in præſenti caſu: Ergo ea non eſt defenſio, ſed vindicta illicita. Maior eſt euidens. Minor probatur. Ad moderamen inculpatæ tutelæ requiritur, quòd conſtet, illud eſſe medium efficax ad defenſionem, & illud eſſe vnicum; ideò enim ei, qui videt aduerſarium irruentem gladio diſtricto licet occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, quia videt, id eſſe medium efficax, & vnicum defendendi ſe, & euadendi mortem: ſed vbi quis patitur calumniam extra iudicium, non eſt medium efficax ad ſui defenſionem, imponere crimen falſum calumniatori: nam plerumque contingit, quod eiuſmodi publicationem criminis attribuant audientes vindictæ, iracundiæ, ſeu furori hominis patientis detractionem: ideoque credant illi, qui prius detraxit famæ alterius: immò verò cenſentes, quod ille nouum crimen falſi teſtimonii patrat, inde colligant, verum eſſe prius delictum, quod aſſeuerauit detractor ille primus. Ergo hæc ſecunda criminis impoſitio falſa, non eſt defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sed neque id eſt medium vnicum ad ſui defenſionem; plerumque enim ſuppetunt alia media ad indagandam veritatem; nam vt fert commune proloquium: *Veritas oppugnatur, ſed non expugnatur*.

Probatur tertiò, quia harum Propoſitionum dicto non reſpicitur ad doctrinam Apoſtolicam, ſed Ethnicam; videtur enim reſpici ad illud Terentij in Eunucho: *Par pari referto, quod eam mordeat,* non ad illud *1. Petri 3. v. 9. Non reddentes malum pro malo*; nec ad illud *Pauli Rom. 12. v. 17. Nulli malum pro malo reddentes,* & *1. Theſſalon. 5. ver. 15. Videte, ne quis malum pro malo reddat.*

Ter-

Tertia pars aſſertionis patet ex ipſo contextu Propoſitionum proſcriptarum, quæ cum ſint vniuerſales, comprehendunt falſam criminis impoſitionem, tàm quæ fit in iudicio, quàm quæ extra.

26 Porrò dum Pontifex damnat Propoſitionem XLIV. Probabile eſt, non peccare mortaliter: intendit oſtendere illã nec vmbram probabilitatis habere, vt retundat audaciam illius Auctoris, cui adeò probabilis viſa fuit, vt ſi non ſit probabilis, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia; cum tamen à principijs Ethicæ tàm ſit aliena, tàm in ſe fæda, vt planè ſit euidenter falſa: quare inferendũ non eſt eſſe reprobatã à Romana Cathedra ſententiã de ſequenda opinione minus probabili à quolibet priuato homine, extra materiam iudicij, & valoris Sacramentorum: Immò totum oppoſitum inferendum: ſi enim reprobata eſſet illa ſententia, non eſſet neceſſe damnare eam Propoſitionem, quæ dixerit, Eſſe probabile, licèt minus probabile, non peccare, &c. nam eo ipſo, quod diceret eſſe minus probabile, diceret id eſſe reprobatum.

27 Dico ſecundò. Licèt vera ſit ſententia docens peccare contra iuſtitiam reum, qui in iudicio imponit falſum crimen iniquo teſti: tamen oppoſita ſententia *Caramuelis in edit. Lugdunenſi, Card. de Lugo*, & aliorum, docens, peccare quidem mortaliter reum imponendo falſum crimen teſti iniquo, ſed non peccare contra iuſtitiam, ſeù contra ius priuatum illius teſtis, non ſubiacet huic damnationi.

Doctrina primæ partis aſſertionis eſt expreſſa ſententia *S.Thomæ*, Nam 2.2. præſcribit *quæſtioni* 69. hunc titulum: *De peccatis, quæ ſunt contra iuſtitiam*. Et mox *ar*.2. præſcribit hunc: *Vtrum accuſato liceat calumnioſè ſe defendere?* In corpore autem ait: *Falſitatem tamen proponere, in nullo caſu licet alicui*. Et mox: *Neque etiam aliquem dolum, vel fraudem adhibere; quia fraus, & dolus vim mendacij habent. Et hoc eſt calumnioſè ſe defendere*. Ex quibus patet, ſecundum *D.Thomam*, vti in iudicio fraude, dolo, aut calumnia, eſſe contra iuſtitiam. Pro eadem pugnant *Molina tom*.5. *de iuſt. d*.24.*n*.2. *Sotus l*.5 *de iuſt.q*.9.*ar.vlt. Tapia cit.l*.5.*q*.12.*ar*.7.*nu*.3. attentis iis, quæ docet *ibidem qu*.14.*ar*.10.*n*.3. *Felix à Panormo cit.d*.4.*nu*.853. & alii, præſertim poſt Decretum ſcribentes.

Et antequam oſtendatur veritas iſtius partis, ſupponendum eſt id, quod communiter admittunt Theologi, nec negat *Card.de Lugo*: nempe id eſſe contra ius, & iuſtitiam Reipublicæ, ſiue contra iuſtitiam legalem, quæ reſpicit ius Communitatis, ſiue Reipublicæ: Reſpublica enim habet ius, ne vllo modo decipiatur in iis, quæ pertinent ad rectam gubernationem: Violat ergo ius Reipublicæ, qui in iudicio crimen falſum obijcit accuſatori, vel teſti; facit enim, quod iudicium publicum erret cenſendo dignum pœna eum, qui non eſt illa dignus. Siue (vt diſſerit *Card. de Lugo citatus*) *peccatur etiam contra iuſtitiam legalem, proponendo accuſationem falſam, conando decipi Iudicem in illa parte iudicij, condemnando teſtem ob cri-*

men nunquam ab ipſo commiſſum. Hoc ſuppoſito cum *Card. de Lugo* contra ipſum *Caramuelem*, & alios, iam

Probatur id eſſe etiam contra iuſtitiam priuatam teſtis: Teſtis habet ius ſtrictum, ne infametur crimine falſo; ſicut habet ius, ne ab aliquo priuato occidatur, aut vulneretur. Et ſicut habens ius ad vitam, non amittit illud, niſi vbi vrget defenſio alterius cum moderamine inculpatæ tutelæ; ita ius, ne infametur, non amittitur, niſi vbi vrget ius defenſionis alterius cum moderamine inculpatæ tutelæ: Sed reus imponens falſum crimen teſti iniquo, non ſe defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ: Ergo in hoc caſu reus retinet ius ſuum, ne falsò infametur; atque adeò ſi falsò infamatur, violatur ius illius, & committitur iniuſtitia. Maior eſt euidens. Probatur minor. Primò. Nemo defendit vitam ſuam cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſi ſe defendit cum præiudicio Reipublicæ, ſiue violando ius Reipublicæ: Sed reus, qui defendit ſe, imponendo crimen falſum teſti iniquo, violat ius Reipublicæ, vt conſtat ex proximè dictis in præſuppoſito. Ergo reus in hoc caſu non ſe defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et ideò *Leſſius l.2.de iuſt.c.9.dub.12.num.82.* optime dixit: *In iure defenſionis ſemper conſiderandum, ne vſus in perniciem Reipublicæ vergat.* Secundò: Ideò defenſio occiſiua infamatoris non fit cum moderamine inculpatæ tutelæ, quia talis defenſio eſt in perniciem, & contra ius Reipublicæ, & contra ius illius, eo ipſo quod fit contra iuſtitiam legalem: Ergo talis defenſio non retinet moderamen inculpatæ tutelæ. Tertiò, ex *S.Thoma*: *Quia falſitatem proponere in nullo caſu licet alicui*: Sed defendere ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ, nunquam eſt licitum per falſitatem. Deficiente ergo iure defenſionis cum moderamine inculpatæ tutelæ, manet integrum ius ad famam in teſte iniquo; atque adeò reus peccat contra tale ius, & conſequenter contra iuſtitiam.

Motiua autem, quibus *Card.de Lugo* ducitur ad oppoſitum, ſunt: Primum: Licèt mendacium ſit intrinſecè malum, non tamen peccat contra iuſtitiam, qui dolo, & mendaciis recuperat rem ſuam ab iniuſto poſſeſſore: Ergo neque peccat contra iuſtitiam, qui recuperat dolo, & mendacio ſuam famam ab iniquo teſte violatam: Secundum: Qui dolo, & mendaciis deciperet iniuſtum inuaſorem vitæ ſuæ, vt caderet in foueam, vel in fluuium, vt hac ratione ſe ab illo liberaret, non peccaret contra iuſtitiam, eſſet enim defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ: Ergo etiam in præſenti caſu non erit contra iuſtitiam propter eandem rationem. Tertium: Non eſt contra iuſtitiam, ſi ego auferam victum, vel lædam ſegetem illius, qui iniuſtè me lædit, quando id eſt medium, vt faciam illum abſtinere à mea læſione: Ergo non eſt contra iuſtitiam lædere famam eius, qui meam iniuſtè lædit, vt ſic me liberem ab eius læſione in me.

Sed hæc facilè diuelluntur. Ad primum enim reſpondeo diſtinguendo antecedens: non peccat contra iuſtitiam, ſi dolus ipſe per ſe non ſit con-

contra ius iniuſti poſſeſſoris, concedo: ſi ſit contra ius illius, nego. Itaque ſi velit recuperare rem ſuam infamando iniuſtum poſſeſſorem, aut accuſando illum in iudicio de crimine falſo, peccat contra iuſtitiam, quoad infamationem, aut accuſationem falſam: non verò contra iuſtitiā recuperando rem ſuā. Ad ſecundū reſpondeo eodē modo, diſtinguendo ſimiliter duplex ius inuaſoris, aliud ad vitā, aliud ad famam: in eo ergo caſu inuaſor amitteret ius ad vitam, vrgente iure alterius ad defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ; ſed non propterea amitteret ius ad famam. Si ergo inuaſus deduceret inuaſorem ad foueam, vel flumen per mendacia, quibus non læderetur ius ad famam, nullum ius inuaſoris violaretur: non ius ad famam, quia ea mendacia non ſunt contra famam: non ius ad vitam, quia amiſit inuaſor illud ius, vrgente iure ad defenſionem cum moderamine. In noſtro autem caſu violatur ius ad famam; quia ille reus non ſe defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ: vt ſatis oſtenſum eſt. Ad tertium dico ſimiliter, illum amittere ius ad conſeruationem ſui victus, aut ſegetis, quando inſtat ius defenſionis meæ cum moderamine inculpatæ tutelæ; ſicut contingit in caſu, qui proponitur in antecedenti. In altero autem caſu teſtis iniquus non amittit ius ad famam ſuam; quia in reo non inuenitur defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ per id medium infamationis, vt demonſtratum eſt.

28 Secunda pars aſſertionis etiam liquet: Quoniam, hoc decretum damnat ſolum propoſitionem, quæ negat, id eſſe peccatum mortale: ſed præfata opinio *Card. de Lugo*, & aliorum non negat, id eſſe peccatum mortale; quin potius id expreſsè affirmat: Ergo hoc decretum non damnat præfatam opinionem. Præterea decretum nullum habet verbum, vnde colligatur, illud peccatum mortale eſſe potius contra iuſtitiam, quàm contra aliam virtutem: Ergo dummodo aſſeratur eſſe peccatum mortale, non ſubiacet damnationi opinio docens, id non eſſe contra iuſtitiam, licet falſam exiſtimem.

29 Dico tertiò. Nec etiam ſubijcitur huic damnationi opinio docens, quod peccat mortaliter contra alias virtutes, non verò contra iuſtitiam, qui extra iudicium imponit falſum crimen mendacij infamatori ſuo: licèt vera ſit opinio docens, illum peccare mortaliter contra iuſtitiam; quam propugnant *Sotus, Molina, Tapia, & Felix à Panormo* ſupra relati in aſſertione præcedenti, vbi etiam conſtat, hanc eandem eſſe mentem *D. Thomæ*.

Prima pars probatur eodem modo, ac ſecunda pars præcedentis aſſertionis.

Probatur verò ſecunda pars ex principiis in præcedenti aſſertione præiectis. Etenim detractor ille prior, ſicut quilibet alius habet ius ſtrictum ad famam ſuam, & illud non amittit, niſi vbi adfuerit in alio ius defenſionis cum moderamine inculpatæ tutelæ: ſed infamatus ab illo non

non habet ius ad defenſionem ſuam cum moderamine inculpatæ tutelæ exercendum per impoſitionem falſi criminis: Ergo prior ille detractor non amittit in eo caſu ius ad famam, & conſequenter ſi infamatus ab illo delinquit contra famam eius, peccat contra ius eius, atque adeò contra iuſtitiam. Probatur minor. Vt detur moderamen inculpatæ tutelæ, requiritur, quod ſe defendens ſciat, illud medium eſſe efficax, & vnicum ad ſuam defenſionem. Atqui infamatus detractione alterius non poteſt ſcire, impoſitionem falſi criminis eſſe medium efficax ad ſuam defenſionem, cum plerumque accidat, non inde recuperari ſuam famam: immò verò inde quandoque deteriorari: credunt enim homines, infectum eſſe illo crimine eum, qui habet linguæ audaciam: Ergo ille non habet ius ad ſui defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ per eam falſi criminis impoſitionem. Sed neque id eſt medium vnicum ſuæ defenſionis; cum ſint alia media, quæ adhibere poteſt ad indagandam veritatem. Confirmatur eadem minor ex doctrina *D. Thomæ* ſæpè relata. Nam *falſitatem proponere in nullo caſu licet*: Sed defendere ſe cũ moderamine inculpatæ tutelæ eſt licitum: Ergo defendere ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ in nullo caſu fit per falſitatem.

30 Dico quartò. Dum reo non conſtat interrogari iuridicè, poteſt negare crimen, & dicere accuſatorem mentiri, & calumniari. Ita contra *Caietanum 2.2.qu.62.ar.2.§.ſed ſalua*: docent *Serra 2.2.quæſt.69.a.2.dub.1. concl.1.* & alii cum *Syluestro V. Reſtitutio 3.qu.3.* vbi de reo negante crimen verum, ſed occultum, & improbabile, licèt ex eius negatione ſequatur indirectè infamia accuſatori, indeque notetur mendacio pernicioſo, aut calumnia, dicit: *Quod in nullo tenetur: quia iniuſtè non læſit, ſed accuſator imputet ſuæ malitia, ſi ſcienter, vel ſuæ iuſtitia, ſi errans imprudenter ſic proceſſit cum periculo alterius.*

Probatur: Quia ex 2.2. *q.69.ar.2.* ait Angelicus Doctor: *Reo, qui accuſatur, licet ſe defendere veritatem occultando, quam confiteri non tenetur, per aliquos conuenientes modos, &c. non autem licet ei falſitatem dicere*. Sed in prædicto caſu per conuenientes modos occultat veritatem, quam confiteri non tenetur, & dum dicit, accuſatorem mentiri, & calumniari, non dicit falſitatem, aut mendacium: Ergo, &c. Probatur minor: nam falſum præſumitur in iudicio, quod probari nequit legitimè, & qui accuſat de eo, quod probare legitimè non poteſt, calumniator præſumitur; vt docet *Gloſſa in c.1.de calumniatoribus*: &, vt ait idem S. Doctor 1.*p.qu.17.ar.1. Peccata falſitates, & mendacia dicuntur*: Conſequenter accuſator, quando non procedit ſecundum ordinem iuris, peccat, eiuſque accuſatio, etiam ſi vera ſpeculatiua, iniuſta eſt. Ergo falſitatem, & mendacium ſaltem practicè dixiſſe, verum erit, ac proinde accuſatorem calumniari, falſum dicere, mentiri, licitum erit aſſerere reo defendenti.

Verùm rectè notat *Serra ſupra* (& patet ex notandis) quod ſi reus

poſſet

poſſet ſe defendere ſimpliciter negando, abſtinere deberet ab illa verborum aſperitate, qua calumniæ, vel mendacii crimen accuſatori impingitur: nam ex charitate ſaltem tenetur reſpondere, & ſe defendere, ita vt quam minimum accuſatorem lædat; & contra charitatem ſaltem eſt, proximo malum inferre, quam ad defenſionem ſui neceſſarium eſt. Vnde ſi ad defenſionem rei ſufficiat dicere, non eſſe verum, aut falſum eſſe, quod obiicit accuſator, non liceret dicere, illum mentiri, vbi hoc verbum ſignificat ſpecialem iniuriam, vt apud Hiſpanos, Italos, &c. Dixi ſaltem contra charitatem; nam etiam contra iuſtitiam eſſe, verius eſt, vt infra patebit.

31 Sic etiam poſſum extra iudicium obiicere proximo, qui de me murmurauit, aliquod crimen verum licet occultum; dummodo ſit medium vnicum ad recuperandam meam famam. Nec hoc ſubeſt damnationi, quia condemnatio afficit impoſitionem falſi criminis: & hæc doctrina eſt de obiectione criminis veri cauſa defenſionis. Ita *Corella hic n.167.* & alij communiter.

32 Dico quintò. Reo licitum eſt occulta crimina teſtium detegere: ſi tamen valent ad infirmandum eorum teſtimonium, & probari poſſint: hocque non ſolum quando teſtes falſum dicunt, ſed etiam quando dicunt teſtimonium verum contra ordinem iuris: immo etiam ſi ſecundum ordinem iuris verum teſtificentur. Ita *Serra ſupra concluſ. 2. & alij.*

Probatur aſſertio quoad omnes partes. Et quidem quando teſtes falſum teſtimonium dicunt, manifeſta eſt: nam cuique licitum eſt ſeipſum tueri cum moderamine inculpatæ tutelæ: Atque talium criminum obiectio habet propriè rationem defenſionis cum moderamine inculpatæ tutelæ: Ergo &c. Quod etiam liceat Reo, eiuſque Aduocato, quando teſtes verum teſtantur contra ordinem iuris, patet: nam illi faciunt reo iniuriam. Ergo licitum eſt ei ſe defendere eodem genere armorum, quo impugnatur: nec aliter queri de iniuria poſſunt teſtes, cùm ſint inuaſores, & ſponte ſe huic periculo exponant, hoc ipſo quod ſic teſtantur. Quando verò ſecundum ordinem iuris verum teſtantur, probatur: tum quia ius naturale, quod quiſque habet ſe defendendi, reo poteſtatem facit detegendi prædicta crimina: tum etiam, quia illi teſtes non tenebantur teſtificari, ſi timebant obiectionem illam illis opponendam; nam præterquam quod eorum teſtimonium erat inutile, nemo tenetur teſtificari cum tanto detrimento, & periculo honoris: Ergo ſibi imputent, ſi talis obiectio illis fiat à reo defendente ſe iuridicè. Tum denique, quia reus in tali caſu non tenetur confiteri crimen Iudici, cùm interrogatio Iudicis non ſit iuridica, niſi ex falſa præſumptione, qua Iudex putat eſſe legitimos teſtes: Ergo reus poterit teſtes prædicto modo refutare.

Dixi: *Si tamen valeant ad infirmandum eorum teſtimonium, ad illudue repellendum conducant*: nam aliàs obiectio criminum occultorum non haberet rationem defenſionis, ſed vindictæ. Ita *Serra ſupra, Corella hic nu.169.*

Ioan-

Ioannes Cardenas diſſer. 26. c. 5. num. 46. qui addit tunc reum peccare contra charitatem; quia ſola cauſa defenſionis poteſt iuſtificare propalationem delicti eius teſtis: Ergo vbi non eſt ratio defenſionis, integrum manet ius iuſtitiæ, quod habet teſtis ad ſuam famam conſeruandam.

Intelligendum eſt etiam, ſi alia ratione minus noxia non poſſit repelli eorum teſtimonium: vt ſi ſit conſanguineus, &c. *Corella hic & alij*; ſi enim poſſet, contra charitatem ſecundum *Serram*; immo & contra iuſtitiam, vt verius docet *Ioannes Cardenas*, ex eadem ratione iam data peccaret reus talia crimina detegens.

Idem eſſet, ſi teſtes non ſponte, ſed coacti à Iudice teſtarentur. Ita *Corella, & alij*: at hoc recte intelligit *Serra*, ſi crimen, quod eis obijcitur, eſſet adeo graue, vt capite plectendi eſſent; cauſa verò rei non eſſet magni momenti.

Similiter reus non poteſt ſe defendere manifeſtando delictum occultũ teſtis, quod ſub pacto tenetur celare, niſi circumſtantię aliquæ concurrãt, quę pactum reddant irritum, & ſi reus ſciat illud delictum, quia illud ſibi manifeſtaret teſtis cauſa petendi conſilij, ſtrictius obligatur reus ad celandum, non ſolum ex pacto tacito, quod interuenit in petitione conſilij; ſed quia ipſa neceſſitas petendi conſilium facit pactum eſſe ſtrictioris obligationis. In tali ergo hypotheſi reus non habet ius manifeſtandi delictum occultum teſtis; atque adeo peccabit contra iuſtitiam, ſi illud manifeſtet. Ita *Ioannes Cardenas num. 53. & ſeq.*

33 Dico ſextò: Infamare ſeipſum, licèt ex ſuo genere non ſit peccatum mortale: ratione tamen alicuius circumſtantiæ quod nobis, vel alijs contingit ex noſtra infamia, poteſt eſſe peccatum mortale. Ita *Felix à Panormo num. 834. Sotus l. 5. q. 10. ar. 2. Serra 2. 2. q. 69. ar. 2. dub. 2. concluſ. 1. Leſſius l. 2. c. 11. dub. 6. num. 30. & 31.* contra *Caiet. 2. 2. q. 73. ar. 2. & in ſumma V. detractio*, exiſtimantem eſſe ex ſuo genere peccatum mortale contra iuſtitiam.

Probatur prima pars: quia non eſt mortale contra iuſtitiam, nec contra charitatem: Non contra iuſtitiam; quia homo eſt Dominus ſuæ famæ, ſicut ſuarum opum, vt alibi probo cum communi contra Caietanum: Ergo illam diſſipando nulli facit iniuriam; (ſicut neque diſſipando alia bona) ſiue fiat id reuelando crimen verum, ſiue falſum ſibi imponendo; quæ enim lex iuſtitiæ obligat illum, vt retineat bonam exiſtimationem in mentibus hominũ? Nec contra charitatem, tum quia charitas non obligat hominem ad bona huius vitæ, quæ extra nos ſunt, comparanda, vel conſeruanda, niſi quatenus ſunt neceſſaria ad bona ſpiritualia vel noſtra, vel proximorũ: Ergo non obligat ad famam conſeruandam, ſi ipſa ſecũdum ſe conſideretur. Tum etiam, quia Prodigalitas, quæ verſatur in bonis externis, ex genere ſuo non eſt peccatum mortiferum, aut contra charitatem, ſed ſolùm veniale contra liberalitatem: Ergo cùm fama ſit etiam quoddam bonum externum, erit pro-

profuſio,non erit contra charitatem, ſed ſolùm erit quædam prodigalitas.

Patet etiam ſecunda pars. Et quidem primò erit mortale, ſi ex mea infamia ſequatur notabile ſcandalum vel mihi, vel proximo. Mihi quidem, vt ſi ex infamia redderetur effrænatior ad peccandum: raro tamen fit, vt ex hoc capite infamare ſe ſit peccatum mortale; quia ordinarie eſt occaſio remota. Proximo verò, vt ſi ille ſciens me tale peccatum admiſiſſe, inde occaſionem acciperet idem patrandi. Secundò ſi inde mihi immineat periculum vitæ, vt ſi dicam me occidiſſe parentem Petri, vel violaſſe eius torum: hoc enim non ſolum eſt famæ, ſed etiam vitæ profuſio, & eſt alteri dare occaſionem peccandi. Tertiò ſi mea fama ſit neceſſaria muneri, quod gero, vt ſi ſim Epiſcopus, Parochus, Abbas, Prior, tunc enim peccabo contra iuſtitiam, vt inquit *Sotus ſupra*, qui tamen *l.4.qu.6.ar. 3.ad 4.* dixerat, hoc non eſſe per ſe contra iuſtitiam, ſed velle munus Prælati cum hac infamia, qua factus eſt ineptus, retinere: vnde ſi quis vellet deponere officium, aut nouis virtutum exercitijs infamiam vincere, vt muneri non obſit: non erit hac ex parte contra iuſtitiam ſe infamare, aut famam negligere. Quartò, ſi mea infamia redundat in alios, V.g. in liberos, in familiam, in ordinem religioſum. In his conueniunt Doctores.

34 At ſi ſine cauſa me infamia noto, peccare venialiter, certum eſt; quia aliqua hæc eſt prodigalitas, *Card.de Lugo de iuſt.tom.1.d.14.ſect.10.n. 156. Felix à Panormo nu.854.* Cauſas autem has reducunt ad tres *Tamburinus l.9. Decal.c.3.§ 6.nu.3.* & alij. Prima eſt amor humilitatis diſcretæ, & prudentis. Secunda eſt neceſſitas vitandi ſibi, vel alijs tormenta, vel damna grauia. Tertia vtilitas, qua acquiratur bonum aliquod notabile ſibi, vel proximo: tunc enim charitatis motiuum iuſtam reddit diffamationem, vbi nullum tamen intercedit mendacium.

35 Dico ſeptimò: Ad vitanda tormenta leuia falſo ſibi crimen imponere, ob quod morte ſit plectendus, eſt peccatum mortiferum. Ita *Sotus l.5. q.10.ar.2. Leſſius nu.35. Tambur.nu.6.* & alii communiter.

Patet. Tum quia, quiſque tenetur ſuam vitam conſeruare, & tueri; etiam cum aliquo dolore, & incommodo, maximè quando mortem non eſt commeritus: Tum etiam, quia in hoc caſu cenſeretur ſibi ſponte mortem immeritam accerſere, & ſe ipſum quodammodo occidere, ſine cauſa dando occaſionem ſuæ mortis.

36 Dico octauò: Etiam eſt mortale ad vitanda tormenta quamtumuis grauia, crimen falſum ſibi imponere, ſi ob id ſit morte plectendus. Ita *Nauarrus, & Conar.* quos refert, & ſequitur *Molina tom 5. d.2. nu.18. Card. de Lugo num.174.* & alii contra *Leſſium, Toletum, Tamburinum, Serram*, & alios.

Probatur; quia per talem confeſſionem falſi criminis homo cooperatur ſuæ morti, & mutilationi iniuſtæ, quod quidem nunquam licitum eſt: cum enim homo non ſit Dominus vitæ ſuæ, & membrorum, non poteſt

poſſ.

poſitiuè ad eorum bonorum deſtructionem cooperari. Aliud verò eſt de eo, qui non abſcindit membrum, vel non vtitur remediis exquiſitis ad conſeruandam vitam: ille enim nullo modo ſe interficit, ſed permittit mortē ex morbo, vel alijs cauſis prouenientem, non vtendo medijs difficillimis, & exquiſitis ad eam impediendam. In noſtro autem caſu non ſolum permittit, ſed poſitiuè cooperatur, & falſa confeſſione inducit Iudicem, vt ipſum interficiat, alioquin non interfecturus. Adde quod non poteſt euitari periurium. Vnde ipſimet *Sotus l. 5. q. 16. ar. 2. Serr.*, & alii agnoſcunt peccatum mortale ratione periurij, ſicut etiam agnoſcūt, ſi id cedat in damnū, aut infamiam alterius; quia non eſt Dominus bonorum, aut famæ alterius. *Felix à Panormo nu. 855.* & alij; atque in Prælato, qui famam ſuam regendis ſubditis habet obſtrictam, afferunt *Sotus, & Serra*.

37 Contra hanc aſſertionem, & eius rationem eſt communis obiectio, quia ex hoc ſequeretur, eum, qui metu tormentorum fatetur verum crimen occultum, propter quod morte afficitur, eſſe etiam cauſam ſuæ mortis, atque adeo peccare grauiter, cùm nemo poſſit licitè ſibi mortem procurare, vel cauſare. Conſequens autem eſt falſum: omnes enim ferè communiter fatentur, poſſe aliquem verum ſuum crimen fateri, immò ſe Iudici offerre, vt puniatur iuſte pro quantitate delicti. Ergo fatendum eſt, confitentem crimen ſiue verum, ſiue falſum non eſſe cauſam ſuæ mortis, ſed ſolum ponere occaſionem, qua Iudex eſt cauſa illius mortis; alioquin nec liceret delinquenti ſe prodere ad liberandum eum, cui eius delictum imputatur, & ob id deſtinatur ad mortem. Quod tamen omnes communiter negant, & dicunt non ſolùm licitè, ſed meritoriè ſe prodere delinquentem in prædicto caſu.

At rectè ſatisfacit *Card. de Lugo num.* 178. aduertendo obligationem, qua homo tenetur non ſe occidere, nec dare cauſam ſuæ mortis, prouenire ex eo, quod ipſe non ſit Dominus ſuæ vitæ, ſed debet ſaltem per media ordinaria eam conſeruare, alioquin ſine auctoritate ſufficienti diſponeret de re non ſua, vt patet in illicita occiſione ſua. Hoc autem non tollit, quod poſſit homo deſiderare, imo & procurare ſuam mortem, dummodo fiat apud eum, qui auctoritatem habet ad licitè occidendum. Poteſt quippe homo in primis deſiderare, & petere à Deo, vt ipſum occidat ob bonum finem: poteſt ſimiliter deſiderare, vt Iudex ipſum propter ſua delicta iuſtè occidat: poteſt item hoc ipſum Iudici conſulere, vt Iudex ſuæ obligationi ſatisfaciat, & non peccet eum ſine cauſa abſoluendo: poteſt denique hoc ipſum procurare, offerendo ſe Iudici, & manifeſtando ei ſuum delictum vt debitè ipſum puniat: tunc enim homo non ſe occidit auctoritate propria, ſed procurat, vt id faciat qui auctoritatem habet id licitè, & meritoriè faciendi. Sic Ionas, licèt ipſe non poſſet ſe in mare proijcere, conſulebat tamen, & ſuadebat nautis, vt eum proiicerent, quia id facere poterant tanquam Dei miniſtri, qui ſuam voluntatem per illa tempeſtatis periculo-

ſæ

ſæ ſigna ſatis manifeſtabat. A fortiori ergo poterit homo ad vitanda tormenta, ſuum delictum verum manifeſtare: tunc enim licèt det cauſam aliquam ſuæ morti, non tamen diſponit auctoritate propria de ſua vita, ſed mouet ad id faciendum illum, qui propria auctoritate poteſt de ipſius vita diſponere. Hinc infertur ſolutio argumenti, cur ſcilicet quamuis liceat verum delictum Iudici manifeſtare, non liceat falſum confiteri; quia nimirum occiſio innocentis ipſi Iudici illicita eſt: Ergo qui procuraret, aut vellet quòd Iudex innocentem occideret, & Iudicem deciperet, iam non cooperaretur ſuæ morti apud eum, qui auctoritatem habet occidendi; ſed apud eum, qui nullam habet auctoritatem in eo caſu. Hoc autem illicitum eſt, vt conſtat, nam eſſet cooperari, & mouere ad actum ſaltem materialiter malum, & iniuſtum, ac per conſequens homo abſque auctoritate propria, vel aliena poneret cauſam ſuæ occiſionis.

PROPOSITIO XLV.

Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia, quando tēporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat, tanquam motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale; vel etiam, quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali; aut è contra.

PROPOSITIO XLVI.

Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale; immò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis ſic, vt illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.

1 PRior Propoſitio eſt *Gregorij de Valentia to. 3. d. 6. qu. 16. pu. 3. Eſcobar Theol. mor. tr. 6. exam. 2. c. 6. num. 25. & Milhard. de manuductione Curatorum c. 63. inſtit. 1. nu. 2.* Secundam quis docuit, mihi non conſtat: ſi vt iacet accipiatur, nam primam eius partem docent plures, quos refert, & ſequitur *Moya tom. 2. in appendice ad tract. 2. d. 1. q. 2. §. 2. Caſtropalaus tom. 3. tr. 17. d. 3. pu. 4. n. 3.* Verùm iſte vltimus ſecundam partem expreſſe negat *n. 5.*

& eodem modo procedit *Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. de Simonia c. 44. & ſeq.* nonnullis ſuſpicio eſt, eam tenuiſſe *Caramnelem*, ex eo præſertim quod in *Theol. moral. l. 2. num. 864.* dixerit: *Si Scriptor ſcrupuloſus ſit, nulla erit circumſtantia ab hoc contagio libera: ſi autem audentior; ipſius Simoniæ conceptus erit idea Platonica, vt dicitur, quæ non reperitur in rebus*: Aſt inter iſtas ideas mihi perſuadere nequeo repoſuiſſe conceptum quem in ſecunda parte exprimit hæc propoſitio, qua dicitur, *Sic vt illud* (nempe temporale) *pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis*: quod ſi ſpeculatiuè aſſereretur, hæreſis eſſet: Hæretica namque eſt hæc Propoſitio: *Pluris valet res temporalis, quam ſpiritualis*: dum tamen practice, & in effectu ſic exiſtimatur, licèt hæreſis labe careat: graui tamen peccato, & irreuerentia Deo, & rebus Sacris non vacat; ſicut ſi quis ſpeculatiuè aſſereret, creaturam eſſe vltimum finem hominis, hæreticus eſſet: hoc tamen practicè exequens, in creatura ſuum vltimum finem conſtituendo, hæreticus non eſt, ſed mortaliter peccat; quoniã ſicut peruerſionem ordinis continet ſpeculatiuè id aſſerere, ita eandem continet practicè id facere. Potius ego recogito non tàm audentiam, quàm cæcitatem non paucorum, qui ſpecioſis conceptibus præſertim Gratitudinis pallian vſuras; in quibus mutatio nominis eſt, non vitij. Perbellè ad rem præſentem eximius Ioannes Raulinus Ordinis Cluniacenſis: *Optabat* (ait ipſe) *Dæmon collocare duas, quas habebat filias: & alteram cum mercatore, alteram cùm Eccleſiaſtico collocare decreuit: aſſignata in dotem vtriſque multa pecunia. Rogatæ ſunt de nomine; & prima dixit, VSVRAM appellari: altera appellari SIMONIAM: vix audita ſunt nomina, quando nullus comparuit, qui vellet eas in matrimonium. Ingruit admiratio, quod repellerentur hæ fœminæ cum his maximè dotibus: & aduertens Dæmon, eas repelli ex horrore nominis: aliter appellauit, & primam quidem appellari voluit LVCRVM CESSANS: alteram GRATITVDINEM. Facta nominum mutatione gregatim emerſere mariti, quin vix eſſet homo, etiam ex valdè beatulis, qui eas non vellet in matrimonium, licèt mutatio appareret ſolùm ſuperficialis in nomine; manentibus, vt antea in re VSVRA, & SIMONIA. Sic ille.*

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Vnde dicta, quidue ſit Simonia? Quid in eius definitione veniat nomine emptionis, & venditionis? Quidue nomine pretij?*

3 *Pretium temporale, vel eſt munus à manu, vel à lingua, vel ab obſequio: quorum nominibus veniant explicatur.*

4 *Nomine rei Spiritualis intelligitur res ſupernaturalis, vel formaliter, vel cauſaliter, vel pro effectu: vt explicatur. An pro diſpenſatione poſſit aliquid exigi? Quæ res poteſt vendi, & ratione materiæ? An ſit Simonia pro officio docendi, & interpretandi ſcripturam, vel pretio dare reſponſa caſibus con-*

conſcientiæ? Pro quo labore coniunƈto rebus Spiritualibus poſſit ſine labe Simoniæ pretium recipi?

5 *Quæ eſt Simonia contra ius Diuinum, quæ verò contra ſolùm ius humanum? An & quare prima ſit contra ius Diuinum poſitiuum,& naturale? A ſola Eccleſia prohibetur vt Simoniaca, primò venditio beneficiorum ſecundum id, quod temporale eſt: Secundò venditio officiorum extrinſecè tantùm ordinatorum ad res Sacras: Tertiò oblatio pecuniæ alicui faƈta, vt ſuadeat alteri,vt det beneficium. Quartò paƈtum de reſignando beneficio, vel de ſoluenda penſione ſi alter beneficium tibi impetret. Quintò Permutatio beneficiorum, & cuiuſcumque iuris ſpiritualis beneficia concernentis,ſi fiat auƈtoritate priuata,ſecùs traƈtatus de permutatione, etiam ſub obligatione penſionis; nec probibentur aliæ permutationes. Sexto acceptio muneris etiam ſponte oblati pro examine ad Parochiam, item pro collatione ordinum,vel literis dimiſſorijs. Septimò exaƈtio pecuniæ pro admiſſione ad Religionem.Vide alios caſus.*

6 *Quæ eſt Simonia mentalis? An talis poſſit eſſe iniuſta ſolo iure Canonico? Quæ conuentionalis,quæuè realis? Quotuplex eſt conuentionalis, & an ſola pollicitatione committatur: Quæ confidentialis? An conuentionalis committatur etiam ab eo,qui intentionem non habet dandi promiſſum? An hæc ſit ſubdita pœnis?*

7 *Quid eſt motiuū finale,quid occaſionale,& extrinſecum,& vnde dignoſcantur. De quo intelliguntur hæ Propoſitiones?*

8 *Quid eſt pretium formale, quidue virtuale, & quod cum motiuo conuertatur?*

9 *Quod diſcrimen inter gratuitum donum, & gratuitam compenſationem: Gratuitum donum in quibus caſibus vetetur, vt Simonia? Quid eſt recompenſatio,& vnde diƈta?*

§. II.

10 *An dare temporale pro ſpirituali, vt motiuum conferendi,vel efficiendi Spirituale ſit Simonia? Et negatiua pars qua cenſura deijciatur?*

11 *Pars affirmans probatur primò ex c. Et ſi quæſtiones, vbi qui ordinatori ſuo præbens ea munera,quæ animum recipientis mouere poſſunt,eſt Simoniacus, ſecus ſi munuſcula ſint leuia, quæ mouere non debeant. At quid ſi leuia etiam moueant?*

12 *Motiuum in his Propoſitionibus eſt omne temporale, quod in talibus circūſtantijs poteſt fleƈtere voluntatem conferentis beneficium,vel aliud ſpirituale tradentis.Vide reſponſum relatum.*

13 *Probatur ſecundò ex c. Tua nos, vbi Clericus offerens bona temporalia Eccleſiæ,vt Canonicus moueat ad admittendum eum,inter eos, & Canonici hac intentione recipientes ſunt Simoniaci. Item ex c.Mandato.*

14 *Probatur tertiò ex eo quod omnis paƈtio etiam implicita, quæ fit circa ſpiritualia,vel ſpiritualibus annexa in vtilitatem conferentis temporale, Si-*

monica eſt: hic autem motiuum pactum includit.

15 *Probatur quartò. Quia hic datur oblatio rei temporalis pro ſpirituali, quæ æquiualenter eſt emptio.*

16 *Confirmatur, quia interuenit pretium virtuale, quod ſufficit ad Simoniam conſtituendam. Hocque interuenit in Simonia Simonis, & Giezi; & regulariter in alijs; pretium verò formale offert vel hæreticus, vel ſtultus.*

17 *Cur Simonia dicatur hæreſis imo damnabilior, & Simoniaci inter primos hæreticos? Cur ſit contra Spiritum Sanctum? Qui ſenſus verborum Petri: Quoniã donũ Dei exiſtimaſti pecunia poſſidere? An Simon fuerit hæreticus?*

18 *Item ex Iuda ſolum pretium virtuale reſpiciente in venditione Chriſti, quia vita hominis non eſt pretio æſtimabilis, & tamen dicitur vendidiſſe, vt etiam interuenit in alijs pretio non æſtimabilibus.*

19 *Probatur quintò, ex eo quod ex contraria ſententia non euitarentur mala, quæ ex prauitate Simoniæ oriri ſolent: immò in nullo ferè caſu committeretur alia vſura præter conuentionalem.*

20 *Probatur ſextò, quia in beneficijs vetatur redemptio vexationis vbi paratur via ad beneficium, ac ſpirituale obtinendum, ſimiliter autem paratur tradendo temporale vt motiuum.*

21 *Quid eſt ius in re, quid ad rem proximum, vel remotum?*

22 *Habens ius in re acquiſitum in beneficio poteſt redimere pretio vexationem in illo iure ſibi factam, & cur?*

23 *Quid ſi acquiſito beneficio per certam, & indubitatam inſtitutionem, à poſſeſſione capienda impediatur?*

24 *An Electori, qui vult eligere indignum, aut minus dignum liceat offerre pecuniam, ne eligat?*

25 *An licitum ſit offerre pecuniam, vt eligatur aliquis dignus in communi?*

26 *An ſi electores velint eligere indignum, aut minus dignum, liceat offerre illis pecuniam, vt eligant dignum determinatè?*

27 *An ſi ex eligendis vnus ſit dignus, liceat electoribus offerre pecuniam ne indignos eligant, vel etiam vt dignum?*

28 *An quando electores ſubornantur vi, aut fraude, liceat redimere pecunijs hanc vexationem?*

29 *An caſu, quo vexatio fiat precibus, vel muneribus factis electori, ne te eligat, poſſis hanc vexationem pecunia redimere?*

30 *Sed quid quando ſubornans poteſt prodeſſe, & eſt vnus ex electoribus?*

31 *An liceat procurare pretio ne impediatur electio, quæ iuridicè fiat?*

32 *An vexatio debeat eſſe actualis, vt poſſit pretio redimi?*

33 *An ſit Simoniæ labe infectum dare pecuniam alicui, ne tibi in electione exceptionem opponat, quam iure opponere poteſt.*

34 *An ſi vnus ex concurrentibus det alteri pecuniam, vt à concurſu deſiſtat, ob impedimentum tollendum, Simoniacus ſit.*

35 *Quid de pacto cum alio, quod non concurrat tecum in ordine ad hanc electio-*

ctionem, & tu non concurras ſecum ad ſequentem?

36 *Quid de tribuente pecuniam, vt metum incutiat competitori, vt deſiſtat à concurſu?*

37 *An in electione liceat vti ſubornatione contra ſubornationem?*

38 *An quod tribuitur pro redimenda vexatione in caſibus admiſſis, poſſit eſſe ſpirituale?*

39 *An in alijs actibus extra electionem ſit etiam probibita redemptio vexationis?*

40 *An dare temporale pro ſpirituali tanquam gratuitam compenſationem, vel è contra Simoniæ fœditas cenſeatur? Et pars negatiua cenſura huius decreti confixatur?*

41 *Quid ſi detur aliquid tanquam gratuitum donum, ac ſignum beneuolentiæ?*

42 *Quid ſi Prælatus famulatum clerici, quem debet compenſare mercede velit compenſare beneficio? Quid ſi intendat compenſare expenſas, quas aulicus in decenti habitu, & veſtitu fecit?*

43 *Quomodo, & quando non ſit Simonia tradere beneficium, vt exoneret ſe ab obligatione antidorali?*

44 *Vbi ſi conſideretur ratio obſequij eſt Simonia, ratio meriti Simoniam ab legat.*

45 *An poſſit deduci in pactum antidoralis obligatio, ſeu gratuita: Et pars affirmatiua qua nota innotetur?*

46 *An Simoniæ labe fœdetur ſpes gratitudinis, & oſtenſio animi grati?*

47 *Quam rectè cenſura huius decreti expulſum aſſerere eſſe immunem à Simonia eum, qui in conferendo ſpirituali habet pro principali motiuo, ſeu fine aliquod temporale, ſiue traditum, ſiue tradendum?*

48 *Quando motiuum eſt principale, & primarium: quando ſecundarium, & minus principale, quo Simonia non contrahitur?*

49 *Vnde dignoſcatur, motiuum eſſe principale, vel minus principale, ſeu ſecundarium.*

50 *Num Simonia ſit aliquid dare, vel recipere pro informando Prælato de qualitatibus prætendentis beneficium?*

51 *Quando tradere Prælato munera careat Simoniæ labe?*

52 *Qualem famulatum præſtare Prælato ſit à Simonia immune?*

53 *Quando res temporalis ſpirituali annexa babet pro fine intrinſeco aliam rem temporalem, poteſt nè licitè dari, & accipi propter illam tanquam finem minus principalem?*

54 *Num ſit Simonia promittere, donare, aut legare alicui rem temporalem; ac pretio æſtimabilem ſub conditione, aut modo, vt ab altero opus bonum ſpirituale præſtetur?*

55 *An liceat Epiſcopo conferre beneficium pingue clerico ſub eo onere, quod renunciet alind minus pingue?*

56 *Num*

56 *Num tradere temporale tertio pro interceſſione ſiue immediata, ſiue mediata ſit Simoniacum? quid ſi pro labore?*

57 *Quibus titulis pro re ſpirituali poſſit res temporalis tradi?*

58 *An cenſura Louanienſium fuerit ſufficiens, & exacta?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionum.

2 PRænotandum eſt primò, quòd Simonia (cuius nomen à Simone Mago acceptum eſt, qui, vt refertur *Actor.* 8. voluit pecunia emere poteſtatem illam admirabilem dandi Spiritum Sanctum, prout videbat in Apoſtolis relucere, vt ſcilicet ipſe etiam quibuſcumque manus imponeret reciperent Spiritum Sanctum: vt deinde ex venditione ſignorum, quæ per eum fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur, vt dicitur *c. Saluator 1. q. 3.*) definitur: Studioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum. Ita communiter Theologi, & Canoniſtæ cum *D. Thoma 2. 2. q. 100. art. 1. & Gloſſa in can. qui ſtudet 1. q. 3.* Dicitur *ſtudioſa voluntas*, ideſt deliberata, vt explicat *Leſſius l. 2. de iuſtit. cap. 32. dub. 1. num. 3.* Dicitur *emendi, vel vendendi*, quibus verbis comprehenditur à Doctoribus communiter cum *D. Thoma ſupra*, omnis contractus non gratuitus: ſiue ſit permutatio, ſiue locatio, ſiue conductio, ſiue contractus nominatus, ſiue innominatus, *do, vt des*. Quapropter quotieſcumque datur ſpirituale, vt temporale donetur, aut è contra, dicitur latè emptio, vel venditio rei ſpiritualis: facitque *textus in l. ſicut §. venditionis ff. quibus modis pignus, &c.* Id autem magis declarat *Angelicus Doctor in 4. d. 25. q. 3. art. 3. in corpore* his verbis: *Dicendum, quod Simonia, vt dictum eſt, conſiſtit in emptione, & venditione ſpiritualium, vel eorum, quæ ſunt eis annexa. Emptio autem, vel venditio, non ſolum conſiſtit in datione, vel acceptione pecuniæ, ſed omnium eorum, quorum poteſt pretium numiſmate menſurari. Omnis autem temporalis commodi pretium poteſt numiſmate menſurari. Et ideò quicumque pro aliquo temporali commodo dat aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, Simoniam committit.* Ex quibus ſatis conſtat, quomodo intelligendum ſit nomen pretij, quo vtuntur Doctores in hac materia Simoniæ: non enim intelligitur ſola pecunia, ſed quidquid poteſt pecunia æſtimari. Conſonatque *S. Bonau. in 4. d. 25. art. 5.* his verbis: *Dicendum, quod non ſumitur ita ſtrictè venditio, & emptio, in definitione Simoniæ: ſed dicitur venditio, quando quodcumque pretium facit, dari ſpiritualia: pretio largo modo ſumpto pro temporali omni, quod eſt tota, & ſola cauſa dationis.*

3 Notandum eſt ſecundò, quòd pretium temporale, (cuius nomine iam

iam viſum eſt, venire omnem rem pretio æſtimabilem) triplex eſt: *Munus à manu*, munus à *lingua*, *& munus ab obſequio*. Per *munus à manu* intelligitur pecunia, & quodlibet bonum temporale. Per *munus à lingua* intelliguntur preces, laudes, &c. in fauorem illius, qui beneficium, aut rem ſpiritualem confert: vt autem habeant rationem pretij fieri debent ex pacto: V.g. *Si intercedas pro me apud Principem, dabo tibi beneficium*. Per *munus ab obſequio* intelligitur omne ſeruitium temporale, quod exhiberi poteſt in gratiam alterius, & ſigna etiam honoris, quæ ſi fiant loco pretij, & præſertim cum pacto, Simoniam inducunt: vt *Confero tibi hoc beneficium cum pacto, & onere tale obſequium mihi præſtandi*: ſecus Simoniam non contrahunt. Ita *Felix à Panormo tom.2.d.4.num.302.* & alij.

4 Notandum eſt tertiò, quòd nomine rei ſpiritualis intelligitur res ſupernaturalis, quæ vel talis ſit formaliter, vt gratia, &c. vel cauſaliter, vt ſacramenta, concio, ſacramentalia, &c. quæ cauſant gratiam: vel pro effectu, vt conſecratio, abſolutio, diſpenſatio, electio ad beneficium, præſentatio, confirmatio, &c. qui ſunt effectus, & vſus poteſtatis ſupernaturalis. Vnde pro diſpenſatione non poteſt aliquid exigi in pretium, benè verò per modum mulctæ ad piam cauſam applicandæ: Spirituali annexũ eſt id, quod non eſt per ſe ſpirituale, ſed ei eſt annexum, vt iuspatronatus reſpectu beneficij: vaſa, veſtes, &c. reſpectu ſacramentorum: & redditus beneficiorum, qui dantur propter officium ſpirituale. Res ſacrę, quæ per accidens habent annexam conſecrationem, vt calix, planeta, &c. poſſunt vendi ratione materiæ, ex ſe vendibilis, ſed non poſſunt plus vendi conſecratæ, quam venderentur non conſecratæ, quia tunc eſſet Simonia: Quando autem res temporalis vendi non poteſt, niſi ſimul ſpiritualis vendatur, tunc non poteſt & ipſa vendi vt Reliquia; poteſt vendi reliquiarium ratione ſolius materiæ. In his Doctores conueniunt. Aliqui cum *D. Antonino 2.p.tit.1.c.5.§.7.notab.6.in fine*, docent eſſe Simoniam recipere pecuniam pro officio docendi, & interpretandi ſcripturam. At verius eſt oppoſitum, quod docent *Gloſſa in cit.c.qui ſtudet 1.qu.1. verb.ſanitatis, & in c.de quibusdam 37.d.verbo Magiſtri, Sotus l.9.de iuſtit.q.5.ar.1. & q.6. art.2. ad 2. Suarez l.4.de Sim.c.17.num.7.* affirmans hodie eſſe commune, & in ſcholis receptum, quia non ordinatur hoc munus per ſe ad ſalutem animæ, ſed potius ad illuſtrandum intellectum in hac doctrina, ſicut & in alia ſcientia naturali. Adde per accidens eſſe, quod Theologia procedat à Principijs reuelatis, & Fide diuina creditis ad hoc munus docendi. Nam qui de aliquo principio Fidei voluntarie dubitaret, eodem modo poſſet docere ſicut habens fidem: Ergo per accidens ſe habet concurſus ſupernaturalis fidei ad huiuſmodi officium. Secludo interpretrationem, quæ fit ex inſtinctu Spiritus Sancti. *Leſſius l.7.c.35. dub.13.num.78. & 79.* putauit eſſe Simoniam pro pretio dare reſponſa caſibus conſcientię. Sed negandum eſt cum *D.Thoma 2.2.qu.100.art.3.ad tertium, Suario cap.* 18.*num.*

18. *num.* 19. *&* 20. & alijs communiter. Ratio eſt, quia illa inſtructio eſt naturalis, ex humano labore acquiſita: vendi ergo poteſt. Qua ratione Canoniſtæ pretium recipere ſolent: pro huiuſmodi reſponſis, ſicut & pro alijs conſilijs. Non debet ergo Theologus peioris conditionis eſſe, cum reſponſum ab vtroque procedens eiuſdem ſit rationis. Neque obſtat interrogantem, ad pacandas conſcientias, & ad alios fines ſupernaturales referre huiuſmodi interrogationes; quia eius intentio non mutat actionem, quæ per ſe ad id non ordinatur: ſolum enim tale reſponſum ordinatur per ſe ad illuſtrandum intellectum, & tollendam ignorantiam, ne aliquid fiat contra rectam rationem, & iuſtitiam. Non poteſt pretium recipi pro labore intrinſeco, & neceſſario coniuncto operibus ſpiritualibus, putà pro celebratione miſſę, &c. Poteſt tamen recipi ſtipendium ſuſtentationis, ſi aliàs actio ſpiritualis debita non ſit. Ita *Innocentius, & Hoſtienſis in c. 3. Ne Prælati vices ſuas, Durandus in* 4. *d.* 25. *q.* 3. *num.* 10. *Toletus l.* 5. *c.* 88. *à num.* 5. *Suarez*, pluribus relatis, *l.* 4. *de Sim. c.* 21. *num.* 5. *& ſeqq Corella hic num.* 186. quia labor intrinſecus operi nullam aliam æſtimationem habet præter ipſum opus: qua ratione opus, cui maior labor annexus eſt, maiori pretio eſt dignum, cæteris paribus. Ergo ſi opus de ſe inuendibile ſit, etiam labor ei adiunctus inuendibilis erit. Exemplo declaratur: Si enim lapis aliquis pretioſus, cui annexa eſt aliqua proprietas, prohibeatur emi, & vendi, etiam proprietas prohibetur emi, & vendi: quia non poteſt emi, & vendi proprietas per ſe ſine lapide: Ergo cum iure diuino prohibitum ſit emi, & vendi opus ſacrum, etiam labor, & defatigatio, quæ illis neceſſariò, & per ſe ſunt coniuncta, quaſi quædam proprietas prohibentur vendi: facitque ad id *textus in can. ſi quis obiecerit* 1. *q.* 3. ibi: *Qui horum alterum vendit ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum dereliquit*. Secus eſt de laboribus accidentalibus, & quaſi extrinſecis actionibus ſacris, qui (moraliter loquendo) neceſſarij non ſunt ad actiones ſacras efficiendas: V. g. agere iter vnius leucæ ad dicendum ſacrum, quando id non annectitur officio, vel beneficio; expectare quotidie per horam, vel aliud tempus ad celebrandum, dicere miſſam ſtatutis horis, vel in certis locis, & ad hoc obligari; præmittere extraordinarium ſtudium ad concionandum, &c. Pro ijs igitur, & alijs ſimilibus pretium exigi poteſt, & pro obligatione ad hæc omnia efficienda: quia ſunt temporalia onera, & priuant laborantem alijs commodis temporalibus: colligitur ex *C. ſignificatum de Præbendis, & ibid. Gloſſa*: ita *Ioannes Gutierrez can. qu.* 1. *c.* 29. *nu.* 25. *Toletus l.* 5. *c.* 88. *nu.* 6. *Suar.* alijs relatis *c.* 21. *num.* 15. *&* 17. *Corella num.* 185.

5 Notandum eſt quartò, quod Simonia alia eſt iuris diuini, alia iuris humani. Prima eſt contra ius diuinum, quæque prohibita eſt propter malitiam ſuam: vt Sacramentum, Hoſtiam Conſecratam vendere, & in hac ſaltem non datur paruitas materiæ, quia nullum donum Dei ſine graui irreuerentia vendi poteſt. Vnde non poteſt à mortali excuſari, niſi ob

incon-

inconſiderationem, aut ignorantiam: Et hanc ſummus Pontifex committere poteſt, quia iuri diuino ſubiectus eſt: Eſt autem contra ius diuinum ſiue poſitiuum, vt patet ex illo *Matthæi* 10. *Gratis accepiſtis, gratis date*: ſiue etiam naturali, vt conſtat duplici ratione adducta à *D. Thoma cit.q.* 100.*ar.*1. quarum prima eſt: quia res ſpiritualis ex ſe eſt materia indebita emptionis, & venditionis: nam non poteſt aliquo terreno pretio compenſari: vnde D. Petrus Simoni Mago reſpondit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſidere*. Secunda, quia non poteſt eſſe debita venditionis materia, cuius venditor non eſt Dominus: vnde loquendo de Simonia eis dicitur *c. Eos qui per pecuniam*, 1. *qu.* 1. *Iſti verò eundem Spiritum Sanctum efficiunt ſeruum ſuum; omnis enim Dominus, quod habet, ſi vult, vendit, ſiue ſeruum, ſiue aliquid aliud eorum, quæ poſſidet*. Prælati autem Eccleſiæ, & quicumque alij non ſunt Domini Spiritualium rerum, ſed diſpenſatores, vt dicitur 1. *ad Corinth*.4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei*. Secunda eſt contra ius humanum, quæ ſolum eſt mala, quia prohibita, vt cum Eccleſia prohibet ſumi pretium pro aliqua re, & functione propter connexionem cum re Sacra, cum tamen res illa aut functio eſſet ex ſe vendibilis. Sic ab Eccleſia prohibetur, & Simoniaca cenſetur, primò venditio beneficiorum ſecundum id, quod temporale eſt, ſcilicet quoad ius percipiendi fructus. Ita *Felinus, Decius, Ananias, Cardinalis, Alexander, Iulius Sarus, Nauarrus, Vgolinus, & Thomas de Argentina* apud *Suarez cit l.*4. *c.*24.*num.*12. ſequuntur *Cardenas hic diſſert.*27.*c.*1.*nu.*6. *Felix à Panormo nu.*709. Secundò, venditio officiorum extrinſecè tantum ordinatorum ad res Sacras, V.g. Sacriſtæ, Oeconomi, Aduocati Eccleſiæ, Theſaurarii, *c.ſi quis Epiſcopus* 1.*q.*1. *& c. Saluator* 1.*q.*3. *Caſtropalaus pu.*2.*nu.*2. Tertiò, Oblatio pecuniæ alicui facta, vt ſuadeat alteri, vt det beneficium *Felix à Panormo ſupra*. Quartò, Pactum de reſignando beneficio, vel de ſoluenda penſione, ſi alter beneficium tibi impetret. *Felix à Panormo ſupra*. Quintò, Permutatio beneficiorum, & cuiuſuis iuris ſpiritualis beneficia concernentis, ſi fiat auctoritate priuata eſt illicita, & Simoniaca contra prohibitionem Eccleſiæ, *c.cum olim, c.quæſitum, de rerum permutat. c.maioribus, de Prabendis c.vlt. de Pactis*: ita eſt communis Doctorum ſententia, vt videre eſt in *Rebuffo in pract. p.*3. *tit.de Permutation.num.*52. *Suar. l.*4. *c.*31. *num.*8. *Corella hic num.*187. Eſtò contra teneat *Gloſſa, & Innoc.in c.quæſitum, de rerum permutat*. Dicentes præbendas eiuſdem Eccleſiæ, & eiuſdem rationis poſſe permutari priuatim. Sed *Hoſtiens. Panorm.* & alii, ibi, & Doctores ſupra relati non admittunt exceptionem. Et meritò, quia ius non admittit, cum prohibitio ſit generalis. Quod à fortiori procedit in caſu, quo permutatio fieret quidem in manibus ſuperioris, at permutantes inter ſe conuenirent de danda penſione ei, qui pinguius beneficium in alium reſignauit, aut permutauit, vt benè *Valen.ſupra q.*16.*pu.*3. *verſ.Tertio modo, & Manuel Rodriq.*2.*p.Sum.c.*95.*num.*6. cum

Digitized by Google

Aragonio 2.2.q.100.ar.4. verſ. eſt aliud dubium in 3.concluſ. Verum Simoniacum non eſt, neque illicitum ante conſenſum Prælati tractare partes de permutatione; etiam ſub onere penſionis, & ſe viciſſim obligare ſi ſuperior conſenſerit. Ratio eſt, quia nullibi inuenitur hæc obligatio, & mutuus contractus prohibitus. Nam *in c.quæſitum*, & aliis relatis ſolum prohibetur permutatio ſine Epiſcopi conſenſu: At hæc obligatio non eſt permutatio, ſed via ad illam, neque eſt pactio abſoluta de permutatione, ſed conditionata, quæ non habet effectum, quouſque ſuperior conſentiat; & ita tradunt *Flamin. Pariſ l.6.de reſignat.benef.q.2.à nu.80. Suarez l.4.c.3.à num.7. Leſſius l.2.c 35.dub.15.nu.92. Diana p.10.tr.16 reſ.17. Corella hic nu.190.* Exceptis beneficiis Eccleſiaſticis; quæ non poſſunt permutari ſine auctoritate Ordinarii, aut illius Prælati, ad quem pertinet collatio talis beneficii: *c.vn. de rerum permut.in 6. Caſtropal.pu.15. num.6. Corella hic num.187.* Simoniaca, & illicita non eſt permutatio rei ſpiritualis pro ſpirituali. Ita *Suar.l.4 c.31.nu.20.* & alii communiter ex *c. ad quæſtiones, de Rerum permutat.* nec hoc remanet huic condemnationi ſubiectum, *Torrecilla hic nu.37. Corella ſup. a.*, & alii, & patet ex contextu Propoſitionum proſcriptarum. Hinc licitum eſt permutare Agnum benedictum, Crucem, Medaliam, &c. pro aliis. Sunt liciti etiam illi contractus amicabiles, de dicendo ſex Miſſas tibi, & mihi ſex alias dicendo: Excipiendo confeſſiones pro me quatuor perſonarum, vt ego excipiam pro te aliarum tot, &c. *Corella num.188.* At permutare beneficium cum penſione laica, aut Capellaniam collatiuam, aut beneficium cum commenda Militari, erit Simonia de iure diuino; quia beneficium, & Capellania collatiua ſunt res ſpiritualis, & penſio laica; Capellania non collatiua, & commendæ militares ſunt res temporales. Ita *Corella nu.189.* & alii. Sextò acceptio muneris etiam ſponte oblati pro examine ad Parochiam: *Trid.ſeſſ.24.de ref.c.18.* item pro collatione ordinum, etiam primæ tonſuræ, vel litteris dimiſſorialibus, *Trid.ſeſſ.21.de ref.c.1.* vbi excipitur decima pars aurei pro Notario, ſi ſalarium non habeat, & conſuetudo permittat. *Felix à Panormo ſupra*. Septimò, exactio pecuniæ pro admiſſione ad Religionem, non quidem pro ſtatu Religioſo, qui, cum ſit ſpiritualis, eſt iure diuino inuendibilis, ſed pro onere ſuſtentationis ipſius perſonæ profeſſæ, niſi Monaſterii tenuitas, vel conſuetudo contraria excuſet. Pro victu autem, & veſtitu pro ſuſtentatione Nouitii, pro tempore, quo in probatione eſt, poteſt aliquid accipi. *Trid.ſeſſ.25. de Regular.c.16. Felix à Panormo ſupra.* Octauo, pro modico Balſamo, quod benedictum pro Sacramento Baptiſmi datur per Eccleſias prohibetur in *Can. Placuit* 101. 1.q.1. exigi tremiſſis, ideſt tertia pars ſolidi, tanquam ſpeciem habens Simoniæ, *Anacletus Reiffenſtuel Theol.mor.tr.5.d ſt.3.q.4.num.36.* Nono in *Can.non ſatis, & Can. ea quæ, de Simonia* cauetur, vt pro Chriſmatis, & Olei receptione, nulla cuiuſquam pretii exactio tentetur, *Reiffenſtuel ſupra*.

6 Notandum eſt quintò: Simoniam rectè diuidi in mentalem, conuen-

tionalem, & realem. *Simonia mentalis* eſt internum propoſitum, quo quis dum confert alteri ſpirituale intendit eum obligare ad dandum temporale, vel e contra, ſine vllo pacto exteriori expreſſo, vel tacito: vt ſi quis det alicui centum aureos, aut eidem inſeruiat cum intentione ipſum obligandi, vt in mercedem ſibi conferat beneficium Eccleſiaſticum, & hoc poſtea ſibi conferatur, quamuis nullum pactum exterius circa hoc interuenerit. Vnde per Simoniam mentalem non intelligitur hic merum propoſitum committendi Simoniam, (quamuis & hoc iam ſit peccatum) ſed intelligitur ea Simonia, quæ quidem aliquem actum externum habet. V.g. dationē pecuniæ, malitia tamen eius non ſe prodit exterius, ſed in ſola mente manet, eo quod nullum pactum externum interueniat. Sic *Reiffenduel cit. q. 3. num. 23. Felix à Panormo nu. 307.* & alii communiter cum *Caſtropalao pu. 2. nu. 3.* qui addit, quod de hac Simonia loquitur *tex. in c Tuanos, §. licet, & c. vlt. de Sim.* vbi cum datur beneficium, vel reſignatur ea intentione, & affectu, deciditur Simoniam eſſe, & apud iudicem diuinum, qui eſt ſcrutator cordium, debere puniri. Et quamuis aliqui cum *Gloſſ. in c. ex parte 1. de offic. de leg. verb. dimittere,* putent, Simoniam inductam ſolo iure Canonico cōmitti non poſſe mentaliter, eo quod Eccleſia nequeat præcipere actus internos, aut eiuſmodi actus prohibere, cùm actus interni non cadant ſub poteſtate Eccleſiæ: alii communiter, & verè tenent contrahi poſſe mentalem Simoniam per ſolam volitionem actus verſantis circa prohibita ab Eccleſia, licet ad talis externam poſitionem non procedatur; ſicut à pari peccat contra ieiunium, feſtum, &c. qui interne ſtatuit non ſeruare ieiuniū, neque feſtum, &c. Ita *Suar. c. 44. n. 16. Filliuc. tr. 45. c. 20. quæſ. 4. n. 19.* & alii cōmuniter cum *Adriano quodl. 6. 9. ar. 2.* & ſequitur etiam *Fagnan. in c. Tuanos, n. 44. de Simonia.* Simonia conuentionalis eſt, quando non ſolùm eſt internum propoſitum obligandi, ſed etiam proceditur ad externam conuentionem, ſeu pactum expreſſe, aut tacitè factum, dandi, ſiue recipiendi rem ſpiritualem pro temporali, abſque tamen executione, ſaltem vtrinque facta. Additur notanter, *ſaltem vtrinque facta:* nam alia eſt Simonia purè cōuentionalis, quæ videlicet ex neutra parte eſt completa, vt ſiquidem pactum fuerit initum conferendi beneficium Eccleſiaſticum pro certa pecunia, adhuc tamen neque beneficium collatum, neque pecunia ſoluta eſt. Alia verò eſt *Simonia conuentionalis mixta,* quæ nimirum eſt completa ſolùm ex parte vnius, ſiue dando pretium non dum collato beneficio, ſiue è contra. Simoniæ conuentionalis ſpecies quædam eſt *Simonia,* quæ dicitur *Confidentialis,* quà quis cuipiam beneficium Eccleſiaſticum procurat, eligendo, præſentando, reſignando, confirmando aut alia ratione, cum certa confidentia, ſeu pacto inito, vt is, qui beneficium accepturus eſt, illud ipſum ſibi procuranti, vel alteri, vtputà fratri, aut nepoti ſuo, cum fructibus, aut aliqua eorum portione ſuo tempore cedat. Et aduersùs hanc Simoniacæ prauitatis ſpeciem, quam *Confidentialem*, ſeu beneficiorum confiden-

tiam appellant,eò quod circa ſola beneficia Eccleſiaſtica contingat, & per quam ex illicita beneficentia quandoque illa aſſeruabantur perſonis pro tempore inhabilibus,vel etiam nondum natis edidit *Pius IV.* ſeueriſſimã Bullam,quæ incipit, *Romanum Pontificem* (habeturque to.2. Bullarij Romani. *Conſt t.85.dicti Pontif.*) in qua ſub grauiſſimis pœnis ipſam prohibuit: eamque prohibitionem innouauit *B.Pius V. in ſua conſtit.85. Intolerabilis*, Tandem *Simonia realis eſt*,quando pactio ex vtraque parte impleta eſt,ſaltem inchoatè: vt ſi collatio beneficij facta eſt,& viciſſim pretium ſolutum, aut ſaltem pars pretii data pro eo. At his conueniunt Doctores, qui etiam cum *Farinac.l.1 deciſ.34.nu.4.5.& 6.* aduertunt quod ſi ſolum pollicitationem feceris de pretio,ſi tibi daretur beneficium: neque alius pollicitationẽ acceptauerit,conuentionalem Simoniam non committis; quia non eſt conuentio,quouſque promiſſio acceptata ſit. An autem committatur vera Simonia conuentionalis,etiam ex parte illius, qui intentionem non habet dãdi promiſſum: affirmant *Nauar.in comment. ad c.vlt.de Sim. nu.10.& c.23. num.106.§.ad tertium.* Sed verius negant *Caiet.tom.2.opuſc.tr.9.q.2. Sot.de iuſt.l.9.q.8.ar.1.§.dubium,Toletus l.5.ſumm.c.70.nu.4.Suarez l.4.c.42.nu.4. Leſſius l.2.c.35.dub.1.in fine*, & alii communius cum *Petro Nauar.l.2.c.2. diffic.12.nu.391.in 2.edit.* quia carens animo dandi ſpirituale, aut ei annexũ pro temporali,aut è contra,caret etiam animo emendi,aut vendendi, & ſic non poteſt eſſe Simoniacus ex recepta definitione Simoniæ. Vnde huiuſmodi Simonia non continetur in damnatione harum Propoſitionum. Dicta tenent pro foro animæ, quia in foro externo Simoniacus fictus reputaretur verus,& ſubditus pœnis Simoniacorum: opus enim externè Simoniacum faceret præſumere veram adeſſe Simoniam. Sic *Suarez n.5.* aliique.

7 Notandum eſt ſextò: Quod licet cauſa motiua poſſit ſe tenere ex parte efficientis,vel propriæ,vel diſpoſitiuæ; vt iuſſio,conſilium,preces,& alia extrinſeca; vel concupiſcentia, affectus,ſuggeſtio Diaboli,&c. nihilominus etiam ſe tenere poteſt ex parte cauſæ finalis, vt ſanitatis amore, ſcientiæ comparandæ gratia,& ſimilium plura fiunt: & hæc ſe habent vt cauſa mouens: inter quæ hæc eſt differentia, quòd omnis cauſa finalis eſt cauſa motiua; non tamen è conuerſo. Vel etiam motiuum poteſt eſſe occaſio, inquantum ex aliquo extrinſeco ſumit occaſionem intellectus diſcurrendi,& proponendi voluntati,quid ſit agendum. Attamen reſpectu cauſæ liberę motiuum extrinſecum, & inanimatum non poteſt pertinere ad genus cauſæ efficientis, vtpotè nullam exercens cauſalitatem in voluntate,vel Intellectu: vnde vel poteſt habere rationem cauſæ finalis, vel occaſionis. Igitur in præſenti vel illud temporale eſt motiuum occaſionale, vel finale ex parte accipientis,vt conferat E.g.Ordines,Beneficium, vt miniſtret Sacramenta,&c. Nam motiuum non poteſt eſſe mera conditio, at,vt aſſeritur in priori Propoſitione,motiuum finale potius videtur, nam dicitur: *Tamquam motiuum conferendi,vel efficiendi ſpirituale*: quod non competit

petit propriè motiuo occaſionali: vnde cum non poſſit mouere efficiendo, ſed alliciendo, quæ eſt motio finis, ad cauſam finalem pertinebit; ſiue ſit finis adæquatus, ſiue partialis conferendi, vel efficiendi ſpirituale. Ex parte tamen dantis adhibetur, vt medium, vt ille faciat, vel conferat; & eo vtitur directè ad finem conſequendi ſpirituale; licèt dicat, quòd non vtatur, vt pretio.

8 Notandum eſt ſeptimo, quod pretium duplex eſt, formale, & virtuale: *Formale* dicit proportionem in valore ad eam rem, pro qua datur, ſic in re noſtra tale eſt pecunia, vel aliud pecunia æſtimabile, quod procedit ex voluntate commenſurandi illam rem temporalem cum re ſpirituali, ac illam tanti æſtimandi: Virtuale dicit æquiualentiam ad munus pretij formalis; ſicut enim pretium formale in emptionibus, & venditionibus formaliter talibus importat motiuum dandi rem pro qua datur; ſic in emptionibus, & venditionibus impropriè, & virtualiter talibus (quo modo ſumuntur in Simonia) pretium dicit motiuum tradendi, vel efficiendi rem pro qua datur abſque tamen voluntate commenſurandi: Vnde omne pretium eſt motiuum: at non omne motiuum eſt pretium formaliter tale.

9 Notandum eſt octauò, diſcrimen magnum eſſe inter gratuitum donum, & gratuitam compenſationem; per gratuitum enim donum, vel non intenditur aliquid aliud accipere, & ſine intentione lucri: vnde qui hac intentione dant, potius mercenarij, quàm liberales, & grati cenſentur; vel ſi fiat poſt acceptum beneficium, non fit intentione remunerandi conferentem pro re collata; ſed pro affectu, quo id fecit: vt ait *S. Thomas 2.2.q.78. art.2. ad* 2. & hoc donum gratuitum non conſtituit vſuram iure diuino; nec ordinariè loquendo conſtituit iure humano Canonico, vt probat vſus Eccleſiæ dum à petentibus ſacramenta aliquid gratis datum ſine ſcrupulo accipitur. Dixi *ordinariè loquendo:* nam potuit Eccleſia prohibere donationem gratuitam, & pure liberalem faciendam ei, qui dedit aliquid ſpirituale, aut ſpirituali annexum, vt benè docent *Suar. l.4. de Sim. c.49. n.5. Gibalinus de Simon. q.18. Conſectar.2. nu.2. & alij*: Eccleſia enim non ſolum poteſt prohibere actiones ex ſe prauas, ſed etiam eas, quæ ſuo iudicio afferunt ſuſpicionem, aut ſpeciem mali; ipſa enim poteſt præcipere, quidquid oportet ad vitam Chriſtianam rectè inſtituendam: ad vitam autem Chriſtianam rectè inſtituendam, oportet ab omni ſpecie mali abſtinere, iuxta illud Pauli *1. Theſſ. l.5. Ab omni ſpecie mali abſtinete:* Atqui ſolent huiuſmodi donationes, licèt purè liberales afferre ſuſpicionem, & ſpeciem Simoniæ, quando qui recipit ſpiritualia, dat purè liberaliter temporalia. Ergo ea potuit prohibere, & quidem intuitu religionis, vnde illas conſtituit Simoniacas, vt fuſe *Suarez ſupra, & alij*: & de facto fecit in pluribus caſibus ſupra notando quarto ex *Trident. ſeſſ. 21. c.1. de r f. & ſeſſ. 24. de Ref. c.18.* quibus additur *t. x. in c. Emendari, 1. q.1*, vbi præcipitur,

ne *qui baptizantur, nummos in concham mittant: ne Sacerdos, quod gratis ac-cepit, pretio diſtrahere videatur.* Vbi videtur prohiberi ea liberalis donatio nummorum: non enim dicit, *ne pretio diſtrahat, ſed ne pretio diſtrahere videatur.* Alij ſunt textus, qui afferri ſolent pro interdictione donationum liberalium in occaſionibus, in quibus datur ſpirituale, quæ videri poſſunt apud *Suarium citatum*. At certum, quoque eſt, approbari in iure Canonico donationes aliquas, ſi fiant animo pure liberali: Talis eſt ea, quæ ponitur in *c. Tua nos, de Sim.* & continetur illis verbis. *Si verò purè, ac ſine pacto, vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, vt in Canonicum admittatur, & bona ſua retinere liceat pro P abenda, &c. Clerici eiuſdem* Eccleſiæ purè conſentiant, huiuſmodi receptio fieri poterit, abſque ſcrupulo Simoniacæ *prauitatis.* Gratuita autem compenſatio ſupponit rem iam acceptam, & pro ea ſatisfacere intendit: vnde non reſpicit affectum dantis, vt ipſum recognoſcat; ſed rem collatam, pro qua ex æquo intendit aliquid dare. Recompenſatio enim, teſte *Calepino*, idem eſt, ac rependere pari pondere, & ex æquo: & à *Berchorio* dicitur idem eſſe ac Retributio, quæ ſupponit rem acceptam, pro qua aliquid tribuitur, & idem eſt, ac Satisfactio. Vnde licet dicatur gratuita, quia nullum initum eſt pactum, nec aliqua ciuilis obligatio contracta eſt, ſed ſponte tribuitur aliquid; tamen non eſt omnino gratuita donatio, cum intendatur vt ſatisfactio. Hæc autem gratuita compenſatio, vel poteſt eſſe rei temporalis pro ſpirituali, vt cum poſt acceptum aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum, aliquid tribuitur ſponte, ſed animo compenſandi illud acceptum; vel è contra, quando quis poſt acceptum ab alio aliquod temporale emolumentum, vel obſequium, tribuit illi aliquod ſpirituale, vt compenſet, & ſatisfaciat pro illo temporali, intendens ſe exonerare ab illa obligatione. Vt ſi Epiſcopus, vt compenſet obſequium, vel famulatum, ei ab aliquo exhibitum, vel aliquid aliud temporale, confert ei beneficium, vt illa compenſet, vt ſe exoneret ab illa obligatione, vt illi ſatisfaciat. His prænotatis ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur concluſiones iuxta Decretum: & quamplures caſus reſoluuntur.

10 Dico primò: Dare temporale pro ſpirituali, vt motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, eſt Simonia: & contrarium afferere eſt hoc Decreto vt minimum tamquam pernicioſum deiectum.

11 Probatur primo *Ex c. eiſi quæſtiones §. Quod autem, de Simonia*, in quo clare continetur hæc concluſio iis verbis: *Quod autem ſcriptum eſt: Beatus, qui excutit manus ſuas ab omni munere: de illis donis dictum eſt,*

eſt, quæ accipientis animum allicere, vel peruertere ſolent: quoniam ſi ipſa etiam perſona electi offerat ordinatori, vel conſecratori ſuo electuarium aut de vino, ſiue de alijs huiuſmodi, quæ modici pretij fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel mouere non debeant, non tamen Eccleſia Romana interpretari conſueuit, accipientem in his delinquere, vel donantem. Ex quibus verbis clariſſimè conſtat eum, qui ordinatori ſuo præbet ea munera, quæ accipientis animum allicere, & mouere poſſunt ad dandum Spirituale, quod petitur, Simoniacum eſſe: ſi verò præbeat ea munuſcula eſculenta, aut poculenta, quæ voluntatem recipientis mouere non debeant, tunc à Simonia excuſari: Clare ergo ex hoc textu deducitur eſſe Simoniam, ſi detur munus alicuius valoris, tanquam motiuum, aut quod poſſit eſſe motiuum ad dandum rem ſpiritualem. Quo textu etiam fulcitur ſententia communis negans, in materia Simoniæ dari paruitatem materiæ: Si enim daretur paruitas materiæ, eſſet cùm quis electori V.g. dat aliquid modici pretij: Sed in hoc caſu omninò excuſat Pontifex à Simonia eum, qui dat rem modici pretij: non ergo datur paruitas materiæ. At poteſt hoc totum magis roborari doctrina *D. Thomæ in 4. d. 25. qu. 3. art. 3. quæſtiunc. vn. ad* 1. vbi reſpondens argumento contrario ducto ex hoc textu ait: *Dicendum, quod Eccleſiæ iudicium eſt quantùm ad exteriora: & quia non eſt probabile, quod animus iudicis ſpiritualis flectatur ad aliquid faciendum pro paruo munere, ideo in paruis muneribus iudici datis non iudicat Simoniam committi, ſed apud Deum, qui cor videt, Simonia eſt & in paruis, & in magnis muneribus, ſi animus iudicis ex eis flectatur.* Hæc ille, & ſequitur *Fagnan. in c. Tua nos, de Simon. num.* 139.

12 Vndè cum Romam mediis epiſtolis conſultum fuiſſet, quomodo veniret intelligendũ illud verbum MOTIVVM in his propoſitionibus poſitum; reſponſum fuit cuidam viro valdè docto, & vitæ integerrimæ, à Conſultore aſſiſtente Sanctæ condemnationi in hunc modum: *Non videtur ijs difficilis, quod norint quæ nomine pretij intelliguntur per ſacros Canones, & Summos Pontifices in facto Simoniæ; intelligunt enim illud temporale, quod in talibus circumſtantijs poteſt Epiſcopum inquere ad dandum Beneficium, vel aliud quid ſpirituale: de quo legi poteſt Alexan. III. in c. Etſi quæſtiones, de Simonia, & Sanctus Thomas in 4. ſent. d. 25. q. 3. art. 3. Vnde non ſuffragatur diſtinctio pretij, aut motiui, ſi motiuum in tali circumſtantia flectere poteſt animum Epiſcopi: quia in ſenſu Eccleſiæ eſt verum pretium.* Hæc ille, & refert *Carolus Morales hic num. 2.*

13 Probatur ſecundò ex *c. Tua nos, de ſim.* Vbi *Innocentius III.* conſulitur, an ſit Simonia, quod Clericus quidam obtulerit bona ſua Eccleſiæ Canonicorum poſtulans, vt ipſe recipiatur vt Canonicus talis Eccleſiæ. Et reſpondet Pontifex, quod ſi interuenit pactum de hoc inter Clericum, & Canonicos, iſti, & ille Simoniaci ſunt. Si verò, poſtquam obtulit ſua bona Eccleſiæ, poſtulauit, vt reciperetur in Canonicum, ſine vllo pacto,

non

Digitized by Google

non ſunt rei ſimoniæ. Sed quid ſi non interueniente pacto expreſſo, ipſe Clericus offerret ea intentione, vt inde mouerentur ad accipiendum illum in ſuam Eccleſiam, & ſimiliter Canonici mouerentur ex illa oblatione bonorum ad admittendum illum ad Canonicatum. Reſpondet Pontifex: *Si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, vt per temporalia bona, quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci, & Canonici, qui eum in fratrem admittunt, non eſſent eum, niſi commoda temporalia perciperent admiſſuri; ſine dubio tam ille, quàm iſti apud diſtrictum Iudicem (qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum) culpabiles iudicantur*. Itaque quod Clericus afferat ſua bona Eccleſiæ Canonicorum, ſine pacto expreſſo, ea intentione, vt per hanc oblationem obtineat Canonicatum, eſt offerre bona ſua tanquam motiuum ad obtinendum Canonicatum: ſed Pontifex declarat Clericum, ſic offerendo ſua bona, eſſe coram Deo Simoniacum; ſicut & Canonici, ſi intentione ſimili id admittât: Ergo ex declaratione Pontificû, Simoniacum eſt offerre bona ſua tanquam motiuum ad obtinendum Canonicatum.

Idem etiam probatur ex *c. Mandato, de Simonia*.

14 Probatur tertiò. Nam vt conſtat ex *c. Quæſitum, de rerum permut. & cit. c. Tua nos, de Simonia*, & ex aliis Textibus iuris Canonici; omnis pactio, quæ fit circa ſpiritualia, aut ſpiritualibus annexa, Simoniaca eſt: ſed quando quis dat munera collatori, tanquam motiuum, vt ſibi conferat beneficium; & collator id intelligens, attendens ad præfata munera, & ex illis motus conferat illi beneficium, datur pactum, & ſi non expreſſum, implicitum tamen: Ergo dare temporalia munera tanquam motiuum ad beneficium Eccleſiaſticum obtinendum, & conferre beneficium Eccleſiaſticum propter munera, tanquam propter motiuum, eſt vtrinque Simoniacum. Probatur minor. Pactum enim eſt, mutua duorum (aut plurium) conuentio, & conſenſus; quando caſus ita contingit, ambo conueniunt, & conſentiunt; alter dando munera propter beneficium obtinendum, alter conferendo beneficium propter munera: Ergo in eo caſu datur pactum, ſaltem implicitum,

15 Probatur quartò. Quoties datur oblatio temporalis pro ſpirituali: quæ æquiualenter eſt emptio, ſiue in qua illud temporale æquiualenter eſt pretium, ſeu eſt pretium virtuale, committitur vitium Simoniæ. Sed quando offertur temporale tanquam motiuum ad obtinendum ſpirituale, ea oblatio æquiualenter eſt emptio, & illud temporale æquiualenter eſt pretium, ſeu eſt pretium virtuale: Ergo cum fit eiuſmodi oblatio temporalis tanquam motiuum ad obtinendum ſpirituale, cômittitur Simonia. Maiorem ſupponunt communiter Theologi, & Iuriſprudentes, qui dum definiunt Simoniam eſſe emptionem, & venditionem ſpiritualis pro temporali, aut è conuerſo, dicunt ita intelligi definitionem, vt intelligatur quilibet contractus oneroſus, qui in prudentium exiſtimatione ſit æquiualen-

lenter emptio, & venditio. Probatur ſatiſque explicatur minor à *Ioanne Cardenas, Felice à Panormo*, & aliis: Sicut in prudentum exiſtimatione Iudex ex muneribus motus ferens ſententiam dicitur vendere iuſtitiam, ita collator beneficii ex muneribus motus conferens beneficium, dicitur vendere beneficium, & è conuerſo munera dans, vt ad id moueat, dicitur emere beneficium.

10 Confirmatur: Vt detur Simonia non requiritur pretium formale, ſed ſufficit virtuale: Sed vbi datur temporale pro ſpirituali tanquam motiuum conferendi, datur tanquam pretium virtuale. Ergo datur vera Simonia. Maior patet: Si ad Simoniam requireretur, vt temporale detur tanquam pretium formale rei ſpiritualis, requireretur vt temporale, & ſpirituale æſtimentur tanquam proportionabilia in valore, & conſequenter, quòd aliquod temporale æſtimetur æquale in valore rei ſpirituali, aut etiam aliquod ſuperius. Hæc autem æſtimatio in nullum fidelem, aut ſanæ mentis cadere poteſt: *Nam in ipſis naturalibus* (rectè obſeruat *Riccius hîc num. 3.*) *nec amor, nec ſapientia, nec vita corporis pretio æſtimari poteſt: ſed illa ſolo amore compenſatur, vt dici ſolet; ſapientia verò, nec auro pretioſiſſimo, nec gemmis comparatur, vt dicitur Sapientiæ 7. & Iob 28. & alibi pluries in diuinis litteris: & quamuis ſapientiæ Doctoribus ſtipendia dentur, non tamen dantur pro pretio doctrinæ, ſed pro ſuſtentatione vitæ, vel mercede librorum, vt ait D. Thomas 2. 2. qu. 100. ar. 3. ad 3. Quòd verò vita hominis nullo pretio ſit comparabilis, facilè patet conſiderantibus, quòd amiſſa vita, nil proſunt quæcunque bona. Si ergo nec iſta bona naturalia pretio æſtimari poſſunt, quantò minus ſupernaturalia bona à Chriſto donata, Sacramenta, Charismata, poteſtates ſpirituales in ordine ad æternæ vitæ conſequutionem? Ipſe Simon non videtur iudicaſſe, poteſtatem dandi Spiritum Sanctum ex pecunia æſtimabilem, licèt pro ea habenda pecuniam obtulerit Apoſtolis, erat enim fidelis, vt dicitur Actuum 8. & ſtupebat de ea poteſtate, cæteriſque prodigijs, quæ fiebant per Apoſtolos; non fuiſſet autem obiectum ſtuporis res, ſeu facultas, quæ æſtimata fuiſſet pecunia compenſabilis. Quare obtulit pecuniam, non tanquam pretium illius poteſtatis, ſed ad illiciendos Apoſtolos, vt eam ſibi communicarent, atque adeò tanquam motiuum. Similiter & Giezi non tanquam pretium curationis à lepra accepit pecuniam à Naam Syro: quia nec pro illa curatione petijt, immò tanquam neceſſitate Eliſæi, qui hoſpites acceperat. Itaque illa curatio tantum ſpem accipiendi, vel motiuum petendi tribuit. Et tamen illi Simoniacorum ſunt Auctores, in quos vel nomen tranſmiſerunt, vel prauitatem. Ergo non requiritur ad Simoniam, vt temporale detur tanquam pretium* (formale) *rei ſpiritualis, ſed ſufficit, ſi detur tanquam motiuum ad alliciendum collatorem, vel effectorem: aliter nullus poſſet eſſe Simoniacus, niſi vel hæreticus, vel ſtultus*. Ita ille. Probatur minor. Vbi datur temporale pro ſimplici motiuo collationis, vel efficientiæ rei ſpiritualis, intenditur acquiſitio, & poſſeſſio rei ſpiritualis per temporale. Sed hæc eſt æſtimatio, quia tractatur ſpirituale tan-

tanquam temporali adæquabile, in quo conſiſtit ratio pretij virtualis: Ergo.

Dices. Simonia dicitur hæreſis; ac Simoniaci hæretici dicuntur in *c.Presbyter 1.q.1.* quòd malè ex Regeſtro *S.Gregorij* citat *Gratianus*, cum in eo non reperiatur, ſed apud *Gregorium VII.lib.6.regeſtr. in indice Concilij* tunc habiti, *in c. liqueat 13. c.21. & 107. 1.q.1.c.3.& fin.1.q.7. Concil. Meldenſ.c.42. Turonenſe ſub Carolo can.15. Rhemenſ. can.21. Maguntin. ſub Rabano can.12. Magunt.ſub Arnulpho can.6.* Nec ſolum hæreſim eſſe, verum & damnabiliorem hæreſim, quàm hæreſim Macedonianam, dixit *Tharaſius* relatus in *c.eos 1.q.1.* & omnium hæreſum prodromam eſſe, docet *Gregorius VII.lib.11.ep.34.* ibi: *Hanc hæreſim ante omnes alias, radice peſtifera in Eccleſiam irrepſiſſe, atque in ipſo portu Apoſtolico maledictionis tela eſſe damnatam*. Præterea id deteſtatus eſt in Simone Apoſtolus Petrus, quòd æſtimaſſet donum Dei pecunia poſſideri, vt patet eodem *c.8. Actuum*. Et quia peccatum hoc propriè eſt contra Spiritum Sanctum, *cit. c. eos, qui*: hinc refert *Petrus Damiani ep.1. c.7.* Simoniacum quendam ſcelus ſuum paruipendentem iuſſum pronunciare Dorologiam S. Trinitatis: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, etiam ſi ſecundò, & tertiò idem iterando conatus fuiſſet addere, *& Spiritui Sancto*; ſed fruſtrà. Nam, vt ſubijcit *Damianus: Meritò Spiritum Sanctum dum emit, am ſit, vt qui excluſus erat ab anima, procul etiam conſequenter eſſet à lingua*.

17 Sed contra eſt ex *D.Thoma 2.2. qu.100.ar.1. ad 1.* dicente: *Ad primum ergo dicendum, quod ſicut Religio conſiſtit in quadam fidei proteſtatione, quam tamen aliquis interdum non habet in corde: ita etiam vitia oppoſita Religioni habent quandam pro eſtationem infidelitatis, licèt quandoque non ſit infidelitas in mente. Secundum hoc ergo Simonia hæreſis dicitur ſecundum exteriorem proteſtationem: quia in hoc quod aliquis vendit donum Spiritus Sancti, quodammodo proteſtatur ſe eſſe dominum ſpiritualis doni, quod eſt hæreticum. Sciendum tamen, quod Simon Magus præter hoc, quod ab Apoſtolis Spiritus Sancti gratiam emere voluit, dixit, quod mundus non erat à Deo creatus, ſed à quadam ſuperna virtute, vt dicit Iſidorus in lib.8.c.5. in princ. Etym. & ſic ſecundum hoc inter alios hæreticos Simoniaci computantur, vt patet in libro Auguſtini de hæreſibus.* Quare patet quomodo Simonia ſit hæreſis, & Simoniaci dicantur hæretici: quia perinde ſe gerunt, ac ſi de fide malè ſentirent, vt animaduertit etiam *D.Gregorius l.9.epiſt.53. ad Theodoric. Regem*; & trahunt originem à Simone Mago, qui hæreticus erat, quare diſplicet id, quod *Riccius* dixerat, Simonem tunc fidelem fuiſſe: nec ei fauet caput cit. *Octauum Actuum*; ea enim verba, *Tunc* Simon & ipſe credidit, ſic rectè poſt alios ſcripſit *Carthuſianus: Aliqui dicunt, quòd ad tempus verè credidit, ſed poſt ad vomitum rediit. In Scholaſtica verò hiſtoria fertur, quòd fictè credidit, & fictè baptiſma ſuſcepit, vt Philippo familiariter adhærendo ab ipſo diſceret artem talia ſigna agendi, qualia fecit Philippus. Vnde Beda hic ait:*

Vel

Vel Beati Philippi verbis, & virtute deuictus veraciter Domino credidit, vel (quod magis credibile eſt) credere ſe quouſque baptiſma ſuſciperet, ſimulauit; vt, quoniam laudis erat auidiſſimus, ita vt Chriſtum ſe credi vel. t (vt narrant hiſtoriæ) artes ab eo, quibus miracula faceret, diſceret. Et ſine eius fide etiam procedit doctrina erudite à *Riccio* tradita, imò fortius ſtringit; ſi enim Simon tunc vere non fidelis non iudicauit, poteſtatem dandi Spiritum Sanctum eſſe verè pecunia æſtimabilem, hoc ad Simoniæ vitium non requiritur: nec obſtat, quod Apoſtolus Petrus deteſtatus eſt in Simone, quòd æſtimaſſet, donum Dei pecunia poſſideri; hæc enim exiſtimatio adeſt, etiam cum temporale datur pro ſimplici motiuo collationis, vel efficaciæ rei ſpiritualis, quia (vt dictum eſt) etiam tunc intenditur acquiſitio, & poſſeſſio rei ſpiritualis per temporale. Sicut etiam dicitur per Simoniam vendi Spiritum Sanctum, quia tractatur tanquam vendibilis eo ipſo, quò pro eo habendo, vel dando pecunia datur, vel accipitur, etiam ſi non adſit error in intellectu, quo putatur vendibilis, qui error impoſſibilis eſt in cognoſcente vel tenuiſſimè, quid ſit Spiritus Sanctus; pretium ergo, non formale, ſed virtuale interuenit: commutatur enim tunc pro pecunia ſicut commutantur res vendibiles: Ergo æquiualenter venditur, & emitur. Hinc *Vrbanus II. c. Saluator 1. q. 3.* ait, Apoſtolum Petrum in Simone non emptionem piè Spiritus Sancti, quam benè fieri non poſſe nouerat, ſed ambitionem quæſtus, & auaritiam exhorruiſſe, & maledictionis iaculo perfodiſſe.

18 Corroboratur magis noſtra ratio: quia Iudas dicitur vendidiſſe Chriſtum Iudæis; nec tamen ad hoc verificandum neceſſe eſt, vt Iudas falſam, ſtultamque opinionem habuerit, vitam Chriſti eſſe æſtimabilem pretio; eamque fortè ipſe non habuit, cum nullius vita hominis ſit pretio æſtimabilis: ſimiliter nec de Sacerdotibus, qui pecuniam illi tradiderunt, neceſſe eſt credere, quod illum errorem habuerint, ſed eo ipſo, quo Iudas pecuniam popoſcit, & accepit, vt Chriſtum traderet, & illi dederunt vt haberent, dicitur ille, Chriſtum vendidiſſe, hi verò emiſſe; & ſic diceretur de quocumque homine, qui propter pecuniam proderet amicum; quia eo ipſo commutatur homo pro pecunia, adeoque tractatur, vt vendibilis. *Auguſtinus*, quia Rhetoricam ſub mercede docuit, dicit, ſe victorioſam loquacitatem victum cupiditate vendidiſſe, *4. Confeſ. c. 2.* nec tamen putandum eſt, *Auguſtinum* neſciſſe artes liberales non eſſe pretio æſtimabiles, quod ſtultum eſſet opinari; ſed ita loquutus eſt, quia intuitu mercedis eam docuit, quaſi commutans artem cum pecunia, ac per hoc facto ipſo eam tanquam vendibilem tractans. Ergo vt Simoniacum ſit dare, vel accipere pecuniam pro ſpirituali, non eſt neceſſe, vt ſpirituale æſtimetur pecunia compenſabile, adeòque nec vt pecunia detur, vel accipiatur tanquam propriè, ſtrictè, ac formaliter pretium; ſed ſufficit, vt commutetur pecunia; hoc enim eſt æquiualenter, & virtualiter illud emere, & vendere;

Ff 2 & pre-

& pretium virtuale interuenire.

19 Probatur quintò,& ſimul dicta amplius confirmantur. Secundum contrariam ſententiam per iura inhibentia Simoniam tantum doceremur, ſpiritualia non eſſe æſtimanda proportionabilia ſecundum valorem cum temporalibus,vel ad ſummum inhiberetur talis æſtimatio, non vero inhiberetur acquiſitio ſpiritualium per temporalia,vel eorum collatio, ſiue efficientia propter temporalia,neque voluntas his modis, ſeu viis acquirendi ſpiritualia; & per conſequens non euitarentur mala, quæ ex huiuſmodi prauitate voluntatis,& operum oriri poſſunt, & ſolent. Perinde enim illa mala oriuntur, ſiue temporale detur pro pretio propriè dicto rei ſpiritualis,ſiuè pro pretio impropriè dicto, ſiue pro motiuo, & perinde vigent ambitio,quæſtus,& auaritia, quæ in Simone exhorruit Petrus, vt *Vrbanus Papa* ſupra relatus dicit;id quod de ſe patet. At iura illam voluntatem,ſiue effectum maximè deteſtantur,& illa mala auertere ſatagunt: Ergo damnant vt Simoniacum etiam dare temporale pro ſimplici motiuo conferendæ,vel efficiendæ rei ſpiritualis. Huc ſpectat argumentum communiter traditum. Si admitteretur in caſu aſſertionis Simoniam non committi, in nullo ferè caſu, in quo pactum expreſſum non interuenit, committeretur Simonia,& ſic non daretur Simonia realis,ſed ſola conuentionalis;amplaque aperiretur via dandi pro Beneficiis, & Prælaturis pecuniam,omniaque per pecuniam fierent. Sed hæc videntur abſurda. Ergo.

20 Probatur ſextò: ex *D.Thom. cit.q.*100.*ar.*2. *ad* 5. vbi docet,quod antequam alicui acquiratur ius in Epiſcopatum, vel quamcumque Dignitatem,vel Præbendam per electionem,vel prouiſionem,ſeu collationem, Simoniacum eſſet aduerſantium, qui prodeſſe poſſunt obſtacula pecunia redimere:ſic enim per pecuniam pararet ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam. Et tenent communiter Doctores, & habetur expreſſe *c.Matthæus &c.ſicut de Sim.* Vbi dicitur,quòd dare pecuniam ad redimendam vexationem electoris,qui denegat beneficium digno, vel Confirmatoris, qui non vult confirmare eum,qui iurè electus eſt, eſt Simonia. Ratio eſt, quia per pecuniam parat ſibi viam ad rem ſpiritualem obtinendam: ſed magis eſt dare temporale pro ſpirituali,tanquam motiuum conferendi,vel efficiendi ſpirituale;& eadem ratio militat;quia per temporale parat ſibi viam, ad rem ſpiritualem obtinendam: Ergo etiam hæc eſt Simonia. Confirmatur: Si,cum munera, data non ſunt, vt pretium rei ſpiritualis immò neque, vt motiuum collationis eius,ſed tantùm ad retinendos contradictores, non ſolum ipſa donatio, ſed etiam conſenſus in eam donationem Simoniaca ſunt, *cit.c.Matthæus*, adeo vt dimittendum iudicetur regimen Eccleſiæ tanquam Simoniacè acquiſitum; quantò magis, cùm data ſunt pro motiuo conferendi,vel efficiendi ſpirituale?

21 Vt autem hoc melius percipiatur, & huius occaſione multi caſus concernentes redemptionem vexationis reſoluantur, ſciendum eſt cum

Leſſio l.2.c.35.dub.28. & aliis communiter, aliud eſſe ius ad rem, & aliud ius in re: ad rem ius habet in beneficiis remotum quidem, qui dignus eſt; propinquum verò qui electus, vel præſentatus, vel poſtulatus, ſed non-dum confirmatus, vel inſtitutus. Ius in re habet: qui iam eſt confirmatus, vel inſtitutus, vel collationem factam acceptauit cum impoſitione pilei, quamuis nondum poſſeſſionem cœperit. Hoc præiacto.

22 Conueniunt Doctores, nec eſt contra iura citata, quod habens ius in re acquiſitum in beneficio, poteſt redimere vexationem ſibi factam in iure illo acquiſito, tollendo, vt habetur expreſſe in *c. dilectus, de Simonia*, & *c. quæſitum 1. q. 3.* vbi *Gloſſa, Panormitanus, Innocentius*, & alii. Et ratio eſt, quia qui ſic dat pecuniam, non dat illam pro aliqua re ſpirituali, ſed pro ceſſatione ab iniuria; non enim per illam redemptionem aliquid ſpirituale acquiritur: eſt enim beneficium, vt ſupponimus, firmiter acquiſitum.

23 Similiter conueniunt Doctores apud *Caſtropalaum de Simonia d.3.pu.20.num.3.* quod ſi quis acquiſito beneficio per certam, & indubitatam inſtitutionem, à poſſeſſione capienda impediatur, licet ſibi vexationē pecunia redimere; quia poſſeſſio non eſt ſpiritualis, niſi ratione tituli, cui eſt annexa; acquiſito ergo titulo, poſſeſſio eſt quid corporale, & omnino debita titulo; ergo non eſt Simonia illius impedimentum redimere, quia non redimitur ius, ſed factum, ſecùs eſſet dicendum; vt benè aduertit *Suarez l.4.de Sim.c.50.num.30.* ſi ius ipſum, ratione cuius petit poſſeſſionem, vocaretur in dubium, tunc enim non liceret pecunia poſſeſſionem redimere, quia redimeretur non poſſeſſio tantum, ſed ius beneficii infirmum firmaretur, & conſeruaretur.

Sed quid ſi electus vexetur per viam iuris, circa poſſeſſionem iam habitam, poterit nè pretio hanc vexationem redimere? Affirmat *Paſqualigus d.c.237.n.2.* Sed prorſus dicendum eſt, eſſe Simoniam talem vexationem redimere. Ita cum *Suario, Tancredus tr.2.l.4.d.34.num.44.* Ratio eſt, quia redimeretur pretio poſſeſſio, vt adnexa iuri ſpirituali, & ex hac parte ipſum ius: nam qui habet poſſeſſionem beneficii, & non habet ius ſtabile, ſi dat pecuniam, ne hoc ius iuridice impugnetur, iam vult redimere ius intentius, vt ſic dicam, cum videat, quod id, quod habet, eſt dubium, & remiſſum, ita vt poſſit ab illo tolli. At *Pignat. loco mox citando nu.99.* inclinat in priorem ſententiam.

24 Licet electori, qui vult eligere indignum, aut minus dignum, offerre pecuniam, ne eligat. Ita *Innocentius in c. nemo, de Simonia, Adrianus quodlib.9. Caietanus opuſc. de Sim.q.3. Sotus l.9.de iuſt.q.6.ar.1.dub.vlt. Nau. in ſumm.c.23.num.101. Reginaldus l.23 num.133. Suarez l.4.de Simon. c.50. num.36. Pignatellus* alios referens *p.10. conſult.44. num.32. Anton. à Spir. Sancto p.3 tr.4.d.4.ſect.20.num.327.* Ratio eſt, quia talis actus habet obiectum honeſtum; Ergo erit actus honeſtus. Conſequentia ſequitur, Nam actus ſumunt honeſtatem, vel turpitudinem ab obiecto. Antecedens

autem

Neque hoc eſt alicui procurare electionem, ſed tantum procurare bonam affectionem electorum erga ipſum. Quod ſi ex hac bona affectione ſequitur electio, id eſt per accidens: nam eſt in poteſtate electorum quemlibet ex dignis eligere, neque cum ipſis fit pactum, quod talem determinatè eligant, ſed ad ſummum, quod erga talem deponant malum animum.

Ex quibus notant *Ledeſma ſupra. Pignat. num.* 41. & alij, quod poſtquam data eſt pecunia ne eligant indignos, ſed dignum in commune, licet bona fide, ac medijs procurare electionem digni in particulari. Quia vterque actus ordinatur ad alium.

27 Quando verò ex eligendis vnus eſt tantùm dignus, licet offerre electoribus pecuniam, ne indignos eligant, non autem, vt illum ſolum eligant, qui dignus eſt. Ita cum *Valentia*, & *Laymano Pignat. num.* 42. *Suarez*, & alij: quidquid dicant *Antonius à Spiritu Sancto*, & *Caſtropalaus* circa ſecundam partem doctrinæ. Ratio eſt, quia tunc non datur pecunia pro electione perſonæ determinatæ, ſed tantum, ne eligantur indigni, & per accidens cenſetur, ſi vnus ſolus dignus ſit, qui poſſit eligi.

28 Sed hic inquires primò. An ſit licitum, quando electores ſubornantur vi, aut fraude, redimere pecunijs hanc vexationem.

Affirmant aliqui, quando ſubornans adhibens vim, aut fraudem non eſt vnus ex electoribus. Ita *Sotus cit. ar.* 1. *ad* 5. *Leſſius cit. c.* 35. *dub.* 18. *num.* 19. *Suarez. d. c.* 50. *num* 2. *Gordonus l.* 8. *theol. mor. q.* 8. *c.* 18. *num.* 54. *Layman. Aragonius, Figlinus*, & alij. Quia hoc eſt purè redimere iniuſtam vexationem, & non datur pecunia ad obtinendum auxilium pro electione, ſed tantum ad vitandum nocumentum. Secus autem, inquiunt, ſi ſubornans prodeſſe poſſit, vt ſi ſit elector. Debet enim intelligi de eo, qui poteſt prodeſſe cooperando per ſe ad actum electionis. Quia tunc cenſeretur pecunia offerri, vt prodeſſet, atque adeo in ordine ad electionem.

Nihilominus eſt etiam valdè probabilis ſententia docens eſſe licitum, etiam quando ſubornans vi, aut fraude prodeſſe poteſt, ita vt ſit Elector. Hanc tenent *Sylvius* 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *concl.* 3. *Aragon. in dub. circa ſolut.* 2. *Malderus tr.* 9. *c.* 3. *dub.* 17. *Cæleſtinus in compendio theol. mor. tr.* 7. *c.* 4. *num.* 9. *Sanchez d. dub.* 30. *num.* 5. & 9. *Caſtropalaus de Simonia pu.* 20. *nu.* 4. *Pignat. num.* 45. *Antonius à Spiritu Sancto*, & alii. Et ratio eſt; quia non datur pecunia illi, qui prodeſſe poteſt, vt proſit, ſed tantùm ad redimendam ipſius iniuſtam vexationem. Habet enim ius ſibi à natura conceſſum ſe, ſuaque defendendi, atque adeo poteſt redimere quantumque vexationem ſibi noxiam, ſiue directam, ſiue indirectam.

29 Inquires ſecundò: An poſſis pecunia vexationem redimere caſu, quo vexatio fiat precibus, vel muneribus factis electori, ne te eligat?

Negant *Turrecremata in c. quæſitum* 1. *q.* 3. *num.* 3. *Archidiaconus ibidem cum S. Raymundo.*

Sed

Sed communis, ſatiſque probabilis eſt ſententia contraria, quam docent *Valentia, Leſſius, Suarez, Aragonius, & Rodriquez*, quos refert, & ſequitur, *Caſtropalaus ſupra num. 6. Diana cum Sanchez p. 5. tr. 14. reſ. 2.* Ratio eſt, quia eſtò ſubornans electorem, & Iudicem non ſibi faciat iniuriam contra iuſtitiam, facit tamen nocumentum contra charitatem; ſiquidem eius animum non relinquit liberum, ſed in ſui aduerſarium mouet, & inclinat. Ergo poteris huiuſmodi nocumentum remouere, ſiquidem eius remotione non paras magis viam ad beneficium, quàm ſi nunquam talis ſubornatio adeſſet. Hinc fit, non tibi licere dare pecuniam ſubornatori, vt à ſubornatione deſiſtens tibi ſpecialiter faueat, tuamque electionem procuret: parares enim viam pecunia ad beneficium. Vnde ſi fuerint plures electores, & contrarius oppoſitor aliquos ſubornet, non licet tibi alios, vel eoſdem ſubornare, vt tibi potiùs, quàm alteri faueant; eſt enim hoc directè parare pecunia viam ad beneficium. Potes tamen electoribus iam pecunia ſubornatis dare pecuniam non ea intentione, vt tibi faueant, ſed vt deponant animum, & affectum propenſum, quem habent erga tuum competitorem, propter pecuniam ab ipſo receptam: in hoc enim caſu non paras viam ad beneficium magis, quàm eſſet parata ante ſubornationem.

30 Immò poſſe etiam abſolutè redimi vexationem, etiam quando ſubornans poteſt prodeſſe, & eſt vnus ex electoribus, docent *Villalobos tr. 37. diffic. 3. nu. 3.* citans *Aragonium, Sanchez nu. 5. Fernandez p. 3. Exam. theol. mor. c. 32. num. 28. Diana cit. reſ. 2. Pignat. num. 48.* & alij. Ratio eſt, quia licet quando ſubornans prodeſſe poteſt quia eſt elector, cenſeri poſſet, quod illa ſubornatio pertineret ad munus ipſius, ac proinde daretur ipſi pecunia, vt electori; quia tamen ſubornatio eſt cõtra munus electoris, vtpotè contrariâ bonæ electioni, ideo ſi datur ipſi pecunia, ex hoc præciſe fine, vt deſiſtat à ſubornatione, non datur tanquam electori, ſed tanquam malè affecto, & in tali caſu eadem eſt ratio de ipſo, ac de eo, qui non poteſt prodeſſe, vt notat etiam *Suarez d. c. 50. num. 28.* Ideoque hoc licitum eſt, quia non ordinatur ad acquirendum aliquod ſpirituale, ſe mere ex intentione dantis ad auertendum à ſe nocumentum. Neque iura, quæ prohibent Simoniam, prohibent vti iure proprio naturali ad ſui defenſionem: ſolumque iura poſitiua damnant vt Simoniam, redemptionem vexationis, quando fit in ordine ad obtinendam electionem, ſiue beneficium. Secus autem eſt, quando fit ſolum in ordine ad conſtituendũ electorem in debita diſpoſitione, & ad amouendam ſubornationem. Quòd ſi per hoc inclinatur animus electoris ad eligendum, id eſt per accidens, ac præter intentionem. Vnde non poteſt inficere redemptionem vexationis.

31 Inquires tertiò. An ſit licitum procurare pretio, ne impediatur electio, quæ iuridicè fiat?

Reſpondeo affirmatiuè. Ita *Syl. V. Simonia qu. 13. Sanch. cit. dub. 30.* *num.*

num.9. Pignat. nu.51. Tancredi l.9. tr.2. d.34. num.37. Quia per hoc non obtinetur pretio ipſa electio, ſed tantum redimitur vexatio, quam pateretur Capitulum, ſi ex malitia alicuius electio non fieret iuridice, V.g. ſeruata forma ſcrutinii. Habet enim Capitulum ius ad iuridicam electionem, ad quam tenetur concurrere, ipſamque procurare quoad fieri poteſt. Vnde ſi quis facit, ne iuridice fiat, infert iniuriam Capitulo in re graui: quia ipſum malitiosè fraudat fine, quem intendit; ac proinde licet redimere hanc iniuſtam vexationem.

Id quod etiam extendunt *Sanchez, & Tancredi locis relatis, & Pignat. num.52.* contra quoſdam, quando agitur de electione alicuius perſonæ determinatæ: adhuc enim redimitur vexatio, quando datur pretium, ne impediatur, quin electio ipſius iuridicè fiat: Nec datur pretium in hunc finem, vt ipſum eligant, ſed vt eligendo iuridicè procedant. Vnde manent electores in illa æqualitate, ac diſpoſitione, quam haberent, ſecluſo omni pretio, ſi ad electionem rectè procederent. Quare nulla committitur Simonia: quia non trahitur mediante pretio electio ad aliquem.

32 Inquires quartò: An vexatio debeat eſſe actualis, vt poſſit pretio redimi.

Affirmant *Sotus cit. q.6. ar.1. ac Bonac. de Sim. q.6. pu.5. num.11.* dicentes non ſufficere, quod probabiliter timeatur. Quia non licet vim vi repellere, niſi vis inferatur: Vnde nec pretio redimere vexationem, niſi adſit vexatio, cùm adſit periculum ſcandali, & Simoniæ. Nam ex hoc fieri poteſt, vt elector moueatur ad promouendam electionem ob pecuniam.

Negat verò *Pignat. num.78.* dicens non eſſe eandem rationem de vi. Quoniam vis non eſt de ſe licita, ſed tantùm fit licita, exiſtente vi in contrarium. Eſt enim vis de ſe iniurioſa, & ideo non poteſt adhiberi, niſi ad repellendam vim actualem. Periculum autem ſcandali, aut Simoniæ poteſt tantum eſſe ex parte accipientis, non quidem ratione oblationis pecuniæ, quia non datur pro ſpirituali, neque eſt talis, quin iuſto modo accipi poſſit, ſi accipiatur per modum muneris, quando circumſtantiæ ſunt tales, vt permittant habere rationem muneris. Quando autem non permittunt, poteſt reſpui. Vnde totum ſcandalum erit paſſiuum, & totum periculum Simoniæ erit ex malitia accipientis. Deinde qui dat pecuniam vexatori parato, non offert materiam peccati, quaſi ex obligatione ordinetur ad peccatum, ſed offert medium ordinatum ad ſui defenſionem, & conſeruationem. Qui autem accipit eam, facit materiam peccati ex propria malitia.

33 Inquires quintò: An dare pecuniam alicui, ne tibi in electione exceptionem opponat, quam iure opponere poteſt, ſit Simoniacum?

Affirmant *Nauar. conſ.3. nu.1. de Sim. in antiqua edit. & in alijs edition. conſ.39. nu.41. & ſeq. Pariſ. de conſil. benefic. q.47. num.9. Vgolin. tab.4. de Sim. c.50. §.8. Proſper de Auguſtino in addit. ad Quar. V. Simonia addit.3. Caſtrop. l. cit. pu.20. num.2. Sanchez d. dub.30. num.13. Tancred. ſupra num.47. Anton. à*

Spiritu Sancto, ac ii, qui docent, non poſſe redimi vexationem iuſtam. Quia hoc pacto redderetur per pecuniam via ſecurior ad beneficium, ſiue ad electionem.

Hæc eſt communis, & tutior ſententia, & in conſiliis tradendis ab ea non facile eſt recedendum; at non videtur improbabilis ſententia contraria, quam docent *Paſqualigus dec.* 247. *& Pignat. num.* 101. *& ſeqq.* Nam oppoſitio exceptionis eſt quid merè temporale, vnde quantum eſt de ſe non eſt materia Simoniæ ſi circa ipſam fiat contractus, & alioquin quilibet habet ius ad ſe conſeruandum indemnem: Vnde cum oppoſitio exceptionis ſit ipſi damnoſa, poterit, quantum eſt ex hoc capite, eam pretio impedire. Nec redimere talem oppoſitionem trahit ſecum aliquid ſpirituale, quod ſit ipſi annexum, ac proinde ſit materia Simoniæ, vt quid annexum ſpirituali. Nam non trahit ſecum electionem: quia adhuc eſt in poteſtate electorum, ſicut erat antea. Nec adeſt aliud ſpirituale, quod ſecum trahere poſſit. Neque etiam dici poteſt, quod hoc ſit tibi parare viam ad electionem. Quia præparare viam ad electionem eſt aliquid facere, quod conducat ad ipſum per ſe directè ac poſitiuè, non autem pellere, ſiue impedire obſtacula, quæ poſſent obſtare electioni. Nam via ducit ad terminum, & eſt quædam incompleta aſſequutio illius, quod non eſt ſolum remouere impedimentum. Quod autem reddatur via ſecurior ad electionem, id non eſt verum de ſecuritate poſitiua, ſed tantum de negatiua. Quia non eſt ponere aliquid poſitiuum, quod reddat ſecuram electionem, ſed tantùm remouere obijcem. Remouere autem obijcem, ſicut nõ eſt comparare aliquid ſpirituale, ita non eſt materia Simoniæ, ſed quiſque habet ius remouendi ea, quæ ſibi etiam iuſtè obeſſe poſſunt, dummodo non teneatur ea ſubire per modum pœnæ.

34 Inquires ſextò: An ſi vnus ex concurrentibus det alteri pecuniam, vt à concurſu deſiſtat, ob impedimentum tollendum, committat Simoniam?

Reſpondeo affirmatiuè. Ita *Maiolus l. 5. de irregul. c. 45. num. 3. Vgolin. d. tab. 4. c. 5. §. 9. nu. 2. Proſper de Auguſtino loco cit. Sanch. ſupra num. 13. Caſtropalaus nu. 2. Leſſius cit. cap. 35. dub. 18. Pignat. num. 104. Tancredus ſupra nu. 47. Pontius l. 5. de matrim. c. 13. §. 6. num* 40. Nam hoc eſt parare ſibi viam ad electionem, ac redimere vexationem iuſtam, quæ ſibi infertur ab alio competitore. Addo, quòd dum facit, quòd concurrentes deſiſtant à concurſu, trahit electionem ad ſe ipſum, quia electores eligent ipſum, dum non ſunt alii, qui concurrant, & ideo pecunia pararet ſibi viam ad electionem.

35 Hinc pactum cum alio, quod non concurrat tecum in ordine ad hanc electionem, & tu non concurras ſecum ad ſequentem, eſt illicitum. Ita *Sanchez ſupra Pignat. nu.* 105. *Tancred. nu.* 51. & alii contra *Paſqual. dec.* 249. Ratio eſt, quia hoc pacto faceres tuam electionem, cum fieri poſſit quod remaneas ſolus, præſertim ſi ille, vel illi, cum quibus ſit pactum, ſint te digniores.

36 A

36 A fortiori, qui dat alicui pecuniam, vt metum incutiat competitori, vt deſiſtat à concurſu, in ordine ad electionem, ad quam ipſe quoque concurrit, peccat contra iuſtitiam, committit Simoniã, & electio eſt nulla, ſi cadat in dantem pecuniam pro incutiendo metu. Ita *Vgolinus tab.1.de Sim. c.48.§.3.nu.5.& tab.4.c.50.§.9.in fine, Pignat.num.*109.& alii. Quia hoc pacto conducit ſe ad electionem, atque adeo mediante pecunia. Electio enim eſt motiuum dandi pecuniam pro incutiendo metu.

37 Inquires ſeptimò: An in electione liceat vti ſubornatione contra ſubornationem?

Affirmat *Villaloh.tom.2.ſumm.tr.37.diffic.30. num.5.* Vnde per ipſum licebit adhibere munera, preces, promiſſiones, aliaque huiuſmodi in ordine ad ſubornandum electores, quando ſcio ab alijs adhiberi. Quia nimirum licet vim vi repellere, & monopolium alio monopolio diſſoluere.

Verùm hæc ſententia prorſus improbabilis, & ſcandaloſa eſt. Nam & ſi aliquando liceat adhibere munera, & preces ad aliquid iuſtum, ac honeſtum obtinendum, non tamen in ordine ad ſubornandum. Vnde aſſerendum eſt, nullatenus eſſe licitum adhibere ſubornationem, contra ſubornationem. Ita *Suarez cit.c.50.nu.26. Bonac.cit.q.6.pun.5.num.15. Pignat. num.111.& ſeqq.* aliique communiter. Ratio eſt, quia elector ſubornatus non poteſt benè eligere, cum eligat ſecundum menſuram ſubornationis. Vnde qui ſubornat, quantum eſt de ſe, ſemper ponit cauſam malæ electionis, ac intendit, quod electio ſequatur ſecundùm menſuram illius ſubornationis. Et ideo intendit, quod de ſe eſt malum. Nunquam autem licet intendere malum, ſiue in ordine ad bonum, ſiue in ordine ad aliud malum propulſandum. Et abſque noua ſubornatione poteſt adhiberi remedium priori ſubornationi, eam detegendo, & manifeſtando electoribus, ac proponendo motiua iuſtæ, ac debitæ electionis. Neque eſt eadem ratio de vi: quia vis, qua altera vis repellitur, non ordinatur ad malum, ſed ad id, quod licitum, & honeſtum eſt, nempe ad defenſionem vel perſonæ, vel rerum, quæ eſt de iure naturali, & ideo licita, & honeſta eſt, contra aliam. At ſubornatio per ſe primò ordinatur ad malum, licèt poſſit inde ſequi aliquod bonum. Non ſunt tamen facienda mala, vt eueniant bona. Eſt quoque diuerſa ratio de monopolio. Quia monopolium pariter eſt iniurioſum communitati, & particularibus perſonis, quæ ſunt de communitate, ac infert moralem vim, ideoque eſt licita defenſio contra ipſum. Vnum autem ex medijs aptis ad defenſionem eſt monopolium contra ipſum, & ideo licet ipſum adhibere, quia vis moralis, altera vi morali depellitur.

38 Inquiritur octauò: An quod traditur pro redimenda vexatione in caſibus relatis poſſit eſſe ſpirituale?

Reſpondeo negatiuè: nam committitur Simonia; quia cum vexatio ſit quid temporale, ſpirituale pro temporali commutaretur, vt ſtatuitur in *Can.Euphemium 2.qu.3.* vbi, vt Simoniaci puniuntur, qui acceperunt ordi-

 nes

nes àb Epiſcopo pro relinquenda eiuſdem Epiſcopi accuſatione. Quamobrem ſi quis vexetur in pigui beneficio,& tenue beneficium, vel officiũ Eccleſiaſticæ iurisdictionis vexatori tradat,promittat,vel procuret, aut iuri ſpirituali cedat;Simoniam committit,quia tradit rem ſpiritualem pro temporali. Ita *Pignat.nu.81.*& cum *Sanchez*, *& Bonac. Antonius à Spir. Sancto ſupra nu. 329.*

39 Inquires nonò: An in alijs actibus extra electionem ſit etiam prohibita redemptio vexationis?

Reſpondeo: Quod in alijs actibus non beneficialibus non ſit prohibita ſemper redemptio vexationis,quando cum ſpirituali detrimento vexatio fit,priuando aliquem iniuſtè actione,aut remedio ſpirituali ſibi debito. Hæc reſolutio,præter ea,quæ dico cum communi,de Sacramentis, maximè locum habet in abſolutione ab excommunicatione, & alijs cenſuris, quando iniuſtè feruntur, vel earum abſolutio per iniuriam negatur, vel per potentiam, & vim impeditur: & eodem modo applicari poteſt ad ſimilia. Ita *Gloſſa in c. Ad aures,& c. dilectus de Sim.* vbi etiam docuit *Ioannes Andreas*;cum illa limitatione,ſcilicet quando per potentiam aduerſarij non ſperatur remedium per ſuperiorem ſine magno diſpendio. Et eodem modo id ſequitur ibi *Panorm. Felin.*& alij. *Hoſtienſis* vero ſine vlla reſtrictione *in Summa tit.de Simonia, Turrecrem.cum Hugo. in c.nullus Epiſcopus 1.qu.1.* vbi *Gloſſa idem* ſequitur,& idem tenet *Maior.in 4.d.25. q.5.ad 2.* & idem generalius *Suarez d.c.50.nu.43.& ſupplem.Gabr. ibi qu.2.ar.2.Propoſ.7.* qui reducunt hæc ad ius acquiſitum, quia in illis ſemper ſupponitur verum ius proprium ad talem abſolutionem, vel alium ſimilem actum:ſtante autem tali iure,non ſolum licet redimere vexationem ab eo, qui ius ipſum tollere conatur,ſed etiam ab eo,qui iniuſte impedit,ne tali iure vti poſſim. Contrariam ſententiam tenuit de abſolutione à cenſura *Innoc. in d. c. Ad aures,* & ſequitur *Vgolin.tit.1.c 44.§.1.num.5.*

40 Dico ſecundò: Dare temporale pro ſpirituali tanquam gratuitam compenſationem,vel è contra,Simoniæ crimen cenſendum eſt. Et contrarium aſſertum *Valentiæ, Eſcobar, & Milbar,*initio citatorum, *Cæleſtini in compendio Theol.mor.tr.7.c.4.nu.3.& Ghilini in pract.reſol.caſuum conſcientiæ V.Beneficium nu.7.*cenſura huius Decreti configitur.

Probatur primò auctoritate, & ratione *D.Thom.qu.13.de malo ar.4. ad 13.* vbi poſtquam de mutuante conceſſit poſſe ſperare aliquam amicabilem compenſationem abſque obligatione tacita, vel expreſſa, ſed ſolam gratuitam:hoc ipſum denegat conferenti ſpiritualia,ſcilicet ſperare gratuitam compenſationem: & diſparitatem aſſignat inter vſurarium, & Simoniacum ſic dicens: *Alia tamen ratio eſt de Simoniaco, & de vſurario,quia Simoniacus non dat id,quod eſt ſuum,ſed id,quod eſt Chriſti. Et ideo non debet ſperare aliquam recompenſationem,ſibi faciendam,ſed ſolùm honorem Chriſti,& vtilitatem Eccleſiæ. Sed vſurarius nihil alteri praſtat, niſi quod ſuum eſt: vnde poteſt*

teſt

teſt aliquam amicabilem recompenſationem ſperare, per modum prædictum.

Probatur ſecundò: Vtrobique, nempè tàm dando temporale pro ſpirituali, quàm è contra, tanquam gratuitam compenſationem, exiſtimatur res ſpiritualis pretio æſtimabilis, dum, vel temporale exhibetur vt proportionata merces, & æqua ſatisfactio ſpiritualis; vel res ſpiritualis, vt merces, & proportionata retributio pro temporali; compenſatio enim, vt ſupra dictum eſt ex Calepino, eſt rependo ex æquo, pari pondere pendo, quod nomen ipſum ſonat, & *Modeſtinus Iuriſconſultus in l. 1. ff. de compenſat.* ait: *Compenſatio eſt debiti, & crediti inter ſe contributio.* Sed exæquare, immo & proportionare ſpiritualia temporalibus eſt ipſum Simoniæ crimen, quamuis id non ex pacto, aut obligatione, ſed gratuito dicatur fieri: Ergo. Adde, quod hoc æquiualet emptioni, & venditioni, & facto ipſo eſt commutatio rei ſpiritualis cum temporali. Atqui hoc labe Simoniæ non caret; cum in hoc radix Simoniæ conſiſtat, vt expreſſit *D. Petrus* dicens: *Donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſidere*; in quibus verbis, ait *D. Thomas* Simoniacam labē in ſua radice condemnaſſe: Ergo &c.

41 Aliud verò eſt dare aliquid gratis tanquam gratuitum donum, ac ſignum beneuolentiæ, hoc enim immune eſt a Simonia: Quare hic aduertendum eſt, quòd cum tempo ale tribuitur, vt compenſatio pro ſpirituali, vel ſpirituale pro temporali, dependeat à voluntate, & intentione dantis, vt detur tanquam donum gratuitum, vel tanquam compenſatio, poteſt tribuens committere Simoniam hac intentione præſtando; non tamen accipiens, putans ſibi, vt gratuitum donum præſtari: niſi aliundè ei conſtet, vel valdè probabilia indicia habeat, hac intentionę ei tradi: ſimiliter dicendū eſt de accipiente, dum hac intentione accipit, quam poteſt non habere tradens.

42 Hinc ſi Prælatus famulatum Clerici, quem debet compenſare mercede, velit compenſare beneficio, erit Simoniacus, quia eſt virtualis commutatio beneficii pro obſequio. Ita *Ioannes Cardenas diſſert. 27. num. 111. Felix à Panormo to. 2. d. 4. nu. 316.* & alii communiter, & ſimiliter Clericus obſequium præbens hanc intentione. Vnde *D. Thomas 2. 2. q. 100. ar. 5. ad 1.* ait de Clerico, qui remuneratur ſpirituali beneficio ab Epiſcopo, quia ipſi præſtitit obſequium ad carnalia ordinatum, putà quia ſeruiuit Prælato ad vtilitatem conſanguineorum ſuorum, vel patrimonii ſui, vel aliquid huiuſmodi, erit munus ab obſequio, & conſequenter Simoniacus.

Hinc patet ad caſum, quem adducit *Bonac. de Simonia q. 1. §. 1. num. 12.* nempè ſi Cardinalis, vel Epiſcopus aulicum nobiliorem conduxit, tradito victu ſolito, quam partem vocant, conſiſtentem in moderata quadam panis, & vini menſura, & Iulio, aut moneta, non longè minutiori, vel aliquantò maiori, pro rata ſingulorum dierum: tunc Prælatus non tenetur quidem ex iuſtitia huic maiorem mercedem tribuere; nihilominus ex gratitudine ſeu obligatione antidorali procurare ei ſolet penſionem, vel beneficium,

vt

vt expenſas,quas aulicus in decenti habitu, & veſtitu facit, aliqua ratione compenſet (hæc ſunt verba *Bonacina*)in quo caſu à labe Simoniæ eum excuſat. Patet,inquam,Simoniam eſſe:nam non ſolùm committitur, quando tribuitur ſpirituale loco mercedis ex iuſtitia debitæ,ſed etiam quando præſtatur ex gratuita compenſatione,quod accidit in præſenti caſu. Tum,quia procuratur beneficium, vt compenſentur expenſæ,&c. quod eſt reſpicere ad rem,non ex ſimplici beneuolentia , & ſic æſtimatur tanquam merces expenſarum,facto ipſo,& ſaltem virtualiter: Poſſet tamen à Simonia excuſari,ſi non ad expenſas compenſandas,vel obſequium,ſed gratitudine quadam,& habendo reſpectum ad aulici affectum id præſtat.Ita *Piſani hic nu. 9.Sanchez,Tancredus,Antonius à Spiritu Sancto* & alii.

Ex quo explicandum eſt,quomodo,& quando non ſit Simonia tradere Beneficium,vel Præbendam, vt exoneret ſe ab obligatione antidorali. In quo Simoniam non committi tradunt . Ita *Suarez d.l.4.c 45.nu.13. Nauar. Filliuc.& Laym.in*,quos refert,& ſequitur *Bonac.de Simonia qu.6. pu.1. num.5.*hoc extendentes etiam ſi talem intentionem verbis exprimant , aut etiam ab iis,qui dona contulerant,petant remiſſionem obligationis antidoralis. Ab alio extremo ſtant *Innocentius,Sylu.Angelus,Iaſon, & Auctor Directorij Inquiſit.Ord.Prædicat.*Pro quo animaduertendum eſt, quod obligatio antidoralis eſt illa,qua natura obligamur, vt benefacienti benefaciamus;vt tradit *Vgolinus tab.1.de Simonia c.58.§.4.nu.2.* Vnde qui ab alio accipit aliquod gratuitum donum,vel ab eius parentibus, vel obſequia , vel Eccleſiaſticam dignitatem,ex obligatione antidorali tenetur;vel ei,vel ſuis benefacere. Quæritur ergo ; an ſi, vt exoneret ſe ab hac antidorali obligatione, conferat aliquod beneficium,aliudue ſpirituale,Simoniam committat, Pro cuius reſolutione diſtinguendum eſt : Vel intendit tantum animi gratitudinem oſtendere;& non committit Simoniam , quia per gratitudinem animi reſpicientis benefacientis affectum non æſtimatur pretio res ſpiritualis, nec benefacientis affectus eſt pretio æſtimabilis , ex quo ad debitum præſtandum obligatus non tenetur,vt dixit *D. Thomas 2.2.q.88.ar.2.* Et in hoc ſenſu procedere poteſt ſententia *Suarij,Bonac.*& aliorum:Vel talis intendit ſatisfacere benefacienti pro dono accepto, vel obſequio; & Simoniā committit,vt patet ex præcedentibus: & procedit ſententia *Innocentij, Syluestri*,& aliorum,valetque ratio *Innocentij*,qui ait ; quoniam ex hac tollitur ea obligatio,& remittitur (quo ad rem ſcilicet acceptam) & ob id videtur dari ,ideo Simoniam committi.Et quia *Suarez.Bonac.*& alii relati,etiam in hoc ſenſu intendunt eximere à Simonia,non ſunt audiendi.

44 Seduló autem hic ſecernenda eſt cum *D.Thoma cit. q.100. ar.5.ad 1.*ratio meriti à ratione muneris ab obſequio, prima enim facit benemeritos Eccleſiæ ; ſecunda verò benemeritos de nobis: quare,*Si aliquis Clericus* (verba ſunt Angelici Doctoris) *alicui Prælato impendat obſequium honeſtum ad ſpiritualia ordinatum(putà ad Eccleſiæ vtilitatem, vel miniſtrorū eius auxiliū)*

ex

ex ipſa deuotione obſequij redditur dignus Eccleſiaſtico beneficio: ſicut & propter alia bona opera: vnde non intelligitur eſſe munus ab obſequio, & in hoc caſu loquitur Gregorius: nempè *in Regiſtro l.2.c.57. in principio,* vbi inquit: *Eccleſiaſticis vtilitatibus deſeruientes Eccleſiaſtica dignum eſt remuneratione gaudere.* Vnde iſtis ſine Simonia conferuntur Eccleſiaſtica beneficia, & officia, non titulo antidoralis obligationis, ſed titulo meriti, nam ex obſequio Eccleſiæ præſtito, & miniſtris eius in ordine ad ſpiritualia, redditur, ſicut & propter alia opera, Eccleſiaſtico beneficio dignus; ſecus verò de ijs, qui ſunt benemeriti de nobis, in quibus, ſi habeatur reſpectus ad obſequium compenſandum, Simonia committitur, vt ſupra ex eodem S. Doctore ibidem diximus. Male ergo *Vgolinus* ſupra adductus in eadem linea ponit vtroſque: & benemeritis de Eccleſia, & Prælatis eius in ordine ad miniſteria ſpiritualia ſeruientibus, putat ex antidorali obligatione deberi beneficia Eccleſiaſtica, pariformiter ac ijs, qui deſeruiunt Eccleſiis in miniſterio temporali: vnde iure optimo, non ex obligatione antidorali, ſed quia inſeruiendo Eccleſiæ in arduis eius negotijs, benemeriti ſunt de illa, & ob rerum peritiam, ſupremæ Eccleſiæ dignitates, nempè Cardinalatus, Nuntiis Apoſtolicis, Auditoribus, & ſimilibus à Summis Pontificibus conferuntur.

45 Dico tertiò. Non poteſt deduci in pactum antidoralis obligatio, vel gratuita. Ita *Ioannes Cardenas hìc diſſert.27.c.3.ar.2.num.46. Felix à Panormo ſupra num.321. Reiffenſtuel tr.5.diſt.3.q.4.num.44. Caiet.2.2.qu.78.ar.2.§. in reſponſ. ad 2. Sotus l.5. de iuſt.q.1.ar.2. Nauarrus in Man.c.23. num.106.ad 4. Raphael De la Torre 2.2.qu.100.ar.6.diſp.3.concl.3. Bonac.de Sim. qu.6.pu.1.num.7. Filliuc.to.3.tr.45.c.10.num.24. Franciſ.Sylvius in reſol. varijs V.Simonia concluſ.2. Couar.1.var.c.20.num.4.* referens *D.Thomam 1.2. qu.78.ar.2.ad 2. & 3.* vbi in materia mutui id ſupponit: at eſt locus clarior *qu.13.de malo ar.4.ad 5.* vbi loquitur de Simonia. Sequuntur etiam alii, quos refert, & ſequitur *Suar.l.4.c.45.num.9.& ſeqq. Layman l.4.tr.10. c.vlt. §.2.num.9.* ibi: *Illud verò certum eſſe debet, Simoniam eſſe, ſi quis ita paciſcatur: Dono tibi pecuniam, ſiue aliam rem pretio æſtimabilem, tali conditione, ſeu modo, vt mihi vicißim ex gratitudine præſtare debeas rem aliquam ſpiritualem. Vel ſic: Præſto tibi hanc rem, vel officium ſpirituale, ea tamen conditione, vt obliges te ex gratitudine mihi præſtaturum donum aliquod temporale.* Eſt contra *Valentiam, & Tannerum,* quos refert, & ſequitur *Ghilinus ſupra relatus, Cæleſtinum vbi ſupra,* & quoſdam alios.

Probat *Layman,* poſt *Suarez,* his verbis: *Quia einſmodi conuentiones nomine donationis, aut remunerationis conceptæ, re ipſa Simoniacæ permutationes exiſtunt. Quod oſtenditur, primò in ſimili: nam ſi quis à me petat, vt librum ipſi donem, ego autem reſpondeam, contentum me eſſe, ſed ea conditione, vt viciſſim mihi donet enſem, hæc ipſa erit permutatio, non libera donatio. Secundò ratione: Tunc datio rei non eſt gratuita, ſed onerofa, reciproca, ideoque non*

dona-

donatio, ſed permutatio, quando dans alteri non confert ius accipiendi, niſi viciſſim præſtet aliquid ipſi danti, ad quod ſeclusa hac ſpeciali, & poſitiua conuentione alioqui obligatus non eſſet. Id autem non fit in ſupradictis pactionibus. Ergo non ſunt donationes, ſed permutationes. Maior eſt clara. Quia tali caſu ob rem datam imponitur accipienti nouum onus viciſſim aliquid dandi, in quo eſſentialis ratio pactionis onerosæ conſiſtit. Minor etiam patet. Quia accipiens donum aliquod gratuitum, ordinariè ex gratitudinis virtute non obligatur ad remunerationem faciendam in certo rerum genere, aut ſpecie; vel determinato aliquo tempore. Ergo pactione illa imponitur accipienti nouum onus, ſeù obligatio viciſſim aliquid dandi. Deinde: etſi ponamus, donatarium, propter ſpecialem neceſſitatem donantis, ex naturali æquitate gratitudinis, ſecundum prudentum virorum arbitrium obligari ad certam antidoralem donationem faciendam: nihilominus ſi ea in pactum modis ſupra dictis deducatur, nouum onus, ſeù obligatio pretio æſtimabilis imponitur. Etenim ſecluſa tali pactione donatarius iure cogi non poſſet ad tale antidoron præſtandum; & ſi rem ſibi donatam retinere vellet; ſiue, vt alijs verbis dicam, donatarius non cenſetur iniuriam facere, aut fidem violare, ſed tantum ingratus eſſe, ſi antidoralem donationem intermittat. Ergo imponitur ipſi noua, & reciproca obligatio. Confirmatur: nam niſi id dicamus, conſequens erit, nullam eſſe Simoniam, nullamque vſuram iuri naturali repugnantem, quam non liceat tali contrahendi formula declinare. Semper enim dicere poſſum: Gratis, ac liberaliter conferam tibi hanc rem ſpiritualem, ſed ea conditione, vt viciſſim mihi ex gratitudine obligatus ſis ad dandam pecuniam. Item, gratis, ac liberaliter tibi mutuabo centum, ſed ea lege, vt præter ſortem, quam vi mutui debes, titulo etiam gratitudinis mihi numeres ſeptem. Hoc autem aliud non eſſet, quàm viam patentiſſimam vſuris, ac Simonijs, diuino iure probibitis, patefacere.

Hinc patet, contrariam ſententiam malè probabilem exiſtimatam à *Diana par.2.tr.2. miſcell.reſ.39.* Non ſolùm enim *Layman*, ſed etiam *Suar. ſupra numer.11.* ait: *Hanc dico eſſe non palliatam, ſed manifeſtam Simoniam, vel vſuram, & contrarium aperire viam, & ianuam latiſſimam vſuris, & Simonijs:* & *num.8.* dixerat: *Eorum ſententia probabilis non eſt.* Et *Gibalinus tr.de Sim.qu.18.conſect.3.num.5.* de præfata opinione hoc profert iudicium: *Hanc tamen ſententiam cæteri paſſim reijciunt, immò & aliqui grauiori nota configunt, & tanquam temerariam damnant, & re ipſa Simoniacam, aut Simoniæ periculo proximam; quamque ſi ſequamur, miram rerum omnium confuſionem inducemus; omnes enim dicent, ſe paciſci de aliquo temporali pro ſpirituali, tanquam de antidoro, & non de pretio, eaque ſimulatione tegent omnes conuentiones Simoniacas magno animarum damno, vagabiturque impunè Simonia, & omnia ſacra contaminabit.* Frigidè autem *Diana* poſtea *p.6.tr.7. reſ.42.* ſe explicat exiſtimaſſe hanc ſententiam ſpeculatiuè probabilem, at putare in praxi non eſſe amplectendam. Valeat talis loquendi modus in moralibus falſus, & valdè pernicioſus.

Digitized by Google

Nec aduerſarijs prodeſt dicere ; quod in dictis pactis exprimitur id ; quod de iure ineſt : Nam (vt ex iam dictis conſtat) & non ineſt de iure id , quod exprimitur ; & dato quod inſit , dum deducitur in pactum, iam inducitur noua obligatio , conſequenter additur aliquid naturali obligationi.

Malè etiam *Caleſtinus* vtitur illo effato , ſi finis eſt licitus , etiam media ad finem ſunt licita . Nam & finis, nempe donum gratuitum , &c. non eſt licitus ; ſi eſt finis primarius , vt infra patebit : & media ſunt quidem licita pro fine licito , quando non variant naturam finis : in præſenti autem per illud pactum variaretur ex gratuito in debitum.

46 Sed hic inquires. An ſit illicita , ac vſuraria ſpes gratitudinis , & oſtenſio animi grati. V.g. ſi collatori dicas : *Non te pœnitebit exhibiti mei beneficij , ſed ero gratus. Do tibi mutuum gratis , ſpero tamen & te mihi fore gratum.*

Reſpondeo negatiuè , ſi ſincerè ea verba proferantur , quia ſunt verba vrbanitatis , quæ ſpem , non obligationem gratitudinis deſignant : & præterea , quia per ea verba non manet obligatus ad dandum aliquod temporale , ſed ſolum ad implendam obligationem antidoralem , quam implere poteſt fundendo preces ad Deum pro reſignatore beneficij, &c. in hoc autem nullum eſt veſtigium Simoniæ. Si verò quis dicat ea verba taliter , quod attentis circumſtantijs ſignificet ſe daturum temporale pro ſpirituali , vt in caſu frequenti inter eos , qui aſpirant ad beneficia Eccleſiaſtica obtinenda , dum quis reſignat beneficium in fauorem alterius , iſte reſignatarius ne incidere videatur in Simoniaci criminis barathrum , non vult deſignare quantitatem pecuniæ tribuendæ reſignatori ; ſed ſolùm illi dicit : *Fiduciam habe in me &c.* Quia quamuis ea prolatio verborum nudè ſumpta non ſignificet aliquod munus temporale tribuendum ; ex circumſtantijs, & communi modo loquendi inter eiuſmodi clericos vſitato , verè ſignificat tribuendam eſſe compenſationem temporalem. Conſtat autem ex ſupradictis, eum , qui promittit , ſe daturum ex gratitudine compenſationem temporalem , facere nouam obligationem , & nouum pactum , vltra obligationem antidoralem : atque adeo committere Simoniam. Ita *Ioannes Cardenas hìc diſſert.27.c.3.ar.4. num.65. & 66. Felix à Panormo to.2. d.4.num.322.* & alij contra *Couar. Laymanum, Nauarrum , Suarez,* & alios. Et non ſolum committitur Simonia mentalis, contra quam non ſunt impoſitæ pœnæ Iure Canonico , ſed etiam vſura conuentionalis pœnis Iuris Canonici obſtricta . Nam ea verba : *Ero tibi gratus &c.* ita inter illos ſunt accepta , vt ſignificent promiſſionem compenſationis temporalis : Ergo non eſt Simonia dumtaxat ex intentione , ſed etiam ex ſignificatione verborum , & ſignis externis : Atqui hæc eſt Simonia conuentionalis : Ergo. Ita *Ioannes Cardenas num.67. Felix à Panormo ſupra* , & alij.

47 Dico quartò. Simonia committitur ab eo, qui in conferendo ſpirituali habet pro principali motiuo, ſeu fine (cum enim eſt principale motiuum, eſt etiam finis) aliquod temporale, ſiue traditum, ſiue tradendum; nam illa prior eſt Simonia realis, hæc poſterior eſt Simonia mentalis: Et contrarium aſſertum eſt cenſura huius Decreti expulſum.

48 Ante tamen probationem, notandum eſt: quod motiuum poteſt eſſe principale, & primarium, vel minus principale, & ſecundarium. Tunc eſt minus principale, quando illud temporale reſpicit, & tendit ad aliud, ex conſequenti verò, & ſecundariò ad ſpirituale. E.g. Quis præſtat obſequium Prælato, vt ſuam beneuolentiam, & amicitiam comparet, vel quodcunque aliud motiuum honeſtum intendens; & ſecundario alicuius Beneficii prouiſionem. Vbi tamen animaduertendum eſt, quòd ly *Primariò*, non ſumitur primitate ordinis, ſed finis, ita vt in eo ſiſtat intentio per ſe: Si enim hoc ordinet ad vlteriorem finem Beneficij, illud erit medium ad hoc, & hoc erit vltimus finis, ac proinde principaliter intentũ: Vnde ly *Secundariò*, idem eſt, ac ex conſequenti, & veluti per accidens: hoc enim modo eſt motiuum minus principale: ſimiliter poteſt è conuerſo tribui ſpirituale pro temporali, non primariò, & principaliter intento, ſed ſecundariò, & ex conſequenti: vt Canonicus ſurgens ad matutinas preces, animo laudandi Deum, & ſatisfaciendi ſuæ obligationi; & ſecundariò, vt diſtributiones conſequatur: ſimiliter Clericus frequentans Eccleſiam, vt Deo præſtet obſequium, & ex conſequenti, vt ad dignitates aſcendat. Et in his, & ſimilibus caſibus non committitur Simonia, vt conſtat ex *c. ſi officia d. 59. ex c. Qui i proderit, ex Gloſ. c. cum eſſet, de Simon. &c. cum ad noſtrum, de elect.* Et ratio eſt, quia rectus ordo ſeruatur; nam temporalia non ordinantur ad ſpiritualia, ita vt exiſtimentur illis commenſurata. Tunc autem eſt motiuũ principale, quando per ſe primò intenditur ſpirituale mediante temporali, ita vt temporale ſe habeat vt medium ad ſpirituale, tanquam ad finem vltimatum, & è contra, ſpirituale ordinetur ad temporale.

49 Ad cognoſcendum autem in foro exteriori (nam in interiori dependet ab intentione operantis) quando nam ſit principale motiuum, vel non; ſit regula, quando nullum aliud motiuum honeſtum adeſt: Hæc eſt doctrina *Angelici Doctoris* 2.2.*q.* 100.*ar.* 5. *ad* 3. vbi loquens de fauore humano intento à conferente ſpirituale, ſic diſtinguit: *Et ideo ſi aliquis principaliter ad hoc intendat, Simoniam committit*. Ecce oppoſitum huius Propoſitionis 46. proſcriptæ. Subdit deinde regulam, quam modo tradidi, ad cognoſcendum, ſi ſit principale motiuum, dicens: *Videtur autem principaliter ad hoc intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit: vnde ipſum factum eſt Simoniacum:* quia videlicet tunc non adeſt alius titulus honeſtus: quod declarat S. Doctor ab oppoſito, ſubdens: *Si autem preces pro indigno porrigantur, ipſum factum non eſt Simoniacum*: audi rationem, & perpende,

de, quod dixi: *Quia ſubeſt debita cauſa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, ſpirituale aliquid conferatur*: quod eſt idem ac dicere, quia adeſt aliud motiuum honeſtum, a quo moueri poſſit, ex quo poteſt cognoſci fauorem humanum non eſſe principale motiuum. Quòd ſi non obſtante iuſto titulo, tamen non ab illo moueatur conferens, ſed à fauore humano principaliter intento, Simoniam committi docet, & hoc quantum ad forum interiorem. *Tamen poteſt eſſe Simonia in intentione, ſi non attendatur ad dignitatem perſonæ, ſed ad fauorem humanum.* En præclaris verbis confutata prædicta Propoſitio. Habes ergo & explicatam noſtram aſſertionem, & eſſe Angelici Doctoris.

Probatur ergo primò ex *cap. paulò* ante *cit.* Ipſam quoque doceri in *c. Tua nos, de Sim.* conſtat, vbi de quodam, qui bona ſua conferebat Eccleſiæ, eo animo, vt admitteretur ad Canonicatum, & permitteretur habere bona ſua pro præbenda, & de Canonicis illum admittentibus, ſcripſit *Innocentius III. Decano Beluacenſi*: *Si tamen is, qui talem donationem fecit, ea intentione ducatur, vt per temporalia bona, ſpiritualia valeat adipiſci: & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non eſſent eum, niſi commoda temporalia perciperent, admiſſuri, ſine dubio tam iſte, quàm illi apud ſtrictum Iudicem culpabiles iudicantur.* Ecce quomodo quando temporale eſt principale motiuũ dandi ſpirituale eſt vſura. Nec dicas, quod Pontifex non dicit, eos eſſe Simoniacos, ſed coram Deo culpabiles: nam eſſe culpabilem in offerendo pecuniam ad obtinendum Canonicatum, non poteſt eſſe culpa in alio genere, quàm Simoniæ: Ergo idem eſt dicere, eſſe culpabilem in hoc, quod offerat pecuniam ad obtinendum Canonicatum, ac dicere eſſe culpabilem vitio Simoniæ.

Probatur ſecundò auctoritate, & doctrina D. Thomæ, qui præter loca ſupra adducta, *quodl. 8. ar. 1.* quærens: An Canonicus Eccleſiam frequentans, ob quotidianas diſtributiones, ſit Simoniacus, reſpondet in corpore ſic: *In prædicto caſu diſtinguendum eſt: Si enim huiuſmodi diſtributiones reſpicit quaſi finem ſui operis, principaliter intentum, Simoniam committit, & ita mortaliter peccat; ſi autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad huiuſmodi autem diſtributiones reſpicit ſecundariò, non quaſi finem, ſed ſicut id, quod eſt neceſſarium ad ſuam ſuſtentationem, conſtat, quòd non vendit actum ſpiritualem, & ita Simoniam non committit, nec peccat.* Nec valet id, quod ait *Raphael De la Torre*, *D. Thomam*, intelligendum, quando Canonicus intendit diſtributiones, tanquam pretium; cum immediate ante citata verba dixerit: *Simoniam committit, qui huiuſmodi actus*, ſcilicet ſpirituales, *vendere intendit; in qualibet enim venditione pretium accipitur quaſi finis*: Non, inquam, valet; nam eo ipſo, quod eſt finis principaliter intentus ipſum temporale, habet rationem pretij virtualis, vel æquiualentis, vt ſupra probatum eſt; & hoc ſufficit ad Simoniam, vt *Raphael* ipſe concedit: vnde *D. Thomas* hoc ipſum probat: & hoc modo proce-

dit eius diſcurſus. Quicumque vēdere intendit actus ſpirituales, committit Simoniam: At, qui habet pro fine principaliter intento temporale, in ipſis actibus ſpiritualibus, vendit res ſpirituales: Ergo Simoniam committit. Hanc minorem probat in illis verbis: *In qualibet enim venditione pretium accipitur quaſi finis.* Quod eſt dicere: Qui habet temporale pro fine, intendit ipſum tanquam pretium, quia pretium eſt finis cuiuſcumque venditionis. Sed qui intendit tanquam pretium ipſum temporale, vendit actus ſpirituales: Ergo &c. Et quia in his verbis mentionem fecit de fine, ſine addito, per quod probaretur, quemcumque habentem pro fine ipſas diſtributiones, vendere actus ſpirituales, ſubdit illam diſtinctionem; de fine principaliter intento, & de fine ſecundario: quæ non eſſet ad rem ſi intelligendus eſſet de pretio formali, & de explicita intentione vendendi res ſpirituales. Et certè *D. Thomas* loquitur de pretio æquiualente, quod habetur, quando temporale eſt finis principaliter intentus: quia propoſita difficultas erat, an habens pro fine diſtributiones ſit Simoniacus, in quo non poterat intelligi de voluntate formali vendendi ſpiritualia: quis enim de hoc dubitare poſſet? Vnde reſpondens affirmatiuè, aſſumpſit ad probandum illam Propoſitionem apud omnes certam: *Quicumque vendere intendit*, &c. Vbi de venditione virtuali intelligendus eſt. Et ſimiliter in eo, quod ſubdit de pretio: alias nihil probaret, & ad aliam ſoluendam difficultatem, quæ non indigebat diſcuſſione, diuerteret.

Probatur tertiò. Ratio, quare res ſpiritualis non ſit vendibilis, & illicitè vendatur, eſt, quia non eſt pretio æſtimabilis: ſed qui eam ordinat ad corporale, vt ad principale motiuum ſeu finem; ipſo facto, licèt non habeat hanc formalem intentionem, ipſam æſtimat, vel parem, vel inferiorem re temporali, quia finis melior eſt ijs, quæ ſunt ad finem; & commutabilem cum re temporali, quod eſt virtualiter pretio illam æſtimare. Similiter qui dat temporale pro ſpirituali, æſtimat, facto ipſo, rem ſpiritualem eſſe acquiſibilem mediante re temporali, quod, licèt non ſit pretium, dum tamen eſt principale motiuum, eſt medium, quo vtitur ad illam adipiſcendam: Ergo pari modo eſt Simonia, ac ſi vt venalis exiſtimetur. Vnde, vt ſupra dixi, *D. Thomas cit. qu. 100. ar. 1.* dicit, quod D. Petrus Simoniacam prauitatem in ſua radice condemnauit, cum dixit Simoni: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſidere.* Ex quo colligitur radicem Simoniæ in hoc conſiſtere, quod, exiſtimetur acquiſibilis medio temporali res ſpiritualis.

50 Ex hactenus dictis habes primò: quòd Simonia eſt aliquid dare, vel recipere pro informando Prælato de qualitatibus prætendentis beneficium. *Felix à Panormo cit. d. 4. num. 312.*

51 Secundò: Non eſt Simonia dare Prælato munera ſocietati hominum ſolita ad captandam eius erga te beneuolentiam, & voluntatem in ge-

genere, licet poſtea Prælatus benè affectus, non ex muneribus, ſed ex tuis meritis beneficium tibi conferret: Eſt Simonia, ſi ea des ad alliciendam eius voluntatem in ſpecie ad beneficium, quia tunc circumſtantijs attentis, adeſſet tacitum pactū, Do vt des. Ita accipiendus eſt *Corella, hic n. 177. & Ioannes Cardenas c. 5. ar. 3. Reiffenſtuel cit. q. 4. n. 41.* & clarius *Felix à Panormo n. 313.* qui *n. 314.* hæc infert: *Si igitur ſuades Prælato munera, vt illum ſic moueas ad conferendum tibi beneficium, & Prælatus ex circumſtantijs tuum animum cognoſcens, ex muneribus motus beneficium tibi conferat; tunc habetur Simonia mentalis ex parte vtriuſque, & pactum implicitum. Quòd ſi Prælatus tuum animum non aduertat, & iam benè affectus beneficium tibi conferat, non ex muneribus, ſed ex tuis meritis motus, tu ſolus Simoniacus mentalis eris.*

52 Tertiò. Clericus, ſi ſuum famulatum præſtet Prælato, intendens inde tanquam finem principalem beneficium, eſt Simoniacus per munus ab obſequio: Si verò habeat pro fine principali decorem, & gratiam Prælati, pro minus verò principali beneficium, tunc eſt diſtinguendum: vel enim famulatur, vt alliciat, & moueat Prælatum ad dandum beneficium, & ſic eſt Simoniacus, licet beneficium tanquam finem minus principalem exprimat intendere: Vel famulatur, non vt ſic alliciat, & moueat, ſed ſolum cum aliqua ſpe obtinendi beneficium à Prælato benè affecto gratis, & liberaliter conferendum, non erit Simoniacus, quia famulatus non fit, vt alliciat, adeoque non habet rationem pretii. Ita *Ioannes Cardenas nu. 105. & ſeqq. Felix à Panormo. nu. 315.*

53 Quartò. Quando res temporalis ſpirituali annexa habet pro fine intrinſeco aliam rem temporalem, poteſt licitè dari, & accipi propter illam tanquam finem minus principalem. Explicatur. Finis eſt duplex, intrinſecus, ad quem res ex natura ſua ordinatur, & extrinſecus, ad quem res non ex natura ſua, ſed ex libera hominis intentione ordinatur: E.g. beneficium prout eſt quid ſpirituale, habet pro fine intrinſeco ſolum cultū, & honorem Dei, prout verò continet ſubſidiū tēporale, habet pro fine intrinſeco tam cultū Dei, quàm ſuſtentationem temporalem vitæ ipſius miniſtri, illum tanquam magis, iſtum tanquam minus principalem; huiuſmodi etiam ſunt Præbendæ, Cappellaniæ, & ſimilia ad ſuſtentationem vitæ miniſtrorum inſtituta. Hoc præiacto reſoluitur, Quòd poteſt Prælatus abſque Simoniæ labe beneficium Clerico pauperi conferre propter ſuſtentationem eius vitæ, tanquam finem ipſi beneficio intrinſecum, & ſic Clericus recipere, dummodò talem finem minùs principaliter intendat: quia ſic Prælatus dat gratis, & liberaliter, eius, cui confert, vtilitatem intendit, & nullum inde pretium reportat. Vnde quando dicitur Simonia dare ſpirituale pro temporali, aut è conuerſo, intelligi debet de motiuo extrinſeco, minimè de intrinſeco ipſi beneficio. Ita *Ioannes Cardenas c. 5. ar. 1. à n. 87. Felix à Panormo n. 317. & ſeqq.*

54 Quintò. Simonia non eſt, promittere, donare, aut legare alicui rem

rem temporalem, ac pretio æſtimabilem ſub conditione, aut modo, vt ab altero opus bonum ſpirituale præſtetur, non per modum retributionis, ſeu commutationis. Ita *Gloſſa in c. debet* 23. *qu.* 4. *Adrianus quodlib.* 9. *ar.* 3. *reſp. ad* 3. *princip. Nau. c. inter verba* 11. *q.* 3. *concl.* 5. *num.* 17. *Sanchez l.* 1. *de m. tr. d.* 39. *con. l.* 3. *Malderus* 2. 2. *tr.* 9. *c.* 3. *dub.* 7. *Mol. tom.* 1. *tr.* 2. *d.* 93. *Suar. l.* 4. *de Sim. c.* 16. *num.* 12. *Anton. à Spir. Sancto num.* 274. *Ioannes Cardenas c.* 5. *ar.* 2. *à nu.* 99. *Felix à Panormo num.* 325. *& ſeq.* Ratio eſt, quia non committitur Simonia, vbi non eſt contractus oneroſus, & reciprocus, ſed liberalis datio, ſiue donatio. Si autem promiſſioni, aut dationi adiiciatur conditio, vel modus, qui promiſſario, vel donatario viciſſim non afferat obligationem ſimpliciter, ſed ſolum, ſi rem promiſſam accipere, vel rem donatam retinere velit, quòd aliquid ab ipſo fieri debeat, non tamen in gratiam, & vtilitatem dantis; tunc non tranſit in contractum reciprocum, ſed manet liberalis pactio, vel donatio ſub tali conditione, & modo: Ergo non eſt Simonia: imò neque illicita datio, aut pactio; ſi vnus ſincerè det, vel promittat, vt alterum ad bonum ſpirituale inducat, vel ab impedimento abducat; alter verò opus ſpirituale perficiat, non propter rem temporalem tamquam finem, & cauſam principalem, licèt vt ſecundariam, & impulſiuam. Maior huius diſcurſus eſt certa. Minor declaratur. Sicuti enim aliæ conditiones gratuitis promiſſionibus, aut donationibus adijci poſſunt, V. g. *Si nauis ex Aſia venerit: Si Pater tuus mortuus eſt*; ita etiam ſi tale quippiam a promiſſario, vel donatario factum fuerit. Neque enim poteſt aſſignari diuerſitatis ratio, modo hæc duo abſint. Primum eſt, vt obligatio promiſſario viciſſim non imponatur ſimpliciter: ſic enim efficeretur contractus oneroſus: *Do tibi, vt in te ſuſcipias obligationem faciendi iſtud.* Quare ſi talis pactio ſit de opere ſpirituali pro data re temporali, meritò cenſetur Simoniaca. V. g. *Do tibi centum ea lege, ac obligatione, vt religionē ingrediaris*: quæ eſt reſponſio *Bonifacij in c. quam pio* 1. *q.* 2. eademque videtur eſſe opinio *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 100. *ar.* 2. *ad* 3. *& qu.* 187. *ar.* 9. *in corp. Suarez c.* 17. *num.* 14. *Molina cit. d.* 93. *Malder. d. dub.* 7. *§. ſed difficultas eſt. Anton. à Spir. Sancto num.* 275. Alterum eſt, vt conditio non ſit de dando, vel faciendo aliquo in vtilitatem dantis, aut promittentis, ſed neque alterius perſonæ, cuius ille quaſi vicem ſubeat. Nam ſic conditio quaſi tranſiret in commutationem ſaltem innominatam, & quidem Simoniacam, ſi verſetur circa opus ſpirituale pro temporali: V. g. *Do tibi decem aureos, ſi mihi, vel amico meo dederis ſacras reliquias.* At verò his duobus ſepoſitis, ſicuti licitum eſt, ſecundum doctrinam S. *Thomæ*, & aliorum, ſimpliciter alicui promittere, vel donare rem temporalem, vt illum ad opus bonum ſpirituale inducam, ita etiam licitum eſſe videtur, promittere, aut dare ſub conditione, vel modo, vt tunc rem accipere, aut retinere promiſſarius, vel donatarius poſſit, ſi opus bonum ſpirituale ab ipſo perfectum fuerit. Qua ratione miniſtrari adoleſcentibus ſumptus ſtudiorum poſſunt,

ſub

ſub conditione, vt ſtatum Eccleſiaſticum amplectantur, alioquin verò ſumptus reſtituere debeant.

55. Sextò. Licèt Epiſcopo conferre beneficium pingue Clerico ſub eo onere, quòd renunciet aliud tenue, vel minus pingue, etiam compatibile, quod habet, vt hoc conferatur alteri. Ita *Maſcoſus in Summ.tr.5.de Sim. c.10.* & cum alius *Ioannes Cardenas* fusè *c.6.per totum*. Patet tum ex *c. Quaſi um, de rerum permutat.* vbi conceditur Epiſcopo, vt poſſit transferre beneficium de vna Eccleſia ad aliam: ſed conferre beneficium pingue, quod habebat, eſt transferre illum de vna Eccleſia ad aliam: Ergo &c. Tum quia non eſt Simoniacus Epiſcopus, ſi dicat: *Confero tibi beneficium ſub conditione, quod agas id, quod eſt conformius Iuri Canonico, & bono regimini Eccleſiæ*, vt ex ſola terminorum apprehenſione notum eſt: Sed collato tali beneficio quantumuis compatibili, eſt conformius iuri, & bono regimini Eccleſiæ, quòd renunciet primum; atque adeò ſub præfata conditione includitur hæc renunciatio: Ergo non eſt Simoniacus Epiſcopus, qui confert tale beneficium ſub conditione præfatæ renunciationis. Hoc intellige, quando Epiſcopus hoc faciat pro vtilitate, & bono regimine Eccleſiæ; ſi enim dat ſub conditione renunciandi propter aliquod commodum ſuum temporale, erit Simoniacus: Nam ius in præfato *c. Quaſitum*, dat eam auctoritatem Epiſcopo propter neceſſitatem Eccleſiæ: *Si autem Epiſcopus cauſam inſpexerit neceſſariam*: quo nomine neceſſitatis, venit etiam magna Eccleſiæ vtilitas, vt explicat *Suar.c.32.*

56 Septimò: Licèt eum, qui dat pecuniam alicui tertio, vt intercedat apud alterum, vt hic immediatè intercedat apud collatorem beneficii, non eſſe Simoniacum, teneant plures apud *Dianam p.10. tr.15.reſ.5.* quia non datur pecunia pro interceſſione immediata, ſed pro mediata, quæ eſt pretio æſtimabilis, & remota à collatore beneficii: nihilominus omnino dicendum eſt, eſſe Simoniacum, quia licèt interceſſio, pro qua datur pecunia ſit mediata, eſt tamen principaliter ordinata ad collationem beneficii. Ita *Felix à Panormo num.324. Petrus Marchantius*, & alii: A fortiori non eſt audiendus *De Marinis tom.2 reſ.quot.c.206.* docens, quòd Simoniacus non ſit ille, qui familiari Pontificis pecuniam dederit, ad hoc, vt operam ſuam præſtet, ſiue intercedat, vt Pontifex beneficium aliquod ei conferat; contra enim ipſum eſt *Extr.2.de Sim.* vt intelligunt omnes Canoniſtæ, quibus, & non ipſi ſtandum eſt hac in re. Verùm *Suarez l.4.c.53.n.17. ex Nauarro* adnotauit, non eſſe Simoniam, ſi aliquid detur pro labore ſuſcepto eundo, & redeundo ad beneficii collatorem; vel in recompenſationem alicuius damni, quod ea de cauſa patitur, aut alterius lucri, quod amittit. Sed cauendum eſt, ne ſub hoc colore aliquid accipiatur vltra æſtimationem talis laboris, vel damni, ſecundum ſe ſpectati, aliàs Simonia non euitabitur. Ita *Suarez*: quidquid dixerit cum *Rodriquez Diana p.2.tr.2.miſcell.reſ.39.*

57 Con-

57 Concludamus igitur, pro re ſpirituali nunquam poſſe rem temporalem dari in pretium formale, aut virtuale, bene verò primò, per modum ſubſidii in ſuſtentationem miniſtri in gratiam alterius occupati. Ita *D. Thomas* ab omnibus receptus *2.2.q.100.ar.2.in corpore, & quodl.6.ar.10.* Secundò per modum eleemoſynæ. Tertiò per modum oblationis, quæ Deo fit in perſona miniſtri. Quartò per modum liberalis gratitudinis. Ita *Felix à Panormo n.327.* & alii communiter.

58 Nec omittendum eſt, cenſuram, quam contra iſtas Propoſitiones profert *Facultas Louanienſis 4. Maij anno 1657. Variæ iſtæ formalitates, vt plurimum pallia ſunt latentis Simoniæ: & quamuis fieri ſubinde poſſit, vt nullo propriè dicta Simoniæ labes ſubſit, tamen ſubſunt ſordes Simoniæ affines*: non eſſe ſufficientem, nec exactam; vt benè animaduertit *Riccius hîc in princip.* Non eſſe ſufficientem, conſtat; quia dum Propoſitiones illæ damnantur in ſuis terminis, conſequenter definitur, contradictorium earum eſſe verum: Sed illæ dicunt non eſſe Simoniacum dare temporale tanquam motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale. Ergo definitur, quod illud ſit Simoniacum. Sed cenſura dicit, poſſe fieri, vt nulla in eo ſit propriè dicta Simoniæ labes. Ergo non ſufficienter oſtendit falſitatem Propoſitionum, nec ſatisfacit Decreto Pontificis. Similiter liquet non eſſe exactam; quia non explicat, quomodo ſubinde fieri poſſit, vt nulla in eo adſit propriè dicta Simoniæ labes, neque ſordes Simoniæ affines, aut qua ratione ſubſint.

PROPOSITIO XLVII.

Cum dixit Concilium Tridentinum, Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, *ad Eccleſias promouent: Concilium, vel primò videtur per hoc,* digniores, *non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparatiuo pro poſitiuo; vel ſecundò locutione minùs propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concurſus.*

1 HÆc Propoſitio, vt iacet, reperitur apud *Tamburinum l.8. in Decal.tr.3.c.4.de diſtribut.beneficior.num.7.* Et licèt *nu.7.* dicat: *Reſpondeo ſecundò ad inſtantiam num.8.factam, me ingenuè fateri, propter hunc*

Tri-

Tridentini textum eſſe multò probabilius, Epiſcopatum, & ſimilia Curata Beneficia, de quibus ſolum loquitur Tridentinum, debere dignioribus conferri, *nec in praxi aliter eſſe conſulendum*: nihilominus exiſtimat probabilem ſententiam contrariam, contra quam argumenta facta ſoluere conatur, quam docuerant *Gloſſ. in c. licet ergo, 8. qu. 1. & in c. Monaſterium, 16. qu. 7. & in c. 2. de offic. cuſto l. Rochus. de Curte de iure Patronatus V. Honorificum qu. 15. ad finem, Poncius in curſu Theol. d. 59. q. 1. concl. 4 n. 4.* qui tamen admittit eſſe veniale, & eſſe probabilem, aiunt *Filliuc. to. 3. tr. 41. c. 4. n. 181.* & *Acacius de Velaſco to. 1. V. Beneficios reſ. 111. n. 7.*

Alenſis verò *2. p. q. 136. §. 2.* dicit: *Cum eſt electio facienda ad Epiſcopalem dignitatem, requiritur, quòd ſecundum conſcientiam eligatur vtilior. In minori verò beneficio ſufficit, quòd bonus.*

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Quid eſt beneficium ſimplex, ſeu minus, quid maius? Et quid maius curatum, & non curatum? An, & cur Cardinalatus inter beneficia curata numeretur?*

3 *Dignus ad Officium, vel beneficium dicitur, qui habet qualitates requiſitas, ſine quibus officium, vel beneficium rite adminiſtrare nō poteſt: Indignus, qui omnibus, vel aliqua ipſarum caret. Iſtæ ſunt torus legitimus, ſtatus Clericalis, niſi diſpenſatio Pontificia præcedat, prima tonſura pro beneficijs ſimplicibus, ſeu minoribus: ordo Sacer ad Canonicatus, & Portiones in Cathedralibus: Diaconatus ad Archidiaconatū: Sacerdotalis ad beneficium Parochiale, vel receptus, vel ſaltem intra annum recipiendus: ætas legitima, quæ pro minoribus beneficijs eſt quatuordecim annorum, pro dignitatibus, vel Perſonatibus viginti duorum annorum ſaltem inchoatorum, pro Parochiali vigintiquinque ſaltem inchoatorum: Cælibatus, vnde matrimonium facit perdere beneficium: abſentia cenſuræ, atque irregularitatis; probitas morū; ſcientia debita; & habilitas corporis.*

4 *Incompatibilitas ideo numeratur; quia per ſecundum ceſſat primum beneficium, quod ſi beneficiarius velit retinere, amittit vtrumque.*

5 *Quis dicatur dignior ad beneficium?*

6 *Ex quibus qualitatibus dicatur quis dignior?*

7 *An pœnitens poſtponendus ſit innocenti?*

8 *An peccans ex fragilitate cæteris paribus ſit dignior peccante ex prauo habitu acquiſito, prauaque corruptione naturæ?*

9 *Regimen Eccleſiæ in quibus actibus præcipue conſiſtat? An præferendus, qui in regimine ſpirituali præeminet?*

10 *An dignior, qui non in ſanctitate, & doctrina, ſed prudentia, dexteritate, & induſtria excellit? An minus impeditus, qui ſedulò inuigilabit dicatur dignior.*

gnior ſanctiori,doctiori,& prudentiori?

11 *Prædicator parum reformatus eſt dignior maximè reformato,ſed iracundo,rixoſo,vel pertinaci in ſuis propoſitis, vel valdè ambitioſo,vel deſcendenti ex Iudæis,&c.Iracundus verò,ac rixoſus eſt cæteris indignior.*

12 *An cæteris paribus ad Epiſcopatum, & Parochiam dignior ſit excellens Theologus,quàm excellens Canoniſta?*

13 *An adeptus lauream doctoratus, non Doctore? Et Doctor in iure Canonico, Doctore in iure Cæſareo? Et Baccalaureus non tali?*

14 *An certitudo moralis dignitatis alicuius perſonæ præponderet probabili dignitati alterius?*

15 *An cæteris paribus Sacerdos præferendus non Sacerdoti? Et qui prius gradum adeptus eſt?*

16 *An qui nulla indiget diſpenſatione? An beneficium nullum habens habenti?*

17 *An ſenior iuniori? Diœceſanus non Diœceſano.*

18 *An originarius extraneo;callens idiomate non callente;de gremio,alteri extra gremium.*

19 *An,& quando conſanguinitas conferentis præferri poſſit?*

20 *An ille, de cuius bonis fundata eſt Eccleſia? Et qui ſunt de familia fundatoris?*

21 *Quando præferatur nobilitas, diuitiæ,potentia?*

22 *An electio indigni non ſolum ſit grauiter illicita,ſed etiam irrita. Et quando abeſt culpa in electione indigni?*

§. II.

23 *An in Epiſcopatibus,& Cardinalatibus præferendus ſit dignior? Et pars negatiua,qua cenſura notetur?*

24 *An obligatio eligendi digniores deſcendat ex iure etiam naturæ?*

25 *An procedat in omnibus beneficijs, in quibus adeſt iuriſdictio quaſi Epiſcopalis?*

26 *An etiam quoad Eccleſias Parochiales? Et negatiua ſententia ſubiaceat huic damnationi,etiam vbi deeſt concurſus?*

27 *Oſtenditur inanitas Gloſſarũ, quæ à Tamburino verbis Tridentini affinguntur.*

28 *Occurritur obiectionibus, & demonſtratur apud Tridentinum in hac materia idem eſſe dignum,& digniorem.*

29 *An Patronus Eccleſiaſticus teneatur præſentare,nominare &c. digniorem ad beneficium habens annexam curam animarum?*

30 *An etiam Patronus laicus,etiam ſi ſit fundator ipſe, aut adſit conditio de nominando, & præſentando quocumque idoneo?*

31 *An etiam Summi Pontifices,& Reges in prouiſione libera? Ad quid teneantur Proreges in nomina, vt vulgò dicitur, quam mittunt ad Regem, pro Epiſcopatibus?*

32 *An opinio docens Patronum laicum non teneri præſentare digniorem tam*

in

Digitized by Google

in præſentatione ad munus Parochiale, quàm ad munus Epiſcopale, aut Cardinalitium ſubiaceat huic damnationi?

33 *Quid ſi aliquis ſit æquè dignus, an ſit ſolus ſoli gratificationi, & non recepti oni alicuius temporalis? Quid ſi alius probabiliter ſit dignior?*

34 *An in hac materia poſſit peccari venialiter ratione paruitatis materiæ, & ex quotuplici capite?*

35 *An in beneficijs patrimonialibus poſſit fieri electio, præſentatio, &c. minus digni?*

36 *An poſſit eligi minùs dignus, quando dignior ex induſtria reſeruatur ad aliud maius beneficium?*

37 *An poſſit eligi dignior ad beneficium minùs pingue, quando hoc exigit maiorem induſtriam, & curam, quam alius non poteſt præſtare?*

38 *An ad euitandam electionem indigni, poſſim negare ſuffragium digniori, cui nihil proderit, & eligere dignum?*

39 *An poſſim non ſuffragari digniſſimo, cui ſuffragium non proderit, & eligere minùs dignum, vt impediam electionem digni infimi? An etiam tenear?*

§. III.

40 *An in beneficijs ſimplicibus, ſeu ijs, quæ curam animarum non habent procedat etiam onus conferendi, dignioribus? Quid in Canonicatibus, Archidiaconatibus, Pœnitentiarijs, &c. Quid in iſtis poſſit Patronus laicus?*

41 *An qui beneficium in alterius gratiam renunciat, debeat etiam quærere digniorem?*

42 *An indignus, vel minus dignus peccet petendo beneficium, & teneatur reſtituere?*

43 *An promouere inſufficientem ad magiſterium, vel doctoratum in medicina, iure Canonico, vel Theologia, vel in Baccalaureatu ſit mortale, & quid de promoto?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò: Beneficium Eccleſiaſticum diuidi in Duplex, ſeu maius, & Simplex, ſeu minus. Beneficium duplex eſt, quod habet adiunctam aliquam qualitatem iuris, nempe aliquam iuriſdictionem, dignitatem, curam animarum. Simplex eſt, quod nullam talem qualitatem habet. Beneficium duplex, ſeu maius ſubdiuiditur in Curatum, & non Curatum. Non Curatum eſt illud, quod nullam habet iuriſdictionem annexam, ſed ſolùm aliquam dignitatem, & localem præeminentiã, vt Perſonatus, Cantoria, Scholaſtria, &c. & illud, quod præter dignitatem habet aliquam iuriſdictionem externam, & pro foro externo, vt in aliqui-

bus locis Archidiaconatus,Decanatus,&c. Curatum eſt illud, quod habet curam fori pœnitentialis per ſe, vel per temporalem Vicarium exercendam, ſeu latius,quod habet curam animarum. Curata alia habent immediatè curam animarum,alia mediatè. Et licet aliqui enumerent Cardinalatū inter beneficia ſimplicia,vel non curata; attamen ſaltem mediate incumbit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus cura animarum, cùm ſint immediatiſſimi Conſiliarij Pontificis Romani in ordine ad negotia maiora, & ſpecialiùs pertinentia ad ſalutem animarum, & bonum regimen totius Eccleſiæ Catholicæ. Et ideo *Concilium Tridentinum ſeſſ.24.de Refor.c.1.* poſtquam loquens de Paſtoribus Ecclèſiarum dixit, *Meminerint, nihil ſe ad Dei gloriam, & populorum ſalutem vtilius poſſe facere, quàm ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoueri ſtudeant; eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi &c.* decernit: *Ea verò omnia, & ſingula, quæ de Epiſcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & cæteris qualitatibus aliis in eadem Synodo conſtituta ſunt, decernit, eadem etiam in creatione Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, etiam ſi Diaconi ſint, exigenda.* Eodem modo licet Canonicatus Eccleſiarum Cathedralium computentur inter Beneficia curam Animarum non habentia; in aliquibus tamen Eccleſiis mediate habent curam Animarum, vt contingit in Eccleſia Hiſpalenſi. Nam Capitulum Eccleſiæ Cathedralis gubernat Parochiam Matricis, & tota cura animarum de facto incumbit præfato Capitulo: aſſignat enim Curatos octo: hæc enim Parochia eſt latiſſima; præterea ſingulis annis deſignat vnum Canonicum, vel Portionarium, qui præſideat Curatis, & res Parochiæ immediatè gubernet.

3 Notandum eſt ſecundò: Quòd ille dicitur eſſe dignus ad aliquod officium, & beneficium Eccleſiaſticum, qui habet omnes conditiones, & qualitates ex natura rei, & à iure tanquam diſpoſitiones, & habilitates requiſitas ad beneficium, vel officium rectè adminiſtrandum, ita vt ſine ijs, rectè, & pro dignitate illud exercere non poſſit. Ita *Paſſerinus de elect. Canon. c.29. num.3. Neuſſer in ſua Polyanthæa d.126.qu.7.nu.17.reſponſione 1.* & alii in re communiter. Hinc indignus eſt ille, qui caret illis conditionibus, & qualitatibus, putà ſcientia, & honeſtate morum, legitimis natalibus, &c. adeoque habet quandam impotentiam phyſicam, vel moralem ad munia Eccleſiaſtica, vel dignitatem ſimpliciter obeunda. Ita *Neuſſer illato 1.* Porrò ad obtinendum beneficium Eccleſiaſticum qualitates requiſitæ sūt: Primò *bonus legitimus*; hoc eſt, quòd quis ex legitimo matrimonio procreatus fuerit. Illegitimus enim cuiuslibet beneficii incapax eſt, niſi cum eo diſpenſetur: *c. cum in cunctis, iuncta Gloſſ verb. matrimonio de elect.* Secundò *ſtatus Clericalis*, videlicet, vt quis ſaltem prima tonſura initiatus ſit. Nam alias quilibet, & ad quodlibet beneficiū inhabilis exiſtit; adeò quidem, vt nō ſufficiat, poſt illud iam acquiſitum tonſurari, argum. *c. ex litteris 6. de Trāſact.* & notat *Gloſſa fin. & Abbas ibidem num.3.* id limitans, niſi Papa diſpen-

ſauerit cum Laico,vt poſſit eligi,ac poſtea,primùm tonſurari: prout non-numquam contingere circa magnorum Principum filios, maximè in Germania, refert *Sanig.tit.de Electione c.2.nu.2.* Aut niſi eiuſmodi electio fiat ex ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti; prout S. Nicolaus,& S. Ambroſius,ex Laicis fuerunt electi in Epiſcopos,vt refertur *Can.Statutum §. E contra,diſt. 61.* Tertiò *Ordo Sacer.* Licèt enim ad beneficium ſimplex per ſe, & quantum eſt de iure communi,ſufficiat prima Tonſura, dummodò illud ex ſua inſtitutione non requirat certum ordinem: nihilominus ad Canonicatus, & Portiones Cathedrales, ex diſpoſitione *Concilij Tridentini ſeſſ.24.c.12.de Reform.* requiritur ordo Sacer. Item ad Archidiaconatum requiritur ordo Diaconatus: ad Decanatum verò,atque ad alia beneficia, quæ curam animarum habent annexam,ſicut & ad regimen Eccleſiæ Parochialis, requiritur ordo Presbyteratus,vel iam receptus, vel ſaltem intra tempus à iure præfixum,(hoc eſt,intra annum,)recipiendus, vt *c.cùm in cunctis 7. §.Inferiora,de elect.& c.Licèt Canon.14 de elect.in 6.* vbi promotus ad Eccleſiam Parochialem iubetur intra annum, à tempore commiſſi ſibi regiminis numerandum,ad Sacerdotium promoueri; ſin minùs, elapſo anno Eccleſia ſibi commiſſa,eſt ipſo iure priuatus. Quartò,*ætas legitima*, niſi cum aliquo diſpenſetur:*c.cùm in cunctis,de elect.* Pro quocumque beneficio ad minimũ requiritur ætas quatuordecim annorum inchoatorum;prout nouiſſimè ſtatuit *Conc.Trid.ſeſſ.23.c.6.de Refor.* ibi: *Nullus ante decimumquartum annum Beneficium poſſit obtinere.* Deinde ad Dignitates, vel Perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, requiruntur viginti duo anni ſaltem inchoati, iuxta *Conc.Trid.ſeſſ.24.c.12. de Ref.* Verùm ad beneficium Parochiale requiruntur anni viginti quinque ad minùs inchoati, *cit.c.Licèt Canon.de elect.in 6.* Tandem ad Epiſcopatum requiritur ætas triginta annorum: *cit. c.cùm in cunctis de elect.* Quintò *Cælibatus*: hoc eſt, vt quis non ſit matrimonio ligatus. Siquidem quælibet collatio beneficii facta ei,qui matrimonio iunctus eſt, inualida exiſtit: niſi forſan quis conſentiente coniuge caſtitatem vouerit perpetuam,nec bigamus exiſtat:*c.ſanè 2.de Cleric. coniug.* Quinimò,ſi Clericus in minoribus ordinibus conſtitutus habeat beneficium, & poſtea contrahat matrimonium,illud ipſo iure perdit, *arg.c.1.& c.quod à te,eadem tit.* & cum communi Doctorum tradit *Sanchez l.7. de matrim. d.42.nu.4.* Sextò *Abſentia cenſuræ,atque Irregularitatis*, hoc eſt, vt quis non ſit detentus vllo Iuris impedimento,vtputà,irregularitate(ſiue hæc ex delicto,ſiue ex defectu oriatur) vel excommunicatione, aut alia cenſura Eccleſiaſtica. Collatio ſiquidem beneficij, ſicuti & electio ad illud, nulla eſt, ipſoque iure irrita, ſi fiat excommunicato excommunicatione maiori, vel ſuſpenſo,aut interdicto,pro vt patet ex *c.Poſtulaſtis.de Cleric.excommun.& c.cùm dilectus,de conſuetud.& c.1.de Poſtulat.Prælat.* cum concordantiis. De Irregularibus idem patet ex *Can. Non confidat diſt.50. & Can. Præcipimus, diſt.34.*& alibi, vbi irregulares etiam à ſuſceptione ordinum repelluntur.

Addi-

Additur tamen *Excommunicato excommunicatione maiori*. Quia, ſi beneficium conferatur excommunicato excommunicatione minori, vel hic ad illud eligatur collationem, aut electionem non eſſe ipſo iure irritam, ſed irritandam per ſententiam Iudicis, deſumitur, ex *c. ſi celebrat, 10. de Cler. excom. miniſtr.* vbi de excommunicato excommunicatione minori dicitur: *Si tamē ſcienter talis electus fuerit, eius electio eſt irritanda*: & conſequenter non ipſo iure irrita; cum hoc nuſquam alibi ſit expreſſum, ſimulque hæc materia, veluti odioſa, & pœnalis, ſit reſtringenda: *Barb. in cit. c. ſi celebrat nu. 3. Suarez d. 24. de cenſ. ſect. 2. nu. 2. Pirhing. de Cleric. excommun. miniſtr. nu. 47.* Septimò *Probitas morum*: & octauò *Scientia debita*: & nonò *Habilitas corporis*, hoc eſt, vt quis bonis moribus, & ſcientia commendabilis exiſtat, *c. cùm in cunctis de elect.* & alibi ſimulque ea corporis aptitudine prædítus ſit, vt decenter officium ſuum præſtare valeat. *Anacletus Reiffenſtuel in Theol. moral. tr. 11. diſt. 1. q. 1. num. 60.* Et illiteratus, qui neſcit neceſſaria ad valide, & ritè obeūda munera Eccleſiaſtica, eſt ſimpliciter, & abſolutè indignus ad illa munera; ſiue ſciat legere, & perfectè ſcibere, ſiue calleat perfectiſſimè linguam Latinam, ſiue non. *Paſſarin. cap. 29. num. 7. Neuſſer ſupra n. 21. reſponſ. 5. illo vnico.*

4 His quidam addunt *Carentiam alterius Beneficij incompatibilis*. Cæterùm hoc non ita intelligendum eſt, quaſi collatio ſecundi beneficii incompatibilis ſit nulla: quinimò ea eſt valida, ſed adepta illius pacifica poſſeſſione vacat primum; prout declaraſſe Sacram Congregationem Cardin. *Concil. Trid.* Interpretum, refert *Fagnanus in c. ſuper inordinata, nu. 9. de Præbend.* Quòd ſi Beneficiarius vtrumque retinere perrexerit, etiam ſecundo priuatus exiſtit: *c. de multa, iuncto Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 4. de Refor.* & tradit *Fagnan. cit. c. de multa, nu. 6. & 8.* dicens, hanc pœnam ipſo iure incurri.

5 Notandum eſt tertiò: Quòd *Dignior* ille eſt, qui comparatione aliorum maiorem ſufficientiam, aptitudinemque ad adminiſtrandum habere dignoſcitur. *Reiffenſtuel in lib. 1. Decretal. tit. 6. §. 10. num. 235.* Vt autem diſcernatur quis ſit dignior reputandus animaduertendæ ſunt aliquæ regulæ generales.

6 Prima regula, & baſis ſit, quòd cùm dignior quoad regimen Eccleſiæ non debeat eſſe ad ſe ipſum, vt ſcilicet ſanctitate polleat; ſed in ordine ad alterum, vt ſcilicet habilis ſit ad alios regendos ſcilicet diligentior, prudentior, aptior ad docēdum, & corrigendum, hinc fit, quod dignior nō eſt, qui eſt ſimpliciter ſanctior, vel doctior; ſed qui in extrinſeco Eccleſiæ regimine eſt vtilior ad docendum, defendendum, pacificè gubernandum, reditus Eccleſiæ continuandos, & augendos, ad eius iura contra Principes, & alios tuenda, ad ſubueniendum pupillis, &c. Ita *Caiet. V. electio Neuſſer* velut certum *d. 126. q. 8. n. 22. reſponſ vnilla o 4. Reiffenſtuel. ſupra num. 236.* & alii communiter cum *D. Thom. 2. 2. q. 185. ar. 3.* inter alia dicente: *Et ideo ille, qui debet aliquem eligere in Epiſcopum, vel de eo prouidere, non tenetur aſſumere*

mere

mere meliorem ſimpliciter, quod eſt ſecundum charitatem: ſed meliorem quoad regimen Eccleſiæ, qui ſcilicet poſſit Eccleſiam & inſtruere, & defendere, & pacificè gubernare. Id ipſum ſatis indicat *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de Ref.* dum monet, *digniores, & Eccleſiæ magis vtiles eſſe præferendos.*

7 Hinc ſoluitur quæſtio: An pœnitens poſtponendus ſit innocenti? Cui reſpondetur, cæteris paribus, præponendum eſſe innocentem: nam maxima dignitas eſt innocentiam immaculatam cuſtodiſſe, paucis conceſſa: qui ſupponi poteſt à paſſionum affectu ſolutus, in ſuis affectibus temperatus, & prudens, cum ſciuerit mundi, carnis, hoſtiſque vitia, & tentationes effugere. Ita habetur *Can. Nos Conſuetudinem, diſt. 12.* ibidem *Turrecrem. & Ambar. Lanar. c. 21. Neuſſer ſupra illato 19. Peyrinus tom. 3. c. 10. num. 13.* & alii, quos relatos ſequitur *Paſſerin. c. 30. q. 1. n. 8.* Si autem pœnitens ſit aptior ad regimen, quia ſit oculatior, & magis expertus, vt diſcolorum aſtutias cognoſcat, & infirmitatibus ſubditorum magis compatiens, poteſt innocenti præponi, vt habetur *Can. conſiderandum, & Can. Fidelior. vbi Gloſ. verb. gratiam, diſt. 50. Panorm.* & alii, quos affert *Paſſerin. vbi ſupra.* Tamen pœnitentia debet eſſe talis, vt deterſerit coram hominibus infamiam ex prauis præteritis actibus ortam, quia non debet eligi, qui cauſam ſcandali in populo eſt præbiturus. *C. Omnipotens, 4. de accuſat. Panorm. in c. 1. nu. 6. de Sim. Octobonus dec.* 202. & alii.

8 Pariter Peccans ex fragilitate, infirmitate, &c. cæteris paribus eſt dignior illo, qui peccat ex habitu primo acquiſito, praua diſpoſitione, corruptione naturæ. Ita cum quatuor *Anton. à Spiritu Sancto conſulto 97. num.* 200. *Neuſſer ſupra illato 5.*

9 Secunda regula: Regimen Eccleſiæ in tribus actibus præcipuè conſiſtit, vt aduertit *Caiet. 2. 2. q. 185. ar. 3.* nempe Docere, Defendere, & Pacificè Gubernare. Docere quippe verbo, & exemplo: Defendere à lupis, ſiue ſint hæretici, ſiue alij ad quodcumque malum inducentes; ſicque dirigere, iuſta decernendo, vt inter ſe fideles pacificè viuant. Ex quo patet regimen Eccleſiæ principaliter eſſe ſpirituale, & ad ſanctificandas animas, & in ſanctitate conſeruandas ordinatum: ſed nihilominus etiam ad temporale commodum ordinatur, videlicet reditus Eccleſiæ conſeruandos, & augendos pupillis, orphanis, viduis, & deſolatis corporaliter ſubueniendum: vnde qui in vtroque pollet, dignior eſt cenſendus; ſed qui in regimine ſpirituali alteri præeminet, licet eo, quoad temporale ſit inferior, dignor cenſeri debet; illa enim aptitudo circa ſpiritualia eſt principalior.

10 Tertia regula: Minus excellens in ſanctitate morum, doctrina; ſed excellentior in prudentia, agendorum dexteritate, induſtria; qui ſemper in Eccleſia ſua præſidebit; qui minùs impeditus erit, qui omnibus diligentiis inuigilabit; eſt hic, & nunc ad regimen dignior. Ita *Neuſſer ſupra illato 6.* Immò ſi ſit aliquis ſanctior, doctior, & prudentior, qui aliunde ſit impeditus, vt gubernio exercitè attendat, eſt poſtponendus minus docto,

qui

Digitized by Google

qui tamen ſeduló inuigilabit gregi paſcendo, diligentiori cura, induſtriori charitate, nullis parcendo incommodis, ſuarum ouium bonum procurando. Ita *Sotus l.3. de iuſt. q 6. ar. 2. poſt concluſ. 9. Sanchez l. 2. opuſc. c. 1. dub. 2. num. 5.* Et præſtans experientia, & præſens, qui ſtatim manum operi admoueret, eſt dignior ad Pontificatum quàm alius externus ſecundùm ſe dignisſimus, qui Romanum regimen non calleret; & interim, dum Romam inuitandus, & vocandus eſſet, Eccleſia haud leuia damna pateretur. Ita cum *Salonio, & Diana Cotonius l. 3. controu. 9. num. 62. Neuſſer* velut probabilius *illato 3.* contra *Sotum*. Ratio eſt, quia hic, & nunc in indiuiduo eſt vtilior Eccleſiæ.

11 Hinc, ex his quinque, Primo-Prædicatore parum reformato, qui de obſeruantia legum non obligantium ad mortale peccatum, non multum curat, licèt publicè nunquam mortaliter peccauerit. Secundò Viro maximè reformato, & in regulari obſeruantia exacto, ſed valdè iracundo, rixoſo, qui facilè contra ſubditos iraſcitur, & ſine cauſa contra eos inuehitur. Tertio Viro eximiæ obſeruantiæ, ſed pertinaci in ſuis propoſitis, & conceptibus, rigido in exequendis mandatis, puniendis defectibus. Quartò viro maximè reformato, pœnitentijs dedito, ſed valdè ambitioſo. Quintò viro valde reformato, ad regimen apto, ſed de quo rumor eſt, quòd deſcendat ex Iudæis: Primus eſt dignior, indignior verò ſecundus. Ita *Antonius à Spiritu Sancto* omninò videndus, *§. 3. ſuprà, Neuſſer*, velut certum, *illato 7.*

12 Quarta regula: Abſolute loquendo, cæteris paribus, ad Epiſcopatum, Parochiam, dignior eſt Theologus, quàm Canoniſta. Ita *Paſſerinus c. 30. nu. 26. Serra 2. 2. q. 63. ar. 2. dub. 1. Neuſſer illato 8. Sotus ſupra concluſ. 10. Caiet. 2. 2. q. 185. ar. 3 Bannez 2. 2. q. 63. ar. 2. dub. 2. Lanorius c. 2. nu. 67. Card. de Lugo to. 2. de iuſt. d. 35. ſect. 2. num. 4.* citans *Vaſquez & Turrianum*, & alij. Ratio eſt, quia obiectum ſcientiæ eius, qui habet curam animarum eſt obiectum fidei, lex diuina, & naturalis; & lex poſitiua in ſacris Canonibus contenta; ex quibus obiectum fidei eſt totum fundamentum ſalutis. Lex Diuina, & naturalis, quæ indiſpenſabiliter obligat, nulla conſuetudine aduerſus eam præualente, & raró eius ignorantia excuſat: vnde hæc ſunt magis neceſſaria tàm populo, quàm eorum curam habenti, quàm lex poſitiua cuius ignorantia ſæpius excuſat, contra quam conſuetudo præualet; & maius periculum imminet ex ignorantia illorum, quæ ſubuertere poteſt omnia fundamenta Religionis; quàm iſtius, quæ acceſſoriè ſe habet. Et quamuis Epiſcopus habeat regimen externi fori; nihilominus, cum principaliùs ei conueniat eſſe fidei Magiſtrum, & morum inſtructorem, quàm Iudicem forenſem; & magis decens ſit, quòd per miniſtros iudicet cauſas forenſes; potius debet eſſe excellens Theologus, ad quem illa duo prima pertinent, quàm excellens Canoniſta. Hanc ſententiam ita certam exiſtimat *Aragonius 2. 2. qu. 63. ar. 2. concl. 2.* vt contrariam dicat non ſolum fal

ſam,

Digitized by Google

ſam, ſed & periculoſam, Eccleſiæque pernicioſam. Sed exceſſit; quia ſententia contraria Doctorum, quos citat, & ſequitur *Bobadilla in politica to.1.l.1.c.6.num.14.* & *Cenedus ad Decret.collect.51. num.5.* non videtur improbabilis, & accedit *Diana p.7.tr.12.reſ.1.* qui poſtquam putauerit, *Aragonium* correptum fuiſſe atra bili, dum illa ſcripſit, ſubdit: *Sed pro praxi, quia video vt plurimum Epiſcopos Theologos neque prædicare, neque docere; ideò vt plurimum exiſtimo pro ſeruitio, & bono regimine Eccleſiarum magis ad Epiſcopatum promouendos eſſe Canoniſtas, quàm Theologos, in illis præſertim partibus, in quibus non vigent hæreſes.* Idem docent *Barb.de poteſt.Epiſc. alleg.1.num.3.& Card.de Lugo in annot.ad S.C.Trid.diſcurſ.31.num.13.* vbi non agitur de præficiendo regimini Eccleſiæ Cathedrali in finitimis regionibus cum hæreticis, & infidelibus. Sed non diſcedo à priori ſententia, quæ à fortiori procedit in Parocho, hic enim non habet regimen externi fori; ſed ad eum pertinet verbum Dei prædicare, fidei myſteria docere, & ſuorum confeſſiones audire, quæ omnia ſunt Theologi munera. Lege per otium *Card.de Lugo vbi ſupra.*

13 Quinta regula. Adeptus lauream Doctoratus in aliqua Vniuerſitate, cæteris paribus, eſt dignior non Doctore. Ita *Rota p.2.recent.dec.36. num.2. Riccius in deciſ.Cur.Archiep.Neap.p.4.dec.135.num.1. Paſſerinus nu. 18. Neuſſer* velut certum *illato 9. Barboſ.ad Trid.ſeſſ.24.c.18.num.142.* aliique: verè tamen doctus, & qui maiori ſcientia pollet, & ſi non laureatus, Doctori præferri debet, *Barboſ.& Paſſer.citati.* Et cæteris paribus, Doctor in iure Pontificio eſt dignior Doctore in iure ciuili, *Rota 1.p. in poſthumis dec.61. num.1.& dec.26.num.8.& Valenzuel.conſ.24.nu.64.Paſſerinus* alios referens vbi ſupra, *Neuſſer illato 10.* Et Baccalaureus, cæteris paribus, præferendus eſt non Baccalaureo. Ita *Rota in Calaguritana Beneficij 17. Nouembris 1651.& Burgenſi 1656.15.Maij, Neuſſer illato 11.*

14. Sexta regula: Certitudo moralis dignitatis alicuius perſonæ præponderat probabili dignitati alterius; non enim debet promoueri ignotus, nec eſt in conſcientia tutus, qui ignotum promouet ad curam animarum. *Sylu.V. Electio 1.q.16.num.18.Tabien.nu.15.Sanchez l.2.opuſc.c.1.dub. 12.num.1.* Vnde idoneus, & dignus, cuius mores ſunt probati, & morali certitudine noti, præferendus eſt doctiori cuius vita ignoratur; & hoc tanquam deciſum a Sacra Congregatione Concilij tenent *Gonzalez ad regul.8.Cancell.gloſ.4.num.112.Garz.p.9. c.2. num.111.*& apud eum *Genuenſis, Vgolinus, & Leſ. Barb.*vbi *ſupra,& de offic. Epiſc.alleg.60. nu.202.* alios referens, *Paſſerin.num.26.* Vnde Epiſcopus familiarem ſuum, aut conſanguineum, aut amicum ſibi bene notum, vt idoneum, poſſe præferre incertæ maiori alterius idoneitati. *Ledeſma tr.1.c.2 con.l.7.Lauor.c.21.n.72.*

15 Notandum eſt quartò, adeſſe alias conditiones extrinſecas, ob quas aliquis dignior cenſetur altero. Prima eſt ordinis prærogatiua; cæteris enim paribus, præferendus eſt Sacerdos non Sacerdoti, quia cenſetur

Digitized by Google

inſtructior circa Diuina. Ita *Rolandus conſ.47.num.75. Decian.conſ.542.nu.13. Barb.ad Trid.ſupra num.143. Neuſſer illato 12.* Imò in pari caſu præualet, qui prius Sacros Ordines eſt aſſequutus. *Ioann.s de Platea in l.2.nu.1.Cod. de Primic.lib.12. Natta conſ.638.n.18. Barboſ.& Neuſſer locis relatis.*

16 Secunda eſt indigentia alicuius diſpenſationis, nam qui nulla indiget, præferendus eſt ei, qui aliqua indiget. Ita *Decian.conſ.542.nu.14. Rota dec.767.*coram *Seraphino num.12. Paſſerin.ſupra num.20. Barb.ſupra num.144. Neuſſer illato 13.* Similiter beneficium nullum habens præferendus eſt habenti. Ita *c.Is, cui, de præbend.in 6. Lambert.p.3.l.2.qu.5.ar.3. Rota p.2. rec.dec.16.n.7. Barb.n.145. Neuſſer illato 14.*

17 Tertia eſt ætas, quia multum conferre poteſt. Vnde ſenior dignior cenſendus, quàm iuuenis. *Lambert.p.2.l.2.qu.2.princip.ar.26.num.4. Roderic.à Cunha in c.conſulu t 9.num.2.diſt.74. Neuſſer illato 13.* aſſerens plures *Rotæ* deciſiones, *Paſſerin.num.24.* qui tamen addit ſeniorem dici potius à ſapientia, & moribus, quàm ab ætate, ex *Rota dec.61.nu.1. p.1. in poſthum. Farinac. Valenzuel.conſ.34.n.59.*

18 Quarta eſt origo, ſeu locus; nam cæteris paribus, qui eſt eiuſdem loci originarius, cenſetur dignior, ac præferendus extraneo, quia regulariter magis diligit Eccleſiam, facilius reſidet, ciuium experientiam, & morum habet. Ita *D.Thomas 2.2.q.63.ar.2.ad 4. Sotus cit.ar.2.an e 10. concluſ. Paſſerin.* alios referens *num.26. Barb.alleg.6.num.102. Neuſſer illato 18.* Eadem ratione, qui eſt de Diœceſi, non Diœceſano præfertur. *Neuſſer*, & alij. Et etiam, qui callet idioma Patriæ; vt Sacramenta miniſtrando, & alia ſui muneris exercendo intelligere, & à ſuis ouibus intelligi queat. Doctores communiter. Et qui eſt de gremio cæteris paribus præferendus. *Barb.ad Trid.nu.141. Neuſſer illato.18.*

19 Quinta eſt conſanguinitas cum diſpenſante Beneficia, quæ, ſi cætera ſint paria, poteſt præponderare; cum conſanguinei ſoleant eſſe magis fideles, diligentius ſibi commiſſa exequantur, & cum maiori amore inſeruiant. Ita *D.Thom s 2.2.qu.185.ar.3.ad 1. Sylu.V.Acceptio perſonarum n.3. Tab en.num.vlt. Paſſerin.num.27. Neuſſer ſupra.* Duo autem ſcopuli in hoc ſunt cauendi, vt monet idem Angelicus Doctor: primus eſt ſcandalum, & ſpecies mali, quam poſſet afferre huiuſmodi electio: ſecundus, ne effectus iudicium obnubilans, inducat deceptionem, dum æque idoneus exiſtimetur, qui longe inferior eſt.

20 Inſuper debet pluris fieri ille, de cuius bonis fundata eſt Eccleſia, vt probat *Gloſſa in c.neminem, verb.ſine poſſeſſionis, diſt.70.* & alii, quos citat *Paſſerin.num.25. Barb.alleg.60.num.101. Neuſſer illato 18.* Qua propter ſunt etiam præferendi, qui ſunt de familia fundatoris, *Paſſerin.l.c. Pax Iordan.l.10.t.8.n.218.*

21 Sexta eſt nobilitas, diuitiæ, potentia; quando enim Eccleſiæ iura ſunt tuenda, iniqui euertendi, vitia extirpanda, diſciplina promouenda,

cæte-

cæteris paribus dignior eſt diues, potens, nobilis, &c . Ita *Neuſſer illato* 16. & alii communiter, quorum aliquos refert, & ſequitur *Paſſerin.nu.*23. Vbi hæ rationes non ſunt conſiderandæ, pauperis indigentiæ, vt habeat vnde commodè viuere poſſit, conſulendum videtur, vt habet *Caſar de Graſſis dec.*1.*num.*10.*de iure Patr, Pax Iordan.num.*205. *Rota* coram *Ottobon. dec.*248.*num.*8. & alii . Summoperèque curandum, ne diues præponatur pauperi digniori, vt monet *D.Thomas* 2.2.*qu.*185.*ar.*3.*in corpore*.

22 Notandum eſt vltimò, quòd electio indigni non ſolum eſt grauiter illicita, ſed etiam ipſo iure eſt irrita, vt *c.dudum*, 22. *de elect.* cum concordant. & ſupra etiam inſinuatum eſt. Et in nullo caſu licet promouere, nominare, eligere omninò ineptum. inhabilem, impotentem ad validè ſuum munus obeundum. Ita *Neuſſer* velut certum *d.*126.*qu.*5.*num.*12. *reſponſ.*1. & alii communiſſimè Doctores. Ratio eſt, quia cum talis ſit ineptus ad munus, etiam erit ineligibilis. Hinc is , qui non poteſt validè Sacramenta conficere, miniſtrare : qui nequit plebem ſine errore, & diſſeminatione hæreſum docere, non poteſt in vllo caſu, licitè ad officium Epiſcopi, Parochi promoueri, niſi per alios officium ſuum adminiſtrare poſſit : Ita velut certum *Neuſſer l.c. illato vn.* Verùm quotieſcumque illæ circumſtantiæ ſuperueniunt, vt lex Eccleſiaſtica poſitiua non obliget, vel lex indignitatem inducens ceſſet, poteſt licitè indignus eligi . Ita *Rodriquez* 1.*p. Summæ c.*106.*concl.*1. & alii, quos citat, & ſequitur *Paſſerinus c.*29.*num.*36. & velut certum *Neuſſer l.c.num.*13.*reſponſ.*2. Conſtat ex iis, quæ cum communi trado in materia de Conſtitutionibus. Hinc licitè poteſt promoueri ad officium Curarum carens qualitatibus à iure poſitiuo requiſitis, quando nullus alius dignus haberi poteſt, & populus, niſi promoueretur indignus, nullum haberet, à quo Sacramenta reciperet. Ita *Neuſſer illato* 1. qui *illato* 3. velut certum aſſerit, quod aliquis ob metum talem, ac tantum, vt ob eum deſinat obligare lex poſitiua ; poteſt eligere, nominare indignum. His prænotatis ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum, contrariis argumentis expulſis.

23 Dico primò : Sententia docens ſaltem in Epiſcopatibus, & Cardinalatibus eligendos eſſe digniores, certa omninò eſt, vi huius Decreti, in quo oppoſita omninò damnatur, & abigitur tanquam ſcandaloſa.

Probatur primò, ex claris verbis *Tridentini cit. ſeſſ.*24. *de Ref. cap.*1. & prius diſpoſitum erat in iure : Sacri enim Canones volunt, quòd eliga-

tur digniſſimus, vt in *Can. Metropolitano diſt. 63.* ibi: *Optimus ord'netur.* Et *can. Licèt 8. qu. 1.* ibi: *Qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni v.rtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium.* Vnde *in cap. vn. §. Omnibus. Vt Eccleſiaſtica Beneficia, &c.* Pontifex meritò quempiam reprehendit illis verbis: *Quia non ex affectu carnali, ſed diſcreto iudicio debuiſti Eccleſiaſticum officium, & beneficium in perſona magis idonea diſpenſare.*

Probatur ſecundò, auctoritate Patrum; nempè *D. Hieronymi in libro Leuitici,* relato *in d. can. Licèt 8. D. Auguſtini epiſt. 29.* quæ eſt ad Hieronymum, vbi negat poſſe eligi diuitem idoneum, relicto paupere inſtructiore, & ſanctiore, *D. Leone ep. 84. c. 9. D. Bern. l. 4. de conſiderat. ad Eugenium,* & in *declamat. Ecce nos reliquimus omnia.* Accedit auctoritas Theologorum cum *D. Thoma 2. 2. q. 158. art. 3.*

24 An autem hæc obligatio non ſolum ſit de iure Eccleſiaſtico, ſed etiam de iure Diuino etiam naturali? Affirmo eſſe de iure etiam naturali, cum *Ioanne Cardenas hic d'ſſert. 28 c. 2. n. 13. Piſano hic n. 4. Neuſſer d. 126. qu. 3. num. 8. reſponſ. 3.* dicens certum, *Card. de Lugo to. 2. de iuſt. d. 35. ſect. 1. num. 12.* & aliis communiter. Conſtat enim tum ex verbis ipſis *Tridentini cit. c. 1.* vbi loquens de habentibus ius promouendi ad dignitates Eccleſiaſticas, ait: *Hortatur, & monet, vt in primis meminerint, nihil ſe ad Dei gloriam, & populorum ſalutem vtilius poſſe facere, quàm ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promouere ſtudeant, eiſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, &c.* Vbi non præcipit, ſed *meminerint,* ait: Supponit ergo obligationem de iure ſcilicet Diuino., & naturali vt mox patebit. Hanc obligationem naturalem *Card. de Lugo num. 18.* inquit ortam eſſe ex ipſo officio diſpenſatoris publici, ad quem ex munere ſuo ſpectat bono communitatis conſulere, cui non bene, & prudenter conſuleretur eligendo minus dignos. Accedit ratio adducta à *Reiffenſtuel d. tit. 6. num. 239.* quia *Eccl ſiaſticum regimen eſt onus Angelicis humeris formidandum,* vt loquitur *Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 2. de Refor.* illicò hinc inferens, quòd ad illud, *qui maximè digni fuerint,* aſſumantur. Ergo peccant, & quidem mortaliter, qui ad tam graue officium, tantumque onus ſcienter eligunt minus dignum, minuſque idoneum, prætermiſſo magis idoneo: peccant, inquam, contra ius naturale: ſunt enim cauſa omnium malorum, atque peccatorum, ex promotione minus digni, minuſque idonei ſubſequentium; ſicque, vt loquitur *Concil. Trid. cit. c. 1.* communicant alienis peccatis. Tum etiam, quia ſcienter eligens minus dignum, prætermiſſo digniori, magiſque idoneo, committit crimen acceptionis perſonarum, conſiſtentis in eo, quòd aliquid perſonæ attribuitur præter proportionem dignitatis ſuæ: atqui acceptio perſonarum eſt contra ius naturale: Ergo: Et quidem acceptio perſonarum in ſpiritualibus, eò magis peccatum eſt, quo ſpiritualia temporalibus præſtant, vt docet *D. Thomas 2. 2. qu. 63. ar. 2.* Vnde *Auguſtinus* ſupra relatus: *Quis,* inquit, *ferat, ſi quis diuitem eligat ad ſedem honoris*

Ec-

Eccleſia, contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore? Inducitque ad id ſententiam *Iacobi 2. Si intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclara, & dicatis ei: Tu ſede hìc benè. Pauperi autem dicatis: Tu iſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum, nonne iudicatis, aut voſmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum? Si,* ſubdit, *illam diſtantiam ſedendi, ac ſtandi ad honores Eccleſiaſticos referamus.*

25 Dico ſecundò. Præmiſſa certa ſententia, & tàm inter Theologos, quàm Canoniſtas receptiſſima, iuxta Decretum, procedit non ſolùm de Epiſcopis, & S.R.E. Cardinalibus, vtpotè de quibus, eorumque electione, *Concilium Trid.cit.ſeſſ.24.c.1.de Ref.*expreſſam mentionem facit.Sed etiam ipſe locum habet in illis omnibus, qui habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem: vti ſunt Abbates, Vicarii, & Priores nullius Diœceſis, ac Prælati Regulares. Ita *Ioannes Cardenas hìc c.2.n.11. Reiffenſtuel cit.tit.6.n.240.* & alii communiter cum *Corella hìc n.192.*

Patet ob rationes iam allegatas, & adhuc aſſertione ſeq. allegandas: nam & his regimen animarum, Angelicis humeris formidandum incumbit.

26 Dico tertiò. Allata doctrina de eligendo digniori ad Prælaturas Eccleſiaſticas, etiam locum habet in promouendis ad Eccleſias Parrochiales: & contraria ſententia ſubiacet huic damnationi.

Primam partem docuerunt communiter Doctores etiam ante hoc decretum; adeò, vt electionem, ſeu promotionem minus digni, ſeu minùs habilis ad regendam Eccleſiam Parochialem, prætermiſſo ſcienter digniori, ſine peccato mortali fieri non poſſe, communem, & omninò veram ſententiam eſſe, dicat *Paſſerinus c.30.de electionibus num.1.*allegans plurimos Auctores,addenſque *num.81.* id eſſe certum. Secundam verò *partem*; nempe huic damnationi ſubiacere, ſi quis dixerit, vbi Concilium decernit, ad munus Parochiale eſſe eligendum digniorem, nomine *Dignioris* intelligi *dignum*, ſumpto comparatiuo pro poſitiuo, aut intelligi non indignum, aut ſolum dum eligitur in concurſu, docent *Ioannes Cardenas hìc c.4 num.40.Piſani, Riccius*, & alij, *Reiffenſtuel ſupra num.241.Ioannes Maria Sgobar in Theologia Radicali tr.15.num.101.*

Rationes huius ſententiæ partim deſumuntur ex dictis: nam etiam Parochis incumbere cenſetur regimen Eccleſiarum, atque animarum, *c. cùm non ignores 15. de Præbend.* cum ſimilibus, ad quod proindè, veluti onus Angelicis humeris formidandum, non niſi digniores, ac maximè digni, ſunt aſſumendi. Vnde *Concilium Tridentinum ſeſſ.24. c.18. de Refor.* expreſsè ſtatuit, quod peracto examine in concurſu ad Eccleſiam Parochialem vacantem præmittendo, ex examinatis, & ad vacantem Eccleſiam Parochialem gubernandam idoneis repertis, Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit.

Dices. Hinc ſolummodò ſequi, quod ad Eccleſiam Parochialem de-

debeat eligi dignior, quando fit concurſus, vtpote de quo fit mentio *in cit.c.18.* non autem extra Concurſum: quia idem *Concilium Tridentinum ſeſſ.7. c.5. de Refor.* inhærendo antiquis Canonibus ſolum vult, *vt infer ora beneficia Eccleſiaſtica præſertim curam animarum habentia, perſonis dignis, & habilibus conferantur.* Simulque idem Concilium *in cit.c.1. ſeſſ.24. de Reſor.* non loquitur de Beneficijs inferioribus, & Parochialibus, ſed ſolùm de Culminibus Beneficiorum, vt ſunt Epiſcopatus, & Cardinalatus.

Sed contra eſt primò. Hæc reſponſio in terminis eſt reprobata, & damnata ab Innocentio XI. hanc Propoſitionem condemnante; nam ea in ſua vltima parte hoc ipſo modo interpretabatur ſiniſtrè Concilium Tridentinum illis verbis: *Vel tandem loquitur tertiò, quando fit concurſus.*

Contra eſt ſecundò; quia ratio *in cit.c.1. ſeſſ.24. à Concilio Tridentino* allegata de promouendis dignioribus ad Beneficia, eſt generalis omnibus Beneficijs curam animarum habentibus: nam ea in hoc conſiſtit, quòd *Omnes, & ſinguli, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque ius habent --- meminerint, nihil ſe ad Dei gloriam, & populorum ſalutem vtilius poſſe facere, quam ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernatores idoneos promoneri ſtudeant: eoſque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curauerint.* Hęc Concilium. Atqui iſta tota ratio, licèt ibidem in progreſſu ſpecialiter applicetur ad promotionē digniorū ad Epiſcopatus, & Cardinalatus, etiam militat in dignioribus ad Parochias promouendos; cū etiam ij ſint Paſtores, & Eccleſiæ ſuæ gubernatores: Ergo, cū ratio legis ſit anima legis, atque ob identitatem rationis in lege expreſſæ rectè fiat extenſio, iuxta ea quæ vberius dico in *materia de Conſtitutionibus*, quæ per dictum Concilium ſtatuta, aut potius declarata fuerunt circa electionem digniorum Epiſcoporum, & Cardinalium, rectè ob identitatem rationis extenduntur ad promotionem digniorum Parochorum.

Atque hanc doctrinam eſſe conformem menti Concilii Tridentini confirmat iam hoc Decretum *Innocentij*, dum hanc Propoſitionem 47. qua *Tamburinus* Concilium Tridentinum *cit.c.1. ſeſſ.24.* inter alia explicare perperam ſtudebat, illis verbis: *Vel tandem loquitur tertiò, quando fit concurſus?* Nam concurſus, de quo hic ſermo eſt, non fit, niſi quoad Eccleſias Parochiales: & conſequenter ibidem ſupponitur, citatum *cap.1.* etiam de Eccleſijs Parochialibus procedere: quare prorſus reiiciendi ſunt *Torrecilla hic num.5. & 8. Corella nu.194. & Lumbier n.431.* dicentes non ſubiici damnationi huius decreti aſſerere, in Beneficijs curatis, quæ non promouentur concurſu, non adeſſe obligationem eligendi digniorem, ſed ſufficere quòd eligatur dignus.

27 His ſic ſtabilitis, oſtendenda eſt inanitas Gloſſarum, quæ verbis Tridentini affinguntur. Et quidem licèt vt tres referantur, duæ ſunt. Idem enim

enim eſt, ly *digniores* ſumi poſitiuè, non comparatiuè, ac poni ad excludendos indignos; itaque duæ primæ ſunt vna. Quantum igitur ad primum, nemo inficias ibit, quandoque comparatiuum habere vim ſimplicis poſitiui; ideſt non augere gradum antepoſitum, ſed tantùm ſuperferri ſuo contrario; quod oſtendit *Auguſtinus 3. contra Creſconium c. 73. & l. 4. c. 55.* ex loco *Virgilij: Dij meliora pijs, erroremque hoſtibus illum: Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus:* cùm tamen non bonum, ſed malum eſſet, laniare dētibus artus: item ex illo *Apoſtoli 2. Corinth. 11. Confidimus autem de vobis, fratres chariſſimi, meliora:* cùm tamen non bonum, ſed malum præmiſiſſet, de terra ſpinas, & tribulos proferente maledicto proxima, cuius finis in exuſtionem. Sed tamen id verum eſt, quando terminus comparatiuus abſurdè ſumeretur in proprio ſenſu, vt in locis prædictis; at quandò id non eſt abſurdum, vt in verbis Tridentini, gratis illud diceretur. Et certè Tridentino non deerant verba ad ſuam mentem explicandam: ſed ipſum ingeminat comparatiua, dicens: *Digniores, & Eccleſiæ* magis vtiles: Immò ſuperlatiuo vtitur in eodem *cap. Bonos maximè, atque idoneos Paſtores ſingulis Eccleſiis præficiant. Et ſeſſ. 6. c. 1. de Refor.* confidimus, *vt ad Eccleſiarum regimen, qui maximè digni fuerint aſſumantur: & ſeſſ. 24. c. 18. Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit.* Et rurſus: *Is, quem Patronus magis idoneum iudicabit, Epiſcopo præſentare teneatur. Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem.* Quibus verbis prorſus euertitur Gloſſa, quòd nomine *dignioris* intelligatur dignus; maximè cùm ipſum Tridentinum tàm ſæpè, & grauiter loquatur de munere Paſtorali, vt dicat, quòd, ſi pro eius magnitudine expendatur, nunquam de eo ſatis cautum videri poſſit; &, quòd ſit onus Angelicis humeris formidandum. Alia Gloſſa, quòd Tridentinum intelligendum ſit in caſu, quo fiat concurſus, inanior eſt. Neque enim Tridentinum ſtatuit, Epiſcopatum conferendum per concurſum, neque ante ipſum ſic conferebatur, neque ſtatim poſt. De Epiſcopatu primò ibi loqui Tridentinum iam oſtenſum eſt. Nihil itaque de promouendis ad Epiſcopatus dixiſſet, de quibus tamen maximè ſatagebat. Cæterùm magis peccare promotores, & electores, ſi habito concurſu non promoueant, vel eligant digniorem, verum eſt; quia tunc aiunt *Gutierrez Canon. qq. l. 2. c. 11. num. 55. & ſeqq. Vaſquez opuſc. de benef. c. 2. § 3. num. 117. Diana p. 4. tr. 4. reſ. 210. Fernandez Molina,* & alij, non tantum peccant contra iuſtitiam diſtributiuam, ſed etiam contra commutatiuam, quæ oritur ex quaſi contractu proueniente ex publicatione Edicti, proindeque tunc obligantur ad reſtitutionem. Non poſſunt quoque tunc afferre excuſationem ignorantiæ, quia per concurſum habita eſt notitia dignioris.

28 Adhuc tamen in fauorem primæ *Gloſſæ* obijcies *Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. c. 3.* vbi ſolum dignitatem exigit, dum ait: *Inferiora Beneficia Eccleſiaſtica, præſertim curam animarum habentia perſonis dignis, & habilibus,*

bus, &c. Et pro tertia locus ex *ſeſſ.24.c.18.* vbi poſt verba à nobis ſupra adducta, dicitur: *Quòd ſi iuſpatronatus laicorum fuerit, debeat qui à Patrono præſentatus erit, ab eiſdem deputatis, vt ſupra examinari, & non niſi idoneus repertus fuerit, admitti.* Cuius diſcriminis ratio, quare ſcilicet in antecedentibus verbis, digniorem, in his verò poſuerit idoneum, alia reddi non poteſt, niſi quia antea erat ſermo, quando fiebat concurſus, in his verò loquitur de præſentato ſine concurſu aliorum: Ergo ſimiliter ſic intelligenda ſunt verba *Concilij ex cit.c.1.ſeſſ.24.* allata.

Reſpondeo, quod locus *ſeſſ.7.* intelligendus eſt de electione valida in foro exteriori, & non caſſanda, ad quod ſufficit, quod electus, ſeù præſentatus ſit dignus. Et in hoc etiam ſenſu intelligenda ſunt, quæ habentur *c.Monaſterium 16.q.7.& c.cum dilectus, de elect.* Non tamen ſufficit, vt collatio illa licitè fiat, quando præſens eſt alius, quem eligens, ſeù conferens, ritè penſatis omnibus, agnoſcit, & iudicat eſſe digniorem, atque Eccleſiæ vtiliorem, prout idem Concilium aliis locis iam relatis ſe explicat, monens, atque declarans in tali caſu eligendum eſſe digniorem. Sic *Reiffenſtuel ſupra num.245.* Præterea, vt notat *Pæſſerin.c.30. de elect. num.62.* in ſermone Concilii Tridentini idem eſt *dignus*, ac *dignior*, ſeù *maximè dignus*; prout liquet ex *cit.c.1.ſeſſ.24.* vbi à principio dicitur *bonos Paſtores*, & Eccleſię gubernandæ *idoneos* eſſe promouendos; & illicò ſubditur, eos peccare mortaliter, qui non quos *digniores, & Eccleſiæ magis vtiles* ipſi iudicauerint, pręfici curauerint, ſicut & ibidem circa finem habetur, Cardinales *idoneos* eſſe aſſumendos; & ſtatim ſubiungitur, debere aſſumi *lectiſſimos tantum*. Ad alium locum pro tertia Gloſsa adductum, dico: In verbis à nobis allegatis ponit digniorem, quod etiam ponitur à Concilio cum loquitur de obligatione conferentium, quia loquitur de inſtitutione, ſeù electione; in inſtitutione autem debet eligi dignior: in loco autem allegato in obiectione ſermo eſt de confirmatione, vt patet; ad quem effectum ſufficit, ſi confirmandus ſit dignus; vt tradit *D.Thomas 2.2.qu.63.ar.2.ad 1.* & poſt eum Scholaſtici, & Canoniſtæ communiter; vnde ibi dicitur: *& non niſi idoneus repertus fuerit, admitti.* Præſentatio enim, quam facit habens ius Patronatus æquiualet electioni, & Epiſcopus, vel Summus Pontifex in ijs approbandis, ſolùm de dignitate inquirunt. Patet autem ex aliis locis à nobis adductis, quòd huiuſmodi præſentantes monet, vt digniores eligant; & promouere ſtudeant. Ex his

29 Habes primò. Patronum Eccleſiaſticum debere eligere, ac præſentare digniorem: & magis idoneum ad beneficium habens annexam curam animarum. Ita conſtat ex *Trid.cit.ſeſſ.24.c.18.* & velut certum docet *Paſſerin.c.30.n.110. & Neuſſer ſupra n.10.reſponſ.5.illato 6.Card. de Lugo d.35.n.37.* & alii communiter.

30 Secundò. Quicumque laicus patronus habens ius, ſiue præſentandi, ſiue nominandi ad quamcumque Eccleſiam habentem annexum regi-

men

men animarum; quocumque titulo illud ius habeat, ſiue quia beneficium ex proprijs bonis fundauit; ſiue illud habet ex priuilegio Papæ, obligatur ad præſentandum, vel nominandum digniorem. Ita velut certò probabilius *Neuſſer l. c. illatio 7.* & cum multis, & quidem ſub eadem modificatione *Bannez, Ledeſma, Card. de Lugo*, quos citat, & ſequitur *Paſſerinus num. 117.* contra *Caſtropalaum*, & alios. Ratio eſt, quia electio dignioris eſt de iure naturæ. *Card. de Lugo nu. 40.* putat pro hac doctrina ſtare verba *Tridentini cit. ſeſſ. 24. c. 1. de ref.* vbi docet, omnes, qui ad promotionem Epiſcoporum, quodcumque ius, quacumque ratione à Sede Apoſtolica habent, aut alioquin operam ſuam præſtant, peccare mortaliter, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles iudicant, præfici diligenter curauerint: in quibus verbis patroni etiam laici, qui ius præſentandi quacumque ratione habent ad Epiſcopatus comprehendi videntur. Nec obſtat *Trid. cit. c. 18* vbi Parochus à Patrono laico præſentatus dicitur non admittendus, niſi idoneus reperiatur: Concilium enim (vt paulò ante etiam notatum eſt) ibi non intendit liberare patronos ab obligatione eligendi digniores, quæ erat de iure naturæ, ſed ſolum reſeruare totum hoc iudicium de maiori dignitate ipſis Patronis ob gratiam fundationis præcedentem. Igitur non ſolum Patronus ſucceſſor, ſed etiam primus inſtitutor beneficij debet eligere digniores ad Epiſcopatus, vel alia beneficia habentia curam animarum: in ipſo enim militat eadem ratio. Nam licet ipſe poſſit de bonis ſuis libere diſponere, & dare illi, cui voluerit; & non inſtituere illud beneficium, non tamen poteſt impedire, quod Eccleſia debeat ſuis ouibus prouidere Paſtores optimos, quos illis eiſdem ouibus dare tenebatur, etiam ſecluſa inſtitutione beneficij: quare huic obligationi non poteſt inſtitutor præiudicare, nec illam ſua liberalitate, aut dotatione redimere, ſed ſolùm poteſt promereri, quod Eccleſia committat illi electionem dignioris, quam Pontifex per ſe, vel per alios exequi tenebatur. Ita *Card. de Lugo num. 44.* & alii, contra *Sanchez*, & alios. Hinc ſubinfertur: Inualidè apponi à Patrono in fundatione conditionem, ut ſibi, & ſucceſſoribus liceat pro libito, omiſſo digniore, præſentare, vel nominare idoneum, & ſimpliciter dignum. Ita *Paſſerinus nu. 26. Neuſſer ſupra*. Ratio eſt, quia illa conditio eſt iniqua, adeoque non ſubſiſtens.

31 Tertiò omnino diſplicet *Reginaldus tom. 2. l. 30. tr. 3. c. 14. num. 179.* vbi ſic aſſerit. *Qui ius habent conferendi beneficia per prouiſionem liberam, vt Papa, & nonnunquam Princeps ex Priuilegio, vel conſenſu tacito Eccleſiæ, non tenetur eligere digniores, niſi in promptu ſint; ſed ſufficit eligere dignos, alioquin enim ſemper tenerentur digniorem quærere; quod à Papa, vel à Regibus exigere durum eſt.* Hæc Reginaldus: cuius ſententia probabilis viſa fuit *Dianæ p. 2. tr. 1. Miſc. reſ. 40.* *Aliàs* inquit, *ſi contraria ſententia eſſet vera, magnum pondus haberent Pontifices, & Reges.* Sed prorſus adhærendum contrariæ ſententiæ *Leſſij l. 2. c. 34. dub. 14. num. 64. Card. de Lugo par. 42. & 43. Riccij hic*, &

aliorum, cum *Serra, & Caietano*. Ratio enim ſupra adducta concludit de omnibus; magnis autem honoribus, ſiue Poteſtatibus magna onera conſequenter ſunt adiuncta. Cura inſuper illis longè maior incumbere debet de ſpiritualibus, quàm de temporalibus; & ipſi abundant miniſtris, à quibus inſtrui poſſunt. Et cum modò omnes ferè Epiſcopatus conferantur per Papam, & Principes, redderetur omnino nullum, vel fruſtraneum ius meliorum ad illos. At quid immoror de Pontifice, quem iam experimur intendere promouere digniores? De Principibus laicis ratio eſt manifeſta; quia prouidere fidelibus bonos Paſtores, qui eorum curam ſpiritualem habeāt, eſt adeo neceſſarium ad ſpirituale Eccleſiæ bonum, vt de iure naturæ Eccleſia hanc obligationem habeat, nec poteſt alius eam ab hac obligatione liberare, quia eo ipſo, quod Summus Pontifex eſt Paſtor omnium Fidelium, debet eos paſcere medijs neceſſarijs ad eorum ſalutem. Si ergo medium neceſſarium eſt, quòd dentur eis Paſtores optimi, & digniſſimi, non poteſt alius facere, quod Pontifex hanc obligationem non habeat, & per conſequens non poterit fundando, aut dotando Eccleſiam, aut beneficia facere, quod ſufficiat Paſtores dignos eligere, nam illis ipſis Fidelibus tenebatur Pontifex Paſtores optimos prouidere, etiamſi ille laicus beneficium tale non fundaret. Alioquin Imperator Conſtantinus fundando, & dotando plurimos Epiſcopatus potuiſſet auferre ferè à tota Eccleſia obligationem prouidendi optimos. Hinc ſubinfertur, quòd Proreges debent ad Epiſcopatus nominare digniores, dignis poſtpoſitis in Nomina, vt vulgo dicitur, quam mittunt ad Regem. Ita *Hurtadus de Mendoza*, quem refert, & ſequitur *Diana p.9. tr.7. reſ.7. Ioannes Capata in d. ſcept. de iuſt. itia diſtributiua p.2. c.6. num.25.*

An autem opinio docens, Patronum laicum non teneri ad præſentandum digniorem ad munus Epiſcopale, aut Cardinalitium, vel Parochiale, ſubiaceat huic damnationi? Pro reſolutione:

32 Dico quartò: Eam opinionem ſubiacere huic damnationi, tam in præſentatione ad munus Epiſcopale, aut Cardinalitium, quam in præſentatione ad benefi.ia Parochialia.

Primam partem docent *Ioannes Cardenas hic c.3. num.31. Corella hic num.192. Lumbier obſeru. 12. num.425.* & alij: quidquid in contrarium dicat *Torrecilla hic fol.450. col.2.* Et probatur. Nam Concilium Tridentinum ad munus Epiſcopale, & Cardinalitium ita requirit digniores, vt nullum apponat diſcrimen inter eligendos ab Eccleſiaſticis Præſulibus, & eligendos à Patronis laicis, immò & hos etiam expreſsè comprehendit, vt ſupra oſtenſum eſt.

Secundam partem, ſcilicet ſubiacere huic damnationi etiam illum, qui dixerit, vbi Concilium decernit, ad munus Parochiale eſſe eligendum digniorem, nomine dignioris intelligi dignum, ſumpto comparatiuo pro poſitiuo, aut intelligi non digniorem, aut ſollùm intelligi in concurſu, docet

etiam

Digitized by Google

etiam *Ioannes Cardenas c.4.nu.40.* & alii; quidquid dixerint *Corella, & Torrecilla*. Et probatur; nam licet demus in eo *c.1.ſeſſ.24.* agere Concilium dumtaxat de electione Epiſcoporum, & S.R.E. Cardinalium, tamen damnatio hæc condemnat interpretationem illam ſiniſtram circa id verbum *Digniores*: cùm ergo id verbum æquè reperiatur in electione Parochorum in eo *c.18.* ac *in c.1.* in electione Epiſcoporum, damnatio etiam debet extédi ad interpretationem eius verbi etiam in electione Parochorum.

33 Dico quintò: Quamuis ſi aliquis æquè dignus eſſe conſtet, detur locus gratificationi: tamen ſi probabiliter conſtet eſſe digniorem præferendus eſt æque digno. Ita *Card. de Lugo cit. d.35. num.27.* vbi ſententiam docentem, quod excuſentur Prælati, qui familiarem ſibi notum eligunt, omiſſo alio, de quo probabiliter putant eſſe digniorem, aſſerit debere intelligi, vt non ſit certitudo de æquali ſaltem dignitate illius, qui omittitur; nã ſi elector æquè certò ſciat, illum alium eſſe æquè dignum, ac ſuus familiaris, & rurſus probabiliter credat eſſe digniorem; præferendus erit ſuo familiari, cum excedat certò in probabilitate de maiori dignitate, quæ reddit illum magis dignum.

Prima pars eſt euidens, & patet ex *c. cum autem, de iure patronatus*, vbi ex duobus præſentatis à duobus patronis, vel à duobus partibus patronorum, ſi ſint æque digni, Epiſcopus poteſt alteri gratificari, & ita *Ioannes Andreas 16. nu.3. Card. nu.4. Abbas num.8. Fagnan. num.14. & 22.* & alii communiter: Gratificationi, inquam, non venditioni virtuali, ſeu vſuræ palliatæ. Vnde in concurſu æque digniorum non licet Collatori beneficii moueri ex temporali emolumento ad conferendum potiùs vni, quàm alteri. Ita *Riccius ſupra in Commentario ad Propoſitiones 45. & 46. c.3.* Tum quia illa electio eſt actus internus, & ſpiritualis, atque adeo pretio non æſtimabilis, id eſt, non proportionabilis cum valore rei temporalis. Tum quia illa electio, ſiue diſcretio non æſtimaretur, niſi ratione beneficii ſpiritualis, quod conferretur. Ergo illud temporale daretur, & reciperetur ratione ſpiritualis. Tum quia aperiretur via ad Simoniacas ſordes. Et ſi dicas. Licet venditori accipere pretium pro voluntate vendendi rem potiùs vni, quàm alteri, ſi plures eandem iuſto pretio emere velint: Reſpondeo, quod neque illa voluntas vendi poteſt, id eſt licèt quia voluntas non eſt pretio æſtimabilis. Poteſt tamen venditor aliquid plus accipere ab eo, cui præ cæteris vult vendere rem ſuam non tanquam pretium voluntatis, ſed tanquam pretium ipſius rei, quæ ſcilicet pluris æſtimetur ab eo, quàm à cæteris nam proculdubio & ipſe emptor pro re, quam emere cupit, tradit illud, non ad mercandam voluntatem vendentis, quam non æſtimat, niſi ratione rei, quam vult emere; venditor autem poteſt vendere rem ei potiùs, qui illam emit pretio rigoroſo, quàm ementi pretio mediocri, vel infimo. Addo cũ *Matthæo Moya p.1. ſelect. tr.6. d.4. q.2. nu.23.* & alijs ſuſtineri in poſterum poſt proſcriptionem Propoſitionis XXVI. per Decretum Alexandri VII.

non poſſe opinionem aſſerentium, Ad Maioratum, vel ad Cathedram, obligatos, vnum eligere, poſſe, inter æque dignos pretium recipere, vt vnum præ alio eligant: quæ fuit opinio *Bannez 2.2. qu.62. art.5. dub.4. Rodriquez 2. p. ſumm. c.10. concl.2. Fagund. in Decal tom.2. l.8. c.26. num.40. Ludouici Lopez, & Ludouici à Conceptione*: Quia ex illa opinione per bonam, ac legitimam conſequentiam deducitur, ſecluſo iure poſitiuo prohibente munerum receptionem, licere Iudici pretium recipere, vt in vnius litigantis præ alio, quomodo pro vtroque eſt probabilis opinio, ſententiam ferat. Nulla enim congrua diſparitatis ratio aſſignari poteſt: vnde acceptum ab iſtis reſtitui debet. Et idem docet *Moya*, quoad legata, quorum eadem eſt ratio. Contra *Dianam p.10. tr.13. reſ.45.* referente *Baucium*.

Secunda pars iam patet ex dictis: quia cum ſint paris conditionis, quoad merita certa, iſte præeminet quoad maiorem dignitatem, ſaltem probabiliter.

34 Non nego tamen poſſe in hac materia peccari venialiter, ratione paruitatis materiæ, quæ ex duplici capite prouenire poteſt: Primò ſi beneficium parum excedatur ab alio beneficio, quod datur digniori. Secundò, quando exceſſus dignitatis in eo, qui omittitur, paruus eſt, ſupra eum, qui eligitur. Ita *Sotus, Nauarra, Aragonius, Salonius, Nauarrus, Sylu. Gerſon*, quos refert, & ſequitur *Sanchez l.2. conſil. c.1. dub.2. num.17.* qui *num.18. cum Salonio* notat, poſſe eſſe exceſſum beneficii paruum, vel nullum in fructibus, & magnum in honore, & hunc etiam exceſſum attendi debere. Et *nu.19.* cùm *Nauarra*, infert, non peccare mortaliter eligentem minùs dignum, quem parùm dignitate alius excedit, etiam ſi iurauit eligere digniorem, quia frangit iuramentum in re leui: quod tamen eſt contra *Bannez 2.2. qu.63. ar.2. dub.3.* Ratio autem noſtræ communis ſententiæ, (quæ eſt contra *Turrianum d.22. dub.1. num.6.*) eſt, quia grauitas huius peccati ſumitur ex damno communi, quod infertur Eccleſiæ omittendo digniorem: certum eſt autē, quod quando Eccleſiæ datur alius æque ferè dignus, damnum Eccleſiæ nō poteſt eſſe maius, quàm ſit exceſſus ille, qui cùm ſit exiguus, damnum etiam Eccleſiæ illatum exiguum erit, & per conſequens peccatum ſolum veniale; vnde conſequenter iuramentum etiam præcedens violatur ſolùm leuiter; cùm ſolum inferatur damnum leue contra illud iuramentum: non enim attenditur damnum, quod infertur omiſſo: hoc quippe graue eſt; ſed quod infertur Eccleſiæ, in cuius gratiam iuratur. Subſcribit noſtræ ſententiæ etiam *Reiffenſtuel ſupra nu.246. & Diana par.5. tr.5. reſ.13. & Serra 2.2. qu.3. ar.2. dub.1.*

35 Dico ſextò: Poteſt eligi minùs dignus, quando electio debet fieri ex perſonis talis loci, vel communitatis; tunc enim poſſunt omitti digniores alterius loci, vel communitatis, qualia ſolent eſſe beneficia, quæ vocantur Patrimonialia. Ita *Leſſius l.2. c.34. dub.13. num.59. Sanchez l.c. dub.8.9. & 10. Card. de Lugo ſupra nu.24.* aliique cum *Serra ſupra*.

Patet,

Patet, quia talis conditio ſiue ex ſtatuto, ſiue ex fundatione poſtuletur, eſt conformis antiquis ſacris Canonibus; nempe *c. nullus 13. & c. obitum 16. d. 6. & c. Metropolitano 19. d. 63.* ex quibus conſtat, olim, miniſtros eligi debuiſſe ex Clericis eiuſdem Eccleſiæ, ſi aliquis erat idoneus. Simili modo Pontifex eligendus eſt ex Collegio Cardinalium, modò aliquis inter eos ſit idoneus. *c. oportebat 3. cum ſeq. d. 79. ex Concilio ſub Stephano Papa III.*

36 Dico ſeptimò: Poteſt eligi minus, quando dignior ex induſtria reſeruatur ad aliud melius beneficium, quod breui vacaturum ſperatur. Ita *Card. de Lugo nu. 25.*

Probatur, quia cum hæc tota obligatio oriatur ex debito erga bonum commune; magis autem expediat communi bono, quod dignior habeat illum alium locum, iam tunc ſeruatur intentio erga finem principalem, licèt differatur electio dignioris. Nec expedit ſemper dare digniori nunc beneficium minus, & poſtea quando vacabit maius commutare: quia ſæpè hæ mutationes præiudicant Eccleſiæ, & in Epiſcopatibus ſunt valdè odioſæ, & vitandæ quantum fieri poſſit.

37 Dico octauò: Poteſt eligi minùs dignus ad beneficium pinguius, & dignior ad magis tenue, quando hæc exigit maiorem induſtriam, & curam, quam ille alius non ita bene poſſet præſtare; illud autem beneficium pinguius facilius poteſt adminiſtrari. Ita *Sanchez* alios referens *dub. 2. num. 24. Leſſius num. 60. Card. de Lugo nu. 26. Serra ſupra*, & alii contra *Ledeſma 2. p. q. 18. ar. 2. dub. 9.*

Probatur; quia maius bonum Eccleſiæ exigit, vt ita fiat, quod præferendum eſt bono priuato.

38 Dico nonò: Ad vitandum electionem indigni alioquin eligendi, poſſum negare ſuffragium digniori, cui nihil prodeſt, & eligere dignum. Ita *Caiet. Sotus, Palatios, Nauarra, Aragonius, Salonius*, quos affert, & ſequitur *Sanchez d. c. 1. dub. 4. nu. 2. Turrianus dub. 2. nu. 8.* & alii communiter, quos ſequitur *Diana p. 11. tr. 4. reſ. 38. Serra ſupra.*

Probatur; tum quia non teneor, niſi eligere digniorem ex poſſibilibus: ille autem optimus non poteſt hîc, & nunc à me efficaciter eligi, cum ab aliis reiiciatur: ſatisfacio ergo eligendo digniorem ex aliis, qui poſſibiles ſunt: tum etiam, quia hoc modo damnum Eccleſiæ impedio, quod ex indigni electione alioquin facienda ſequetur: atque ideo melius attendo communi Eccleſiæ bono; qui eſt finis bonæ electionis.

39 Dico decimò: Poſſum non ſuffragari digniſſimo, quando video nihil me præfuturum, & poſſum tunc eligere minus dignum, vt impediam electionem tertij infimi, digni quidem, ſed minus digni vtroque. Ita *Leſſius ſupra nu. 60. Card. de Lugo nu. 31. Vaſquez, Turrianus*, & alii.

Probatur eadem ratione; quia tunc eligo digniorem ex poſſibilibus, nam digniſſimus non poteſt in illis circumſtantiis haberi; & hoc pacto Eccleſiæ negotium melius gero dando ei meliorem miniſtrum, quàm alioquin

ha-

haberet,& impediendo electionem infimi alioquin faciendam.

Immò non ſolùm poſſunt, ſed debent electores adhærere medio digniori ad impediendam electionem infimi digni. Ita *Sotus,& Bannez* apud *Turrianum*,& alii communiter; quia elector eo ipſo, quòd miniſter eſt publicus, debet ex officio conſulere bono communitatis; & ſic tenetur non ſolum impedire electionem indigni, ſed etiam minùs digni, quando notabiliter dignior poteſt haberi.

§. TERTIVS.

Incidentia dubia reſoluuntur.

40 PRimum dubium eſt. An in beneficijs ſimplicibus, ſeu in iis, quæ curam animarum non habent, procedat etiam obligatio conferendi dignioribus.

Negant *Petrus Nauarra de reſtit. l. 2. c. 2. nu. 172. Ledeſma in Summ. p. 2. tr. 7. c. 2. concluſ. 7. & diffic. 15. Gutier. Can. qq. l. 2. c. 11. nu. 12. Garzia de benef. to. 2. p. 7. c. 16. nu. 16. Diana p. 2. tr. 1. Miſcell. reſ.* 38. qui cum *Gutierrez* addit, quod ſi hæc ſententia non eſſet vera, omnes Prælati eſſent in ſtatu damnationis, nam paſſim in beneficiis ſimplicibus eligunt dignos, dignioribus prætermiſſis. Ratio autem eorum eſt; quia dum Concilium Tridentinum in diuerſis capitibus ſola Epiſcopalia beneficia, & curata dignioribus eſſe conferenda decreuit, videtur conceſſiſſe, cætera beneficia ad arbitrium Prælati diſtribui poſſe: prælertim, quia dum de Canonicatibus loquitur *ſeſſ. 24. de Refor. c.* 12. hortatur, vt in Prouinciis, vbi id commode fieri poteſt, dignitates omnes, & ſaltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Eccleſiis, & Collegiatis inſignibus conferatur tantum Magiſtris, & Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, ſeu iure Canonico: Ergo neceſſariò conferri non debent Graduatis, & ſic Dignioribus, ſed arbitrio ſuperioris legitimi videtur relictum. At verò iura antiqua non ità plana ſunt in beneficiis ſimplicibus, ſicut in Curatis: quæ ſi eſſent, adhuc oppoſitum videtur introductum, & ipſemet Summus Pontifex prædicta beneficia ſimplicia dignis confert, abſque concurſu.

Hanc ſententiam putat probabilem *Serra cit. dub. 1. concl. 2.* qui tamē cenſet probabiliorem oppoſitam, quam docent *Bannez 2. 2. q. 63. ar. 2. dub. 5. Vaſquez opuſc. de benefic. c. 2. §. 8. dub* 8. *n.* 78. & alii, & videtur eſſe *D. Thomæ 2. 2. q. 63. ar. 2.* qui indiſtinctè docet, quod acceptio perſonarum committitur in beneficijs, & quidem etiam reſpectu ipſorum procedit ratio illa, quod Prælati non ſunt Domini beneficiorum, ſed diſpenſatores, & quaſi Oeconomi.

Ego in primis dico, Primam ſententiam non ſubiacere huic damnatio-

tioni: Ratio eſt; quia *Conc.lium Tridentinum ſeſſ.24.c.1.& 18.* non agit de beneficiis ſimplicibus. Ita *Ioannes Cardenas hic c.1. nu.9. Corella num.194. Reiffenſtuel ſupra nu.247.*& alii.

Deinde aſſero cum *Card.de Lugo num.20. Reiffenſtuel*, & alijs, in beneficiis ſimplicibus, quia periculum tanti mali non eſt, quanti in Curatis, neque ex ijs tantum Eccleſiæ bonũ pendet, excuſari poſſe facilius electorem, qui ſemel, aut iterum digniorem omittit, dum tamen communiter digniorem eligat. Alioquin, ſi communiter eos prætermitteret, non facile excuſaretur à culpa graui: tum quia frequenter erraret eligendo indignos, vnde breui Eccleſia repleretur miniſtris indignis, qui malo exemplo populo ſcandalo ſunt: Eccleſiæ Cathedrales deturparentur, officia diuina negligenter peragerentur, redditus Eccleſiaſtici malè expenderentur, neglectis pauperibus, quibus ſubueniri deberet: tum etiam, quia ceteri eo exemplo non curarent digniores fieri, vt meritis maioribus ad dignitates Eccleſiaſticas peruenire poſſent: quę omnia grauiſſimum damnum Eccleſiæ afferrent, quod impedire deberent ij, qui ex officio tenentur Eccleſiæ bono conſulere. Addo cum *Rebellio de oblig.iuſt.p.1. l.3.q.9 num. 12.Card.de Lugo ſupra, Maldero in 2.2.tr.9.c.1.dub.7.*& alijs, quòd in beneficiis etiam non vocatis maioris momenti, qualia ſunt Decanatus, Archidiaconatus, Canonicatus pingues, & ſimilia, nec ſemel liceret abſque graui culpa digniores prætermittere; quia licèt curam animarum non habeant, multùm tamen ex eis pendet Eccleſiæ bona adminiſtratio, & decor, ac pulcritudo Eccleſiaſtici cultus. Vnde idem à fortiori dicendum eſt cum eodem *Card.de Lugo* de ijs Canonicatibus, aut præbendis, quæ ratione muneris adiuncti peculiarem ſufficientiam exigunt, vt ſunt illi Canonici, qui eliguntur ad docendum, vel ad pœnitentiariam, vel ad tuenda iura Eccleſiæ.

Hinc in beneficijs iſtis ſimplicibus videtur quòd neque poſſit patronus laicus, neque ipſe beneficij inſtitutor præſentare, ſaltem communiter, niſi digniorem. Quia Eccleſia de ſe habet talem obligationem, vt iam vidimus, propter magna inconuenientia, & incommoda, quæ ſequerentur, ſi paſſim, & ſine delectu digniores prætermitterentur: Hæc autem incommoda conſequuntur, licèt ex patronorum pręſentatione dentur: Ergo &c. At melius diſtinguendum videtur cum *Card.de Lugo num.46.* Quædam enim ſunt quaſi ſupernumeraria, & quæ neceſſaria non ſunt ad debitum Eccleſiæ ordinem, & decorem qualis eſt Capella, quam aliquis ad ſuæ familiæ ſepulturam erigit, aſſignatis redditibus perpetuis pro Capellano: Eccleſia item Collegiata, quæ neceſſaria non erat, & ab aliquo inſtituitur, & dotatur redditibus pro Canonicis, & alia ſimilia. Alia verò ſunt beneficia ſimplicia quæ ex ſe ſunt aliquo modo neceſſaria, ad debitum Eccleſiæ ordinem, & cultum. V.g. Canonicatus, & Dignitates in Capitulo Eccleſiæ Cathedralis: beneficia item aliqua ſimplicia, quibus poſſunt

ali

ali Sacerdotes neceſſarij ad celebrandum, & inſeruiendum fidelibus; quę, & ſimilia etiam ſi priuata fidelium pietate non dotarentur pertineret tamen ad curam Paſtorũ prouidere de redditibus neceſſarijs ad eorum miniſtrorũ ſuſtentationem, exigendo decimas, vel alias contributiones à fidelibus, quibus neceſſarii Eccleſiæ miniſtri decenter viuere poſſent. Aptum exemplũ habemus in India Occidentali, in qua Hiſpaniæ Reges Eccleſias dotauerunt, aſſignatis ſtipendijs ſufficientibus omnibus Epiſcopis, Canonicis, & alijs Eccleſiæ miniſtris, reſeruato ſibi iurepatronatus, in quo quidem Eccleſię curã pręuenerunt: id tamen fecerunt: quod ſi non feciſſent, Eccleſia ipſa facere debuiſſet. Hac ergo diſtinctione præiacta aſſero cũ citato *Auctore num.*47. in beneficio ſimplici prioris generis inſtitutorem, & ex ipſius voluntate ſucceſſorem patronum laicum poſſe pro libito præſentare dignum, quem voluerit; beneficijs verò ſimplicibus poſterioris generis non poſſe communiter niſi digniorem, eo modo, quo Eccleſia ipſa non poſſet. Ratio autem eſt, quia in beneficijs ſupernumerariis non militat eadem ratio: Siquidem iam remanent totidem beneficia ſimplicia neceſſaria, quæ ſi dignioribus dentur, excitantur ſufficienter ſubditi ad ſtudia bonarum artium, & ad merita acquirenda: quod autẽ vltra illa ſint alia beneficia ſupernumeraria danda pro libito inſtituendis, nihil illis præiudicat. Alia tamen ſimplicia beneficia non ſupernumeraria, ſi permitterentur erigi ſine obligatione eligendi communiter digniorem, præiudicaretur bono communitatis, cum Eccleſia debuiſſet aliundè prouidere miniſtros illos cum obligatione eligendi communiter digniores, vt ſupra.

41 Secundum dubium eſt: An qui beneficium in alterius gratiam renunciat, debeat etiam quærere digniorem, an verò ſufficiat renunciare illi, quem dignum eſſe nouit.

Non pauci docent, eandem obligationem eſſe in reſignante, ſeu renunciante, quæ eſt in electoribus Ita *Sotus l.3.de iuſt.q.6. ar.2.in fine Nauar.miſcell.38. de orat.7. c.7. Palacios, & Nauarra* apud *Sanchez.d.c.1. dub.*7. Eandem ſententiam tenet *Vaſquez.d.c.2.§.4. dub.7. num* 77. Addunt *Nauarrus, & Vaſquez*, quos ſequitur *Paſſerinus num.*132.*Neuſſer* velut certo probabilius *ſupra num.*10.*reſp.*5.*illato* 8. non peccare, ſi renunciat in alium æquè dignum, ac ipſe erat, quia ſicut poterat ipſe retinere, poterit alium æque dignum ſubſtituere.

Aliqui tamen communiter dicunt non peccare, ſi renunciet in aliquem dignum, omiſſo digniori. Hanc ſententiam tenent *Salonius, Mercado*, & alij, quos affert, & ſequitur *Sanchez. num.4. Turrianus d.22. dub. 5. num.*11. *Caiet. & Sà*, quos affert, & ſequitur *Malderus tr.9.c.2.dub.7. Reginaldus to. 1.l.30.tr.3.c.*14. *n.*179.*Diana ſupra reſ.*31.*Serra ſupra, Azorius, Leſſius, Caſtropalus*, & alij, quorum aliqui expreſse etiam loquuntur de Prælato acceptante reſignationem, & conferente beneficium reſignatario minùs digno. Imo *Sanchez num.*5. dicit à fortiori id concedendum eſſe de

eo,

Digitized by Google

eo, qui confert digno ad inſtantiam renunciantis omiſſo digniori. *Vaſquez* etiam, & *Nauarra* fatentur hanc ſecundam ſententiam probabilem eſſe: & quidem id negari non poteſt, ſaltem propter auctoritatem communem.

Ipſe cùm *Card. de Lugo num.* 50. exiſtimo, regulam vnicam, & adæquatam in hoc puncto eſſe damnum, quod infertur, vel non infertur bono Eccleſiæ, ſi talis renunciatio fiat: cùm enim ex hoc Eccleſiæ damno oriatur obligatio tota eligendi digniorem, iuxta illam eandem regulam videndum eſt de reliquis.

42 Tertium dubium eſt: An indignus, vel minus dignus peccet petendo beneficium, & teneatur reſtituere.

Reſpondeo indignum peccare petendo id, ad quod ſufficiens non eſt, & teneri reſtituere Eccleſiæ, vel communitati ob damna omnia, quę ex ſui electione paſſa eſt, & renunciare beneficio, cui ſatisfacere non poteſt. Inſuper in ijs caſibus, in quibus dignus habebat ius ex iuſtitia commutatiua ad beneficium illud obtinendum, & eum impediuit, tenetur ei reſtituere pro damno iniuſtè illato, cum abſque vllo iure ſe illi oppoſuerit, & beneficium petierit, quod ſibi iure conferri non poterat, atque ideo cooperatus ſit ad id, quod electores non poterant ſine iniuſtitia præſtare. At dum dignus, cum digniore concurrit, in ijs caſibus, in quibus elector non peccat eligendo minùs dignum, omiſſo digniori, non peccabit etiam minùs dignus petens, vt detur ſibi beneficium, dummodo id ſine vi, & fraudibus faciat: quia tunc petit id, quod elector licitè facere poteſt. Quandó autem per vim, aut fraudem impediret digniorem, peccat contra iuſtitiam, & tenetur ei reſtituere iuxta quantitatem ſpei, quam dignior habebat de obtinendo beneficio. In illis verò caſibus, in quibus elector non poterat licitè omittere digniorem, *Turrianus d.* 23. *dub.* 3. *num.* 7. abſolutè docet, peccare grauiter minùs dignum, ſi petat præbendam, quando certò ſcit ex aliorum iudicio, ſe omnibus conſideratis eſſe minùs dignum. Ego in primis dico, raró contingere, quòd aliquis ſe iudicet minùs dignum, ita vt non poſſit ſaltem ſe iudicio electorùm ſubmittere, vt cum *Salonio* notauit *Sanchez d. c.* 1. *dub.* 48. *nu.* 3. quia putat, ſe licèt doctrina inferior ſit, applicatione tamen, ingenio, facundia, charitate, ad magiſterium præſtare alijs, vel probitate, prudentia, aſſiſtentia fore ſe vtiliorem beneficio, vel æquè vtilem; vel dubitare poteſt, an in alijs occulentur vitia aliqua hypocriſi; vel oſtentetur maior ſcientia, quàm re ipſa ſit; vel an electores aliquid ſciant, quod minus dignos illos reddat: quare poteſt ſe bona fide electorum iudicio ſubmittere, dummodò ſolum petat beneficium, ſi dignior, vel æquè dignus iudicetur; non tamen dignitatem ſuam ſuprà verum extollendo, aut aliorum dignitatem falſò diminuendo. Quando verò plures ſunt oppoſitores, quorum aliquis dignior te eſt, alius verò, vel alii minùs, vel æquè ſolum tibi digni, poteris etiam tu concurrere eo fine, vt ſi electores aliqua de cauſa nolint eligere illum digniorem, eli-

Digitized by Google

gant te potiùs, quàm illos alios minùs, vel æquè dignos. Non tamen teneris hanc tuam intentionem conditionatam electoribus explicaſſe, ſed ſatisfacis non petendo abſolutè beneficium, ſed ſolùm, quòd ſeruetur tibi ius, vel fiat tibi gratia, vbi licitè fieri poteſt. Ita *Card. de Lugo nu.90.* & alii.

43 Quartum dubium eſt. An promouere, ſeu eligere inſufficientem ad Magiſterium, vel Doctoratum in Medicina, vel in Iure Canonico, ſeù Cæſareo ſit peccatum mortale?

Affirmo cum *Sanchez l.2. conſil. c.1. dub.57.* per tot. quia ad quemlibet eorum poteſt quis confugere tanquam ad Iudicem, qui ſi ſit inſufficiens, erit pernicioſus animabus, vel corporibus.

Idem dicendum eſt de promouentibus notabiliter inſufficientem ad Doctoratum in Theologia, nam per talem gradum conſtituitur animarum medicus, ac Magiſter, ad quem confugientes poſsent decipi cum erroribus. Ita *D. Antoninus 2. p. tit. 3. c. 5. §. 6. Caietanus in ſumm. V. Doctoratus Sylu. V. Doctor q.4. Nauar. c.25. nu.55.*

Pariter eſt lethale promouere notabiliter inſufficientem ad gradum Licentiati, quia talis gradus dat facultatem Licentiato, vt ſine nouo examinè poſſit ad Doctoratum euehi, quando voluerit, & ſic ſequerentur damna ſupradicta.

Eſt ſemper mortale in promouentibus, & promotis, ſi adſit notabilis inſufficientia ad gradum, ob quem alij credent ipſis, quos ignorant eſſe notabiliter inſufficientes: ſecùs dicendum eſt, ſi ex gradu damnum graue non immineat, veluti ſi eſſet Bachalaureatus, vel gradus in artibus. Videatur *Sanchez ſupra num.5. & 6.*

PROPOSITIO XLVIII.

Tam clarum videtur fornicationem ſecundùm ſe nullam inuoluere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, vt contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

1 HVius ſub his terminis Auctor eſt *Caramuel in Theol. Fundam. fund.12. nu.541.* & *lib.3. Theol. Moral. num.1600.* & in *Theol. intent. num.1904. & Verde in Apologia pro Caramuele contra Borgiam q.3.* In his locis intendunt probare, Fornicationem non eſſe intrinſecè malam, ſed extrinſecè à prohibitione Diuina. Dabo concluſionem, & fundamentum *Caramuelis ex l.3. Theol. Moral. num.1600.* vbi ſic ait: *Si Deus fornicationem non interdixiſſet, non eſſet mala, nec peccatum. Et, vt puto, euidenter oſtendam, quia ſi duorum ſolutorum commixtio ſecundum ſe peccaminoſa eſt, vel*

quia

quia naturaliter mala ipſis, vel quia naturaliter mala proli. Neutrum poteſt dici. Ergo. Non primum; quia ſæpè contingit eſſe vtrique ſalubrem, & in tali caſu non eſt vtrique naturaliter mala; accedit, quòd ſi quando inſalubris dicatur, cum grauiter inſalubris non ſit, non poſſit eſſe grauiter peccaminoſa. Nec poterit dici ſecundũ;fornicatio enim mala proli non eſt, primo enim non poteſt dici mala phyſicè,quæ in cauſa eſt,vt homo,qui alias in rerũ natura nõ eſſet,producatur,quia ſi iniurius homini, qui illũ occidit,beneficus omninò qui illũ generat;imò beneficentior genitor, quam iniurius occiſor; iſte enim non poteſt facere, quòd homo, qui eſt, omninò non ſit: at ille efficit, vt qui omninò non eſt, eſſe incipiat. Aliqui ad educationem recurrunt, fatentur enim ipſam fornicationem eſſe proli phyſicè vtilem, ſed nociuam moraliter. Sed hoc eſt verbis ſolis obludere; nam ſi Auguſtinus dixit, Melius eſſe damnari,quàm annihilari,item diceret melius eſſe proli malè educatam eſſe, quam abſolutè in rerum natura non eſſe. Et ſanè mala prolium educatio potius ex paupertate, quàm ex fornicatione ſuboritur; Principum enim nothos optimè educatos videmus, cum tamen nulli diſciplinati mores inter viles, & mendicos. Potius igitur pauperum matrimonia venirent condemnanda, quàm diuitum fornicationes. Sed inquiunt, eſſe per accidens, quòd filij illegitimi Principum benè educentur: Dicunt, non tamen probant; veriſimilius enim videtur eſſe per ſe, quòd filij pauperum malè educentur. Sed eſtò ſit inter diuites bona Nothorum educatio omninò accidentalis, ergo ſi per accidens contingit, quòd filij fornicarij Principum benè educentur, etiam per accidens continget, quòd parentes fornicantes non peccent; & probo ſic: Ideò fornicatio interdicitur, quia ex illa mala prolium educatio ſequitur. Ergo ſi hæc non ſequeretur, non interdiceretur illa: finis igitur huius inhibitionis bona educatio eſt: atqui probabile eſt, quòd quando finis ceſſat per accidens in aliquo particulari, lex etiam ceſſet per accidens in particulari; ergo ſiquidem admittitur, quòd finis legis fornicationẽ prohibentis ſoleat in aliquo particulari ceſſare per accidens, admittendũ omninò eſt, ipſã legẽ ceſſare. Si dicas, ceſſante fine legis in particulari, ceſſare legẽ in particulari,non quidẽ diuinã,ſed humanã,putabis te aliquid dicere, & nihil omninò dices;legum enim humanarum finis aliquãdo vniuerſaliter ceſſat; at naturalium non aliter,quàm per accidens, & in particulari ceſſare poteſt. Patet in homicidio indirectè patrato: inuaſorem enim enim occidere poſſum non obſtante quinto præcepto Decalogi; tunc enim per accidens, & in particulari ceſſat præcepti finis, adeoque etiam ipſum præceptum: nec dabitur caſus,in quo legis naturalis finis ceſſet vniuerſaliter. Tunc ſic: Nulla ratione naturali oſtendi poteſt, ſimplicem fornicationem eſſe malam, & tamen malam eſſe in ſacris litteris aſſeritur: Ergo dicendum eſt non mala intrinſecè, & ex natura ſua, ſed extrinſecè ratione interdictionis, adeoque non eſſe prohibitam quia mala, ſed potius malam ſolummodo eſſe quia prohibita. Huc uſque *Caramuel*, quæ etiam habet in *Theol.intent.l.4 num.*1960. quibus voluit ſuſcitare errorem *Martini de Magiſtris de temper. qu.3.* contra quem feliciter pugnarunt *Caietanus* 2.2. *qu.*154. *ar.*2. & alii: & contra *Caramuelem* ſatis doctè pugnarunt *Ludouicus*

Digitized by Google

cus Creſpinus Borgias Epiſcopus Placentinus, & Orator Catholici Regis apud Romanum Pontificem pro cauſa Conceptionis Immaculatæ Dei Genitricis, & *Salmanticenſes tr.13.d.10.dub.6. Diana p.9.tr.9.reſ.48.* & alii.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Actus Venereus, qui poteſt benè, & malè fieri: benè ſi fiat iuxtà regulam rationis, ſi ſecus malè, differt ab actu luxurioſo, qui ſignificat exceſſum circa delectationes Venereas, eſtque actus Venereus inordinatus, & contra regulas rationis elicitus: luxuriæ enim nomen propriè dicit exceſſum in voluptatibus Venereis: impropriè in voluptatibus in omni materia: ſicut dicitur* Prou.20. Luxurioſa res eſt vinum.

3 *Blaſphemia eſt in Philoſophia, nedum in Theologia dicere, actum Venereum non poſſe exerceri ſine peccato: ſoli enim hæretici nuptias damnant:* & Auguſtinus *non dicit actum Venereum deijcere mentem à virtute, ſed ab arce virtutis, dum impedit, nè actu homo ſpeculetur diuina.*

4 *An omnis actus luxuriæ ſit ex ſuo genere malus, & peccatum? & quare?*

5 *An ſemper ſit malus formaliter, & radicaliter ſimul, vel quandoque ſolum radicaliter?*

6 *Comparatiuè ad quod ius aliqua ſunt mala, quia prohibita, & aliqua prohibita, quia mala? & malum ex ſuo genere ante conceptionem omnis legis quod malum dicitur?*

7 *Quæ eſt malitia Theologica, quæue Philoſophica? Vbi quantum enormiter in his aſſignandis* Caramuel *errauerit.*

8 *An ſit certum de fide, fornicationem eſſe malam mortaliter, ſaltem quia iure diuino eſt prohibita? Et à quibus teſtimonijs habeatur?*

9 *Cur* Actor.15. *adnumeretur fornicationis prohibitio cibis iure diuino non vetitis?*

10 *Quomodo multi Sancti Patres exercuerunt concubitum, alias fornicarium, ab ipſis verò à fornicationis malitia immunem?*

§. II.

11 *An fornicatio ſit ex ſe, & ex genere ſuo mala, & contra ius naturæ, & non ſolùm mala, quia interdicta? Et pars negans malitiam ex ſe cui cenſuræ ſubſtratur per Decretum? An ſit etiam error proximus hæreſi? Cur proſcripta intelligitur ipſa ſententia negans, ne dum Auctoris exaggeratio de claritate, &c.*

12 *An* Apoſtolus 1. Cor.6. *oſtendat malitiam fornicationis, & cuiuslibet actus luxurioſi argumentis petitis, non à præcepto Domini, quod ſupponit, ſed rationibus importantibus diſſonantiam ad rationem?*

13 *An rationes Apoſtoli ſint nedum probabiles, ſed irrefragabiles? & quid ſi eſſent merè probabiles?*

14 Pri-

14 *Prima, Apoſtoli argumentatio deducta ex eo, quòd corpus hominis ſit creatum ad participandam glorificationem Corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Dominus ad glorificandum eorum corpora.*

15 *Secunda, ex eo, quòd membra Chriſti Domini fiant membra meretricis.*

16 *Tertia, ex eo, quòd per fornicationem inquinat, & maculat corpus ſpeciali deformitate, & contumelia, dicaturque in ſuum corpus peccare, & quomodo?*

17 *Quarta ex eo, quòd membra noſtra templum ſunt Spiritus Sancti, ſuntque eorum, qui empti ſunt pretio magno.*

18 *An hæ argumentationes conuincant etiam in infidelibus fornicationem eſſe iure naturæ interdictam? & quid ſi probarent in ſolis fidelibus?*

19 *An ratio* D. Thomæ, *deducta ex eo, quòd in ſimplici fornicatione habeatur emiſſio ſeminis voluntaria contra rectum ordinem, & finem intentum à natura, ſitque contra debitam, & conuenientem educationem geniti, ſit efficax, & à priori?*

20 *An errauerit, ſibique fuerit contrarius* Tamburinus, *dicens non inueniri rationem à priori huius malitiæ ex ſuo genere.*

21 *Quæ pericula immineant proli in fornicatione?*

22 *An ratio deducta ex inordinata Venerea delectatione contenta in copula fornicaria, ſit valida? & quare ea non ſit in copula matrimoniali per ſe?*

23 *An fornicatio ſit illicita etiam ſi ea euitaretur periculum infamiæ, vitæ, &c. An opinio concedens, quòd fœmina conſcia nullitatis matrimonij poſſit reddere debitum viro inſcio nullitatis petenti, ob vitandam mortem, ſit erronea?*

24 *An fornicatio ſit illicita mortaliter non ſolum ex iure poſitiuo, ſed etiam ex iure naturali? An negatiua ſententia* Durandi *ſit erronea.*

25 *An malitia eſſet leuis ex natura ſua, prohibitio ſuperueniens effeciſset grauem? & cur minimè?*

26 *An ſimplex fornicatio ſit ex ſuo genere grauius peccatum, quàm furtum?*

27 *Cur amentia, & violentia poſſit excuſare à malitia fornicationis, & non metus mortis?*

§. III.

28 *Cur fornicatio eſt mala proli, quamuis fornicator det illi eſſe, ſeù in cauſa ſit, vt homo, qui aliàs in rerum natura non eſſet, producatur?*

29 *Cur non ſit proli in fornicatione melius eſſe, quàm non eſſe, & in quo ſenſu?*

30 *Cur etiam ſi videamus aliquos Principum, aut diuitum nothos optimè educatos, adhuc ratio* D. Thomæ *procedat?*

31 *Cur malè infert* Caramuel, *quòd potius pauperum matrimonia venirent condemnanda, quàm diuitum fornicationes?*

32 *An dictum* D. Thomæ, *quòd per accidens ſit, quòd quandoque aliquis illegitimus benè educetur, intelligatur per excluſionem, quod ceſſante fine legis*

gis, in caſu particulari ceſſat lex pro illo caſu? Et qui finis debet ceſſare, & quomodo etiam ſi admittatur ſententia quorundam docentium, quòd ceſſante fine legis in caſu particulari ceſſet lex pro illo? An dictum Angelici poſſit etiam benè intelligi, per id, quòd lex prohibitionis reſpicit periculum, non caſum ſingularem?

33 *Cur Deus poſſit præcipere alicui, quòd exerceat actum fornicationis, non obſtante quod fornicatio ſit mala ex ſua natura?*

34 *An, & in quo ſenſu poſſit dici fornicatio naturalis, & non excludatur eius malitia?*

35 *An fornicatio ſit mala ex omnibus capitibus nempè ex parte concupiſcentiæ, materiæ, & finis?*

36 *An fornicatio aduerſetur charitati Dei, & proximi, & quomodo?*

37 *Quomodo intelligatur* Ambroſius *dicens, quòd per opera pietatis ille, qui lubricum carnis patitur liberatur a perditione æterna?*

38 *Cur non omnis inordinatus vſus ciborum ſit peccatum mortale, benè verò omnis inordinatus concubitus?*

§. IV.

39 *An poſſit dari ignorantia inuincibilis de fornicatione ſimplici, & in quibus hominibus?*

40 *An aſſerens ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum, ſit ſtatim vt hæreticus denunciandus?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò, ne æquiuocetur ab actu luxuriæ ad actum Venereum abſolutè, quòd vſus Venereus poteſt benè, & malè fieri: benè, ſi fiat iuxta regulam rationis, quando, quomodo, & propter quod oportet: quo pacto exercuerunt, & exercent eum Sancti coniugati in ſuis legitimis matrimoniis; malè ſi exerceatur contra regulas rationis, vt faciunt peccatores: actus autem luxuriæ ſignificat vſum Venereum inordinatum, & contra regulam rationis elicitum; ſicut & Gula ſignificat appetitum inordinatum ciborum: vt enim docet *D. Iſidorus in lib. Etym.* luxurioſus dicitur quaſi ſolutus in voluptates; voluptates autem maximè ſoluentes animum hominis ſunt voluptates Venereæ, iuxta illud *D. Auguſtini in lib. Soliloq. Nihil eſſe ſentio, quòd magis deijciat animum virilem, quàm blandimenta fœminæ, corporumque contactus.* Et breuiter (quidquid Grammatici ſcribunt) apud Philoſophos, & Theologos luxuriæ nomine non venit propriè niſi exceſſus circa delectationes Venereas. Quòd ſi luxuriæ nomen aliquando transfertur ad ſignificandum exceſſum voluptatis in-

qua-

Digitized by Google

qualibet alia materia diuerſa à voluptatibus Venereis; accipitur luxuria large, & non propriè, vt accipitur hic: velut cum dicitur *Prouerb* 20. *luxurioſa res eſt vinum:* intelligitur vel vinum immoderatum luxuriā cauſare, & ſic eſt luxuria non formaliter, ſed cauſaliter, ſicut Deus dicitur ſpes noſtra, quia facit nos ſperare: vel intelligitur de luxuria large pro qualicumque exceſſu delectationis in quacumque materia: dici etiam poteſt, ſicut temperantia ſimpliciter, ſeu principaliter verſatur circa delectationes tactus, ſecundario autem, & per quandam ſimilitudinem extenditur ad moderandas delectationes alias in qualibet alia materia; ita per oppoſitum intemperantiam illi contrariam extendi ad luxuriam, quæ propriè, & principaliter verſatur circa delectationes Venereas, ſecundariò, & per quandam ſimilitudinem extenditur ad omnem aliam ſuperfluitatem, & dicitur delectatio in qualibet alia materia, in quo ſenſu, & non aliter loquitur *Gloſſa ad Galat.*5. cum dicit luxuriam eſſe ſuperfluitatem qualemcumque, & in qualibet materia. Ita *D.Thomas* 2.2.*q.*154.*ar.*1.*ad* 6.

Si dicas, male diſtingui inter actum Venereum, & actum luxuriæ: quandoquidem nullus actus Venereus exerceri poteſt ſine peccato, quemadmodum & actus luxuriæ; quilibet enim actus Venereus deiicit *mentem ab arce virtutis*, vt inquit *D.Auguſtinus*; in quolibetque actu Venereo interuenit tanta ſuperfluitas ex 6.*Ethic.* vt ratio totaliter abſorbeatur, & durante tali actu, nihil intelligi queat. Et *D.Hieronymus* addit: dum Prophetæ eſſent in actu Venereo cum ſuis vxoribus, Spiritum Sanctum eorum corda non tetigiſſe, cuiuſmodi damna rationi inferri nequeunt ſine peccato, vt videtur:

3 Contra eſt; nam blaſphemia eſt in Philoſophia ipſa, nedum in Theologia, dicere actum Venereum non poſſe exerceri ſine peccato, quando apud nos actus matrimonialis nedum eſt actus virtuoſus; verum etiam actus veri Sacramenti: & ſoli hæretici nuptias damnant, contra quos inter alios egregiè diſputat *D. Auguſtinus in lib.de bono coniugali*: ſimiliter apud Philoſophos lumen ipſum naturæ oſtendit actum matrimonialem eſſe virtuoſum dum exercetur ſecundum regulas rationis: Virtuoſumque dicitur, quod conſonat rationi, Vitioſum quod rationi diſſonat: quid autem rationabilius eſſe poteſt, quam vt actus matrimonialis (per quem genus humanum conſeruatur) exerceatur? cum aliis, quæ in progreſſu dicentur. Actus autem luxuriæ ſemper importat exceſſum contra regulam rationis: ideò non eſt ſimile de actu luxuriæ: Et ad inſtantias in contrarium dico, ſi ratio teneretur ſemper in actu exercito contemplari diuina, fore, vt omnis vſus Venereorum retrahens à contemplatione eſſet peccatum: At non eſt ita; obligatio enim ad impoſſibile eſſet; cum homo teneatur vacare etiam aliis negotiis neceſſariis ſuæ familiæ, incompoſſibilibus cum actuali diuinorum contemplatione, ideò ſicut diſtractio à contemplatione propter alia negotia peccatum non eſt: ita nec diſtractio propter exer-

cen-

cendam generationem conſeruatiuam generis humani; & ita ruunt cuncta, quæ obiiciuntur: & cautè *D.Auguſtinus* non dicit, actum Venereum deiicere mentem à virtute, ſed dicit deiicere ab arce virtutis: reuera enim talis actus ſtat cum charitate, & aliis virtutibus, & tantum impedit ne actu homo ſpeculetur diuina: quæ actualitas ſpeculationis eſt ſupremum faſtigium perfectionis, ad quod ratio, & quælibet virtus pertingere poteſt.

4 Notandum eſt ſecundò, ex *D.Thoma de malo q.15.ar.1.* omnem actum luxuriæ eſſe ex ſuo genere malum, ſeù peccatum; quia, vt ait etiam *S.Doctor hic*: luxuria importat inordinationem quandam circa concupiſcentias delectationum Venerearum ſecundum ſuperabundantiam; luxuria enim eſt vitium quoddam oppoſitum temperantiæ, prout moderatur concupiſcentias delectationum tactus circa Venerea: non ſecus ac gula opponitur temperantiæ, quatenus eſt moderatiua concupiſcentiarum circa delectabilia tactus in cibis, & potibus. Ergo cum ſignificatum luxuriæ propriè importet, quid inordinatum, & ſuperexcedens regulam rationis, nequit ex ſuo genere non eſſe mala, & peccatum: ſicut enim virtus in actibus humanis conſiſtit in conformitate ad regulam rationis, ita & vitium in deformitate vel per exceſſum, vel per defectum, vt dicitur *2.Ethic.* quòd virtus corrumpitur per ſuperfluum, & per diminutum. Et ſi alicubi eſt opus regula rationis, ait *D.Thomas 2.2.qu.154.ar.3.in corp.* permaximè eſt in vſu venereorum, & ciborum: eo quod permaxima eorum delectatio ſolet mentem deiicere actu ab arce virtutis, ſecundum *D.Auguſtinum*; & tamen eſt permaximè neceſſarius vſus ciborum ad conſeruandam naturam indiuidui, & vſus Venereorum ad conſeruandam naturam ſpeciei: & quantò aliquid eſt magis neceſſarium, tantò diligentiùs curandum eſt, vt circa illud ordo rationis ſeruetur: cum igitur formale ſignificatum luxuriæ importet exceſſum regulæ rationis in vſu Venereorum, iure luxuriæ actum eſſe ex ſuo genere malum, & peccatum ſtatutum eſt.

5 Notandum eſt tertiò, actum luxuriæ eſſe ſemper malum vel formaliter & radicaliter ſimul, vel ſaltem radicaliter. Probatur, & explicatur hoc cum *D.Thoma cit.q.15. de malo ar.19.* nam inordinatio dupliciter contingere poteſt. Primò in ſolis paſſionibus interioribus, vt ſi quis intus ardeat ad luxuriandum, tamen nullum actum exteriorem luxuriæ exerceat; ſecundò in actibus ipſis exterioribus, qui procedentes ex immoderato appetitu interiori: nequeunt & ipſi inordinati non eſſe, vel in ſe ipſis, vel ſaltem radicaliter, cum procedunt ex immoderato appetitu: motiuum enim inficere ſolet opus, ad quod mouet: Exemplum primi, cum quis ex nimia concupiſcentia fornicatur, fornicatio eſt actus inordinatus, & in ſe ipſo formaliter, & in ſua radice, quæ eſt interior immoderata concupiſcentia: Exemplum ſecundi, cum quis ex nimio ardore libidinis accedit ad vxorem, exercens actum matrimonialem, vt conuenit:

actus

actus matrimonialis in ſe ipſo formaliter ordinatus eſt, tamen radicaliter habet maculam inordinatæ libidinis, ex qua proceſſit, ideò veriſſimum eſt, non dari actum luxuriæ, qui non ſit inordinatus, & malus, vel formaliter, & radicaliter ſimul (vt in fornicante) vel ſaltem radicaliter, vt in coniugatis, & quando dicitur, actum luxuriæ ſignificare aliquid inordinatum, debet intelligi de inordinato actu, vel formaliter, vel ſaltem radicaliter, vt ſupra.

Notandum eſt quartò, ex eodem *S. Doctore* 1.2. *qu.*71.*ar.*6.*ad* 4. quòd licèt peccata alia ſint mala, quia prohibita, alia verò ſint prohibita, quia mala comparatiuè ad ius poſitiuum: omnia tamen ſunt mala, quia prohibita comparatiuè ad legem æternam, & ius naturale, quod primò continetur in lege æterna, & ſecundariò in naturali iudicatorio rationis humanæ; vnde formaliter nihil eſſet peccatum, & malum, niſi per aliquam legem ſiue æternam, & naturalem, ſiue poſitiuam prohiberetur. Differentia tamen eſt inter ea, quæ ſunt intrinſecè mala, & ea, quæ in ſe mala non ſunt, ſed ſolum mala, quia prohibita; quod illa, etiam ſi nulla lege prohiberentur, quamuis non eſſent mala formaliter, & peccata, eſſent tamen mala fundamentaliter, inquantum inuoluunt aliquid contrarium diuinis perfectionibus, & petunt ex ſe prohiberi per legem æternam, & naturalem, quæ in illa continetur. Iſta verò ſi nulla lege prohiberentur, nullam inuoluerent ex natura ſua malitiam: vnde datur malum ex genere ſuo tale: & licèt antecedenter ad prohibitionem legis æternæ (antecedentia quidem naturæ, ſeu conceptionis) illud agere non eſſet formaliter peccatum, quia peccatum formaliter ſupponit aliquam legem, cui contrarietur, eſſet tamen malum, & fundamentaliter peccatum: & datur aliquod, quod ex genere ſuo non eſt malum, ſed eſt tale, quia lege aliqua poſitiua ſiue diuina, ſiue humana eſt interdictum. Propoſitio ergo prædicta, non intendit fornicationem non fore malam formaliter, niſi lege æterna, & naturaliter eſſet interdicta; adeò vt in ſe eſſet mala fundamentaliter: ſed intendit quod in ſe, & ex genere ſuo nullam inuoluit malitiam, nec fundamentalem: vnde non eſt lege æterna, & naturali prohibita, ſed in ſe mala non exiſtente, mala eſt, quia interdicta, iure ſcilicet poſitiuo.

7 Notandum eſt quintò: Supponere *Caramuelem* in pluribus peccatis eſſe duplicem malitiam, aliam Theologicam, aliam Philoſophicam, iuxta *Angelicum Doctorem cit. ar.*6.*ad* 5. vbi ait: *A Theologis conſideratur peccatum præcipuè ſecundū quod eſt offenſa contra Deum; à Philoſopho autem morali, ſecūdū quod contrariatur rationi.* Et ideò primum genus malitiæ vocat *Caramuel* Theologicum, ſecundū verò Philoſophicum. Hanc tamen malitiam Philoſophicam dicit eſſe indecentiā quandam, qua actio dedecet naturam rationalem, qualis eſt ingratitudo, inconſtantia, &c. Subiungit, malitiam Theologicam offendere Deum vt legiſlatorem; malitiam autem moralem offendere Deum, vt naturæ conditorem. Hinc infert, nullum actum eſſe

malum malitia Theologica,niſi quia prohibitus. Vnde ſi Deus non prohiberet illum actum, non eſſet malus Theologicè. Aliqui tamen actus habēt etiam malitiam Philoſophicam, nempe qui contrariantur rationi: V.g. eſſe ingratum, inconſtantem, mendacem, &c. qui prohibiti ſunt, quia mali. Sed hæc doctrina erronea eſt, nec ſtat cum vera doctrina *D. Thomæ*. Primò, nam iuxta S.Doctorem, non eſt malitia Theologica, quæ offendit Deum vt legiſlatorem, ſed malitia, quatenus offendit Deum. Secundò: Nam malitia, quæ offendit Deum, vt conditorem naturæ, non poteſt non conſiderari à Theologo: cuius eſt conſiderare quidquid dicit relationem ad Deum; ſed iuxta *Caramuelem*, malitia Philoſophica offendit Deum vt conditorem naturæ. Ergo etiam malitia Philoſophica non poteſt non conſiderari à Theologo ſub hac ratione, atque adeò includit malitiam Theologicam. Quare malitia Theologica non rectè definitur, ſecundum quod reſpicit Deum vt legiſlatorem, ſed ſecundum, quod reſpicit Deum. Malitia verò Philoſophica non reſpicit Deum neque vt conditorem naturæ; ſed ſolum talis eſſe intelligitur, ſecundum quod diſſonat rationi: Dico *talis eſſe intelligitur*, non verò talis eſt diſtincta a parte rei à Theologica, nam inſeparabilis eſt; in eo enim quòd diſſonum eſt rationi implicitè venit diſſonantia auctori rationis: hæc addo vt excludatur ſententia erronea modò reiecta ab Alexandro VIII. de peccato Philoſophico continente ſolum malitiam venialem. At de hoc latè (Deo fauente) in mea Lucerna Tetramyxon.

8. Notandum eſt ſextò: certum eſſe de fide, fornicationem eſſe peccatum mortale, ſaltem, quia iure diuino eſt prohibita, vt habetur in *Clem. ad noſtram de hæreticis*, & ex Sacra Scriptura *Deuteronom.23.Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filijs Iſrael*: Cautè tamen legi debet dictum *Gloſſæ* circa præallatum præceptum, cum enim dicit, per illud prohiberi accedere ad eas, *quarum eſt venialis turpitudo*: codex mendoſus eſt: non debet legi *venialis*, quaſi turpitudo meretricia ſit peccatum veniale, error enim manifeſtus eſt iſte, ſed debet legi, *quarum turpitudo venalis eſt*; proprium enim eſt meretricum ſuas carnes vendere, aut venales habere, vt rectè *S.Thomas 2.2.qu.154.ar.2.* Item *Tob.4. Attende tibi à fornicatione, & præter vxorem tuam non patiaris crimen ſcire. Ad Hebr.13. Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus. 1.Cor 6.Fugite fornicationem: & ad Gal.5. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, & luxuria: & qui talia agunt regnum Dei non conſequentur*: certum eſt autem, ſolum peccatum mortale excludere à regno Dei. *Matthæi 15. De corde exeunt fornicationes, adulteria, &c. & hæc coinquinant hominem*. Et quando non eſſet aliud præceptum, intelligeretur prohibita fornicatio, per præceptum *Non mæchaberis*: per *illud* enim *præceptum* (inquit *S.Thomas cit.c. 15.de malo ar.2.ad 2.intelligitur prohiberi omnis illicitus vſus genitalium membrorum, qui de genere ſuo eſt peccatum mortale*. Exprimitur autem ſolum adul-

terium;

Digitized by Google

terium: quia, vt ſubdit *Doctor Angelicus ad tertium*, præcepta Decalogi tra-duntur expreſsè ſecundùm eam formam, prout ſunt manifeſta naturali rationi cuiuslibet hominis etiam popularis: quilibet autem ſtatim ratione naturali aduertere poteſt adulterium eſſe peccatum, & ideo in ſexto præcepto exprimitur adulterium. Fornicatio verò, & aliæ corruptelæ ibi includuntur, & explicite prohibentur per ſequentia legis præcepta, quæ à Deo tradita ſunt populo per Moyſen; quia ſcilicet horum inordinatio, cum non manifeſte contineat iniuriam proximi, non eſt omnibus manifeſta: ſed ſolum ſapientibus, per quos debet ad aliorum notitiam deriuari. Denique in Decreto *c.Prædicandum 22 q.1.* legitur: *Noſſe debent talem de periurio pænitentiam imponi debere, qualem de adulterio, & fornicatione, & de homicidio ſpontè commiſſo, & de cæteris criminalibus vitijs.* Vbi fornicatio ponitur inter vitia criminalia, ſeu mortalia.

9 Nec huic veritati obſtat primò locus *Actorum 15.* ibi: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere oneris vobis, quàm hæc neceſſaria, vt ſcilicet abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine ſuffocato, & à fornicatione:* vbi adnumeratio illa facta eſt fornicationis cum comeſtione ciborum prædictorum: Atqui peccatum contra ius diuinum non erat comedere cibos prænarratos: Ergo nec fornicatio. Reſpondet enim *D.Thomas cit.qu.15.art.1.ad 1.* his verbis: *Ad primum dicendum, quod Apoſtoli volentes in primitiua Eccleſia conuerſos ex gentibus ſimul in vnum conuenire cum his, qui ex Iudæis erant conuerſi, impedimenta huius vnionis excluſerunt, ex vtraque parte amputantes id, quod alijs oneroſum eſſe poſſet; & ideo Gentibus interdixerunt, quæ Iudæis erant moleſta, non ſub hac conſideratione an eſſent peccata, vel non, ſed ſolum quia ſcandalum faciebant. Gentiles enim exiſtimabant omnem cibum ſecundum ſe licitum eſſe ad edendum, quod verum erat: ſed Iudæi hoc abhorrebant propter priſtinam legis conſuetudinem, & ideo Apoſtoli Gentilibus interdixerunt pro tempore illo cibos maximè abominabiles Iudæis. E contrariò vero Gentiles falsò exiſtimabant fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum, quam Iudæi vere ſicut peccatum abominabant, inſtructi per legem; & ideò hoc etiam Apoſtoli prohibuerunt tanquam peccatum, & per hoc diſſidia abſtulerunt.* Hæc S.Doctor. Vbi nota verba illa, *pro tempore illo*; nam prohibitio fuit tantum facta pro illo tempore: cum autem nunc ceſſauerit cauſa prohibitionis generaliter, ideo nunc non eſt prohibitum iis cibis veſci.

10 Non obſtat ſecundò, quod multi Sancti Patres exercuerunt fornicationem abſque reprehenſione aliqua, vt de Abrahâ legitur *Geneſis 16.* acceſſiſſe ad Agar ancillam ſuam; & de Iacob *c.30.* refertur acceſſiſſe ad ancillas vxorum ſuarum, Balam, & Zelpham; & de Iuda *c.38.* additur acceſſiſſe ad Thamar. Reſpondet enim idem *Angelicus Doctor 2.2. q.154. ar.2. ad 3.* Abraham, & Iacob acceſſiſſe ad ancillas non concubitu fornicario, ſed matrimoniali; tunc enim ad multiplicandum populum Iſraeliticum, admittebantur plures vxores. De Iuda autem non eſt cur ſolicitemur excuſare

eum à peccato: quandoquidem ille fuit auctor venditionis ſui fratris Ioſeph:& ſi commiſit facinus tam enorme; mirum non erit,ſi commiſerit facinus minus fornicationis cum *Thamar*.His prænotatis:ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

11 DIco primò:Fornicatio ex ſe,& ex genere ſuo eſt mala,& contra ius naturæ,& non ſolùm mala,quia interdicta Iure poſitiuo: Et contrarium aſſertum, hoc Decreto, vt minimùm tanquam ſcandaloſum remouetur: at grauiori cenſura ablegandum: nam *Sapientiſſimus Sotus l.5.de Iuſtit.a q.3.ar.3.*& alij merito contendunt eſſe errorem proximum hæreſi: Et in *Director.Inquiſit.p.2.qu.4.*inter cæteros errores Rabbi Moyſis *nu.*11. ponitur iſte, quòd ſimplex fornicatio nullo modo eſt peccatum de iure naturali; ſed ſolùm ex prohibitione legis: vnde ante legem datam fuiſſet licitum fornicari. Et quod non tantùm Propoſitionem cenſura vrat ſecundum illam exaggerationem de claritate ſententiæ de immunitate fornicationis ex natura ſua à malitia,& irrationabilitate oppoſiti, ſed ſecundum ipſam ſententiam aſſerentem talem immunitatem, omnes ſcribentes poſt hoc Decretum vel expreſsè fatentur, vel ſupponunt. Et quidem credendum non eſt, Sedem Apoſtolicam tantùm de verborum iactantia iudicaſſe, nihil verò de ipſa re;an ſcilicet, fornicatio natura ſua ſit immunis à peccato:quæ res grauiſſima eſt, vtpotè pertinens ad mores in materia vna omnium maxime lubrica;quare falsò dicit *Caramuel*, hanc quæſtionem nihil ſpectare ad praxim: Nam peccata contra ius naturæ, quò grauiora cenſentur, eò maiori contentione vitantur; & prætererea, quia ex contraria ſententia aliquis poſſet deducere in aliquo caſu neceſſitatis, putà ob vitandam mortem,&c.eſſe licitam fornicationem; nam præcepta poſitiua etiam diuina non ſolent obligare in tanta neceſſitate; prout ſapientiſſime vrgent *Salmanticenſes* contra *Caramuelem* in pollutione, vt videbimus,& oſtendemus in Comment.Propoſitionis ſequentis.

12 Probatur primò: Sententia contraria aduerſatur doctrinæ, quam tradit *Apoſtolus c.2.Epiſt.ad Corinth.*vbi demonſtrat malitiam fornicationis, & cuiuslibet actus luxurioſi repugnare iuri naturali: Ergò. Probatur antecedens: quia ibi oſtendit malitiam fornicationis,& cuiuslibet actus luxurioſi,multis argumentis petitis, non à præcepto Domini, quod ſupponit, ſed à varijs rationibus:Sed implicat,quod malitia probetur argumentis petitis à ratione,& quod ea malitia non ſit diſſona rationi: Ergo malitia fornicationis,& cuiuslibet actus luxurioſi eſt diſſona rationi.Sed eſſe diſſonam rationi eſt repugnare iuri naturali: Ergo Apoſtolus oſtendit talem malitiam

tiam repugnare iuri naturali. Maior conſtat ex contextu capitis, & ex ipſis rationibus, ad quas proponendas iam accedo.

13 Dices, rationes Apoſtoli eſſe merè probabiles, non verò irrefragabiles.

Sed contra eſt primò: Eſtò rationes Apoſtoli eſſent merè probabiles, adhuc negari non poſſet Apoſtoli doctrinam eſſe contrariam tali ſententiæ, quod ſufficeret ad meritum proſcriptionis.

14 Contra eſt ſecundò: quia rationes Apoſtoli ſunt irrefragabiles: Ergo nulla reſponſio. Antecedens probabitur ſingulas afferendo. Apoſtolus primum argumentum proponit dicens: *Corpus autem non fornicationi, ſed Domino, & Dominus Corpori. Deus verò, & Dominum ſuſcitauit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.* Quorum verborum (vt patet ex *D. Chryſoſtomo, D. Ambroſio, D. Thoma, Salmerone, Iuſtiniano*, & alijs in *hunc locum*) ſenſus eſt, Corpus hominis non fuiſſe creatum ad fornicandum, ſed participandam glorificationem Corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti; & Dominus ad glorificandum eorum corpora. Cuius glorificationis pignus, & ſpem dedit Deus nobis reſuſcitans Chriſtum Dominum; quia eodem modo nos reſuſcitabit. Hinc autem conficitur irrefragabile argumentum, Deus ordinauit corpus hominis, vt eſſet particeps glorificationis Corporis Chriſti Domini. Sed indecens eſt, & rationi diſſonum, quod corpus creatum ad tam ſublimem finem inquinetur fornicatione: Ergo indecens eſt, & rationi diſſonum; quod corpus creatum ad tam ſublimem finem inquinetur fornicatione: Ergo indecens eſt, & rationi diſſonum, quod corpus hominis exerceat fornicationem. Eſt ergo iure naturali mala moraliter fornicatio.

15 Secundum argumentum proponit Apoſtolus verbis immediatè ſequentibus, vbi ſic ait: *Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum Corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, vnus Spiritus eſt. Fugite fornicationem.* Quod argumentum licèt clarè, & formaliter ab Apoſtolo instructum, tamen poteſt ſic ad formam Dialecticam componi. Indecens eſt, & rationali homine indignum, velle, quod membra Chriſti Domini fiant membra meretricis, horret enim animus vel id cogitare: Atqui corpora ſunt membra Chriſti: Ergo indecens eſt, & homine rationali indignum, quod corpora noſtra fiant membra meretricis. Sed qui ſcortatur, corpus ſuum facit membrum meretricis, quia per copulam carnalem ſunt duo in carne vna. Ergo indecens, & rationali homine indignum eſt, quod ſcortetur; eſt ergo naturali iure mala ſcortatio. Quomodo cum ea verba, *Erunt duo in carne vna*, dicta ſint de matrimonio, accommodet Apoſtolus fornicationi, explicuit *S. Thomas in hunc locum lect. 3.* his verbis: *Sunt enim hæc verba Adæ de viro, & vxore loquentis, quæ Apoſtolus hic etiam ad fornicationem refert, quia ſecundum ſpeciem naturæ non differunt vtriuſque actus.* Et eodem

modo

modo id explicant SS. Patres, & Interpretes. Et *S. Thomas* ibidem etiam Scholaſtico more explicat eam Apoſtoli argumentationem, his verbis: *Deindè cùm dicit: Neſcitis &c. ponit ſecundam rationem, quæ ſumitur ex affinitate humani corporis ad Chriſtum. Quæ talis eſt. Membra hominis fornicantis ſunt membra meretricis: Sed membra hominis ſunt membra Chriſti: Ergo per fornicationem fiunt membra Chriſti membra meretricis, quod eſt inconueniens.* Proſequiturque poſtea *Angelicus Doctor* explicans per partes hanc argumentationem Apoſtoli. *S. Chryſoſtomus* etiam latè perpendit hanc argumentationem Apoſtoli, & inter alia ait: *Hoc tamen in loco, vt perterreret, hoc poſuit; Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. Nihil hoc verbo horribilius: non dixit, Tollens ergo membra Chriſti, coniungam meretrici, ſed faciam membra meretricis, quod magis tangit.* Similia habet *Caietanus in eundem locum.* Quis ergo negabit, eſſe diſſonum rationi, quod Apoſtolus aſſumit ad perterrefaciendum; & quod *Chryſoſtomus* affirmat eſſe horribile in ſummo gradu? Et inferius ait; *Non enim corpori veſtro contumeliam facitis, quia non veſtrum corpus eſt, ſed Chriſti:* Quam rationem multis proſequitur *Chryſoſtomus*.

16 Tertium argumentum proponit Apoſtolus verbis ſequentibus: *Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Hoc eſt: Peccatum luxuriæ inquinat, & maculat corpus; & eſt corporis ſpecialis deformitas, & contumelia; quam ſpecialem corporis inquinationem, & contumeliam non afferunt cætera peccata. Sed hanc inquinationem moralem certum eſt non prouenire à ſola Dei prohibitione. Ergo prouenit ex eo, quod ea malitia ſit ſpecialiter diſſona rationi, & quæ dedecet naturam rationalem, atque adeo iure naturæ vetita. Vt *S. Thomas* explicet hanc ſpiritualem inquinationem, in eundem locum inquit: *Apoſtolus non dicit: Qui fornicatur, corpore ſuo peccat, ſed peccat in corpus ſuum, ideſt contra corpus ſuum, corrumpendo, & inquinando illud præter vſum rationis. Vnde & Apocal. 3. Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua, ideſt, corpus: & Apocal. 14. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati.* Eſt autem diſſonum rationi, & conſequenter malum iure naturali, corrumpere, & inquinare corpus præter vſum rationis. Quod idem dixerat *Angelicus Doctor 2.2. q. 154. ar. 3. ad 2. Dicendum, quod ille, qui fornicatur, dicitur peccare in corpus ſuum, non ſolùm quia fornicationis delectatio conſummatur in carne, quod etiam in gula accidit, ſed etiam quia contra bonum proprij corporis agit, qui fornicatur, in quantum ſcilicet indebitè reſoluit illud, & inquinat, & alteri commiſcet.* Benè etiam *Salmeron. tom. 2. in Epiſtolas B. Pauli* hunc locum Apoſtoli ſic explicat: *Dicendum tamen multa eſſe peccata, quæ extra corpus eſſe dici poſſunt, etiamſi illud debilitent, ac eneruent, aut dehoneſtent, vt ſunt quæ obiecta ſunt* (ingurgitatio, ebrietas, &c.) *& in ratione effectus corpori vehementer noceant. Solà autem fornicatio in corporis ſui iniuriam tendit, dum illud reddit obnoxium ſeruituti*

mere-

Digitized by Google

meretricis, etiam ſi alioqui fornicatio corpori non noceret. Ecce qualiter fornicator in corpus ſuum peccat non propter nocumentum phyſicum, ſed propter morale, atque adeo propter aliquid rationi diſſonans.

17 Quartum argumentum proponit Apoſtolus iis verbis: *An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo? Et non eſtis veſtri: empti enim eſtis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.* In quibus verbis reuera argumentum eſt duplex. Alterum: Dedecet, & rationi diſſonat, quod templum Spiritus Sancti fędetur, & inquinetur obſcęnis voluptatibus: Sed corpus hominis pręcipuè iuſti, eſt templum Spiritus Sancti: Ergo dedecet, & rationi diſſonat quod corpus hominis fędetur, & inquinetur obſcęnis voluptatibus. Alterum. Dedecet, & rationi diſſonat, eum, qui eſt emptus locupletiſſimo pretio, ſe ipſum vilipendat, & inquinet contra voluntatem emptoris: Sed homo emptus eſt pretioſo Sanguine Chriſti Domini: Ergo dedecet, & rationi diſſonat, quod ſe ipſum vilipendat, & inquinet fędis voluptatibus contra voluntatem Chriſti Domini Redemptoris. Vim clarius percipies ex iis, quæ S. Thomas habet in commentario huius loci *cit. lect. 3. in fine: Deinde* (inquit) *cum dicit Apoſtolus: An neſcitis &c. ponit quartam rationem, quæ ſumitur ex dignitate gratiæ, quæ quidem ex duobus conſurgit, ſcilicèt, ex gratia Spiritus Sancti, & ex redemptione Sanguinis Chriſti. Circa hoc igitur tria facit. Primò proponit dignitatem corporis noſtri, quam habet ex gratia Spiritus Sancti dicens, An neſcitis, quaſi dicat, ignorare non debetis, quoniam membra veſtra, ſcilicet corporalia, templum ſunt Spiritus Sancti. Eſt autem Spiritus Sanctus principaliter quidem in cordibus hominum, in quibus charitas Dei diffunditur per Spiritum Sanctum, vt dicitur Romanorum 5. Sed ſecundario etiam eſt in membris corporalibus, inquantum exequuntur opera charitatis. Vnde in Pſal. dicitur, Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Secundò ponit dignitatem, quam habent corpora noſtra ex redemptione Sanguinis Chriſti, dicens: Et non eſtis veſtri, ſed Ieſu Chriſti, ſecundùm illud Roman. 14. Siue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. Rationem huius aſſignat, dicens: Empti enim eſtis pretio magno: & ideo ſerui eſtis eius, quos redemit de ſeruitute peccati: vnde infra 7. dicitur: Qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Pretio enim empti eſtis. Dicitur autem pretium redemptionis magnum, quia non eſt corruptibile, ſed æternam habens virtutem, cum ſit Sanguinis ipſius Dei æterni. Tertiò infert concluſionem intenſam dicens. Glorificate ergo, & portate Deum in corpore veſtro. Quia enim membra veſtra ſunt templum Dei, in corpore veſtro nihil debet apparere, niſi quod ad gloriam Dei pertinet, & hoc eſt glorificare Deum in corpore veſtro: quia in Pſal. dicitur: In templo eius omnes dicent gloriam. Quia verò non eſtis veſtri, ſed eſtis ſerui Dei, debet corpus veſtrum portare Deum: ſicut equus, vel aliud animal portat Dominum ſuum. Vnde in Pſal. dicitur: Vt iumentum factus ſum apud te. Portat autem corpus noſtrum Dominum, inquantum Domini miniſterio deputatur. Sic ergo homo debet vitare, ne corpus ſuum pec-*

cet

at fornicando, quod eſt contra gloriam Dei, & quod contra miniſterium, quod corpus noſtrum debet Deo.

Dices iterum, hoc & præcedentia argumenta non probare, eſſe omnibus iure naturali interdictam fornicationem, ſed ſolum Fidelibus, qui per Fidem ſunt membra Chriſti, &c. Vnde ex his docent *Leſſius l. 4. c. 3. dub. 7. num. 53.* & alii fornicationem in Chriſtianis habere peculiarem deformitatem, ratione Baptiſmi, & Confirmationis, quibus corpora noſtra facta ſunt membra Chriſti, & in templum Spiritus Sancti conſecrata, &c.

18 Aſt hæc reſponſio minime infringit vim harum argumentationũ. Primò. Nam Auctores oppoſitæ ſententiæ tàm pro Fidelibus, quàm pro Infidelibus negant malitiam fornicationis eſſe intrinſecam. Et ſi quidem conuincimus eos, quà ſpectat ad Fideles, iam eorum opinatio elumbata manet. Secundò quia hæ argumentationes, etiam confirmari poſſunt contra Fornicationem Infidelium. Nam & ſi infideles non ſint actualiter membra Chriſti; habent tamen eam dignitatem, vt poſſint per fidem eſſe membra Chriſti: quam dignitatem vilipendunt, & inquinant, dum obſcænis voluptatibus immiſcentur. Et quidem omnes homines à ſua creatione ordinati ſunt ad Deum tanquam ad vltimum finem, & conſequenter ad hoc, quod fiant membra Chriſti, ſine quo aſſequi non poſſunt ſuum vltimum finem Ex hoc ergo capite diſſonat rationi, quòd talia corpora inquinentur turpibus voluptatibus. Sic etiam licet infidelium corpora non ſint actualiter templum Spiritus Sancti, tamen à ſua creatione condita ſunt, vt ſint templum Spiritus Sancti; ſicut ipſi creati ſunt ad Deum tanquam ad vltimum finem; & ſic de aliis. Immò tertia argumentatio Apoſtoli, *Omne peccatum extra corpus eſt, &c.* omninò procedit vniuerſaliter reſpectu omnium hominum: cùm ex eo conſtet corpus hominis inquinari, fædari, & corrumpi non phyſicè, ſed moraliter, fornicatione, & quibuſuis obſcænis voluptatibus.

19 Probatur ſecundò: principaliter aſſertio ratione à priori *D. Thomæ cit. qu. 154. art. 2. 3.* contra *gent. c. 122. & cit. qu. 15. ar. 2.* quæ tam clara, ſolida, & demonſtratiua ſuo ordine eſt, vt ex ipſa abſque aliis adminiculis omnes difficultates accidentes ſoluiſſe *Caietanus* confiteatur. Ea autem ſub hac forma proponitur. In ſimplici fornicatione habetur emiſſio ſeminis volũtaria contra rectum ordinem, & finem intentum a natura, quantum eſt ex ſe, & ex fornicatio actu. Sed omnis actio voluntaria ex ſe procedens contra rectum ordinem, & finem intentum à natura, eſt ex ſe mala, quia bonum vniuſcuiuſcumque, tàm ſcilicet totius, quàm cuiuslibet partis eſt, vt debitum finem ſortiatur; & malum eius eſt, vt à debito fine diuertat: Ergo ſimplex fornicatio ex ſe, & ex ſuo genere eſt mala, & contra ius naturæ. Minor primi ſyllogiſmi patet ex probatione ibi ſubiuncta, & exemplis inductiuè in omnibus actibus, qui ſunt intrinſecè mali; non enim aliundè eorum malitia colligitur; niſi ex hoc, quod ſunt contra debitum ordinem, &

Digitized by Google

& finem, ad quem ipſos natura ordinauit. Maior, in qua eſt difficultas, probatur,& explicatur. Ex ſe,& ex natura ſua ſemen humanum eſt ordinatum à natura ad propagationem ſpeciei; cum ſit inſtrumentum ad generationem deſeruiens,& neceſſarium; ac proindè eius emiſſio ex ſe (quidquid ſit,an per accidens non ſortiatur effectum; ratio enim petenda eſt ab eo,quod eſt per ſe,non ab eo,quod eſt per accidens) debet eſſe ordinata ad generationem,ſi eſt voluntaria:& quia fruſtra eſſet generatio hominis,niſi ſequeretur nutritio debita,quia genitum non remaneret, debita nutritione ſubtracta:& ſimiliter ad bonum hominis geniti pertinet conueniens educatio; hinc eſt quòd ſeminis emiſſio taliter ad generationem debet eſſe ordinata,vt ex ea,quantum eſt ex ſe poſſit ſequi debita geniti nutritio,& educatio,& quoties ſeminis emiſſio ex ſe talis eſt,vt ex ea ſequi non poſſit generatio,vt euenit in mollitie,vel maſculorum concubitu (ex quo patet impugnatio ſequentis Propoſitionis) vel vt non poſſit ſequi debita nutritio, & educatio geniti,contra debitum finem intentum à natura diuertitur. Atqui in ſimplici fornicatione,quantum eſt ex ſe, illa ſeminis emiſſio eſt contra debitam hominis nutritionem,& educationem(quidquid ſit an per accidens non impediatur, vel aliundè ſuccurratur, in quo ſenſu procedunt obiectiones,quas *Caramuel*,& alij adducunt:) Ergo in ſimplici fornicatione habetur emiſſio ſeminis voluntaria contra rectum ordinem, & finem intentum à natura,quantum eſt ex ſe, & ex fornicario actu. Probatur hæc minor,quoniam maior declarata eſt. Ad debitam nutritionem,& educationem hominis geniti,quantum eſt ex ſe, neceſſaria eſt, & natura id dictante, requiſita commanentia non ad modicum tempus, ſed ad longum tempus, viri cum muliere. Sed quantum eſt ex ſe hæc commanentia non conuenit fornicariis;quoniam de eorum ratione eſt acceſſus ad quamcumque,& quęcumque:nam quantum eſt ex vi fornicarii actus,& quatenus fornicator eſt formaliter;non prohibetur vir ad aliam,nec mulier ad alium accedere;quia actui fornicario ſecundum ſe,& formaliter non conuenit, vt homo teneatur fœminæ commanere, vt optimè notat *Ferrar. ſuper locum citatum D. Thomæ* contra Gentes: & ratio vlterius eſt, quia eſt coitus ſolutorum, & nullum vinculum,& obligationem inducit ad commanendum; hæc enim inducitur per matrimonium: vnde per accidens eſt,quod commaneant, vt concubinarij,vel quod ſuperueniat promiſſio commanendi, quæ obligat ex fidelitate. Ergo quantum eſt ex ſe in ſimplici fornicatione illa ſeminis emiſſio,ſeu ille actus fornicarius eſt contra debitam hominis nutritionem, & educationem:nempè prolis,quæ quantum eſt ex ſe, ex illo actu eſt naſcitura;quidquid ſit,ſi per accidens non naſcatur; ad hoc enim ſemen eſt à natura inſtitutum.

Maior huius vltimi ſyllogiſmi continet duas partes, nempè quòd requiratur commanentia, & quòd natura id dictet. Quòad primam probatur: quoniam ſola fœmina per ſe loquendo non eſt ſufficiens ad prolis hu-

Digitized by Google

manæ nutritionem, ad quam multa requiruntur, quæ per vnum parari non poſſunt; licèt per accidens mater ſit, quæ poſſet ſufficere, vel quòd vir ei tribuiſſet ad hoc ſufficientes opes: rectitudo autem, vel obliquitas actus conſideranda eſt ex ijs, quæ ſunt per ſe, & ordinariè, ac vt in plurimùm contingunt. Similiter quantum ad educationem, cum prudentia non ſit indita homini, ſed experimento comparetur, oportet, vt filij à parentibus tanquam ab expertis inſtruantur, cuius inſtructionis non ſunt capaces mox geniti, ſed poſt longum tempus: & ad hoc non ſolum requiritur inſtructio; ſed etiam repreſſio impetus paſſionis, quæ corrumpit æſtimationem prudentiæ: & ad hoc per ſe loquendo, non ſufficit ſola fœmina, ſed requiritur opus viri, qui eſt ipſa prudentior ad inſtruendum, & virtute potentior ad caſtigandum: quicquid ſit de eo, quòd per accidens euenire poteſt; vt ſcilicèt fœmina diues ſuis opibus magiſtros aptos ad docendam, & corrigendam Prolem inducat: vel ſi pauper, quòd in aliquibus ciuitatibus reperiantur loca publica, in quibus ſpurij recipiuntur, nutriuntur, & inſtruuntur: Immò, vt acute obſeruauit & purpura, & ſcientia Eminentiſſimus *Caietanus* hoc ipſum teſtatur, fornicarium concubitum eſſe inordinatum in ſe; nam ſi inordinatus non eſſet, non oporteret huiuſmodi prouiſiones adinuenire, vt proles ſine nocumento euadat: remedium enim ſupponit malum. Vnde licèt per huiuſmodi loca pia tollatur in huiuſmodi ſpurijs nocumentum nutritionis, & inſtructionis actuale, non tollitur tamen, quin ex ſe fornicarius concubitus ſit priuatus naturali ordine ad debitam nutritionem, & educationem: Ergo quantum eſt ex ſe ad nutritionem, & educationem debitam prolis humanæ requiritur commanentia ad longum tempus viri cum fœmina; commanentia quidem aliquo vinculo naturali debita, quòd habetur per matrimonium: vnde omnis concubitus extra matrimonium eſt ex ſe, & genere ſuo inordinatus. Quoad ſecundam partem, ſcilicèt, quòd hanc commanentiam natura dictet, probatur: nam experimur in animalibus, quæ naturæ inſtinctu ducuntur, in illis, in quibus ſola fœmina eſt ſufficiens ad prolis nutritionem, (nam educatio in eis non eſt neceſſaria, cum naturaliter habeant ſuas prudentias inſitas, quibus ſibi prouidere poſſunt,) mas, & fœmina poſt coitum non commanent, vt patet in canibus, & ſimilibus: in ijs verò, in quibus ſola fœmina non eſt ſufficiens, vt in auibus, in quibus pulli non poſſunt ſibi ſtatim quærere cibum, ac naſcuntur; & aliàs auis non nutriat lacte pullos, quòd eſſet ſtatim a natura præparatum; ſed aliundè oporteat illis cibum quærere, & interim oporteat eos fouere; vnde altero parente eunte ad cibum quærendum, alium neceſſe ſit remanere; ex Diuina Prouidentia eſt naturaliter inditum mari, vt fœmellæ commaneat, quoſque prolis neceſſitas exigit: Ergo cum in homine, vt probatum eſt, pro nutritione, & educatione prolis ſit neceſſaria commanentia maris, & fœminæ, per ſe loquendo, erit huiuſmodi commanen-

tia

tia naturaliter exigita, quouſque neceſſitas expoſcit, quod in homine per longum tempus requiritur: ac proinde concubitus fornicarius, qui quantùm eſt ex ſe non inducit vinculum naturale ad commanendum, eſt contra finem à natura præſcriptum: & conſequenter ſecundum ſe, & intrinſece malus.

20 Hæc ratio efficax eſt, ſi rectè perpendatur, nam, vt ait *Ferrar.* procedit ex propoſitionibus, quæ formaliter, & per ſe ſunt veræ, ex quibus rationes efficaciam habent: licèt aliquando per accidens falſæ eſſe videantur, & vt acutè obſeruat *Caietanus: Quòd multos in hac,& alijs materijs moralibus decipit, eſt, quia non penetrant, quòd rectitudo naturalis in humanis actibus, non eſt ſecundùm ea, quæ per accidens contingunt; & quòd certitudo Mathematica non eſt expetenda in moralibus; ſed demonſtrationes morales tunc ſunt certæ, cum oſtendunt id, quod per ſe, & vt in pluribus rectum, aut non rectum eſt, & hæc ad conſtructionem vniuerſalis in moralibus ſufficiunt, niſi apud diſciplinæ incapaces*: hæc *Caietanus*. Falſum eſt ergo, quod ait *Tamburinus l.7. in Decal. c.1. §.2. tr.1.* nempè quod licèt hæc ſententia communis ſit vera; tamen ad eam probandam, nondum rationem naturalem à priori eſſe compertam. Patet namque eſſe falſum; cum hæc S.Thomæ ratio & naturalis, & à priori, nempè per cauſam finalem procedat. Vnde rectè *Caietanus* ait: *Nos gratias agemus Diuo Thomæ, qui nos hæc docuit.* Immò *Tamburinus* ſibi contradicit, dùm in *tom.de Sacram.l.8. tr.5.c.5.* agens de indiſſolubilitate matrimonij, *§.1.num.3.* aſſignans præcipuam rationem, quam vocat à priori, vtitur ſummariè ratione *D.Thomæ*, immò ipſis verbis, quibus vtitur Angelicus Doctor *cit.q.154. ar.2.* dùm aſſumit pro antecedente: *Certum eſt concubitum vagum,& communicationem ipſorum,& virorum indifferenter, eſſe illicitum*: Quod deinde probat his verbis: *Probatur ex cauſa finali matrimonij, quæ eſt ſuſcipere,& educare, benèque inſtruere prolem, ad quod omninò requiritur, vt certum ineatur matrimonium.* Ex quo infert hanc conſequentiam: Ergo ille actus fornicarius: qui eſt extra certum matrimonium, eſt contra educationem, & bonam iſtructionem prolis, ſi ad hoc omninò requiritur, vt certum ineatur matrimonium. Et certè *D.Thomas* ex eadem ratione, qua probat malitiam fornicationis, procedit loco *citato contra Gentes* ad probandam matrimonii indiſſolubilitatem: & *cit.q.154.ar.2.* obiter infert, matrimonium eſſe de iure naturali.

21 Poteſt hæc eadem ratio ex eodem *S.Thoma* confirmari. Recta ratio poſtulat, vt in re tanti momenti, qualis eſt conſeruatio ſpeciei humanæ, & generatio hominis, habeat modum deſtinatum à Supremo naturæ Domino, ex quo, quantum fieri poſſit, vitentur pericula vitæ, ſalutis æternæ, miſeræ paupertatis, & prauæ educationis: Ergo rationi diſſonat quicumque alius modus generandi hominem, qui non ſit deſtinatus a ſupremo naturæ Domino: Sed modus, quem deſtinauit ſupremus Dominus

Digitized by Google

naturæ eſt, *vt ſit maris ad determinatam* fœminam, cum qua permaneat (ideſt cum qua ſit obligatus ex contractu permanere) *per totam vitam*, inquit *D.Thomas*: Ergo rationi diſſonat quicumque alius modus, & ſic fornicarius, diſtinctus à contractu matrimoniali. Porrò innumera pericula imminent proli, quæ non naſcitur ex legitimo toro. Periculum vitæ experimur quotidiè, cum matres ipſæ occidant filios, vel propter occultandum delictum, vel ob aliud iniquum motiuum. Refertur, in quodam Hiſpaniæ oppido fœminam occidiſſe quinque ſoboles animatas; & duas alias anima rationali carentes; & huius generis vtinam non eſſent tam frequentes caſus. Et quæ minùs iniquæ ſunt, conantur occultè parere; & filios ad hoſpitalia expoſitorum infantium mittunt, in quibus pueri traditi nutricibus extraneis, magna ex parte malè nutriti moriuntur. Imminet etiam eis periculum amittendi vitam æternam; occiduntur enim ſæpiſſimè abſque Baptiſmo. Impendet etiam periculum miſeræ paupertatis, qui ſuperſtites manent, quia deficit cura paterna; cum Patres, vel ob ſuſpicionem alienæ conuerſationis cum matribus: vel ne cogantur eos alere, nolint illos tamquam filios ſuos agnoſcere. Imminet etiam periculum defectus educationis, & inſtructionis, vt ſupra: & inde innumera mala procedunt; nam tales filii vbi adoleſcunt, accedunt peruerſis aliis, & in barathrũ delictorum labuntur. Quod ſi fœmellæ ſunt, vitam meretriciam, vel quaſi aſſumunt.

22 Probatur tertiò aſſertio ratione, qua vtitur *Borgias*, nempè deducta ex inordinata Uenerea delectatione, contenta in copula fornicaria. *Verde cit.q.3.num.43.* reſpondet, delectationem illam non eſſe intrinſecè malam, quia delectatio Venerea eſt etiam in matrimonio; nec per hoc matrimonia damnanda ſunt. Sed patebit inanem eſſe reſponſionem, ſi aduertatur, quemlibet actum obſcænum, ſiue luxuriæ naturalis, ſiuè contranaturalis, eſſe intrinſecè malum moraliter propter vehementiam voluptatis, non vtcumquè, ſed propter effectus, qui ex ea vehementia voluptatis oriuntur; qui non oriuntur, quando coitus viri cum fœmina fit eo modo, & ordine, quo determinauit Supremus naturæ Cõditor, pro multiplicatione, ſiue conſeruatione ſpeciei humanæ; tunc enim ſupremus naturæ conditor dat auxilia in ordine ad euitandos illos prauos effectus, quæ non dat operantibus extra eum ordinem. Conſtat, quod Deus conferat eiuſmodi auxilia ex ratione moraliter certa, & ex doctrina Sanctorum Patrum. Et quidem in hoc ordine matrimonij, quem Deus inſtituit in Lege Euangelica, & in quo contractum matrimonij eleuauit ad rationem Sacramenti; clariùs conſtat, Deum conferre auxilia ſupernaturalia, vt coniuges fideles ſe contineant intra fines matrimonii, & vt vitent prauos effectus, qui inclinant vehementer ad peccatum; cùm certum ſit, omne Sacramentum nouæ legis cõferre auxilia ſupernaturalia proportionata ſuo vniuſcuiuſque fini. Id quod multis in locis tradit *S. Auguſtinus l.4.contra Iulianum c.1.* ait: *Non itaque*

par-

paruum Dei donum eſt,ita frænari hoc malum (concupiſcentiam) *vt ad nibil relaxetur illicitum , ſed generationi tantum regenerandorum ſeruiat filiorum.* Quod ſępius repetit in eo *lib.4.*& in aliis locis. In alijs autem matrimoniis ſcilicet infidelium,& illis,quæ fiebant ante legem Euangelicam, certum eſſe debet,quod Deus confert auxilia ſaltem entitatiuè naturalia, vt homines ſe contineant intra fines matrimonij,vt vitent prauos effectus, qui ex fornicatione per ſe oriuntur. Nam cum experientia compertum ſit,aliquos infideles,aut homines legis veteris ſe continuiſſe intra metas matrimonii; & id ſit valdè difficile , niſi ex auxilio Dei, inde certum efficitur,quod Deus conferat eiuſmodi auxilia, ex quibus auxiliis,ſeu protectione Dei ſit, quod ex copula coniugali per ſe non oriantur illi effectus praui , qui ex fornicatione oriuntur. Dixi *per ſe*,quia per accidens ſolent etiam oriri; ſcilicet,quia homines vitio ſuo reſiſtunt illis auxilijs Dei, ſiuè naturalibus, ſiuè ſupernaturalibus;& ſic ipſi etiam coniuges labuntur in peccata turpiſſima: & tunc ex vitioſo congreſſu coniugum oriuntur illi praui effectus trahentes ad perditionem,qui oriuntur à copula illicita. Remanet declarandum, qui nam ſunt hi effectus,qui ex actu luxurioſo oriuntur,& qui faciunt actũ luxurioſum eſſe intrinſecè malum. *S.Gregorius l.31.moral.* ponit octo filias Luxuriæ,ideſt octo vitia,quæ à luxuria per ſe oriuntur: & *D.Thomas 2.2. q.153.ar.5.* per totum explicat has luxuriæ filias,& modum, quo per ſe oriuntur à Luxuria. Hæ ſunt *Cæcitas mentis, Inconſideratio, Præcipitatio , Inconſtantia , Amor ſui, Tædium Dei, Affectus præſentis ſaculi, Horror, vel Deſperatio futuri.* Ex quibus quatuor priores pertinent ad intellectum; quatuor verò poſteriores ad voluntatem. Et , vt benè notauit *Caietanus ibidem illarum nomina formaliter important actus , ſeu diſpoſitiones interiores animi.* Quomodo autem illa octo vitia ſeu effectus oriantur per ſe ex actibus luxurioſis, optimè explicuit *Angelicus Doctor ibid.in corpore.* Videatur. Hinc poteſt ſic confici demonſtratio. Illa operatio eſt diſſona rationi,& intrinſecè mala, quæ eſt principium per ſe cæcitatis mentis, præcipitationis, inconſiderationis, inconſtantiæ, &c. Sed delectatio luxurioſa eſt principium per ſe horum effectuum peruerſorum: Ergo delectatio luxurioſa eſt diſſona rationi, & intrinſecè mala.

23 Hinc colligitur, quòd fornicatio numquam poſſit eſſe licita: vnde coniux nullitatis matrimonii conſcia , ob impedimentum dirimens, ſiue diuino, ſiue humano iure, in nullo euentu poteſt reddere debitum viro ignoranti; licèt vitæ periculum ipſa ſubeat. Ita docet alios referens *Sanchez l.2.d.39. num.5. & 8.* dicens certiſſimum, *Bonac.Coninch.Gutierrez, Villalobos, Barb.Ochagauia, Ioannes De la Cruz*, quos refert, & ſequitur *Diana p.4.tr.4 reſ 48.Thomas à S.Maria* , & alij communiter, contra *Lugonem de S.Victore,Perez,& Molfeſium*,quorum ſententiam falſam, & erroneam meritò vocat *Sanchez*: nec poteſt reddere ob præceptum Superioris;quod eſt nullum: vnde in *c.inquiſitioni,de ſententia excommunic.* decernitur

tur, quòd potius debet pati ſe excommunicari.

24 Dico ſecundò Fornicatio eſt illicita mortaliter non ſolum ex iure poſitiuo, ſed etiam ex iure naturali: Ita cum *D. Thoma cit. q. 154. ar. 2.* communiter eius Interpretes: *Diana p. 9 tr. 9. reſ. 59.* & alij communiter, refutantes opinionem *Durandi in 4. d. 33. q. 2. nu. 10.* qui aſſerit, fornicationem ſimplicem, iure naturæ, ſecluſa Dei prohibitione, *Non Mœchaberis*, eſſe malam: non tamen habere maliuiam, & inordinationem mortalem, ſed venialem: mortalem habere ſolùm à iure diuino, quo prohibetur. Et fundamentum illius erat, quia fornicatio ſimplex non meretur mortem æternã, ſecundum legem naturalem, quia lex naturalis nihil dicit, nec nominat de morte æterna.

Quòd ſit mortaliter illicita ex iure diuino poſitiuo, eſt de Fide, & probat *D. Thomas* ex illo *Tobiæ 4. Attende tibi ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam, nunquam patiaris crimen ſcire.* Crimen autem importat peccatum mortale. Præterea. Nihil excludit à Regno Dei, niſi peccatum mortale: fornicatio autem excludit, vt patet per *Apoſtolum ad Gal 5.* vbi præmiſſa fornicatione, & quibuſdam alijs vitijs ſubdit, quod qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur: Et in Decreto *22. q. 1. c. Prædicandum*, dicitur: *Noſſe debent talem de periurio pœnitentiam imponi debere, qualem de adulterio, & fornicatione, & de homicidio ſponte commiſſo, & de cæteris criminalibus vitijs:* Ergo fornicatio ſimplex eſt peccatum criminale, ſeu mortale, ſaltem, vt eſt contra ius diuinum poſitiuum.

Quòd ſit mortaliter illicita, etiam ex iure naturali, conſtat cum eodem Angelico Doctore: Priuatio debitæ nutritionis, & educationis eſt graue malum prolis; ſine nutritione enim viuere nequit: ſine educatione verò benè viuere non poteſt: vnde proles, cui hæc debentur, remanet notabiliter damnificata: Ergo actus fornicationis ex ſe eſt contra finem intentum à natura in re graui; ac proindè ex ſuo genere eſt peccatum mortale. Vnde oppoſitum grauem errorem vocat *Diana*.

Confirmatur; quia, vt acutè *Caietanus*, non eſt ratio, *cur Deus hoc ſolum veniale ex genere, conſtituit ex prohibitione mortale, cum omnia reliqua mala moralia ex ſuo genere venialia, nonniſi, vt venialia prohibuerit. Numquid gaudet Deus in multiplicandis peccatis mortalibus? Et cùm nulla poſſit rationabilis cauſa huius ſingularitatis aſſignari, reſtat, vt fateamur, quod ideo à Deo prohibita, quia eſt ſecundum ſe mala; & ideo ſub æterna pœna prohibita, quia eſt non præter, ſed contra bonum notabile humano generi debitum.*

25 Et hinc patet ad fundamentum *Durandi*: pro cuius euerſione ſimilia verba habet *Diana ſupra*, nempè: *Sed hoc fundamentum Durandi futile omninò eſt: ſatis enim oſtendimus hanc inordinationem ex naturæ ductu eſſe grauem, & mortiferam, cum ſit directè contra finem generationis humanæ, qui eſt intra ſpeciem ſuam generare prolem perfectam; perfecta autem eſſe non poteſt proles humana, niſi ex matrimonio oriatur. Et planè ſi leuis eſſet ex natura ſua, ius*

diui-

diuinum ſuperueniens grauitatem illi non adderet, ſed relinqueret in ſuo gradu; nam Deus prohibens aliquid iure diuino, non facit illud grauius, quam erat, ſed grauitatem indicat: non enim ideo malum graue eſt, quia grauiter prohibetur; ſed ideo grauiter prohibetur, quia de ſe, & ex ſua natura graue eſt. Deinde (ſubdit aliam reſponſionem) *ex fundamento Durandi ſequeretur, neque homicidium, neque adulterium, neque Sodomiam eſſe peccata mortifera natura ſua, ſecluſa prohibitione diuina, cum lex naturalis nihil dicat, nec nominet de morte æterna, quod omnino abſurdum eſt: videmus enim nonnullos barbaros, in quibus lumen naturale videtur conſopitũ, ſeueriſſimè furta, homicidia, adulteria, & Sodomiam punire. Eò ſolùm, quia lumen naturæ dictat, hæc eſſe grauiſſima mala, digna, quæ ſeueriſſimis ſupplicijs puniantur.*

26 Dico tertio: Simplex fornicatio eſt ex ſuo genere grauius peccatũ, quàm furtum, minus homicidio: Ita *Sotus l. 5. q. 3. ar. 3.* & alij communiter cum *D. Thoma cit. q. 154. ar. 3.* contra *Martinum de Magiſtris, & Durandum,* quos ſequitur *Leſſius*.

Probatur breuiter: quia per homicidium natura humana iam exiſtens deſtruitur: Fornicatio vero eſt contra perſonam, quæ eſt in potentia, quoniam priuatio debitæ nutritionis eſt per ſe connexa cum morte prolis: Educationis verò debitæ priuatio magis nocet, quàm ablatio rerum externarum, cùm ſint maius bonum hominis interiora bona, quæ per educationem comparantur.

Hinc ad argumentum Aduerſariorum, quòd pollutio non eſt contra iuſtitiam, bene reſpondet *Sotus* dupliciter. Primò, quod quamuis fornicatio non eſſet contra iuſtitiam, non tamen inde ſequitur, non eſſe grauius furto, quia neque ſi iuſtitia ſit præſtantior virtus, ſit conſequens, vt omne opus iuſtitiæ excedat quodcumque temperantiæ, quoniam ſatis eſt fornicationem eſſe contra melius bonum, putà contra vitam. Secundò (& vocat ſaniorem ſolutionem) quod fornicatio eſt etiam quodammodo contra iuſtitiam, quæ erga futuram prolem ſeruanda eſt. Conſtituitur autem principaliter in ſpecie intemperantiæ, quia ille actus non eſt contra perſonam actu exiſtentem, neque verò, quæ præceſſerit, ſed contra illam, quæ eſt tantùm in potentia.

27 Concluditur ergo ex hactenus dictis, Fornicationem eſſe per ſe, & grauiter malam: *Neque vllo vnquam caſu* (verba ſunt *Dianæ ſupra*) *poſſe eſſe licitam, cùm careat conuenienti modo, & ordine, quem natura ad educationem, & promotionem prolis inſtituit, ac requirit. Quapropter, etſi mors cuipiam intentaretur, niſi ad mulierem non ſuam accederet; non liceret ei accedere, vti nec ſi accedendo, poſſet quantumcumque bonum procurare toti Patriæ: quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Si qua tamen perſona amens, fornicationis actũ committeret: aut ſi puella per vim, prorſus inuita violaretur; non peccaret, quia deeſſet voluntarium: imò nec propriè foret actus fornicarius ex parte vel amentis, vel puella vim paſſa, cùm fornicatio importet congreſſum voluntarium.*

Ob-

Digitized by Google

Obſeruant autem bene *Toletus l. 5. c. 10. & Rodriq. p. 1. c. 202. nu. 1.* id quod de puella vim paſſa dicitur non procedere ex parte agentis; & quod agẽs non agit abſque conſenſu. In conſenſu autem eſt peccatum mortale.

§. TERTIVS.

Proſtrantur argumenta contraria.

PRobauit primò *Caramuel*, fornicationem non eſſe malam proli; quia fornicator dat illi eſſe: melius eſt autem eſſe, quàm nõ eſſe; ſiue (*vt Caramuel* loquitur) in cauſa eſt, vt homo, qui aliàs in rerum natura non eſſet, producatur, ideoque beneficus eſt proli.

28 Aſt animaduertere debuit *Caramuel*, id eſſe beneficium multis malorum periculis admixtum, & eſſe rationi diſſonum, quod conferat illi beneficium præter ordinem ab Auctore naturæ præſcriptum ad vitanda eiuſmodi pericula vitæ, paupertatis, peſſimæ educationis, &c. Et certè quis negabit peccaturos mortaliter coniuges, qui ita vterentur copula coniugali, vt prolem ſubijcerent periculo incidendi in monſtruoſitatem, cęcitatem, aut mutilationem membrorum? Sicut ergo hic ad excuſandum peccatum non ſufficeret beneficium eſſendi, quod daret proli, ita nec in caſu noſtro.

Probauit ſecundò, quia ſi *Auguſtinus* dixit, Melius eſſe damnari, quàm annihilari; item diceret, melius eſſe proli male educatam eſſe, quàm abſolutè in rerum natura non eſſe.

29 Reſpondeo, quòd ſi *Auguſtinus* dixit *Melius eſſe damnari, quàm annihilari*, Chriſtus Dominus dixit, *Matth. 26. Bonum* (ideſt melius) *erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*; ſcilicet Iſcariotes. Et tamen hæ duæ Propoſitiones non ſibi inuicem repugnant. Nam *S. Auguſtinus* loquitur de eſſe phyſico, & *Chriſtus Dominus* de eſſe morali, ſiue de eo quod ipſi ſubiecto optabilius eſt. Cum autem inde infert *Caramuel*, melius eſſe proli eſſe malè educatam, quàm abſolutè in rerum naturę non exiſtere, reſpondeo, melius eſſe phyſicè, non moraliter.

Probauit tertiò: Quia videmus aliquos Principum nothos optimè educatos.

30 Reſpondeo, negari non poſſe, alios malè educatos, vel quia Principes nolunt eos recognoſcere, vt filios, proptèr incertitudinem filiationis, ex eo, quòd fœmina, quæ libidinosè conuerſata eſt cum vno, forſitan eodem modo ſe geſſit cum alijs; vel quia mæchus ſuſpicione tangitur alienæ conuerſationis fœminæ, etiam ex leuiſſimis indiciis, vel ex pura malignitate hominis. Cùm ergo alii bene, alii malè educentur, inde infertur, quod tempore fornicationis ſit periculum malæ educationis, præter cætera pericula iam enumerata.

31 Quan-

Digitized by Google

31 Quando autem ſubiungit *Caramuel*, inde inferri, quòd potius pauperum matrimonia venirent condemnanda, quàm diuitum fornicationes; quia melius educantur nothi diuitum, quàm legitimi pauperum; probaret aliquid, ſi quando mæchantur diuites, certa eſſet bona educatio futura, prolis futuræ. Sed quia tunc adeſt periculum hoc, & alia multa, ideò ratio ipſa poſtulat, vt aſſignetur à Conditore naturæ vnus determinatus modus generandi homines.

32 Ad id verò, quod addit, contra id, quod dixit *D. Thomas* eſſe per accidens, quod quandoque aliquis illegitimus bene educetur, reſpondeo, id dictum *D. Thomæ* duobus modis poſſe intelligi: Primò iuxta opinionem communem, quod quando finis legis ceſſat negatiuè in particulari, non propterea lex ceſſat in illo caſu particulari. Et quidem hanc ſententiam alibi non ſolum in tractatu Theologico de legibus, ſed etiam in Stromatibus commentariis, in tractatu de Conſtitutionibus fusè propugno, & procedere aſſero tam in legibus humanis, quàm diuinis, & naturalibus: inaniter autem *Caramuel* contra ſubdit, quod ceſſat præceptum Decalogi Non occidas, ſtante titulo defenſionis: tunc enim licita eſt defenſio, non quia ceſſat finis præcepti; ſed quia præceptum reſpicit homicidium & occiſio hominis facta ob defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ non eſt homicidium, ſicut nec eſt occiſio facta auctoritate publica, ſic exigente grauitate delicti, & bono communi. Quod ſi admitteremus vt probabilem ſententiam, quorumdam Recentiorum, quos ſequitur *Diana* qui aſſerunt, quod ceſſante fine legis negatiuè in aliquo caſu particulari, ceſſet obligatio legis pro illo: adhuc animaduerti deberet, quod in iſta ſententia debet ceſſare finis adæquatus in actu ſecundo: in caſu autem noſtro, quãuis bona educatio prolis ſit finis adæquatus in actu primo, & ſufficiens, vt præciſis aliis, iure naturæ vetetur fornicatio: tamen in actu ſecundo non eſt adæquatus, cum ſint alii, quos S. Apoſtolus attulit. Diximus autem ſupra rationem *D. Thomæ* eſſe à priori, vt indicaremus tàm magnam eſſe, vt ſit finis adæquatus in actu primo, & ſufficiens, vt non teneremur immediatè recurrere ad Sacram Scripturam, vt malitiam ex ſuo genere, & iure naturæ ſimplicis fornicationis ſciremus; & vt ſimul extolleremus rationem Angelici, ad redargutionem quorumdam, qui facilè rationes ſancti Doctoris paruifaciunt: & tamen ipſimet cum Eccleſia Deum orare deberent, vt quæ ille docuit intellectu conſpicerent: Eia nos in omnibus hominem Doctorem Angelicum, & humanum Cherubin veneremur. Secundò poteſt intelligi dictum *D. Thomæ*, ita vt lex prohibitoria non reſpiciat pro fine ipſam prauam educationem prolis, ſed periculum illius; & hoc modo eſt omninò per accidens reſpectu legis, & obligationis eius, quamuis poſtea bene educetur proles, quia tempore delicti non ceſſabat periculum. Et quod ſic poſſit intelligi dictum Angelici, comperiet legens totum contextum, vbi potius de periculo, quàm de infortunio actuali videtur loqui;

& præcipuè in illis verbis : *Fornicatio autem ſimplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ eius, &c.* Dicimus autem vergere in nocumentum, non quæ actualiter nocent, ſed quæ afferunt periculum nocendi. Et cum iterum confugit *Caramuel* ad filios Principum, qui benè educantur, & vult magis eſſe per accidens, quòd filii legitimi pauperum benè educentur, quàm nothi Principum, dicendum eſt, etiam in nothis Principum ab initio eſſe periculum prauæ educationis propter dicta.

Quando autem arguit, quòd ſi per accidens continget, filios nothos Principum benè educari, etiam per accidens contingit, quod ceſſet obligatio legis, atque adeo, quod fornicantes non peccent: Reſpondendum eſt iuxta ſecundum intellectum, negando ſequelam: quia ſic non ceſſat periculum malæ educationis, atque adeo nec finis legis, neque eius obligatio.

Adhuc ſunt alia nonnulla argumenta, quibus occurrere oportet: Primum eſt: Si Fornicatio eſt actus luxuriæ ex natura ſua malus, & peccatum; Deus nequiſſet præcipere Oſeæ, vt fornicaretur, ſicut non poteſt præcipere alicui, vt blaſphemet, aut Deum odio habeat: quod enim ex natura ſua malum eſt, nullo additamento cohoneſtari poteſt.

Secundum eſt: Fornicatio eſt naturalis: Ergo ex ſua natura non eſt peccatum. Conſequentia ſequitur: commune enim proloquium, eſt, in naturalibus non eſſe meritum, aut demeritum, peccatum, & virtutem. Antecedens verò docet *Gloſſa* ſuper illud *Roman. 1. Fœminæ eorum mutauerunt naturalem vſum*, dicit enim naturalē vſum eſſe, vt vir, & mulier in vno concubitu coeant.

Tertium eſt. Fornicatio non aduerſatur charitati, nec quantum ad dilectionem Dei, nec quantum ad dilectionem proximi: Ergo non poteſt eſſe peccatum.

33 Ad primum reſpondeo dupliciter contingere aliquid eſſe malum ex natura ſua, vno modo ſimpliciter abſolutè, alio modo ſimpliciter, ſecūdum curſum rerum præſentem; quod eſt ſimpliciter abſolutè malum præcipi nequit à Deo, & talis eſt Blaſphemia, Odium Dei, & ſimilia directè cōtraria Deo, quæ nullo pacto cohoneſtari poſſunt: Quod autem eſt malum ex natura ſua ſolùm ſecundum præſentem rerum ordinem, poteſt præcipi à Deo, & cohoneſtari; & huiuſmodi fuerunt Furtū, Homicidium, & Fornicatio, quæ dicuntur ex natura ſua mala, quia contrariantur rationi rectæ tantum ſecundum præſentem rerum ordinem, quem diuinæ voluntati placuit in rebus ſtatuere. Si autem Deus aliud præcipiat, non erit ratio recta, niſi dictet eſſe obediendum, quando rationis rectitudo in conformitate ad diuinam voluntatem, quæ eſt prima, & ſuprema regula omniū agendorum conſiſtit, ob id non ſequitur, Deum nequiſſe præcipere quæ præcipit. Audiatur *D. Thomas cit. q. 15. de malo ar. 1. ad 8. Ad 8. dicendum, quòd ſicut propter præceptum Dei, in cuius poteſtate ſunt omnia, id quod aliàs fuiſſet furtum, fuit non furtum, filijs Iſrael Ægyptios ſpoliantibus, vt dicitur Exodi 12.*

ita

Ita & propter auctoritatem ipſius Dei, qui eſt ſupra legem matrimonij, concubitus ille non fuit fornicarius, qui alias fornicarius fuiſſet, vnde dicitur vxor fornicationum, & fornicationum filij, non quia tunc eſſet fornicatio, ſed quia alias fornicatio fuiſſet: Et 22. q. 154. ar. 2. ad 2. inquit, dicendum, quod fornicatio dicitur eſſe peccatum, inquantum eſt contra rationem rectam. Ratio autem hominis recta eſt ſecundùm quod regulatur voluntate Diuina, quæ eſt prima, & ſumma regula. Et ideo quod homo facit ex voluntate Dei, eius præcepto obediens, non eſt contra rationem rectam, quamuis videatur eſſe contra communem ordinem rationis: ſicut etiam non eſt contra naturam quod miraculosè fit virtute diuina, quamuis ſit contra communem curſum naturæ. Et ideo ſicut Abraham non peccauit filium innocentem volendo occidere, propter hoc, quod obediuit Deo, quamuis hoc ſecundùm ſe conſideratum ſit communiter contra rectitudinem rationis humanæ: ita etiam Oſee non peccauit fornicando ex præcepto diuino, nec talis concubitus propriè fornicatio debet dici, quamuis fornicatio nominatur, referendo ad curſum communem. Vnde Auguſtinus dicit 3. confeſſ. c. 8. Cum Deus aliquid contra morem, aut pactum quorumlibet iubet, etſi numquam ibi factum eſt faciendum eſt. Et poſtea ſubdit, ſicut enim in poteſtatibus ſocietatis humanæ maior poteſtas minori ad obediendum præponitur: ita Deus omnibus.

34 Ad ſecundum reſpondeò, fornicationem poſſe dici homini naturalem, & innaturalem, naturalem, qua animal eſt: naturale enim animali eſt, vt mas cum fœmina coeat, & hoc, non amplius vult *Gloſſa* citata; eſt verò præternaturalis homini, qua homo eſt; quia enim homo eſt eſſentialiter rationalis, quidquid facit irrationabiliter, ſeu contra ordinem rationis, contra naturam eius rationalem facere cenſetur: in eodemque ſenſu loquitur *D. Auguſtinus 7. de Trin.* cùm dicit, omne peccatum eſſe contra naturam; eſt enim peccatum contra rationis regulam; ſubinde nequit non eſſe contra naturam hominis rationalis. Paulò aliter reſpondet *D. Thomas cit. q. 15. ar. 1. ad 7. Ad 7. dicendum, quod actus luxuriæ poteſt dici contra naturam dupliciter. Vno modo abſolutè, quia ſcilicet eſt contra naturam omnis animalis: & ſic omnis actus luxuriæ præter commiſtionem maris, & fœminæ dicitur eſſe contra naturam, inquantum non eſt proportionatus generationi, quæ in quolibet genere animalis fit ex commiſtione vtriuſque ſexus, & hoc modo loquitur Gloſſa: Alio modo dicitur eſſe aliquid contra naturam, quia eſt contra naturam propriam hominis, cuius eſt ordinare generationis actum ad debitam educationem; & ſic omnis fornicatio eſt contra naturam.*

35 Et hic facile eſt reſpondere ijs, qui dicunt, fornicationem non poſſe eſſe peccatum, quia proficiſcitur ex concupiſcentia, quæ naturalis eſt, & habet pro materia mulierem, quæ naturaliter ad vſum illum ordinata eſt, iuxta illud, *faciamus adiutorium ſimile ſibi:* poteſtque fornicantium finis eſse bonus, ſcilicet procreandi filios nutriendos in ſeruitium Dei; ſubinde cùm vndequaque in fornicatione appareat naturalitas, finiſque poſſit eſſe bonus, immeritò aſſeri videtur eſse ex ſuo genere peccatum mortale. Facile

Digitized by Google

inquam,eſt reſpondere cum *D.Thoma ſupra ad 3.* dicendo, quòd omnibus iſtis ex capitibus fornicatio mala eſt;ex parte quidem concupiſcentiæ,nam illa eſt inordinata,& contra regulas rationis: ex parte verò materiæ · nam non mulier abſolutè , ſed mulier vxorata eſt debita materia ad generationem,& educationem prolis : finis tandem per ſe fornicationis eſt ſemper malus,ſcilicet frui delectatione Venerea , non curando de prole,& prolis educatione; quod ſi quis de his curat,erit per accidens, & faciet hoc non qua fornicator,ſed aliunde; finem tandem bonum non eſſe ſatis ad cohoneſtandam operationem,conuincit ille,qui furatur , vt det eleemoſynam, qui peccat mortaliter coram Deo,& ſuſpenditur à iuſtitia humana.

36 Ad tertium , negatur abſolutè aſſumptum cum *D.Thom: cit.qu. 154.ar.2.ad* 4.imò aduerſatur dilectioni proximi , dum repugnat,& impedit bonum prolis naſcituræ, vt declaratum eſt:aduerſatur etiam dilectioni Dei,dum ſpernit illius præceptum , commiſcendo ſe mulieri aliter quàm ille diſpoſuit .

Adhuc ſunt alia duo argumenta ſoluenda,probantia,Fornicationem non eſſe malam mortaliter. Primum eſt: Omne peccatum mortale ducit in perditionem æternam:ſed hoc non facit fornicatio ſimplex : Ergo. Probatur minor: quia ſuper illud 1.*ad Timot.4. Pietas ad omnia vtilis eſt*,dicit *Ambroſius to.5. Omnis ſumma diſciplinæ Chriſtianæ in miſericordia,& pietate eſt, quam aliquis ſequens,ſi lubricum carnis patitur , ſine dubio vapulabit,ſed non peribit.*

Secundum eſt : Non omnis inordinatus vſus ciborum eſt peccatum mortale: Ergo nec omnis inordinatus concubitus, quod maximè videtur in fornicatione ſimplici;quæ minima eſt inter ſpecies luxuriæ.Conſequentia ſequitur,quia ſicut *Auguſtinus lib.16.de bono coniug.c.16.* dicit: *Quod eſt cibus ad ſalutem corporis,hoc eſt concubitus ad ſalutem generis.*

37 Reſpondeo ad primum negando minorem.Ad cuius probationem reſpondet *D.Thomas cit.qu.15.art.2.ad 5.* his verbis : *Ad 5, dicendum,quod per opera pietatis ille,qui lubricum carnis patitur,liberatur à perditione æterna, inquantum per huiuſmodi opera diſponitur ad hoc , quod gratiam conſequatur, per quam pœniteat,& in quantum per huiuſmodi opera ſatisfecit de lubrico carnis commiſſo. Non autem ita,quod ſi in lubrico carnis perſeueret impœnitens vſque ad mortem, per pietatis opera liberetur.*

38 Ad ſecundum nego conſequentiam,Ad probationem benè reſpôdet citatus *S.Doctor ibidem*, dicens: *Ad ſextum dicendum , quod ex vno concubitu poteſt vnus homo generari. Et ideo inordinatio concubitus,quæ impedit bonum prolis naſcituræ,ex ipſo genere actus eſt peccatum mortale . Ex vna autem comeſtione non impeditur bonum totius vitæ vnius hominis : & ideo gulæ actus ex ſuo genere non eſt peccatum mortale. Eſſet tamen,ſi quis ſcienter cibum comederet,qui totam conditionem vitæ eius immutaret,ſicut patet de Adam. Nec tamen fornicatio eſt minimum peccatorum , quæ ſub luxuria continentur : minus*

enim

enim eſt concubitus cum vxore, qui fit ex libidine.

§. QVARTVS.

An poſſit dari ignorantia inuincibilis de fornicatione ſimplici.

39 Reſpondeo poſſe dari ſaltem apud certas gentes deſtitutas Doctoribus, & ſcientia rerum moralium. Ita *Azorius to. 1. l. 1. c. 13 quaeſ. 1. & to. 3. l. 3. c. 4. quaeſ. 1. Filliuc. tr. 30. c. 2. q. 7. t. 50. & 51. Trullench to. 2. l. 6. c. 1. dub. 2. n. 5. Diana p. 9. tr. 9. reſ. 59. Baſſaeus V. Fornicatio in ſupplem. nu: 3. Syluius*, & alij communiter. Ratio eſt, nam etſi præcepta Decalogi deducantur ex principijs per ſe notis, vt Bonum amplectendum, Malum fugiendum, & huiuſmodi: Tamen, quia non ità euidenter deducuntur, aliqua poteſt in hæc cadere ignorantia inuincibilis, ſeu probabilis. Quod enim fornicatio inferat damnum proli futuræ, ſeu naſcituræ, nō ità facilè ab omnibus perſpicuè cognoſcitur. Quod inferatur iniuria in corpus mulieris, quando ſaltem ipſa conſentit, vix æſtimari poteſt in ſoluta, quod peccet in corpus ſuum, &c. non ita facilè cognoſcitur ab agreſtibus præſertim, vnde nihil mirum, ſi poſſit cadere in hominem de ea ignorantia.

Dixi, *ſaltem apud gentes deſtitutas, &c.* Quia apud Chriſtianos degentes in Ciuitatibus, & oppidis in quibus fiunt aliquando conciones, inſtituuntur pueri Chriſtiana doctrina, viſitationes Epiſcoporum frequentantur, & cognitio aliqua traditur rerum ad fidem pertinentium, vix credibile eſt poſſe dari huiuſmodi ignorantiam. Ita cum *Angelo, Syluestro, & Nauarro, Azorius, Diana, & Trullench locis relatis.*

Denique facilius poteſt ignorari fornicationem cum meretricibus expoſitis non eſſe peccatum, quàm cum muliere vaga; multi enim vulgares homines ſunt, qui neſciunt diſtinguere inter peccata permiſſa, vel non prohibita quoad penam, & non quoad culpam; & ex eo, quòd non punitur fornicatio ſimplex, ſed impune permittuntur meretrices; putant etiam nō eſſe peccatum, ad eas accedere. Quod etiam in Ciuitatibus alioqui bene inſtitutis in Fide, & Religione perſæpè locum habet, vt benè norunt Confeſſarij. Ita *Filliucius, Trullench, & Diana locis citatis, Baſſaeus ſupra.*

40 Ex his colligitur, aſſerentem ſine pertinacia ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum, non eſſe formaliter Hæreticum; & tunc eſt, quando id ignorat, & eſt corrigi paratus. Vnde non eſt ſtatim denunciandus ruſticus, & imperitus aſſerens, ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum; ſed prius examinandum eſt, an ſcienter, vel ex ignorantia id aſſerat. Ita *Trullench ſupra*; addit tamen, quod peccabit mortaliter, quia ignorat ea, quæ communiter ſcire tenetur; quod intellige iuxta ſupra dicta, & dicenda

PROPOSITIO XLIX.

Mollities iure naturæ prohibita non eſt. Vnde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

1 HÆc vt iacet etiam eſt *Caramuelis in Theol. mor. l. 3. nu. 1603. & in intent. nu. 1965.* inquit. *Dico ſecundò: Si Deus mollitiem non interdixiſſet, nunquam eſſet mala, ſæpè eſſet bona, & aliquando per accidens obligatoria ſub peccato mortali: Multa breuibus verbis congeſta, quæ indigent clariori expoſitione: Mollities eſt ſeminis effuſio voluntaria: & ſi mala ſecundum ſe, de ipſius malitia omnibus conſtare debet. Sed quid ſemen? Doctores certant, & adhuc ſub iudice lis eſt. Aliqui ſudorem, alij ſpumam, nonnulli lac, plerique ſanguinem, ſemen eſſe contendunt; & tamen eſſe contra ipſam naturam, ſudorem, ſpumam, ſanguinem, lac, & ſimilia corporis nutrimenta, vel excrementa, ex rationabili cauſa decidere, nullus Dialecticus probare poterit. Nec iuuat dicere, illud ad generationem ordinari. Nam & mulicbre lac ordinatur ad nutritionem prolis, ſanguis ad propriam, & tamen vtrumque ſine culpa deciditur. Igitur ſiquidem mollities mala eſt, & tamen contra naturam, vbi ad ſalutem propriam conducit, non eſt; dicendo venit, omnem ſuam malitiam habere à prohibitione.* Quod autem in ea hypotheſi Mollities poſſet eſſe obligatoria, ſic probare conatur *num. 1967. Sublata Dei interdictione poſſe contingere, quod homo ad mollitiem ſub peccato mortali teneretur, clariſſimè probari poterit. Æger enim tenetur adhibere remedia, quæ ſunt præcisè ad vitæ conſeruationem neceſſaria, & ſcimus dari morbos, qui in ſeminis quantitate, & qualitate conſiſtunt, morbos quidem lethiferos, à quibus aliter, quàm effuſione ſeminis curari non poſſis: Ergo ſi aliundè non obſtaret, in tali caſu vti effuſione ſeminis, vt remedio præcisè neceſſario tenereris. Atqui tunc debes potius mori, quàm tale remedium admittere. Ergo euidens eſt, quòd detur aliæ circumſtantia extrinſeca, nimirum Diuina interdictio, quæ illud remedium illicitum reddat.* Aliam probationem affert *num. 1968. Proximiùs ad generationem, & natiuitatem accedit embryo, & infans ipſe nondum natus, quàm ſemen; atqui poteſt grauida parens contra inanimatum fœtum procedere, ſi aliter vitam conſeruare non poſſit: Ergo à fortiori poſſet contra ſemen, ſi ſolummodò conſiderarentur rationes naturales. Ergo ſiquidem procurare poteſt abortum licitè, vt vitam tueatur; & tamen procurare mollitiem propter eandem cauſam non poteſt, eſt argumentum infallibile, quod mollitiei malitia à rerum natura non dependet, ſed à voluntate interdictoris.* Et cum *num. 1969.* afferat mollitiem, ſodomiam,

& beſtialitatem eſſe peccata eiuſdem ſpeciei infimæ; inferri poterit eſſe ſententiam *Caramuelis*, omnia hæc peccata contra naturam non eſſe intrinſecè mala, ſed ſolum eſſe mala ex prohibitione diuina: Et eum ſequitur *Verde qu. 4. ſelect.* Verum enim verò iſtorum Auctorum animoſitatem, & ingenium alii extulerint: apage commendet quis philoſophandi methodum, ſentiendi libertatem, opinandi licentiam; inconſultis etiam, vel abiectis receptioribus Theologiæ principijs: quod paſſim in operibus *Caramuelis, & Selectis Verde* offendent. Credo, ſi primus diu vixiſſet, præſertim poſt hoc Decretum plura alia obſequens Petri Cathedræ retractaſſet: ſicut laudabiliter fecit *Verde*, qui modò communiter dicitur mutatus in alterum.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Quomodo vocatur in ſcriptura, & quid ſit Mollities? Et quot circumſtantiæ mutantes ſpeciem poſſint ei accedere?*

3 *An, & quando Pollutio in vigilia ſit peccatum mortale? Quid ſi ſolius ſanitatis cauſa procuretur? Quòd peccatum ſit in ſemiexpergefacto? Si pollutio incipiat eo dormiente, & plenè expergefacto ad quid teneatur?*

4 *An omnes pollutiones ſint eiuſdem ſpeciei. An, & quomodo per accidens coniunguntur ei aliæ malitiæ ſpecie diſtinctæ, & in confeſſione aperiendæ.*

5 *Quando quis ſine neceſſitate, vel notabili vtilitate, vel commodo dans operam alicui cauſæ influenti in pollutionem peccet mortaliter: quando ſolùm venialiter?*

6 *Quæ eſt cauſa notabiliter influens in pollutionem, quam apponens peccet mortaliter? An cogitationes, deſideria, aſpectus, tactus, oſcula & c. mortalia in genere luxuriæ, ſi illis præuideatur pollutio non ſolum in ſe ſint peccata, ſed etiam prout ſunt cauſæ pollutionis: Et quid ſi nocturnæ pollutioni cauſam dans, antequam ſomnum capiat, ipſum de cauſa pœniteat? An aliquando mortale peccatum in genere luxuriæ, propter eius breuem durationem non dicenda cauſa notabiliter influens in pollutionem?*

7 *Quid dicendum de lectione vana, aſpectu curioſo, & cæteris actionibus, ſi in illis præuidetur pollutio? Quidue de alijs cauſis, quæ non in genere luxuriæ, ſed in alijs generibus ſunt peccata mortalia, putà comeſtione calidorum, potu vini, &c. quando ſunt peccata mortalia.*

8 *Quæ neceſſitas, vtilitas, & commoditas animæ vel corporis excuſet à culpa apponentem cauſam notabiliter influentem in pollutionem. Vbi quid de cibo, potu, ſtudio, auditione confeſſionum, cubatione tali ſitu, equitatione, complexibus, & oſculis iuxta morem patriæ, medicamine verendorum, ſedatione pruritus, lauatione pudendorum, ſuperpoſitione vnius fæmoris in aliud, tactu in ballo, &c.*

9 *An*

9 *An poſſit & quando maritus deſiſtere à copula cum periculo effundendi ſemen extra vas, vel tantum ſeminare poſteà in ore vaſis, &c. An poſſit vir debilis, vel infirmus habere copulam, & non effundere ſemen. Cur in fornicatione ſemper teneatur quis deſiſtere à copula, quamuis ſemen extra effundatur?*

10 *An quæ dicuntur de pollutione, habeant locum etiam in diſtillatione facta cum voluptate, & commotione ſpirituum? An ſit aliqua exceptio in coniugatis? Quid ſi diſtillatio eueniat ſine voluptate libidinoſa?*

§. II.

11 *An Pollutio iure naturæ prohibita ſit, ita vt nunquam poſſit eſſe obligatoria, vel licita? Et pars negatiua qua cenſura configatur?*

12 *Pars affirmans oſtenditur primo eiſdem argumentationibus Apoſtoli 1.Cor.6.*

13 *Secundò ex eodem Apoſtolo ad Rom. c.1. Vbi hac genera peccatorum vocantur immunditiæ, actiones contumelioſæ, & paſſiones ignominiæ, ſeu ignominioſæ, nec non pecccata contra naturam; & propter idololatriam tradidiſſe Gentes in reprobum ſenſum, & quidem etiam Philoſophos.*

14 *Quidni hæ actiones dicendæ diſſonæ rationi, & ſic contra ius naturæ?*

15 *Confirmatur primò diſtinctiùs, ex eo, quod ſunt actiones contra naturam.*

16 *Confirmatur ſecundò: quia, quod eſt contra naturam, eſt contra ſpecialem legem naturæ, ſubindeque iure naturæ vetitum.*

17 *Confirmatur tertiò, ex eo, quod eſt diſſonum rationi, intellectum, & rationem ſubijci appetitui corporeo, vt ſpecialiter per peccata, dicta contra naturam.*

18 *Confirmatur quartò, ex eo, quod per iſta peccata contumelia afficitur natura rationalis.*

19 *Confirmatur quintò ſpecialiter ex eo, quod per hæc vitia traduntur homines in reprobum ſenſum,*

20 *An fæminæ quoque ratione peccati mollitiei nefandis modis, perſtringendæ?*

21 *Oſtenditur tertiò, quia ſi mollities, & alia peccata contra naturalia non eſſent intrinſecè mala, ſed ſolum ex prohibitione, poſitiua, gentes idololatræ, & infideles exercentes eam luxuriam contranaturalem, non peccarent.*

22 *Oſtenditur quartò. Quia mollities eſt effuſio ſeminis contra primarium finem inſtitutum à natura, qui eſt generatio.*

23 *Oſtenditur quintò, quia ſi pollutionis interdictio non emanaret à lege naturali, nulla eſſet ratio cur in nullo euentu, etiam tuendæ vitæ, liceret.*

24 *Confirmatur primò, quia ſi pollutio ſæpè eſſet bona, prout ſcilicet neceſſaria tuendæ ſaluti, vel vitæ, eſſet licita, non obſtante Dei interdicto.*

25 *Confirmatur ſecundò, quia ſi aliquando eſſet obligatoria, id haberet ex ipſo iure naturæ.*

26 *Retunditur reſponſio quorumdam dicentium ideo pollutionem voluntariam ſemper eſſe illicitam, quia numquam poteſt eſſe proficua ſanitati; hoc enim falſum demonſtrant tùm communis opinio medicorum, tùm non pauca exempla virorum eximiè caſtitatem colentium.*

27 *An*

27 *An peccent mortaliter medici propinantes medicamenta directè tendentia ad ſemen verum, & proficuum expellendum?*

28 *Quid ſi dentur pharmaca, quibus ſemen in ſanguinem, vel alium humorem reſoluatur?*

29 *Quare licita ſit emiſſio ſanguinis, imò & amputatio manus ad vitæ conſeruationem, & non voluntaria emiſſio ſeminis ad eundem finem?*

30 *Quid ſi ſemen non peccet in quantitate, ſed in qualitate, ſitque corruptum, quo ſcilicet medio poſſit ſine peccato expelli?*

31 *An, & cur illicitum ſit pollutionem deſiderare, vel de eâ iam ſecuta gaudere ob delectationem?*

32 *An, & cur liceat eam deſiderare ſimplici affectu, cauſa alicuius boni cum ipſa coniuncti. V.g. cauſa ſanitatis, ſedandæ tentationis, obtinendæ tranquillitatis animæ, &c? Quid conſulendum?*

33 *An ſimiliter poſſit deſiderare medicus, vt ei, cui medetur, contra ipſius voluntatem eueniat pollutio?*

34 *Quid ſi deſiderium ſit efficax cauſa pollutionis?*

35 *An liceat gaudere de pollutione iam facta modo, quo eſt licitum eam deſiderare?*

36 *Quid ſi de ea habita præſentialiter, in voluntate quis delectetur?*

37 *Diſſ ingitur argumentum* Caramuelis *ductum ex eo, quod ſemen vel eſt ſudor, vel ſpuma, vel lac, vel ſanguis, vel aliud excrementum.*

38 *Soluitur inſtantia de lacte fæmineo, quod ordinatur ad nutritionem infantis, & tamen non eſt contra naturam illud profundere.*

39 *Similiter protelatur argumentum ductum ex eo, quod iuxta grauium Doctorum opinionem licèt matri intendere abortum fœtus inanimati, dùm alias ſalus, vitaque ſua morti addicitur.*

§. *III.*

40 *An, & quando opinio docens præcepta ſecundæ tabulæ eſſe diſpenſabilia, incurrat hanc damnationem?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò, quòd Mollities, (quæ etiam Immunditia in ſcriptura nominatur) eſt peccatum contra naturam, per quod voluntaria pollutio procuratur extra concubitum, cauſa explendæ delectationis Venereæ. Ita cum *D. Thom. 2. 2. qu. 154. ar. 11.* communiter Doctores, qui tamen aduertunt, quòd ſi quis dum ſe polluit cogitet moroſè, vel conſentiat in aliquam aliam ſpeciem, V.g. adulterium, inceſtum, ſacrilegium, &c. eandem malitiam contrahere, & eam teneri confiteri.

3 **Notandum eſt ſecundò, quòd Pollutio in vigilia plene voluntaria in ſe, vel in ſua cauſa, eſt peccatum mortale, ſaltem iure Diuino poſitiuo.** Patet ex Scriptura: 1. *Cor.* 6. dicitur: : *Nolite errare, Molles non poſſidebunt Regnum Dei*. Et probari poteſt aliis locis, vbi immunditia, & omnis homonyma luxuria damnatur, vt ad *Gal.* 5. & *Eph. ſ.* 5. Conſtat etiam *Geneſ.* 38. vbi ſcriptura aſſerit, Deum occidiſſe Onam filium Iudæ, eo quod in terram ſemen effunderet. Imò & peccatum Her *Geneſ.* 38. fuiſſe etiam pollutionis, eſt communis ſententia: licet non animo inuido id fecerit, vt frater, ſed ne vxoris pulchritudinem læderet, ſi illa conciperet, & pareret. Vnde Doctores communiter dicunt, & infra probabitur, quòd pollutio plenè voluntaria eſt peccatum mortale, & ſi non voluptatis, ſed ſolius ſanitatis, vel tentationis mitigandæ cauſa procuretur. Si autem non ſit plenè voluntaria: ſolum veniale, vel nullum peccatum erit. Hinc ſequitur pollutionem in ſemiexpergefacto non eſſe peccatum mortale, eo, quod non ſit ſufficienter voluntaria, defectu pleni iudicii, & aduertentiæ. Sic etiam Doctores communiter. Si verò pollutio incipiat eo dormiente, eo plenè expergefacto, non tenetur fluxum ſeminis detinere, (quamuis meritoriè faceret) dummodo abſit conſenſus. Ita *Nauarrus c.* 16. *n.* 8. *Trullench l.* 6. *Decal. c.* 2. *dub.* 9. *nu.* 8. & alii communiter: hoc enim non eſt, cum procurare, ſed pati, ne contentus ille humor noceat: expedit tamen manibus quietis, ſigno Crucis ſe munire, & Deum feruenter orare, ne permittat lapſum in delectationem, *Lopez* 1. *p. Inſtruct. c.* 54. *§. Accedit ad hoc*, *& Sanch. z l.* 9. *d.* 17. *num.* 17. qui exiſtimat idem dicendum eſſe, vbi pollutio cœpit culpa patientis: ſi enim in ipſo fluxu præteritæ culpæ eum pœniteat, non tenetur fluxum reprimere, quia pœnitentia iam interrumpit actionem præteritam. Verum licet quis non teneatur reprimere pollutionem iam incœptam, non tamen poteſt illam adiuuare actiuè aliquo motu ad abſtergenda, ſeu deoneranda virilia, quamuis retentio ſaluti corporis graue detrimentum allatura ſit, vt faciebat quidam Sacerdos, de quo meminit *Tamburinus in Decal. l.* 7. *c.* 7. *§.* 2. *num.* 18. talis enim actiua cooperatio, ſeu conatus, eſt peccatum mortale, ſi fiat à rationis compote, vt benè aduertit ibi *Tambur. Baſſæus V. Luxuria n.* 17.

4 Notandum eſt tertiò. Omnes pollutiones ſecundum ſe ſpectatas eſſe eiuſdem ſpeciei. Quia habent eandem deformitatem, & contrarietatem cum recta ratione. Per accidens tamen poſſunt coniungi aliæ malitiæ ſpecie diſtinctæ; nam ſi polluit ſe perſona voto caſtitatis obſtricta, additur noua malitia ſacrilegii: ſi coniugatus, noua malitia contra caſtitatem, bonumque Matrimonii: ſi cum imaginatione, ſeu deſiderio peccandi cum hac, vel illa perſona ſoluta, coniugata, voto caſtitatis obſtricta, &c. alia ſpecie diſtincta turpitudo, iuxta qualitatem perſonæ illicitè concupitæ. Et hoc ipſum erit dicendum, ſi iſtud peccatum extra concubitum committatur à pluribus perſonis, vna adiuuante alteram: nam etiam tunc

ex-

exprimenda in confeſſione erit qualitas perſonæ complicis, vtpotè cuius peccato quis cooperatur, vel eam ad hoc induxit. Ita *Trullench ſupra n.2. Reiffenſtuel Theol.mor.tr.9.diſt.4.qu.5.n.49. & 50.* & alij communiter: & fusè dixi *in Lapide Lydio Theol.in comment.ad Propoſ.24.*

5 Notandum eſt quartò. Quoties quis ſinè neceſſitate, vel rationabili vtilitate, vel commodo, dat operam alicui cauſæ per ſe notabiliter influenti in pollutionem, ſiue in vigilia, ſiue in ſomno contingentem, ſi illam præuidit, licèt expreſsè, & directè non intenderit, toties peccat mortaliter; eſt enim ea pollutio indirectè volita; quoniam qui deliberatè vult cauſam, neceſſariò vult effectum ab illa prouenientem. Ita ex *Sanch.z, Vaſquez, Leſſio, Filliuc. & Diana, Tambur.l.7.c.3.§.5. num.49. Trullench nu.4. Reiffenſtuel num.51. & ſeq.* Quoties verò quis ſine neceſſitate, vel rationabili vtilitate dat operam cauſæ leuiter, vel per accidens influenti in pollutionem, toties ſolum peccat venialiter; cum enim cauſam ſolum leuiter influentem apponat, pollutio per accidens ſequitur: vnde nunquam ad mortale imputari poteſt, niſi adſit periculum conſenſus, vel periculum delectationis. Ita *Trullench ſupra, Anton.à Spir.Sancto p.3. Direct. Confeſſ. tr.9.d.7.ſect.1.nu.86.* & alii communiter.

6 Notandum eſt quintò, cauſam notabiliter influentem in pollutionem, ſolùm eſſe illam, quæ eſt peccaminoſa mortaliter in genere luxuriæ contra ſextum præceptum; cæteras autem eſſe tantū leuiter influentes. Ita cum *Sanchez, Leſſio, & alijs, Tambur.ſupra num.50. Anton.à Spir.Sancto num.87.* Hinc fit, cogitationes, deſideria, aſpectus, tactus, oſcula, &c. mortalia in genere luxuriæ, ſi ex illis præuideatur pollutio, ſiue in vigilia, ſiue in ſomno, quamuis non intendatur eſſe non ſolum in ſe peccata, ſed eſſe peccata, prout ſunt cauſa pollutionis; vnde adoleſcens, cui hoc accidit, & peccauit deſiderio fornicationis, & peccauit contra naturam ſe polluendo in ſomno, vel in vigilia, ſiquidem pollutioni dedit libere cauſam. Verum is, qui nocturnæ pollutionis cauſam dedit ſi antequam ſomnum capiat, ipſum de cauſa pœniteat, pollutio ſequens non ſibi ad culpam imputatur in ſe: quia ſic iam non eſt voluntaria, nec habet cauſam, cùm per pœnitentiam ſit ſublata; vnde tantum in cauſa, ſeù potius cauſa illius fuit peccatum: ac proinde quando confitetur, non tenetur pollutionem confiteri, ſed ſufficit dicat ſe dediſſe cauſam pollutioni. Ita *Petrus de Ledeſma tom.2.tr.14.c.16.in fine, Trullench ſupra num.16.* Immò *Diana p.1.tr.de circumſtantijs reſ.64. cum Vaſquez 1.2.tom.1.d.94.ca.3.num.16.* aſſerit eum, qui dedit cauſam pollutioni nocturnæ, non teneri aperire in confeſſione ipſam pollutionem, ſed ſatisfacere dicendo dediſſe cauſam pollutioni; quia, inquit, tunc pollutio non eſt propriè peccatum, ſed effectus peccati: Tenenda tamen eſt communis ſententia, explicandam eſſe pollutionem, quia interpretatiuè, & in ſua cauſa fuit volita, conſequenter erit peccatum. Ita *Caſtropal.tr.2. d.3. pu.20. Trullench,* & alii communiter. Præuiſio debet

Digitized by Google

eſſe talis, quòd probabiliter cognoſcatur pollutio inde futura: ſi enim tantùm dubitet, nec habet moralem certitudinem, non peccabit mortaliter. Ita *Trullench num.9.* & alii. *Thomas Sanchez l.9. de matrim. d.45. num.20.* exiſtimat, aliquando etiam mortale peccatum in genere luxuriæ, propter eius breuem durationem, non eſſe cauſam notabiliter influentem in pollutionem, ſiue in vigilia, ſiue in ſomno, vt deliberata cogitatio de habenda puella, quæ in momento tranſit, vel leuis tactus cum eadem deliberatione; rariſſimè enim ex tam breui prauo affectu, vel tactu ſequitur vel nocturna, vel diurna pollutio. Immò *Ioannes Sanchez*, quem refert, & ſequitur *Baſſæus V. Luxuria num.15.* exiſtimat nullam dari cauſam intra genus luxuriæ, quæ efficax ſit ad pollutionem ſequutam in ſomno: nam ſi dum præſens eſt cauſa influxum efficacem non habet, multò minus illum habebit, dum abſens reperitur; vnde aſſerit, nunquam eſſe confitendum pollutionem præuiſam in cauſa, etiam ſi cauſa ſit mortalis in genere luxuriæ, niſi quando cauſa fuiſſet appoſita ea intentione, quod ſequeretur in ſomno pollutio: At hoc ego non ſequor: & *Diana p.1. tr.7. reſ. 65.* apertè fatetur, ſe tantum illius doctrinam referre.

7 E contra verò lectio vana, aſpectus curioſus, & cæteræ actiones, quæ ſunt peccata venialia, etiam ſi in illis præuideretur pollutio, dummodò non intendatur, & ceſſante periculo conſenſus, ſunt tantum cauſæ leuiter influentes, ac per conſequens pollutio ex illis ſequuta tantum erit peccatum veniale. Ita cum *Sanchez, Henriquez, Suarez, & aliis, Diana p.1. tom.7. reſ.65.* ibi: *Notandum eſt etiam, pollutionem præuiſam, ſed non intentam ex actionibus peccaminoſis tantum venialiter in genere luxuriæ, vt ex tactu, v.g. leui manus viſu, verbis, lectione aliquantulum libidinoſis, &c. non eſſe peccatum mortale.* Et idem dicendum eſt de aliis cauſis, quæ non ſunt mortalia in genere luxuriæ, licet in ſuo genere ſint mortalia, vt comeſtio calidorum, potus vini, & ſimilia, etiam ſi excedat vſque; ad culpam mortalem puta ebrietatem &c. ſi quidem hæ cauſæ, licet in ſuo genere mortales ſint, leuiter tamen influunt in pollutionem. Ita *Tambur. ſupra num.5. Anton. à Spir. Sancto num.88. Villalob. Vaſquez, Sanchez, & Granadus,* quos refert, & ſequitur *Diana ſupra,* rectè ſubdens: *Sufficit igitur in tali caſu pœnitentem ſe accuſare de nimio potu, & cibo, & non opus eſt explicare pollutionem:* & in fine concludens: *Notentur hæc, quia ſæpius in praxi occurrere poſſunt.*

8 Notandum eſt ſextò, excuſare cauſam notabiliter influentem à peccato, neceſſitatem te medendi in pudendis, & illas alias cauſas, quæ bona fide apparent neceſſariæ, & vtiles, & commodæ animæ, vel corpori. Ita cum *Sancio, & Diana Tambur. l.7. c.3. §.5. num.52. Trullench. ſupra num.5. Anton. à Spir. Sancto num.89. Reiffenſtuel num.53.* Hinc potus, cibus, etiam ad eos guſtandos, ſtudere, audire confeſſiones, cubare tali ſitu, ob tuum commodum, equitare ad negotiandum, vel ad recreationem, complexus, & oſcula iuxta morem patriæ, mederi verenda alicuius, & ſimilia, ha-

ben-

Digitized by Google

bentur cauſæ ad excuſandum non ſolùm à mortali , ſed etiam à veniali : & idem dicendum eſt de ſedatione pruritus , vel de eo , qui pudenda lauat ad tollendam ſcabiem , ad purgandum fœtorem , ſine intentione tamen impuræ libidinis , vt benè cum vtroque *Sanchez* notat *Tambur. num. 52. Anton.à Spiritu Sancto , loco relato* , & alij communiter. Hinc *Diana p.3.tr.5.Miſcell. reſ.22.* aſſerit accubantem ſic , vel aliter, & ſentientem ſe ex tali ſitu in pollutionem venire in ſomno , vel in vigilia, dum abſit periculum conſenſus , & determinatus ſit non conſentire , & experientiam conſentiendi non habet , non teneri aliter decumbere , licet illi minimè vtilis eſſet , talis modus decumbendi , ſed ſolùm ad commodiùs quieſcendum in lecto intenderetur ; conſequenter ait, edentem cibos calidos , non teneri ab his abſtinere , quamuis habeat alios , quamuis ſequatur pollutio, modò non intendatur , nec adſit conſenſus ; quia , ait , aliquis non tenetur vitare cauſam per accidens influentem in pollutionem , dum abſit periculum conſenſus . Idem docent Doctores ſupra citati. Hinc infert etiam *Sancius* , & cum eo *Diana*, virum, aut fœminam, quæ ob ſuperpoſitionem vnius fœmoris in aliud, motum ſenſualitatis ſentit, non teneri talem ſitum mutare, dum determinati ſint non conſentire , neque ſit periculum conſenſus. Hinc etiam infert *Diana* ſe rectè conſuluiſſe quendam iuuenem, cui neceſſe erat interuenire in quibuſdam feſtis nuptiarum , non peccaſſe, cum ex tactibus manus mulieris in ballo polluebatur , ſine vllo tamen periculo conſenſus . *Trullench* tamen *nu.7.* hanc doctrinam admittit tantum in vltimo conſectario,quia videtur adeſſe cauſa honeſta excuſans, minimè verò in aliis , ideoque teneri ad illam vitandum , aliter enim videtur ſaltem virtualiter velle pollutionem . Tu quid verius videtur ſenties , quid tutius conſules .

9 Notandum eſt ſeptimò : Non poſſe maritum abſque peccato mortali deſiſtere à copula, quando ipſe non ſeminauit, & vxor iam ſeminauit, niſi forte adſit vrgentiſſima cauſa deſiſtendi, etiam ſi fœmina ſeminauerit, vt , ſi graue periculum vitæ ſuperueniret , vel alii ſuperuenient aduertentes illum actum , quamuis tunc ſit ſuperuentura pollutio extra vas , quia illa non cenſetur voluntaria. Ita *Trullench ſupra n.13.& alij. Diana p.3.tr.6.miſcell.reſ.94.* cum *Ludouico de S.Ioanne in Summa to.1.q.3.ar.3.diff.5.dub.2.* exiſtimat eſſe próbabile , virum debilem, vel infirmum poſſe ſine peccato mortali incipere copulam cum vxore in vaſe legitimo , & non effundere , quia matrimonium non ſolum ordinatur ad prolem , ſed etiam eſt remedium concupiſcentiæ , & ex alio capite inter coniuges tactus etiam impudici non ſunt peccatum mortale . Contrarium tamen exiſtimant probabilius , ſicut & *Trullench*. Alii nullo modo probabilem illam ſententiam exiſtimant. Tu ſi probabilem agnoſces , animaduerte nunquam coniugi eſſe licitam copulam incipere , & poſtea retrahere , & ſeminare prope vas , vel in ore vaſis. Scio tamen *Ioannem Præpoſitum in 1.2.*

D.Tho.

Digitized by Google

D. Thom.æ q. 74. ar. 10. dub. 1. hæc verba habere: *Deducitur neque peccare coniuges, qui propter morbi periculum ſe retrahunt ab actu coniugali, quamuis propter naturæ incitationem putetur ſequutura pollutio.* Aliud eſt in fornicatione, quis enim, inchoata fornicatione cum aliqua, tenetur ſe retractare antequam ſeminet quia omni tempore ante completam fornicationem tenetur deſiſtere, & eam non conſummare: vnde eo caſu pollutio non cenſetur volita, ſed permiſſa. Ita cum *Bonac. Trullench. num. 13. in fine, Diana p. 6. tr. 6. reſ. 37.* Vnde prorsùs diſcedo à *Præpoſito vbi ſupra, & Sanch. in edit. Venetæ l. 9. d. 19. num. 7.* aſſerentibus contrarium eſſe probabile, & poſſe in eo caſu ſine nouo peccato actum conſummari: nec poſſe fornicantem ſe retractare, ſi fœmina V. g. ſeminauerit: Nam quòd vna pars ſeminauerit, non tollit obligationem non ſeminandi, & conſummandi actum malum, quantũ eſt ex parte alterius.

10 Notandum eſt vltimò: ſicut deliberatè procurare pollutionem, deque ea complacere, eſt peccatum mortale, ita procurare diſtillationem, quę fit cum voluptate, & commotione ſpirituum deſeruientium generationi: nam tunc ſemper eſt coniuncta cum voluptate libidinoſa. Dixi, *quæ fit cum voluptate, & commotione ſpirituum:* nam hæc diſtillatio, aliquando fit cum ea voluptate libidinoſa, aliquando ſine illa; eſt enim hæc diſtillatio effuſio cuiuſdam humoris, qui minùs mordax eſt, & aquoſior, quàm ſemen, paucioris quantitatis, minoriſque voluptatis, & aliquando nullius, vt benè cum *Gerſone Tambur. l. 7. Decal. c. 3. §. 5. nu. 53. Anton. de Spir. Sau. num. 90. Reiffenſtuel num. 57.* & alii. Hinc ſicut obligatur homo remouere cauſas per ſe notabiliter influentes in genere luxuriæ, non verò per accidens in pollutionem, ita obligatur eaſdem remouere per ſe influentes, non verò per accidens in diſtillationem, quæ fit cum prædicta libidinoſa voluptate. Ratio eſt; quia ſemper teneatur vitare cauſas per ſe influentes in delectationes illicitas. Sed illa delectatio, quæ habetur in diſtillatione, eſt illicita, ſi deliberatè ſumantur: Ergo. Ita cum *Sanchez, Tambur. ſupra n. 33. Anton. à Spir. Sau. num. 91. Reiffenſtuel ſupra.* Dixi *influentes in diſtillationem, quæ fit cum libidinoſa voluptate*; nam ſi talis diſtillatio accidat ſine tali voluptate libidinoſa, quamuis adſit erectio leuis genitalium, ea non eſt peccatum, nec eſt obligatio tollendi eius cauſas, ſiquidem illa diſtillatio non nocet generationi, nec eſt coniuncta cum delectatione Venerea, vt ſuppono: Ergo non eſt vnde poſſit eſſe peccatum. Ita cum *Caietano, Laymano, & Reginaldo, Tambur. num. 53. Reiffenſtuel ſupra.* Excipiuntur ab hac Doctrina coniugati; quibus ob cõiugium licitum eſt cauſas notabiliter influentes in pollutionem apponere, ſecluſo attamen pollutionis periculo, ſed non ſecluſo periculo diſtillationis euenientis cum voluptate libidinoſa, vtpotè ex qua generatio ſubſequi nequit. Sic aduertunt *Sanch. l. 9. d. 45. nu. 92. Layman l. 3. ſum. ſect. 4. num. 18. Caſtropalaus par. 7. tract. 30. d. 3. pun. 7. num. 7.* His prænotatis, ſit.

§. SE.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum, & contraria diſpelluntur.

11 Dico primò: Mollities iure naturæ prohibita eſt: vnde nunquam poteſt eſſe obligatoria, aut bona: Et contrarium aſſertum ſubijcitur cenſuræ pernicioſi, ab hoc Decreto confixæ: & videtur etiam error proximus hæreſi.

12 Probatur primò, ijſdem argumentationibus *Apoſtoli 1. Cor. 6.* quæ etiam malitiam ex ſe mollitiei oſtendunt.

13 Probatur ſecundò, ex *c. 1. epiſt. ad Romanos*, vbi ſic ait idem Apoſtolus: *Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Et poſt pauca ſubiungit Doctor Gentium. *Propterea tradidit illos Deus in Paſſiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum in eum vſum, qui eſt contra naturam. Similiter autem, & maſculi relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem operantes, & mercedem, quã oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Et ſicut non probauerunt, Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt.* Loquitur autem Apoſtolus de omni peccato contra naturam, & quidem *Caramuel* perſtringitur, qui cum Mollitiem, Sodomiam, & Beſtialitatem eiuſdem ſpeciei infimæ ſtatuat, conſequenter vult ex ſua natura omnes eſſe actiones indifferentes, & nonniſi malas à poſitiua diuina prohibitione: & certè mirandum eſt tantum virum doctum hunc clarum locum Apoſtoli non conſideraſſe. In his ergo verbis Apoſtoli notandum eſt primò, hoc genus peccati vocari *Immunditiam, actiones contumelioſas, & paſſiones ignominiæ*, ſiue ignominioſas, & peccata *contra naturam*. Secundò per id verbum *Tradidit illos*, denotatur deſertos eſſe à Deo, dum talia abominanda operantur, vt benè ibi *S. Thomas, Cornelius à Lapide*, & alii. Tertiò aſſerit Apoſtolus, in pœnam idololatriæ, quam exercuerunt, cognoſcentes Deum ex creaturis, deſertos fuiſſe, & traditos deſiderijs ſuis ignominioſis. *Propter quod tradidit illos Deus: &c.* Tradidit autem Gentiles, non tantùm Plebeios, ſed & Philoſophos, qui fuerunt impuriſſimi, & ſpurciſſimi. Audi ex vno Diogene Laertio ſeriatim ſingulorum hac de re emblemata: Periander, inquit, Cratea propria matre ſua abuſus eſt. Socrati Alcibiades in delicijs fuit. Phædon captus ab hoſtibus infami ſe quæſtui addixit. Menedemus notatur nimiùm familiaris fuiſſe amaſio Aſclepiadis. Plato captus

fuit

fuit amore Stellæ Aſtrologi, & Dionis: alij Phædrum addunt;alii etiam Alexim. Bion Boryſthenites duos adoleſcentes, Demetrium, & Myrleanum Leocharem,turpiter amauit. Idem adoptabat iuuenes,vt eis abuteretur: Ariſtoteles Hermiæ concubinam amauit,eique ſacrificauit, Demetrius Phalareus,à Cleone turpiter eſt perpeſſus: Diogenes dicebat, debere eſſe communes mulieres,& filios: Zeno vxores communes in Republica ſtatuebat:Chryſippus congredi iubet matribus,filiabus,& filiis. Eudoxus fuit in deliciis Theomedonti Medico. Epicurus Leontiam, & Themiſtiam meretrices,& Pythoclem formoſum adoleſcentem in delitijs habebat. Erant nunc quidam Scioli, qui vt Ariſtoteli detrahant, Platonem,Zenonem,Epicurum viros probos prædicant. Quartò,addit Apoſtolus; eam fuiſſe pœnā proportionatā immani delicto talis idololatriæ,illis verbis: *Mercedem,quam oportuit,erroris ſui in ſemetipſis recipientes*.

14 Ex quibus omnibus manifeſtè infertur, omnes illas actiones obſcœnas eſſe diſſonas rationi,etiam ſecluſa poſitiua prohibitione Dei, atque adeo intrinſecè malas mortaliter,ideoque iure naturæ vetitas. Quid enim magis diſſonum rationi,quàm exercere actiones, quæ ſecundùm Apoſtolū ſunt actiones *immunditiæ*, naturæ rationali *contumelioſæ, & ignominioſæ,& contra naturam?* Dicere autem, quòd ex ſola prohibitione Dei actiones ex ſe indifferentes fiunt immundæ,contumelioſæ,ignominioſæ,& contra naturam, eſt in meridie caligare. Maximè cùm *Caramuel* velit effuſionem ſeminis nihil aliud eſſe,quam effuſionem ſudoris, vel ſpumæ, vel ſanguinis,vel etiam partis fluidæ corporis. Numquid ſi Deus prohiberet effuſionem ſudoris,vel ſanguinis, talis effuſio fieret immunda, contumelioſa, aut ignominioſa naturæ rationali?

15 Confirmatur primò: Nihil eſt magis difforme à natura rationali, quàm ea actio,quæ eſt contra naturam: Sed omnis ea actio obſcœna,cuius meminit Apoſtolus,eſt contra naturam,teſte eodem Apoſtolo: Ergo omnis ea actio eſt difformis à natura rationali, ſiue,quod idem eſt,diſſonat rationi. Et ideo *S.Thomas in comment.huius loci* ait: *Dicuntur autem paſſiones ignominiæ,quia non ſunt nomine digna,ſecundùm illud Epheſ.5 (Quæ aguntur in occulto ab eis,turpe eſt dicere). Si enim peccata carnis communiter exprobrabilia ſunt,quia per ea homo deducitur ad id quod eſt beſtiale in homine, multò magis peccatum contra naturam, per quod etiam homo à natura beſtiali decidit:* quia natura beſtialis non extenditur ad appetendum eundem ſexum.

16 Confirmatur ſecundò: Quod eſt contra naturam, eſt contra ſpecialem legem naturæ: Ergo contra ius naturale: Ergo iure naturali vetitum: Hæc enim nomina ſunt Synonyma, niſi quod is terminus *contranaturam* dicit aliquid ſpecialius. Quare *S.Chryſoſt.ſerm.4.in Epiſt.ad Rom.* de his loquens ait: *Naturam ſiquidem defœdarunt,& leges illius conculcarunt.* Et *OEcumenius in Epiſt.ad Rom.c.1.Rem innuit turpiſſimam,& oſtendit,quod non ſolum in Dei leges, ſed in naturæ,quoque leges pugnabant*.

17 Con-

17 Confirmatur tertiò ex *S. Thoma in comment. huius loci:* Nihil magis diſſonum rationi eſſe poteſt, quàm quòd intellectus, & ratio ſubijciatur appetitui corporeo: Sed per eiuſmodi peccata intellectus, & ratio ſubijcitur appetitui corporeo: Ergo ea ſunt diſſona rationi. Verba *S. Thomæ* ſunt, *Circa quòd conſiderandum eſt, quòd homo medium locum obtinet inter Deum, & animalia bruta, & cum vtroque extremorum communicat: cum Deo quidem ſecundum intellectualitatem, cum animalibus verò brutis ſecundum ſenſualitatem. Sicut igitur homo, id, quod eſt Dei, mutauit vſque ad beſtias,* (exhibens illis adorationem) *ita Deus id, quod eſt Diuinum in homine ſecundùm rationem, ſubdit ei, quod eſt brutale in ipſo, ſcilicet deſiderio ſenſualitatis: Hoc eſt, quod dicit* (*Propter quòd tradidit illos Deus in deſideria cordis*) *vt eorum ratio ſubderet ur deſiderijs ſcilicet ſenſualis affectus: Quod quidem eſt contra naturalem ordinem hominis, ſecundum quod ratio appetitui ſenſibili dominatur. Geneſ. 4.* (*Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.*)

18 Confirmatur quartò: Contumelia, qua quis afficit ipſam naturam rationalem, eſt rationi diſſona, atque adeò intrinſecè mala moraliter, & iure naturali vetita: Atqui contumelia, qua iuxta Apoſtolum, afficiunt corpora ſua in ſemetipſis illi, quos tradidit Deus in deſiderijs ſuis in immunditiam, eſt contumelia in ipſam naturam rationalem: Ergo talis contumelia eſt rationi diſſona, atque adeò intrinſecè mala, & iure naturæ vetita. Maior conſtat ex ipſa terminorum apprehenſione. Minor præterquamquod etiam ex terminis liquet, traditur à *S. Chryſoſtomo cit. ſerm. 4. ibi: In ipſam naturam contumelioſi facti: & S. Thomæ in præfato comment. Debitum erat, vt qui in Dei naturam iniurioſi fuerant, id quod eſt proprium ſibi, creaturis attribuendo, in ſui naturam contumelioſi exiſterent.*

19 Confirmatur quintò, ex *S. Thoma, vbi ſupra*. Nam illa verba Apoſtoli, *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt,* ſic explicat. *Dicitur autem ſenſus reprobus, quo aliquis reprobandum iudicium habet de agendis: & ideò ſubdit,* (*vt faciant ea, quæ non conueniunt*) *id eſt, ea, quæ a recta ratione diſcordant.* Docet ergo Apoſtolus, iuxta explicationem *S. Thomæ*, omnia ea peccata obſcænæ voluptatis eſſe ex obſcænitate ſua rationi diſſona, atque adeo intrinſecè mala.

20 Concludo probationem verbis *Cornelij à Lapide* in eundem locum. *Hæc inuitus licèt ſcripſi ad hoc vt ſciant Confeſſarij quanta ſit libidinum vorago, ſciantque fœminas quoque, vt viros, peccatum mollitiei committere, vt Galenus, Medici, & experientia docet; & ſicut illud in ſe exercent, ita & in alios idem exercere modis infandis.*

21 Probatur tertiò: Si peccata contranaturalia non eſſent ab intrinſeco mala moraliter, ſed ſolùm ab extrinſeca poſitiua prohibitione Dei, gentes infideles, & idololatræ exercentes eam luxuriam contranaturalem, non peccarent: Sed re ipſa peccarunt: Ergo ea peccata ſunt ab intrinſeco mala moraliter; & non ſolùm ab extrinſeca poſitiua prohibitione Dei: Maior eſt

euidens: Non enim peccant, qui non cognoſcunt malitiam: ſi ergo tota malitia prouenit a ſola prohibitione Dei, cùm hæc illis gentibus non fuerit prædicata, maxime ante Aduentum Chriſti Domini, & prædicationem Apoſtolorum: aliunde autem non potuerint cognoſcere eam malitiam ex ratione naturali; cum iuxta opinionem oppoſitam ea malitia non diſſonet rationi naturali, fit, eas gentes non peccauiſſe exercendo eas actiones luxurioſas. Neque poteſt dici, eam ignorantiam fuiſſe vincibilem: nam fuiſſet inculpabilis, cum non ſit in poteſtate eorum infidelium, quod prædicetur, & intimetur illis illa Dei poſitiua prohibitio. Sed conſtat vlterius ea Maior ſyllogiſmi ex verbis *Apoſtoli ad Rom. 2. Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus* (ita legendum eſt cum *S. Cypriano, Cornelio à Lapide, & Biblijs Romanis*, non cogitationum, vt legunt alij) *accuſantibus, aut etiam defendentibus in die, cùm iudicabit Deus occulta hominum, &c.* vbi *S. Thomas*, ea verba, Naturaliter ea, *quæ legis ſunt, faciunt*, ſic explicat: *Commendat in eis legis obſeruantiam, cum dicit (naturaliter faciunt ea, quæ ſunt legis) id eſt, quæ lex mandat, ſcilicet quantùm ad præcepta moralia, quæ ſunt de dictamine rationis naturalis, ſicut & de Iob dicitur, quod erat iuſtus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Et *Cornelius à Lapide: Occurrit hic Paulus tacitæ obiectioni: Quomodo gentes, ſi legem non habent, poſſunt contra legem peccare? Reſpondet eas aliam habere legem naturaliter inditam, quam faciunt, & contra quam peccant.* Et ad illa verba, *Et inter ſe inuicem cogitationibus, &c.* inquit. *Pro cogitationibus Græcè eſt ratiocinationibus, vel diſceptationibus, accuſantibus, ſcilicet hominem, etiam Gentilem, cùm malè agit (vt quod ſtultum, & ſi peccatum, dictat homini naturaliter conſcientia; quia de eo iuuenes erubeſcunt, arguuntur; & in alijs iudicant illum eſſe rem à ratione, & naturali honeſtate, & pudore abhorrentem, fœdam, & turpem) & defendentibus hominem, cum benè agit: quibus ſcilicet cogitationibus, & diſceptationibus conſcientia vtitur, vt hominem benè, aut malè egiſſe conuincat, quæ conſcientia teſtis eſt omni exceptione maior; Gentes habere legem, menti inditam; iſque teſtis maximè apparebit in die iudicij, vbi propria conſcientia vel excuſabit, vel accuſabit quemque apud Deum.* Ex quibus patet etiam minor prioris ſyllogiſmi, & potes ſupplere ex probatione præcedenti ex eodem *Apoſtolo c. 1.*

22 Probatur quartò: quia Mollities eſt effuſio ſeminis contra primarium finem intentum à natura, qui eſt generatio. Ergo magis, quam ſimplex fornicatio habet deformitatem præciſa poſitiua prohibitione Dei. Conſequentia patet, cum fornicatio ſolum ſit contra ſecundarios fines, nempè nutritionem, & educationem prolis; qui ſunt neceſſariò conſequentes ad generationem. Vnde hæc Propoſitio deterior eſt antecedente, quia magis contra ordinem naturæ eſt mollities, quàm fornicatio. Igitur mollis in iniuriam, & damnum naturæ operatur diſperdens ſemen, ex quo poteſt ge-

ne-

nerari homo, ſicut iniuriam, & damnum irrogat Domino tritici, vel alterius ſeminis, qui illud diſperdit. Et ſicut gaudii materia eſt, cùm naſcitur homo in mundum, vt Chriſtus Dominus dixit, *Io. 16.* Ità materia luctus eſt, cùm exercetur mollities, quia homo quodammodo occiditur, antequam generetur. Hinc Diogenes Cynicus, cū mollitiem exerceret, dicebat: *Hominem perdo.* Et Martialis Poeta Pontico ſe polluenti: *Iſtud quod digitis, Pôtice, perdis, homo eſt.* Et prius dixerat, prædictæ actionis fœditatē reprehendens.

Hoc nihil eſſe putas? Scelus eſt, mihi crede, ſed ingens,
Quantùm vix animo concipis eſſe tuo.

Qui autem ductus naturali lumine pollutionem ſic damnat, quantò acrius beſtialitatem, aut Sodomiam reprehenderet? Dolendum igitur, celaſſe naturam Chriſtianum Doctorem, quod Philoſopho gentili, & aliàs in moralibus ſatis deprauato non occultauit.

23 Probatur quartò; quia ſi pollutionis interdictio non emanaret à lege naturali, nulla eſſet ratio, cur in nullo euentu etiam tuendæ vitæ liceret: quippè nulla eſt lex merè poſitiua, quæ illam ità arctè, & indiſpenſabiliter prohibeat. Vel enim talis lex eſſet humana: Et hæc neque obligaret cum tanto vitæ diſcrimine, neque eſſet prorſus indiſpenſabilis, vt in cæteris legibus præciſè humanis conſtat. Vel eſſet diuina: Et hæc non aſſignabitur in ſcriptura, quæ interdicat prædictum actum ſub eà generalitate, adeoque ſtrictè, vt in nullo euentu, & pro nullo fine quantumuis neceſſarijſſimo liceat. Quotquot enim ſiue ex veteri, ſiue ex nouo teſtamento adduci poterunt, loquuntur abſolutè, neque deſcendunt ad caſum ita vrgentem, vt vitæ periculum.

24 Confirmatur primò. Si mollities ſæpè eſt bona, (ex fine, ſcilicet, eo quòd ſit vtilis, vel neceſſaria tuendæ ſaluti, vel vitæ) ſequitur, eſſe licitam, non obſtante Dei interdicto; quia ius naturale tuendæ vitæ tollitur per præcepta Dei poſitiua, vt patet in præcepto de requie Sabbati, quo non obſtante, Machabæi ſine peccato in defenſionem gentis pugnauerunt illo die 1. *Mach. 2.* & ex definitione Chriſti, quòd liceat Sabbato curare, *Lucæ 14.* Ergo non obſtante interdicto, quòd aiunt Dei, licebit pro ſeruanda vita procurare pollutionem, quòd ipſe Auctor Propoſitionis admittere non audet, nec admitti poteſt.

25 Confirmatur ſecundò, ſi aliquando eſſet obligatoria ſub mortali, hanc vim habebit ex iure naturæ, id eſt ex ordine rerum: Sed Deus præceptis ſuis non tollit, neque immutat ordinem rerum; imò lege ſua æterna vetat, eum perturbari, iubetque conſeruari, vt ait *Auguſtinus 22. cōtra Fauſtū.* Ergo illa non eſſet interdicta à Deo, vel ſi eſſet interdicta, Deus ipſe euerteret ordinem rerum; & legem ſuam æternam; atque adeo euerteret, vt ſit peccaminoſum mortaliter facere aliquid etiam in eo caſu, in quo ex ordine rerum eſſet peccatum mortale ipſum non facere. Etenim ex interdicto Dei mollities non amittit eam bonitatem, quam habet ex ordi-

ne rerum, & propter quam obligaret sub mortali; nec enim poteſt amitti ea bonitas: niſi mutato ordine rerum; ſed Deus non ſupponitur, inhibendo mollitiem, immutaſſe ordinem rerum naturalem: Ergo, ſi eam Deus inhibuit, bonum inhibuit, & malum iuſſit. Quiddam igitur magnum, & mirabile docet Auctor Propoſitionis, nempe quod Deus prohibeat rem manente eius bonitate, faciatque idem ſimul eſſe bonum, & malum, bonum ex natura ſui, ſiue ex ordine rerum, malum ex prohibitione: Omnino verò repugat, vt res, retenta ſui bonitate naturali, euadat mala. Ergo abſurdiſſime dicitur, Mollitiem, retenta ſui bonitate ex ordine rerum, eſſe interdictam à Deo.

Igitur, ſi pollutio iure naturæ prohibita non eſſet, in aliquo euentu ſeruandæ vitæ eſſet licita, ac obligatoria: cum ergo in nullo caſu, & euentu poteſt eſſe licita, iure naturæ dicenda eſt vetita.

Dices, ex eo ſolum non licere in aliquo euentu pollutionem, quia hæc iuxta medicinæ regulas nequit eſſe proficua ſanitati, ſed ſemper ei nocet; & ideo cum ad huiuſmodi finem nunquam conducat, in nullo euentu poterit per eum cohoneſtari.

26 Sed contra eſt primò, quia valdè communis Medicorum opinio ſtatuit oppoſitum ex *Hippocrate*, *Ariſtotele*, *& Galeno*, à quibus velut axioma iam illud emanauit, *Venus eſt cauſa ſalutis cum opportunè ineſt*, *&c.* Nec deeſt ſatis efficax ratio prædictam ſententiam conuincens. Sicut enim ſanguis, & alij humores ſupra modum creſcentes, valetudini nocere ſolent, poteſtque euacuatio tanquam remouens, prohibens, vel repugnans: ita humor ſeminalis vltra debitam menſuram augmentatus poterit impedimentum eſſe ſaluti: ac proinde eius euacuatio conferet per modum remouentis prohibens ad ſalutem, & vitam tuendam. Nec refert, quòd natura non deſtinauerit huiuſmodi remedium propter prædictum finem; quia etiam non deſtinauit plura alia, vt abortum, ebrietatem, & ſimilia, & nihilominus iuxta medicinæ regulas aliquando ad ſalutem proficua, & neceſſaria cenſetur.

Secundò. Hoc ipſum teſtantur non pauca exempla virorum eximiè caſtitatem colentium, quibus ægrotantibus prouiſum eſt à medicis, iiſque in ſua arte peritiſſimis, vt ad ſeminis effuſionem, ex cuius retentione mors imminebat, vel per pollutionem, vel per copulam niterentur; quorum proinde egregium facinus commendatur, quia deſtituti omni alio remedio elegerunt vitam diſcrimini exponere, ne iniquo illo medicamine, & caſtitatis iactura vterentur. Sic B. Caſimirus Regis Poloniæ filius, & Hungarorum Rex delectus, de quo narrat eius hiſtoria, *quod graui oppreſſus infirmitate, mori potius, quàm caſtitatis iacturam ex Medicorum conſilio ſubire conſtanter decreuit*. Idem de Iacobo Cardinali Vlyſſiponenſi Regis Portugalliæ filio refert *Hieronymus Garimbertus lib. 3. de Vitis Pontificum*. Similia traduntur de Iſaacio Comneno Imperatore: de Thoma Secundo Epiſcopo

Digitized by Google

po Eboracenſi, de Michaele Verino primo inter Gallos recentiores Poetas; cuius illud extat poſteritati conſecratum:

Sola Venus poterat lento ſuccurrere morbo:
Ne ſe pollueret, maluit ipſe mori.

Concluditur igitur, quòd pollutio voluntaria eſt intrinſecè, & iure naturæ mala, & quia ita mala, nec tentationis vitandæ, nec ſanitatis parandæ, nec mortis vitandæ cauſa ab extrinſeco comminatæ poſſit procurari.

27 Dico ſecundò. Peccant mortaliter Medici propinantes medicamenta directè tendentia ad ſemen verum, & proficuum expellendum. Ita cum *Leſſio, Bonac. & alij Trullench l.6. Decal. c.1. dub.8. n.3. Anton. à Sp. Sanct. ſupra n. 84. Reiffenſtuel. cit. qu.5. n.45.* & alii communiter.

Patet, ex dictis, & ex *c. cum infirmitas, § fin. de Pœnit. & remiſſ.* ibi: *Cæterum cum anima ſit multo pretioſior corpore, ſub interminatione anathematis prohibemus, ne quis Medicorum pro corporali ſalute aliquid ægroto ſuadeat, quod in periculum animæ conuertatur.*

28 Verùm intelligitur aſſertio, dum præbetur medicina eo fine, vt naturam ad pollutionem conciter. Nam dare pharmaca, quibus ſemen in ſanguinem, vel alium humorem ſoluatur, culpa vacat, vt notat *Bonac. to.1. qu.4. de matrim. pu.20. n.12. Sanchez*, & alii, quos relatos ſequitur *Reiffenſtuel n.47.*

Igitur, licèt ſemen, ſi corporis ſanitati officere cœperit, detrahi poſſit medicamento cathartico (eo modo, quo bilis, pituita, & melancholia abſque libidinis ſenſu) tamen non poteſt pelli eo actu, & impetu, quem natura fecit illi proprium, neque hoc fine à Medicis pharmacum præſcribi, quia hic ſolius prolis cauſa à natura inſtitutus eſt, & alioquin procuraretur pollutio.

Nec obſtat, quòd licita ſit emiſſio ſanguinis, imò & amputatio manus ad vitæ conſeruationem.

29 Reſpondetur enim negando paritatem. Quia ſemen eſt inſtitutum ad propagationem ſpeciei: vnde nec eius vſus aliter licitus, niſi ob dictum finem in legitimo matrimonio. At ſanguis, manus, &c. ſunt ordinata ad conſeruationem, & functiones indiuidui: vnde non mirum, quod ob eius conſeruationem expelli, vel reſecari poſſint; cum bonum totius præferendum ſit bono partis.

30 Sed quid ſi ſemen non peccet in quantitate, ſed in qualitate, ſitque corruptum?

Reſpondeo, quòd tunc licet Medico præbere medicamentum, quod tendat ad expulſionem ſeminis corrupti, quod iam in aliam venenoſam ſubſtantiam degenerauit: prohibitio enim eſt de vero ſemine: quòd ſi aliqualis veri ſeminis effuſio ſequatur, eſt per accidens, idque ex re neceſſaria ad ſalutem corporis; ſicut ergo licèt naturæ medicamentis ſubuenire,

vt

Digitized by Google

vt alias corporis qualitates venenoſas depellat, licet inde ſequatur per accidens pollutio; licebit etiam iuuare naturam medicamento, vt depellat id, quod non eſt verum ſemen, ſed venenoſa qualitas. Ita cum *Sanchez, Bonac. Villal. Diana*, & alijs *Trullench ſupra num.* 14. & probabile putat *Baſſæus V. Luxuria num.* 16. Et in caſu, quod mulier ſit deſtituta ſenſibus, poſſit fieri etiam fricationibus, *Tamburin. l.7. Decal. c.7. §.2. num.6.* Sed de *hoc vide in Lydio Lapide Theol. in comm. ad Prop.*40.

31 Dico tertiò. Illicitum eſt pollutionem deſiderare, vel de ipſa iam ſecuta gaudere ob delectationem. Ita Doctores omnes.

Patet, quia deſiderium, & complacentia tendit in id, quod eſt intrinſecè malum.

32 Dico quartò. Licet tamen illam deſiderare ſimplici affectu, cauſa alicuius boni cum ea coniuncti. V.g. cauſa ſanitatis, ſedandæ tentationis, obtinendæ tranquillitatis animæ, &c. Ita *Nauarrus c.16. num.7. Toletus l.5. c.13. Filliuc. Villalobos, Diana, & Caſtropalaus*, quos refert, & ſequitur *Trullench num.*11. *Anton. à Spir. San. num.*85. Nec hoc ſubeſt damnationi, vt bene *Corella hic num.*196.

Probatur: nam ſic non eſt peccatum, ſed per ſe indifferens: nam deſideratur, vt fiat via naturali, & per cauſas naturales, ſine omni libera cooperatione; finis etiam bonus eſt. Hanc ſententiam ait probabilem *Leſſius l.4. c.3. dub.14. num.*105. qui bene aduertit, non eſſe conſulendum, indicant enim imperfectum caſtitatis affectum, talia deſideria; nam non deſunt ſanctiora remedia à viris ſanctis vſurpata. Aliud eſt de procuratione: ſicut paſſio Chriſti, & mors multorum deſiderari poterat, non tamen procurari.

33 Hinc medicus poteſt deſiderare, vt ei, cui medetur, contra ipſius voluntatem eueniat pollutio (quam credit ægrotanti multum profuturam) ſine vlla culpa ægrotantis, & ſine vlla illicita procuratione. Ita *Nauarrus, & Trullench* locis relatis.

34 Dixi: *ſimplici affectu*; nam ſi deſiderium ſit efficax cauſa ob validam imaginationem, & commotionem partium, quibus incaleſcentibus, & per ſomnum adiutis ſequatur deinde pollutio; tunc erit ipſa peccatum mortale, ſicque non licet eam deſiderare, quia hoc modo magis efficaciter deſideratur, quàm ſimpliciter deſideratur. Ita cum *Filliuc. & Bonac. Trullench ſupra n.*12.

35 Dico quartò. Similiter licitum eſt gaudere de pollutione iam facta, modo, quo eſt licitum eam deſiderare. Ita Doctores ſupra relati, nec hoc damnatur hoc Decreto, vt bene *Corella ſupra.*

Patet, quia finis bonus eſt: & quod licet deſiderare, vt fiat, licet etiam gaudere quod factum ſit.

36 Verùm non licet de ea habita præſentialiter, etiam in voluntate delectari. Ita cum *Salas, & alijs, Caſtropal. tr.2. d.2. pu.10. §.2. n.*10. *Trullench*

num.

num. 11. quia talis delectatio cauſa eſt excitatiua pollutionis præſentis, & ob eam cauſam prohibetur à caſtitate.

37 Ex hactenus dictis patet reſponſio ad argumenta *Caramuelis*. Et quidem primum, quod etiam adducitur in *Fundam. fundam.* 53. §. 3. ſemen vel eſt ſudor, vel ſpuma, vel lac, vel ſanguis, vel aliud excrementum, iuxtà varia Doctorum placita: at iſtorum emiſſionem procurare, non eſt ex natura ſua peccatum. Ergo mollities non eſt peccatum ex natura ſua: Fuit iampridem ingeſtum à Luthero ad probandum, nullum eſſe votum caſtitatis, & impoſſibilem vitam cælibem, quia impoſſibile eſt excrementa non eiicere; quare non ſatis conſulte regeritur à *Caramuele*. Reſpondeo ergo, quocumque nomine appelletur ſemen humanum, horret natura, & ipſæ aures humanæ horrent audire, quod inſtrumentum immediatiſſimum generationis hominis poſſit perdi, & profundi: atque adeò eſt contra naturam rationalem.

38 Ad inſtantiam, quam proponit etiam lac fœmineum ordinari ad nutritionem infantis, & tamen non eſſe contra naturam illud profundere, reſpondeo, quòd nos habemus ex Apoſtolo, vbi ſupra, id genus peccati eſſe contumelioſum humanæ naturæ, & eſſe proprii corporis immunditiem, coinquinationem, & contumeliam: & ex Sanctis Patribus habemus, omnem luxuriam eſſe productricem prauorum fructuum, vt ſupra perpendimus, & ipſum rationis lumen id dictat: quòd in profuſione lactis non inuenitur. At lac fœmineum & ſi deſtinetur ad nutriendum infantem, non horret natura rationalis, quod applicetur ad alium finem.

39 Secundum argumentum eſt, quod ſicut iuxta opinionem grauium Doctorum licet matri ob ſanitatem intendere abortum fœtus inanimati, quòd proximiùs deſeruit generationi humanæ, quàm ſemen: ita etiam (ſtando præciſe in ratione naturali) potuit homo pro ſanitate tuenda intendere expulſionem ſeminis. At hoc peccat tum in antecedenti; probabilius enim eſt oppoſitum, vt in commentario ad Propoſ. 54. dictum eſt; ſed admiſſa ea ſententia, diſparitas conſiſtit in eo, quòd ſeminis expulſio non poteſt intendi ſine delectatione luxurioſa; expulſio autem fœtus inanimati inuadentis vitam matris, fit ſine delectatione luxurioſa. Aliam diſparitatem vide in dicto Commentario.

§. TERTIVS.

An opinio docens præcepta ſecundæ tabulæ eſſe diſpenſabilia, incurrat hanc damnationem.

40 **RESpondeo, quòd opinio, quæ affirmat poſſe Deum diſpenſare in omnibus præceptis ſecundæ tabulæ, atque adeo in præcepto ſexto**

ſexto, ex eo fundamento, quòd ea præcepta non ſunt ſtrictè de iure naturæ, ſed ex ſola prohibitione poſitiua Dei, quam docuerunt *Ocham, Aliacenſis, Gerſon, Almainus*, & alij, quos refert, & ſequitur *Caram. in Theolog. fund. num.566. & Verde*, hæc, inquam opinio, ſubiacet virtualiter huic damnationi. Ita rectè *Ioannes Cardenas hic diſſert.29.c.7.num.142.* Ratio eſt, nam ea Propoſitio eſt antecedens, vndè clarè infertur, quòd ſi Deus non prohiberet fornicationem, illa eſſet licita, vt ex terminorum comprehenſione conſtat, atque adeo eam Propoſitionem eſſe incompoſſibilem cum hac damnatione: Sed hoc importat damnari virtualiter: Ergo.

At opinio, ſeu Propoſitio affirmans, poſſe Deum diſpenſare in præceptis Secundę tabulæ, atque adeo in ſexto præcepto ex eo fundamēto, quod circumſtantia eſt diuerſa, non ſubiacet huic damnationi. Ita. *Ioannes Cardenas num.143.* Et ratio eſt, quia hæc opinio, quæ eſt *Scotiſtarum* cum *Scoto* apud *Maſtrium*, non inquit ea præcepta non eſſe de iure naturæ, ſed vocat veram, & ſtrictam diſpenſationem, etiam quando ex conceſſione Principis, lex generalis non comprehendit caſum particularem, mutatis circumſtantiis. Thomiſtæ verò cum *D.Thoma* hanc non putant veram, & ſtrictam diſpenſationem, quia tunc non reuocat Deus reſpectu huius indiuidui legem naturæ; ſed ſolum eſt mutatio circumſtantiæ, ſub qua nunquam fuit illicita copulatio, &c. bene enim ſtat, quod mæchatio ſit ab intrinſeco, & ſecundum ſe mala in omnibus aliis circumſtantijs; in circumſtantia autem, in qua Deus diſpenſare dicitur, non ſit mala: nam eo ipſo, quòd Deus iuſſit Oſeæ, vt copularetur cum muliere fornicaria, iam copulatio fuit quaſi matrimonialis, cum ad ſupremum naturæ conditorem ſpectet, determinare malum, quo multiplicanda eſt per generationem humana natura. Neque obſtat, quòd ſocietas viri cum fœmina fuiſſet per breue tempus; nam ſi per eam diſpenſationem conceſſiſſet Deus eam mulierem ad tempus breue, copulatio eadem eſſet legitima, vt pote præſcripta à ſupremo naturæ Domino: & idem patet in alijs, excepto præcepto non mentiendi. At in his diſpenſatio tantùm impropria inuenitur, propria enim eſt cum fit, non mutatis circumſtantijs, quæ à Deo non poteſt fieri; fit autem ab eo impropria, ſi rectè Thomiſtæ, & etiam *Suarez l.2.de legibus c.15.num.24.* dicens: *Quia hæc mutatio, quando fit ex peculiari Dominio, & poteſtate Dei, eſt (vt ita dicam) extra curſum naturæ, & præter leges ordinariæ prouidentiæ, ideo interdum diſpenſatio appellatur, non quidem proprij præcepti naturalis, (neque hoc dixit Bernardus ſi attentè legatur) ſed ordinarij curſus legis prouidentiæ, quæ à Diuina voluntate pendet.* Patet ergo, in quo ſenſu locutus fuerit *S. Bernardus lib. de Præcepto & diſpenſ. cap.4.* cum dixit, poſſe Deum diſpenſare in præceptis ſecundæ tabulæ. Quando ergo dicitur: *Actio quæ eſt intrinſecè mala moraliter, Deus non poteſt facere, quòd ſit bona*; mutatis circumſtantijs, negatur; immutatis circumſtantijs conceditur; at mutatæ fuerunt circumſtantiæ non ſolum in

ſexto

ſexto præcepto, quando dicitur, quòd Deus diſpenſauit cum Oſea, ſed etiam in alijs. Nam quando Deus fecit diſpenſationem quinti præcepti, ſeu potius communis prouidentiæ in tali præcepto, vt Abraham immolaret filium; in tali circumſtantia fuit licitum; cum Deus ſit ſupremus Dominus vitæ hominis, & poſſit illam deſtruere, quo voluerit medio. Et quando diſpenſauit in communi prouidentia circa ſeptimum præceptum, concedens Iſraelitis, vt ſpoliarent Ægyptios, in tali circumſtantia licitè eos ſpoliarunt; quia cùm Deus ſit vniuerſalis Dominus omnium rerum, fecit Iſraelitis donationem omnium eorum; & nemo peccat auferendo, quæ ſibi legitimè donata ſunt, quamuis alter ea poſſideat. At de hoc fusè ago *in tr. Theol. de legibus*.

PROPOSITIO L.

Copula cum coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium, ideoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

1 QVamuis *Caram. in Apolog. de Probabilit.* neget, vllum Theologum dixiſſe, Fornicationem fœminæ coniugatæ, conſentiente viro, non eſſe adulterium: tamen reuera fuit quorundam Caſuiſtarum, teſte *Goneto in diſſert. de Probabilit. num.* 120. & fuit vna ex ſeptemdecim, quæ delatæ fuerunt Vniuerſitati *Louanienſi*, *& ab eadem* in praxi non tolerandæ, & Superiorum auctoritate meritò prohibendæ, anno 1653. aſſertæ fuerunt.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Adulterium propriè eſt Alieni tori violatio: impropriè verò, & reductiuè eſt. Primò, dum copula habetur cum ſponſa, vel ſponſo de futuro: eſtque hæc circumſtantia neceſſariò in confeſſione aperienda, ex parte vtrinſque; licèt grauius ſit peccatum ex parte ſponſæ, quàm ſponſi. Secundò, ſi coniux Sodomiticè peccat cum aliquo mare, vel fæmina: & eſt circumſtantia neceſſariò confitenda, tàm ſi coniux ſit agens, quam patiens. Tertiò tàm ex parte viri, quàm vxoris, ſi coniux carnaliter contra naturam cognoſcat propriam vxorem. Nec aliter poteſt explicari in confeſſione, niſi aperiendo abuſum cum propria vxore. Et ſi vxor fuit renitens, debet etiam hoc explicari.*

3 *An ſacrilegium in materia luxuriæ reducatur ad Adulterium? An, & quale adulterium committatur, ſi poſt matrimonium legitimè conſummatum, relicta ex ſpeciali diſpenſatione in ſæculo vxore, religionem profeſſus, vel ordines ſacros adeptus, carnaliter poſtea cognoſcat eam, ſeu propriam vxorem? & qua pœna puniendus?*

4 *Quando adulterium committitur tantum interius? Et quot modis interius, & exterius? Et quando eſt duplex, an neceſſariò in confeſſione aperiendum? idemque de ſacrilegio. Et quot malitiæ in vtroque adulterio propriè, & reductiuè tali interueniant?*

5 *An Adulterium ſit prohibitum, quia malum, ſeù peccatum contra ius naturæ? In quibus conſiſtat poteſtas, ſeù ius coniugis in corpus alterius. Quod grauius peccatum, ſi ſolutus coniugatæ copuletur, vel ſi ſoluta coniugato? Et an grauius in coniugata, quàm in coniugato?*

6 *An adulterium ſit crimen ſpecie diſtinctum ab omni alio contra caſtitatem? Sufficit ne in confeſſione dicere:* Commiſi fornicationem; *& poſt alia peccata: ſubnectere:* Intuli grauem iniuriam cuipiam, tertia quadam perſona cooperante? *Si ex cauſis non poſſit explicare malitiam iniuſtitiæ adulterij: poteſtne, vel etiam tenetur explicare malitiam luxuriæ, dicendo:* Habui rem cum fœmina. *An hoc ſit periculoſum?*

7 *Cur Sacrilegium non ponatur à* Gratiano, Magiſtro ſent. *&* D. Thoma *in numero ſpecierum luxuriæ? Et quomodo pertineat ad diuerſas ſpecies luxuriæ, ſitque in ſpeciebus luxuriæ, at non ſub luxuria ſecundum ſe ipſum?*

8 *An adulterium ſit grauius ſtupro? An etiam inceſtu, & quo?*

§. II.

9 *An copula cum coniugata, conſentiente marito, careat malitia adulterij, ideo ſufficiat confiteri:* Se eſſe fornicatum? *Et pars affirmans qua cenſura proſternatur Decreto? quamque mereatur?*

10 *Negatina pars oſtenditur ex* Apoſtolo ad Rom. c. 7. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, &c.

11 *Ex* Gen. 2. Adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna; *& ſimili loco* Matthæi 19.

12 *Ex* Innocentio c. Gaudemus, de diuort.

13 *Ex lege matrimonij promulgata per Chriſtum, quæ eſt perfecta vnitas carnis.*

14 *Ex eo, quia coniuges non habent poteſtatem ſupra vincula, ſeù iura matrimonialia.*

15 *An remaneat nedum virtualiter, ſed formaliter damnata hæc propoſitio:* Copula mulieris cum marito, conſentiente vxore, non eſt adulterium: ideoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatam?

16 *An in caſu coniugis conſentientis ſit iniuria ſtatus matrimonialis, & non iniuria indiuidualis ipſius coniugis. Sitque probabilis pars affirmans, & ſecundum eam ſit aperiendum in confeſſione, alterum coniugem conſenſiſſe.*

17 *An*

17 *An ſententia identificans iniuriam ſtatus coniugalis cum indiuiduali perſona ſit probabilior, adeoque ſemper eadem ſit ſiue conſentiat, ſiue non alter coniux; ideoque ſi conſentiat, vt potè nulliter, non ſit circumſtantia in confeſſione aperienda?*

18 *An potius admittenda ſit in adulterio fidelis tertia ſpecies malitiæ contra Sacramentum?*

19 *Quomodo intelligatur illa regula iuris:* Scienti, & conſentienti non fit iniuria.

20 *Poteſtas ne coniugis in corpus alterius, quia media fide traditur, ideò non poſſit veluti conſenſu vt ſupra alienari? Vbi affertur hiſtoria ex* D. Auguſtino, *& traditur cur S. Doctor noluit apertè damnare factum fœminæ, quæ ex conſenſu viri, extraneo ſe cognoſcendam tradiderat.*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò, quòd Adulterium eſt *Alieni tori violatio, ſeu acceſſus ad alienum torum*. Ita *D. Thomas 2.2. q.154. ar.8.* vbi *Caietanus, Candidus diſquiſ.9. ar.1. du.1. ex can. non mœchaberis 32.q.6. & can. cū ergo 36.q.1.* Seu eſt *Peccatum luxuriæ, quo violatur fides coniugalis. Filliuc. to.2. tr.30. ca.4. num.79.* Hoc autem vel eſt propriè tale, & eſt, quando copula habetur inter perſonas quarum vtraque, vel alterutra eſt vinculo matrimonij obſtricta; matrimonij, inquam, vel conſummati, vel ſaltem rati, vt patet ex *l. inter, 6. in princ. ff. ad leg. Iuliam de adult.* ibi: *Sed propriè adulterium in nuptam committitur*; & docet cum communi *Sanch. l.1. de matr. d.2. nu.3. Fagundez in Decal. l.6. c.7. num.9. Tambur. l.7. in Decal. ca.1. §.2. num.9.* & alij; quia per matrimonium ratum coniuges acquirunt verum ius in re in corpus alterius; & ſic per adulterium fit alieni tori violatio. Impoprie verò, & reductiuè adulterium eſt primò, dum copula habetur cum ſponſa, vel ſponſo de futuro; hoc enim licet propriè adulterium non dicatur cum communi, quam ſequitur *Sanch. ſupra num.2. Poncius l.12. c.6. num.8. Dicaſtillus tr.10. d.1. dub.46. num.661. Andreas à Matre Dei tr.9. c.1. pu.1. num.4.* contra *Palud. in 4. d.27. q.1. ar.3. in princ. num.17. & Sarmiento l.1. ſelect. c.5.* quia torus ante matrimonium de præſenti non conceditur ſponſis: eſt tamen impropiè, & reductiuè tale, vt bene docent *Petrus de Ledeſma de matrim. qu.43. ar.1. dub. vl. immediatè ante argumentorum ſolutionem, Sanchez num.7.* & alij contra *Henriquez l.11. de matr. c.13. num.4.* & alios: Ratio eſt; quia in eo acceſſu iniuſtitia inuenitur, ſicut in adulterio, ſed in hoc contra ius perfectum, & in re, in illo autem contra ius imperfectum, & ad rem. Vnde ſuperadditur fornica-

cationi malitia, neceſſariò in confeſſione aperienda. Ita *Rebellus l.4. de Sponſal. q.8. ſect.2. num.9. Gutierrez c.1. num.20. Ledeſma cit. ar.1. dub. vlt. Coninch dub.1. num.6. Dicaſtillus num.663. Syluius 3.p.q.43. ar.1. Anton. à Spir. San. p.1. tr.10. d.1. ſect.1. num.6. Andreas à Matre Dei num.11. Gonet. de matr. d.3. ar.3.* alijque, contra *Conar. 4. Decretal. 1.p.c.1. num.13. Poncium cit. c.6. nu. 8. Trullench, Dianam, Renzi;* & ex parte contra *Sanchez l.c.n.6. Rodr. Bonac. Filliuc. Fagundez, Villalobos*, qui docent, quòd ſi res, habeatur cum ſponſa de futuro, inducitur noua circumſtantia neceſſariò in confeſſione aperienda; ſecus tamen ex parte ſponſi, ſi cum alia rem habuerit. Ratio noſtræ ſententiæ eſt, quia ex parte vtriuſque frangitur fides ſponſalium, & iniuria ad inuicem irrogatur, eo quod vterque ex vi contractus ſponſalium acquiſiuit ius ad corpus alterius, quamuis non in corpore, id eſt ad rem, non in re. Quod autē talis iniuria grauis reputetur, etiam cū ſponſus cum ſoluta à ſponſalibus fornicatur, conſtat: tum quia hæc eſt ſufficiens cauſa ad diſſoluenda ſponſalia, vt docent communiter Theologi, quæ nonniſi ex graui cauſa diſſolui poſſunt: tum etiam, quia ex ea acciperet ſponſa ſuſpicionem, ſe minùs à ſponſo præ altera amari, minuſque amandam poſt initum matrimonium; tum denique, quia eſt periculum, ne naſcatur proles ſumptibus communibus poſtea alenda. Verùm licèt hæc omnia ita ſint, grauius tamen eſt peccatum ex parte ſponſæ, quàm ſponſi: ſiquidem ſponſa ex parte ſua vilior redditur, & grauior iniuria redditur in communi æſtimatione, quando ſponſa fornicatur, quàm ſponſus. *Ant. à Spir. San. l.c. num.7.* Non nego etiam, quòd ſi ſponſa, conſentiente ſponſo, cum alio commiſceretur; tunc haberet tale peccatum ſolùm malitiam incontinentiæ: *Andreas à Matre Dei num.10.* ad differentiam iniuriæ matrimonij, quæ non ceſſat, licet vir conſentiat, vt oſtendetur §. ſequenti. Secundò. Eſt reductiuè adulterium, ſi coniux Sodomitice peccet cum aliquo mare, vel fœmina. Ita *Caiet. 2.2.q.154. ar.12. ad 1. dubium, & Filliuc. ſupra c.4. num.92.* qui rectè addit in confeſſione exprimendum eſſe ſtatum coniugij. Idem docent *Fagundez l.6. in Decal. c.7. num.15. Candidus to.1. diſqu. ſ.9. ar.1. num.5. & 6. & Piſtochius de voto tr.6. r.5. nu.9.* qui addunt, hanc circumſtantiam aperiendam eſſe, tam ſi coniux ſit agens, quàm ſi patiens. Ratio eſt, quia, quamuis hoc crimen non ſit propriè adulterium, cùm non ſit concubitus naturalis, ſed peccatum contra naturam; tamen reductiuè ſpectat ad ſpeciem adulterij, propter ſimilitudinem deformitatis iniuriæ, & iniuſtitiæ cum adultero. Quia coniux lege matrimonij obligatur, ſe abſtinere ab omni actu Venereo cum alio ſiue ſit ſecundùm naturam, ſiue contra naturam; & ità grauem iniuriam irrogat alteri coniugi per copulam naturalem ac per Sodomiticam. Vnde eſt in confeſſione aperienda nedum circumſtantia Sodomiæ, ſed etiam coniugii, quia ſunt duo peccata ſpecie diſtincta. Tertiò: Committitur adulterium reductiuè, tam ex parte viri, quàm ex parte vxoris, ſi coniux carnaliter cognoſcit

pro-

propriam vxorem contra naturam. Quia neuter coniux ſeruat alteri ſuum corpus caſtè, & vt pertinet ad bonum fidei matrimonij: Ergo talis actus perindè eſt ac cum alieno coniuge geſtus, & conſequenter habet malitiam peccati contra naturam, & adulterij improprii, nedum ex parte viri, ſed etiam ex parte vxoris: Quia bono fidei, ad quod per matrimonium aſtringuntur coniuges, cedere nequeunt. Ita *Caiet. ſupra ad 3. §. ad ſingula. Sotus in 4. d. 31. q. vn. ar. 4. verſ. Appendix autem, Petrus de Ledeſma de matrim. q. 49. ar. 6. dub. 2. Sanch. l. 9. d. 18. num. 4. & 5. Anton. Eſcobar. to. 4. moral. l. 33. ſect. 1. c. 3. num. 24. Piſtachius ſupra num. 10. Tambur. l. 7. c. 3. §. 2. num. 1. Cantidus l. 1. dub. 5. concluſ. 11. Renzi to. 1. l. 2. tr. 6. c. 4. quaſ. 3. Diana p. 7. tr. 12. reſ. 23.* qui non approbat contrariam ſententiam, quàm malè probabilem exiſtimauit, *Machadus de perfecto confeſſario to. 1. l. 2. p. 3. tr. 19. docum. 5. nu. 6.* quamque licèt in meo *Lapide Lydio Theol. in comm. ad Prop. 24. num 22.* à finibus probabilitatis pro tunc non abegerim; modò inter ipſos fines nullatenus conſiſtere patior. Et vir, & idem eſt de vxore, ſic matrimonio abutens obligatus eſt vt ſuum peccatum perfectè explicet, manifeſtare cum propria vxore abuſum cõmiſſum eſſe. Nã ſi diceret cum coniugata in genere abusũ commiſiſſe plura peccata, quàm commiſit, ſignificaret, ſiquidem vltra violationem fidei ſui matrimonij denotaret violationem matrimonij coniugatæ, & iniuſtitiam aduerſus eius virum. Neque hanc impediret, eſtò adderet fuiſſe ex conſenſu proprij viri, cum ipſe conſentire non poſſet: ſi autem diceret abuſum fuiſſe cum ſoluta commiſſum, non explicaret violationem fidei ab vxore factam, cuius ipſe particeps fuit. Tenetur ergo declarare cum propria coniuge peccatum commiſſum fuiſſe. Ita cũ *Sanchez, & Pontio, Caſtropalaus de matrim. d. 3. p. 4. §. 3. num. 17. Tambur. & Renzi locis relatis, Boſſius p. 3. moral. tit. 23. ſect. 11. n. 32. Piſtachius ſupra:* qui addit debere explicare peccatum fuiſſe commiſſum cum propria coniuge vel renitente, vel ſponte conſentiente.

3 Notandum eſt ſecundò: *D. Thomam 2. 2. qu. 154. ar. 1. ad 3.* ſacrilegium in materia luxuriæ, putà ſi quis accedat ad fœminam habentem votum caſtitatis, reducere etiam ad adulterium, quia cum mulier vouens continentiam faciat ſpirituale matrimonium cum Deo, videtur talis mulieris violatio adulterium quoddam ſpirituale, & ideo ipſe *S. Doctor* non numerat Sacrilegium in materia luxuriæ tanquam diſtinctam ſpeciem luxuriæ, ſed dicit, quod ſunt ſex ſpecies, ſcilicet fornicatio ſimplex, adulterium, inceſtus, ſtuprum, raptus, & vitium contra naturam. Qua doctrina ſtante reſoluitur, quod, qui poſt matrimonium legitime conſummatum, relicta ex ſpeciali diſpenſatione in ſæculo vxore religionem ingreſſus, vel profeſſus, vel ordines ſacros adeptus, ſi carnaliter cognoſcat propriam vxorem, non committit quidem adulterium ſimpliciter dictum, quia quamuis vxoratus in Religione profeſſus ſit, vel ordinem ſacrum ſuſceperit; vinculum tamen matrimonii non ſolutum, ſed integrum manet. Ita *Suarez to. 3. de Re-*

Digitized by Google

Relig. l.9.c.19.num.12. Pelliz. to.1.tr.4.c.3.ſect.4.nu.66. Piſtachius ſupra n.18. & colligitur etiam ex *c. Litteras de filijs Presbyterorum*: tamen quia violatur aliud matrimonium ſpirituale cum Deo contractũ, non ſecus ac ſi cum qualibet alia non ſua, ideo committit adulterium ſpirituale: Idcirco talis Religioſus, vel Clericus pœna depoſitionis, & detruſionis puniendus eſſet, non minus, ac quilibet Sacerdos, qui ad aliam carnaliter accederet, vt cum *Bernardo Diaz in pract.can.c.81.84.& 89.* ait *Suarez*.

4 Notandum eſt tertiò, quòd peccatum adulterii, vel committitur tantum interius, vel exterius. Interius tantum committit vxoratus, qui tempore concubitus cum vxore delectatur cogitando ad fœminam non ſuam, hic enim non ſolum peccat contra caſtitatem, ſed etiam contra fidem matrimonij, & in confeſſione tenetur exprimere tam delectationem obiecti lethaliter mali, quàm violationem matrimonialis fidei, quæ eſt peccatum adulterii. Ita *D. Antoninus 3.p. tit. 1. cap.20. §.1. Sanchez l.9.d.17.num.6. Felix à Panormo tom.2. Exam. Confeſſ.d.4. num.517. Fagundez l.9. in De al.c.6.nu.10. Piſtachius num.6.* & alij. Interius, & exterius contingit adulterium tribus modis. Primò quando ſolutus miſcetur carnaliter cum coniugata. Secundò, quando coniugatus cum ſoluta. Tertiò, quando coniugatus cum coniugata. Et quamuis *Gabr. à S.V. de Pœ. it.d.8.qu.7.§.Tertiò, Ferrant uns de ſ. and d.l.d.1.qu.66. Zanardus, & Martinus à S. Ioſeph* putent, quod ſi coniugatus peccet cum coniugata non teneatur vtriuſque ſtatum, ſed ſatis ſit proprium ſtatum coniugalem in confeſſione aperire, ſicut etiam dicunt de aſtricto voto caſtitatis, peccante cum perſona habente ſimile votum caſtitatis, quòd ſcilicet non teneatur vtriuſque votum, ſed ſolum proprium votum in confeſſione fateri; quia aiunt, ſi in dictis caſibus coniugatus, vel aſtrictus voto caſtitatis teneretur vtriuſque ſtatum in confeſſione aperire; hoc eſſet, quia in illo actu eſſent duæ malitiæ ſpecie, vel numero; ſed non ſpecie; nam omnia vera adulteria, ſicut & quæuis tranſgreſſio voti in materia luxuriæ ſunt eiuſdem ſpeciei: neque numero, quia duæ malitiæ numero diſtinctæ nequeunt eſſe in eodem actu: Nihilominus non eſt recedendum à communi ſententia docente, quòd & adulterium verum duplex, & Sacrilegium duplex, quod etiam adulterium ſpirituale dicitur, debeat neceſſariò in confeſſione aperiri. Pro quo ſupponendum eſt, quòd in dictis caſibus non ſunt diuerſæ malitiæ ſpecie, vt bene probat ratio allata à *Gabriele à S.V.* ſed ſunt plures malitiæ numero. Nã quando adulterium eſt duplex, ibi ſunt quatuor malitiæ: duæ ſcilicet primariæ, & duæ ſecundariæ: Voco primariam, & ſecundariam; quoniam quælibet virtus obligat nos primariò, ne ei aduerſemur, & ſecundariò, ne ſimus aliis cauſa, vt tali virtuti aduerſentur: V.g. Virtus caſtitatis me obligat primariò, vt ſim caſtus, & ſecundariò me obligat, ne procurem, vt alter faciat contra caſtitatem. Adeoque qui ſe polluit V. g. peccat primariò cõtra caſtitatem, qui verò procurat, vt alter ſe polluat, vel cooperatur alterius pol-

Digitized by Google

pollutioni,peccat ſecundariò contra caſtitatem. Igitur dum adulterium eſt duplex vterque adulter contrahit duas malitias primarias contra iuſtitiã, & duas ſecundarias Etenim vir vxoratus, dum violat ius propriæ vxoris, peccat primariò contra iuſtitiam:& dum violat ius alterius viri, peccat etiã primariò contra iuſtitiam. Et quia cooperatione alterius violat vtrumque ius,peccat ſecundariò contra iuſtitiam, quatenus cooperatur mulieri, quæ violat vtriuſque ius;nimirum & ſui viri,& vxoris vxorati. Quod ſi adulterium fuerit ſimplex,quia alter tantum fuerit vxoratus; tunc vterque contrahit tres malitias contra iuſtitiam : vnam primariò: quatenus,V.g.vxoratus violat ius ſuæ coniugis:& duos ſecundariò:quatenus ſcilicet vxoratus cooperatione alterius violat ius ſuæ coniugis: & quatenus cooperatur mulieri, quoque violat ius eiuſdem coniugis vxorati. In voto verò, quando in copula illicita vterque eſt voto caſtitatis ligatus: tunc vterque contrahit tres malitias contra votum,vnam primariò, quatenus quiſque violat proprium votum:& duas ſecundariò:vnam ſcilicet,quia cooperatione alterius violat proprium votum,& alteram,quia cooperatur alteri, qui violat ſuum votũ. At ſi in copula illicita vnus ſolus eſt aſtrictus voto caſtitatis : tum is,qui eſt voto caſtitatis ligatus,contrahit duas malitias contra votum, vnam primariò,quia violat ſuum votum, & alteram ſecundariò, quia alterius cooperatione id facit. Ille verò, qui non habet votum,non contrahit,niſi vnam ſolam malitiam ſecundariam contra votum. His ſuppoſitis : Aſſero:Quòd ſi in adulterio vterque eſt coniugatus,vtriuſque ſtatus eſt in confeſſione aperiendus : Nam ibi ex parte vtriuſque ſunt ſaltem duæ malitiæ primariæ adulterij, & duæ ſecundariæ:& quamuis id fiat vnico actu : tamen in actibus externis peccata multiplicantur ex multiplicatione obiectorum,vt in mea Lucerna probo. Tum quia in vno actu quando malitiæ diuerſo modo participantur,peccata multiplicantur. Sic etiam ſi aſtrictus voto caſtitatis peccet cum perſona habente votum caſtitatis,tenetur etiam in confeſſione vtriuſque votum aperire. Siquidem tunc eſtò non ſit niſi vna malitia primaria contra votum,in vtroque tamen eſt duplex malitia ſecundaria contra votum;quæ cum ſint externæ,& diuerſo modo participatæ,coadunari non poſſunt ad faciendum vnum peccatum. Et per hæc patet ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ : Sicut enim dum quis tactibus alienis ſe polluit, committit duo peccata numerò diſtincta, eo quia malitiæ ſunt diuerſo modo participatæ ; ita pariter in caſibus à nobis adductis, ex quo malitiæ in eodem actu non eodem, ſed diuerſo modo contrahuntur ; & ſic poſſunt eſſe plures malitiæ ſolo numero diſtinctæ.

5 Notandum eſt quarto: Quòd Adulterium eſt iure naturæ res mala mortaliter,& non mala,quia prohibita prohibitione poſitiua. Patet tum ex ipſa ſcriptura,in qua malitia ſupponitur ex ſe,1.*Cor.*6.*Nolite errare: neque adulteri,neque molles Regnum Dei poſſidebunt.Iob.*31. *Si deceptus eſt cor meum*

ſuper

Digitized by Google

ſuper muliere, etſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum, ſi ortum alterius ſit vxor mea, & ſuper illam incuruentur alij: hoc enim nef as eſt, & iniquitas maxima. Ignis eſt vſque ad perditionem deuo ans, & omnia eradicans g nimina. Tum ratione, quia Adulterium continet totam malignitatem fornicationis, quæ eſt ex ſuo genere mortifera, & præterea iniuriam in coniugem, vt ſubeſt ſtatui matrimoniali: vir enim non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vxor; & contra vxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir, vt docet *Apoſtolus 1. Corinth. 7.* Conſiſtit autem hæc poteſtas, ſeu hoc ius in duobus. Primò quòd alter teneatur alteri, volenti ſibi debitum coniugale perſolui. Secundò, quod teneatur à perſona extranea abſtinere, vt rectè *Leſſius l. 4. c. 3. dub. 10. nu. 72.* Verùm ſi coniugatus ſolutæ copuletur, erit quidem graue peccatum, mortiferum; minùs tamen, quàm ſi coniugata ſoluto. Ratio eſt, quia longe magis repugnat iuri naturæ; vt vna fœmina iungatur duobus viris, quàm vt vnus vir duabus fœminis. Vnde etiam ſi hoc aliquando fuerit conceſſum, (vt patet in Patribus veteris teſtamenti, qui habebant plures vxores) illud tamen nunquam. *Leſſius ſu ra num. 74.* qui quadruplicem cauſam affert huius maioris repugnantiæ. Primo quia vna mulier pluribus viris ſatisfacere nequit, quin ordinarie impediatur generatio, quæ eſt finis iſtius coniunctionis. Secundò, quia etſi fortè interdum generatio non impediatur, tamen erit contra certitudinem prolis; nam incertum erit veri viro proles ſit aſſignanda, marito, an adultero: quod eſt contra bonam prolis educationem, quæ maxime paterna opera indiget. Tertiò, quia fit peculiaris iniuria marito, dum ei aliena proles ſupponitur, vel ſaltem ipſa ſe conſtituit in periculo id faciendi. Quarto fit iniuria proli legitimæ, adducto à matre in partitionem hæreditatis extraneo. Quæ incommoda non ſequuntur ex adulterio viri cum ſoluta. Non nego tamen cum *Filliucio tom. 2. tr. 30. c. 4. num. 82.* quod quoad dominium rationis plus peccat vir, quàm mulier: & quoad fidem matrimonij æqualiter.

6 Notandum eſt quintò: Quod Adulterium eſt crimen ſpecie diſtinctum ab omni alio contra caſtitatem; nam non ſolum continet malitiam luxuriæ, ſed etiam iniuſtitiæ: quæ neceſſario eſt in confeſſione aperienda, nec ſufficit dicere: *Commiſi ſimplicem fornicationem:* & poſt alia interiecta peccata ſubnectere: *Intuli cuipiam grauem iniuriam, tertia quadam perſona cooperante:* quia iniuria adulterij eſt ſpecie diuerſa ab omni iniuria furti, detractionis, &c. Ita *Ioannes de Cardenas hic differt. 30. c. 1. num. 5.* Quod ſi nõ poſſit explicare malitiam iniuſtitię Adulterii in confeſſione ex cauſis, vt ſuo loco; teneretur explicare malitiam luxuriæ, dicendo habui rem cum fœmina; quia hæc ſe habet formaliter in adulterio. Ita Doctores communiter ex *Caietano 2. 2. q. 154. ar. 1. §. vltimo* ibi: *In eodem 1. art. in reſp. ad ſecundum nota, quòd quia adulterium ſignificat duas deformitates, alteram in genere luxuriæ, alteram in genere iniuſtitiæ, & ambæ determinant actum concubitus naturalis, & altera alteram contrahit: Nam luxuria contracta per iniuriam mariti, aſcendit ad*

adul-

adulterium;& ſimiliter iniuſtitia contracta per concubitum cum coniuge alterius, deſcendit ad adulterium: ideo ex eis non propriè conſurgit vna ſpecies, nec apparet quid ſit in adulterio formale,& quid materiale. Perſpicaciter tamen intuentibus innoteſcit & quod ſub duobus generibus ponitur ratione diuerſorum, vt in littera dicitur, & quod communiter in perpetratione adulterij iniuſtitia ſe habet materialiter,& luxuria formaliter; quia formale ex parte finis ſe tenet, materiale autem ex parte eius, quod eſt ad finem. Conſtat autem, quod finis adulterij communiter eſt delectatio Venerea,& quod propter illam non curat iniuſtitiæ crimen incurrere,& ideo adulterium abſolutè ponitur ſpecies luxuriæ, vtpote formaliter ad luxuriam ſpectans,& ad luxuriam trahens iniuſtitiam, quæ, vt in littera dicitur, non omninò per accidens ſe habet ad illam: quia ex magnitudine luxuriæ procedit iniuſtitia, dum intantum quis ardet Venereo amore alicuius perſonæ, vt non curet de alterius iure. Et hoc quod de adulterio dictum eſt, intellige de ſtupro, & raptu; quoniam idem eſt in eis iudicium de iniuria, quam importat in actu luxuriæ. Card. de Lugo putat ſic fateri eſſe periculoſum, quia Confeſſarius fortaſſis interrogabit vlterius: ſi autem ei reſpondeatur, non recordor, vel nō poſſum id dicere, aut nō teneor, veniet in ſuſpicionem malitiæ, quā celare intendit: ſi autem abſolutè negetur ea circumſtantia, iam tunc non dicetur peccatum illud, quod eſt re ipſa factum, ſed aliud, quod nō eſt commiſſum, ideoque confeſſio eſſet inualida. Ego cum *Arriaga tom 8. d. 33. ſect. 1. num. 4.* ex hac vltima parte non haberem magnam difficultatem, quia niſi fortè ex conſcientia erronea pœnitentis aliter contingeret, non puto in eo caſu futuram inualidam confeſſionem, etiamſi circumſtantiam illam pœnitens omninò negaret; de quo fuſiùs alibi, dum egero, An dicere vnū peccatum in indiuiduo phyſico diuerſum ab eo, quod feci, moraliter tamen idem cum illo, reddat inualidam confeſſionem. Verum circa ſubſtantiam huius manifeſtationis ſic factæ non dubito, quin ſæpè ſit illud periculum, quod *Cardinalis de Lugo* inſinuat: & verò fortaſsè nulla facta noua interrogatione poteſt aſtutus Confeſſarius colligere circumſtantiam illam ex ſola confeſſione ſubſtantiæ ipſius peccati; tunc ergo totum eſſet omittendū. Addo tamen, aliquando è contrario nullum penitùs eſſe periculum, vt poſſit deprehendi; eo autem caſu ſine dubio debebit dici ſubſtantia peccati tacita malitia iniuſtitiæ contra ius coniugale.

7 Notandum eſt ſextò: Quòd Sacrilegium benè non ponitur à *Gratiano, Magiſtro Sententiarum*,& alijs in numero ſpecierum luxuriæ, quia, vt benè *Caiet. 2. 2. q. 154. ar. 10.* hæc eſt differentia inter Sacrilegium,& Fornicationem, Stuprum,&c. quòd in ſignificatu proprio cuiuſcumque iſtarum ſpecierum clauditur Venereus actus explicitè, ſiue ex proprietate nominis ſignificantis, vt patet de Stupro, Adulterio,&c. ſiue ex apparitione vſus, vt contingit in raptu. In proprio autem ſignificatu Sacrilegij, non continetur explicitè actus Venereus, immò Sacrilegium, etiam perſonale commune eſt actibus diuerſorum generum. Et hinc habetur differentia, quæ ponitur

à *D.Thoma cit.art.* 10. ſcilicet, quòd Fornicatio, Adulterium; &c. ſecundum ſe ipſa continentur ſub luxuria, quia ſecundum actus explicitè ſignificatos ſub luxuria ſunt: Sacrilegium verò non ſecundum ſuum ſignificatum refertur ad luxuriæ actum, ſpecies ponitur luxuriæ; ſeu (vt clarius puto dicẽdum) ſpecies eſt non ſub luxuria, ſeu in luxuria, ac in ſpeciebus luxuriæ; & ſecundum hæc intelligo *D.Thomam ad 2.* dicentem, quod in aſſignatione ſpecierum non ponitur Sacrilegium, quia ibi *enumerantur, quæ ſunt ſpecies luxuriæ ſecundum ſe ipſa. Sacrilegium autem eſt ſpecies luxuriæ, ſecundum quod ordinatur ad alterius vitij finem, & poteſt concurrere cum diuerſis luxuriæ ſpeciebus. Si enim aliquis abutatur perſona coniuncta ſibi ſecundum ſpiritualem cognationem, committit Sacrilegium ad modum inceſtus. Si autem abutatur Virgine Deo ſacrata, in quantum eſt Sponſa Chriſti, eſt Sacrilegium per modum Adulterij, in quantum verò eſt ſub ſpiritualis patris cura conſtituta, erit quoddam ſpirituale ſtuprum. Et ſi violentia inferatur, erit ſpiritualis raptus.* Et per hæc patet ad id, quod diximus ſupra *prænot.* 2. ibi enim diximus, Sacrilegium cum perſona Deo ſacrata per votum caſtitatis pertinere reductiuè ad ſacrilegium, quia ad adulterium pertinet, dum ſola conſideratur violatio matrimonij ſpiritualis; at ſi aliæ rationes conſiderentur ſpectabit ad alias ſpecies, etiam vt iam dictum eſt.

8 Notandum eſt vltimo: Quòd abſolutè loquendo, & cæteris paribus, Adulterium eſt grauius peccatum, quàm ſtuprum, tum propter violationem fidei coniugalis, tum propter damnum filiorum legitimorum, & alia mala ex illo conſequentia; ac proinde *Iob.c.31.cit.* appellauit *Iniquitatem maximam*. Ita *Maſtrius in Theol.moral.d.11.qu.7.ar.1.nu.121.* aliique. Immo grauius peccatum eſt aliquando adulterium, quàm Inceſtus; quia quamuis Inceſtus cum matre, vel filia, aut ſorore, aut conſanguinea in primo, & ſecundo gradu, & cum affine in primo gradu ſit peccatum grauius adulterio, quia iure naturali prohibetur talis inceſtus: tamen adulterium eſt grauius peccatum inceſtu in tertio, vel quarto gradu conſanguinitatis, & in ſecundo affinitatis, quia in his gradibus iure tantùm poſitiuo inceſtus prohibitus eſt; vt docent *Azorius 3.p.l.3.c.29.in fine, Filliuc.ſupra nu.90. & 91. Fagundez tom.2.l.6.c.7.n.14. Piſtachius de voto tr.6.c.5.n.2.* His prænotatis ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum, & occurritur obiectis Auctorum Propoſitionis.

9 DIco primò: Copula cum coniugata, etiam conſentiente marito eſt adulterium, ideoque non ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſ-

ſe

ſe fornicatum: & contrarium aſſertum Propoſitionis eſt; vt minimum tanquam ſcandalo um hoc decreto meritò deiectum: mereturque etiam cenſuram erronei.

10 Probatur primo: Ex *Apoſtolo ad Rom. c. 7.* dicente: *Igitur viuente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum aliò viro: ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro*: Apoſtolus ergo ſolùm ait fœminam coniugatam, quæ fuerit cum altero, immunem ab adulterio, ſi vir eius non amplius viuit: Sed in caſu noſtro vir eius adhuc viuit, vt ſupponitur, immò aſſertur in ipſa Propoſitione: Ergo, &c.

11 Probatur ſecundò: Speciali lege matrimonii tenetur fœmina vnicè ſuo viro adhærere, & non adhærere alteri viro: idque independenter à conſenſu viri: Ergo ſiue alter coniux conſentiat, ſiue diſſentiat, eodem modo peccat contra eam ſpecialem legem matrimonii, ſi alteri commiſceatur. Conſequentia patet, quia eſt ferè identica cum antecedenti. Antecedens verò demonſtratur ex verbis Sacræ Scripturæ, *Geneſ. 2. Adhærebit vxori ſuæ; & erunt duo in carne vna.* Quam ſententiam Chriſtus Dominus denuo ſtabiliuit in lege Euangelica, *Matthæi 19.* dicens, *Adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro*. In quibus verbis cōſtat declarari inſtitutionem, & legem matrimonij: Ergo coniuges ex lege tenentur, vt ſemper maneāt duo in carne vna: Sed cùm vxor adhæret alteri viro, etiam conſentiente ſuo viro, non manent illi duo coniuges in carne vna: Ergo vt maneant duo in carne vna, tenetur alter alteri vnicè adhærere, & non adhærere extraneo: Ergo ſpeciali lege, &c. Minor ſubſumpta patet, tum quia vnitati carnis opponitur diuiſio eiuſdem carnis: Atqui hęc diuiſio manifeſte inuenitur, quoties coniugata adhæret alteri viro. Ergo, &c. Tum etiam quia rurſus fit vna caro cum Socio criminis: vt conſtat ex illis verbis: *Apoſtoli 1. Cor. 6. An neſcitur, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne vna*: Ergo, &c.

12 Confirmatur primò: ex *Innocentio c. Gaudemus de diuortijs*: vbi ſic dicit: *Ab initio vna coſta in vnam fœminam eſt conuerſa, & Scriptura Diuina teſtatur, quòd propter hoc homo relinquet patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna; non dixit tres, vel duos, nec dixit, adhærebit vxoribus, ſed vxori*: Sed, cùm mulier, etiam conſentiente viro, alteri copulatur, diuidit carnem ſuam, nec ſunt amplius duo in carne vna, ſed tres, neque adhæret viro, ſed viris: Ergo id eſt contra naturam matrimonij: Ergo adulterium.

13 Confirmatur ſecundò: Ex lege matrimonij promulgata per Chriſtum in Euangelio, eſt perfecta vnitas carnis: Atqui hæc vnitas læditur per copulam mulieris coniugatæ, cum extraneo, etiam ſi maritus conſentiat in copulam: Ergo etiam ſi maritus conſentiat, violatur ipſa lex matrimonij: Ergo committitur adulterium. Maior patet ex locis ſupra relatis. Minor etiam conſtat; quia quamuis maritus conſentiat, non propterea ſeruatur

Digitized by Google

ea vnitas carnis: Ergo,&c. Antecedens patet,illa enim,quæ erat vna caro cum marito,fit etiam vna caro cum mæcho. Atqui ex vna,& vna fit binarium: Ergo quamuis maritus conſentiat, non propterea ſeruatur ea vnitas carnis.

Confirmatur tertiò. Nam Chriſtus Dominus reſpondens Phariſæis, qui tentantes eum interrogauerunt,*Si licet homini dimittere vxorem ſuam, quacumque ex cauſa?* Ex hac vnitate duorum in carne vna probauit iam nõ licere homini dare vxori libellum repudii: Ergo hæc vnitas duorum in carne vna,eſt independens à voluntate mariti: Atqui hæc vnitas violatur per fornicationem fœminæ coniugatæ: Ergo fœmina coniugata fornicans, conſentiente marito,violat præfatam legem vnitatis coniugalis, & conſequenter committit adulterium. Prima conſequentia euidenter infertur ex antecedenti, quandoquidem licèt ipſe maritus velit violare hanc vnitatem per libellum repudii, iam non poteſt. Ergo eſt independens,&c.

14 Probatur denique: Quia coniuges non habent poteſtatem ſupra vincula, ſeu iura naturalia matrimonij; proinde non poſſunt illa ſoluere: Sed vinculum naturale matrimonij eſt, vt vna mulier vni tantùm viro ſubdatur: Ergo non poteſt maritus ſuo conſenſu efficere, vt copula vxoris cum alieno non ſit contra iura matrimonij, atque adeo adulterium.

15 Dico ſecundò: Copula mulieris cum marito conſentiente vxore, non eſt adulterium, ideoque ſufficit in confeſſione dicere ſe eſſe fornicatam, eſt propoſitio quæ hoc Decreto damnatur nedum virtualiter, ſed etiam formaliter, & expreſsè. Ita *Ioannes de Cardenas ſupra c.1.nu.2.& 3.* & alij communiter.

Probatur; quia quando damnatur aliqua Propoſitio circa vnum ſingulare propoſitum, E.g. & in quo militat euidenter eadem omninò ratio circa reliqua ſingularia, tunc manet damnata Propoſitio vniuerſalis V.g. Titius clericus trahitur ad Tribunal Iudicis laici, & incarceratur: miniſtri eius Tribunalis aſſerunt Titium clericum, quia non eſt in dignitate conſtitutus, poſſe trahi ad Tribunal laicum. Re ad Romanum Pontificem delata, declarat, vt minimum, ſcandaloſam eſſe eam aſſertionem, Quòd Titius clericus, quia non eſt in Dignitate conſtitutus, poſſit trahi ad Tribunal laicum. In qua hypotheſi, quamuis Damnatio Pontificis loquatur de Titio clerico, eſt tamen damnatio vniuerſalis circa quemlibet clericum; quia Titius ponitur,Exempli gratia, vbi euidenter eſt identitas rationis quoad propoſitionem vniuerſalem. Sicut in libris Decretalium inueniuntur quamplurimi Canones, qui in indiuiduo ſtatuunt, quid agendum ſit; & communi ſenſu Doctorum ſunt leges vniuerſales, vbi eſt identitas rationis.

Fundamentum principale Propoſitionis damnatæ poteſt ſub hac forma proponi: Tota malitia, quæ reperitur in adulterio fœminæ coniugatæ vltra ſpeciem luxuriæ, eſt contra iuſtitiam, & ius mariti. Sed marito conſentienti non fit iniuſtitia. Ergo non reperitur malitia adulterii, ſed

ſolus

ſolius ſimplicis fornicationis. Minor probatur: ſcienti,& conſentienti non fit iniuria, vt dicitur in *reg.27. de reg.iur.in 6.* Ergo non fit iniuſtitia.

16 Huic argumento reſpondent aliqui concedendo, quòd in caſu coniugis conſentientis, non fit propriè iniuria ipſi per copulam ſuæ vxoris cum extraneo: vt enim inquit etiam *S.Thomas 2.2.qu.59. ar.3. in corpore: Iniuſtum per ſe, & formaliter loquendo nullus poteſt facere, niſi volens, nec pati niſi nolens*; & nihilominus fit propriè adulterium; quia adeſt iniuria in ipſum matrimonii ſtatum, & ordinem coniugatorum: ſicut ſi Clericus cedat iuri ſuæ exemptionis, quo non poteſt conueniri coram Iudice ſæculari, & ſponte ſinat ſe ad Tribunal ſæculare pertrahi, non fiet ei propriè iniuria; ſed ſtatui clericali, & ordini Eccleſiaſtico. Simili modo qui occidit hominem volentem, non facit illi propriè iniuriam; ſed peccat in naturam humanam. Vnde concludunt in illo caſu copulæ factæ conſentiente viro, adhuc remanere duplicem malitiam, alteram contra caſtitatem, alteram contra matrimonii ſtatum; etſi non dicatur propriè iniuria in perſonam coniugis, V.g. in Petrum, eo quod non fiat ipſo nolente, & inuito, nec proinde obliget ad reſtitutionem, & ſatisfactionem: tamen verè eſt contra iuſtitiam, quia eſt contra ius coniugij, & coniugis, vt coniux eſt, cui ille cedere efficaciter non poteſt: eo quod competat ipſi non ad bonum priuatum, ſed ratione ſtatus, qui eſt communis: vnde cum ceſſio ſit nulla, ius manet: & ita contra illud peccatur. Ita *Leſſius l.4.c.3.dub. 10.num.73. Filliuc.cit.c.4.num.84. Trullench l.6.in Decal.c.1. dub.5. num.3. Piſtachius cit.c.5.num.3. Maſtrius Theol.mor.d.11.qu.7. ar.1.nu.121. Card. de Lugo to.1.de iuſt.d.ſect.1.n.6. Reiffenſtuel Theol.mor. tr.9.diſt.4.q.2.nu.18.* & alii. Itaque hi Auctores docent, quod quando fœmina coniugata committit adulterium inuito ſuo viro addatur alia circumſtantia, etiam iniuſtitiæ priuatæ, propter indiuidualem iniuriam, quæ fit ipſi viro: taliter, quod ſi ipſe vir conſentiat in adulterium, deficiat hæc indiuidualis iniuſtitia, & tantum ſit duplex ſpecies malitiæ, ſcilicet prima temperantiæ contra caſtitatem, & ſecunda iniuſtitiæ contra fidem matrimonii,& non tertia iniuſtitiæ priuatæ, propter indiuidualem iniuriam. Vnde *Card. de Lugo l.c.num.10.* addit, fœminam coniugatam, quæ commiſit adulterium conſentiente marito, debere id explicare in confeſſione ſacramentali, vt Confeſſarius cognoſcat, id adulterium non eſſe cum ea triplici ſpecie, ſed ſolum cum duplici: mentitur enim in confeſſione, qui ſe accuſat de malitia peccati, quam non commiſit.

17 Hæc ſententia eſt valde probabilis, & ſecundum eam remanet ſatis reſponſum obiectioni, & firmatur eſſe propriè adulterium, etiamſi vir conſentiat, quia adhuc fit iniuſtitia contra legem, & fidem matrimonialem. At etiam ſatis probabilis eſt ſententia *Ioannis de Cardenas c.3.ar.2, Felicis à Panormo to.2.d 4 num.515. Baſſæi, Turriani*, & aliorum exiſtimantium, in adulterio vxoris non dari tertiam aliam ſpeciem iniuſtitiæ,

con-

contra maritum inuitum; ſed illam ſpeciem peccati, per quam vxor peccat contra fidem matrimonii, eſſe iniuriam mariti: & hanc illi fieri, ſiue conſentiat in adulterium, ſiue non; quia conſenſus illius in adulterium eſt nullus, ſiue nullius valoris, & quaſi non eſſet, quia non eſt in poteſtate mariti, cedere illi iuri. Ratio eſt; quia obligatio vxoris non eſt præciſè ad non violandam fidem ſtatus, ſed ad non violandam fidem coniugis, prout iſte ſubeſt tali ſtatui: Ergo dum vxor adultera violat fidem matrimonii, non violat præciſè fidem ſtatus matrimonialis, ſed fidem etiam debitam coniugi, prout iſte ſubeſt ſtatui matrimoniali: Ergo per hoc præciſe irrogat iniuriam coniugi: Ergo per hoc præciſe violat ius coniugis: Atqui hoc ius mariti, vt ſubeſt tali ſtatui non, eſt renunciabile: Ergo quamuis maritus conſentiens in adulterium vxoris habeat voluntatem renunciandi id ius, nil agit, quia & voluntas eſt nulla, & nullius valoris ad eum effectum renunciandi; ſicut irrogatur iniuria Clerico: ſi trahatur ad Tribunal Iudicis laici, etiam ſi ipſe conſentiat, quia ius immunitatis, dicitur ius totius ſtatus Eccleſiaſtici, quia eſt ius huius Clerici prout in ſtatu Eccleſiaſtico exiſtentis, & ſic de aliis Clericis: Cum ergo ius immunitatis ſit irrenũciabile, & hoc ius ſit idem ac ius iſtius indiuidui, vt ſubeſt tali ſtatui, ideò conſenſus illius eſt nullus, & nullius valoris ad effectum cedendi iuri ſuo, & eadem iniuria irrogatur ei etiam ſi conſentiat. Simile etiam eſt in Pupillo, qui in multis caſibus non poteſt ſe obligare ciuiliter, neque naturaliter, nam leges irritant, & annullant eum contractum pupilli, in quo caſu, etiam ſi pupillus habeat voluntatem donandi, ea voluntas nullius momenti eſt: & tunc qui acceptauit donationem pupilli volentis donare, irrogat iniuriam tali homini pupillo prout ſubeſt ſtatui pupillorum, quia ea voluntas donandi, eſt quaſi non eſſet; & in hoc eodem modo ſe habet, ſiue pupillus velit, ſiue nolit. Hinc benè *Ioannes de Cardenas cit. ar. 2. num. 33.* intulit contra *Card. de Lugo*, vxorem adulteram pro explicandis ſpeciebus ſui adulterii non teneri explicare in confeſſione, an illud commiſerit annuente, aut renuente marito; nam eodem modo committit iniuſtitiam annuente, ac renuente viro ſuo. Excipio caſum rariſſimum, in quo ipſa induceret virum ad conſentiendum; nam tunc adeſt peccatum inductionis explicandum in confeſſione, de quo caſu paulo infra ſermo redibit.

19 Potius admittenda eſt in adulterio tertia ſpecies malitiæ contra Sacramentum. Ita *Card. de Lugo nu. 6. Maſtrius cit. ar. 1. num. 121. Trull'ench d. dub. 5. num. 2. Ioannes de Cardenas c. 4. d. num. 48. Reiffenſtuel*, & alii: quia Sacramentum Matrimonij, qua tale Sacramentum eſt, exigit vnitatem carnis, ſiue quod ſint duo in carne vna. Ergo qui violat hanc vnitatem peccat contra exigentiam Sacramenti. Atqui adultera (idem eſt de adultero) violat hanc vnitatem (vt ſupra oſtendimus) Ergo adultera peccat contra exigentiam Sacramenti: atque adeò irreligioſè peccat. Probatur primum antecedens. Primò Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum, hoc cum

dixit

dixit: *Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Matthæi 19.* Ergo Chriſtus Dominus inſtituit Sacramentum ſuper hac vnitate carnis: Ergo Sacramentum hoc exigit iſtam vnitatem carnis, tanquam fundamentum ſuper quo inſtitutum eſt hoc Sacramentum. Secundò probatur idem antecedens: Quia matrimonium, qua Sacramentum eſt, ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia per charitatem, ſiue vnionem Chriſti cum natura humana per Incarnationē. Sed hæc ſignificatio iſtius Sacramenti exigit hanc vnitatem carnis: Ergo ipſum Sacramentum exigit hanc vnitatem carnis. Hæc tamen tertia malitia eſt in ſpecie irreligioſitatis, non verò Sacrilegij. Ita *Ioannes Cardenas nu.61.* & alij. Vt autem hoc percipiatur, ſciendum, quod quamuis omne ſacrilegium ſit irreligioſitas: non tamen omnis irreligioſitas eſt ſacrilegium. Vt enim rectè obſeruat *Suarez to.1. de Relig. tr.3. l.1. c.1. nu.1.* Irreligioſitas eſt conceptus communis omnibus vitijs, quæ opponuntur Religioni: eſtque ſpecies ſubalterna, quæ continet ſe multas ſpecies infimas Religioni oppoſitas, quales ſunt periurium, blaſphemia, tentatio Dei, ſacrilegium, &c. Non eſt autem propriè, & ſtricte loquendo adulterium fidelis ſacrilegium, ſeù ſpeciem ſacrilegij proprie non includit, quia ſacrilegium eſt violatio rei ſacræ: Atqui adulterium non violat formaliter, & immediatè ipſum Sacramentum, ſed ſolùm mediatè, quatenùs violat exigentiam, & legem, quæ immediatè oritur ex ipſo Sacramento: Ergo &c. Hanc autem ſpeciem peccati vocamus vocabulo communi Irreligioſitatis; quia non habemus vocabulum ſignificans ſpecifice hanc malitiam: aliunde autem ſufficienter limitatur, dum dicimus eſſe irreligioſitatem contra Sacramentum Matrimonij.

19 Hinc ad fundamentum Propoſitionis reiectæ negatur maior; nam tota malitia, quæ inuenitur in adulterio vxoris, vltra luxuriam, eſt iniuſtitia, quæ infertur marito ſecundum ſuam perſonam præcisè, nec ſola iniuſtitia, quæ infertur marito; prout ſubeſt ſtatui matrimoniali; ſed vltra hanc eſt etiam malitia contra Sacramentum. Negatur etiam minor. Ad cuius probationem reſpondeo cum *Caietano 2.2. q.154. ar.6. Baſſæo V. Adulterium num.* 10. & alijs, illud proloquium. *Scienti, & conſentienti non fit iniuria*, intelligendum eſſe in illis bonis, quæ cadunt ſub dominio, quales ſunt opes, fama, &c. poſſe autem pati iniuriam etiam hominem conſentientem circa illa bona, quæ non cadunt ſub dominium eius, & tale bonum, eſt fides, & lex matrimonialis. Vnde in forma diſtinguo minorem: Scienti, & conſentienti non fit iniuria, quando conſenſus eſt validus ad cedendum iuri ſuo, concedo: quando non eſt validus, nego minorem. Et hic non eſt validus.

Alterum fundamentum eſt; quia maritus habet poteſtatem corporis coniugalis: Ergo de eo tanquam de re ſua diſponere poteſt: Ergo conſenſus ipſius tollit malitiam adulterij. Facit hiſtoria, quam narrat *D. Auguſtinus l.1. de Serm. Domini in monte c.29.* de muliere, quæ ad liberandum vi-

rum

rum de teterrimo carcere, ex eius licentia prædiuiti cuidam eam ambienti, ſe tradidit fruendam, vt pecuniam acciperet, quam pro marito ſolueret: *Cum ſe ſciret*, inquit *Auguſtinus*, *non habere ſui corporis poteſtatem, ſed virum ſuum, pertulit ad eum dicens, paratam ſe eſſe pro marito id facere, ſi tamen ipſe coniugalis corporis Dominus, cui tota illa caſtitas debebatur, tanquam de re ſua, pro vita ſua vellet id fieri. Itaque de eius conſenſu fecit.* Hoc factum fuiſſe ante 50. fermè annos Conſtantij temporibus refert *Auguſtinus*, & ſubdit. *Nihil hìc in alteram partem diſputo: liceat vnicuique æſtimare, quod velit.*

20 Reſpondeo poteſtatem illam traditam eſſe media fide; nec ipſa autem pecunia, & alia externa, quæ fidei commiſſa ſunt poſſunt alienari; quantò minùs coniux poteſt coniugem alienare, id eſt, alteri eius tradere corpus: Vnde mulier illa vel ignorabat iura naturalia matrimonij, vel ea tunc non conſiderauit, ideoque ex ſola conſideratione poteſtatis coniugalis in errorem, peccatumque lapſa eſt. *D. Auguſtinus* autem non protulit ſententiam de facto illo, non quia de eius malitia dubitaret; ſed quia voluit abſtinere tunc à diſcuſſione rei, quæ ſuo propoſito non conferebat; idque illi moris eſt, vt patet verſatis in eius lectione.

PROPOSITIO LI.

Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras, ad ſtuprandam Virginem, & multoties eidem ſubſeruit deferendo ſcalam: aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, putà ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

1 NOn prout formaliter iacet, ſed ſecundùm ſubſtantiam traditur hæc Propoſitio à *Tamburino l.5. in Decal.c.1.§.4.nu.18. & 19.* Conſonat etiam *Antonius à Spir.S.in.p.3.tr.2.d.3.ſect.9.num.189.* vbi etiam habes, quæ actiones comprehendantur ſub illis terminis, aut quid ſimile cooperando: nempè deferre ſcienter concubinam ad domum heri ad effectum luxuriæ; ſiue famulus deferat in ſella geſtatoria, ſiue deferat eam comitando, ſignare domino locum, vbi ſit, dicere concubinæ: Dominus meus dicit, vt illum hac nocte expectes, vel eum videas, literas deferre tantum continentes, quòd concubina ea nocte ad ſe veniat. Refertur pro eadem ſententia *Caſtropalaus to.1.tr.6.d.6.pu.11.num.5.* licèt non

vtatur

vtatur verbo adiuuandi, nec in iſtis actionibus cooperationem admittat, ſed eam expreſsè neget, adeſſe tamē agnoſcit ſubminiſtrationem indifferentiū, quæ idem importat. Similiter *Merolla to. 1. d. 2. c. 4. dub. 10. coroll. 2. n. 278. Sanchez*, & alij terminis adiuuandi, & cooperandi non vtuntur, ſed ſubminiſtrandi, &c. Subminiſtrare enim re vera importat ſeruire, adiuuare, & operari vt inſtrumentum alterius, & ſic cooperari.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Si miniſtratio ſit in re de ſe mala, & turpi, illicita eſt, etiam abſque intentione, vt alter ſuam prauam voluntatem exequatur. Vt ſunt Dominum in rixa adiuuare, qua intendit occidere inimicum, ſimul cum illo pugnando, &c. inuitare concubinam vt cum Domino rem habeat, deferre internuncia continentia verba turpia, vel ad duellum proximè ſpectantia, deferre ſcienter Epiſtolas ad peccata carnis, duella, vel alia intrinſecè mala prouocantia, dictare ea, ſcribere &c. in quibus nec metus mortis excuſat à culpa graui.*

3 *Quid ſi res, vel miniſteria eſſent ex ſe æquè indifferentia bono, & malo vſui, & miniſtrans inſcius eſſet praua voluntatis alterius?*

4 *Concurſus magis latè patet, quàm cooperatio ſiue directa, ſiue indirecta: hac ſpectanda eſt ſiue proxima cauſa efficiens ſit, ſiue remota, vt actus ex nulla cauſa excuſetur, & cur?*

5 *Quod diſcrimen eſt inter præſtare locum, & materiam: quando locare domum vſurarijs, vel meretricibus, ſit immune à culpa, etiamſi nulla cauſa vel metus intercedat; quando requiritur cauſa, & quæ?*

6 *Quæ cauſa excuſet à culpa præſtationem indifferentium ſine concurſu in genere cauſæ efficientis?*

7 *Ex qua cauſa excuſetur vendens fucos, vel ornamenta, quibus mulier abutetur ad luxuriam: vel vendens taxillos illis, qui in ludo illicito ſunt illis abuſuri?*

8 *Ex qua caupones vendentes vinum ijs, qui timentur ſe inebriaturi: vel præbentes cœnam ijs, qui exiſtimatur ea ieiunium fracturi?*

9 *Ex qua famuli parantes menſam, aut menſæ inſeruientes, aut cibos coquentes, quibus abutetur herus ad ebrietatem, ad fractionem ieiunij?*

10 *Ex qua, qui pro munere officij ſui cibos condit, miniſtratque menſæ concubinæ, & ſimilia?*

11 *Ex qua tradens gladium furioſo, vel cum illo inimicum occidere volenti?*

12 *Ex qua cauſa, & metu poſſit quis idolum Ethnico vendere; furi dare inſtrumenta, quibus alterius feras infringat; præſtare Iudæo agnum, quem credit immolandum? vendere Iudæis Gentilibus dentem Simiæ albæ, quæ pro magna deitate ab eis culta fuit?*

13 *Ex qua cauſa liceat petere mutuas pecunias ab vſurario: iuramentum ab Infidelibus, & ſimilia.*

§. II.

14 *Sententia admittens licere ex graui cauſa famulo adiuuare, & cooperari Hero ad ſtuprum puellæ, nempe ſubmiſſis humeris, vel aliter pedem heri aſcendentis ſuſtinendo, ſcalam apponendo, aperiendo ianuam, vel quid ſimile cooperando, cui cenſuræ hoc decreto ſubdatur, & quare.*

15 *An condemnentur relatæ actiones, & ſimiles ex defectu proportionatæ cauſæ, vel potiùs ex eo quod in illis circumſtantijs ſunt intrinſece malæ?*

16 *Quare in illis circumſtantijs ſunt intrinſecè malæ? & in quo decepti ſunt* Sanchez, Merolla, *& alij?*

17 *An damnatio comprehendat etiam non famulos exercentes actiones cooperatiuas ad malum?*

18 *An ly,* quid ſimile, *referatur non ſolum ad actiones ſimiles reſpectu ſtupri, ſed etiam ad omnes actiones cooperantes ad quæcumque alia peccata ſiue in genere luxuriæ, ſiue homicidij.*

19 *An & cur intelligantur illæ ſolum actiones, quæ cooperantur ad illa genera peccatorum, quæ ſunt intrinſecè mala? Et cur non excuſet cooperatio quãtumuis remota?*

20 *An, & cur aliud dicendum de actionibus, quæ cooperantur ad illa genera peccatorum, quæ ſunt de iure poſitiuo, non verò intrinſecè mala?*

21 *Quare famulo ex nulla cauſa licet referre adulteræ, vt in tali hora accedat ad domum Heri, vel alterius, vbi ſcit Herum eam expectare, vt peccet?*

22 *Nec litteras deferre, etiam tantum continentes, quod concubina ea nocte ad ſe veniat?*

23 *Nec nautis, ſellarijs, lecticarijs, aurigis, alijſque baiulis, ſiue vectoribus ſcienter deferre mulieres, ſeu viros, ad loca, ſiue perſonas, in quibus, vel cum quibus fornicandum ſit? Et quid ſi mulier neſciat ſe ad fornicandum acerſiri?*

24 *Nec famulis adducere concubinam in domum heri in alium locum, in quo peccaturus eſt. Et quid ſi ſit ſimplex comitatus?*

25 *An prohibeatur ſimplex comitatus cauſa obſequij ex officio famulo reſpectu Heri incumbens?*

§. III.

26 *An reſponſum Eliſæi ad Naaman Syrum* 4. Regum 5. Vade in pace, *contineat excuſationem actionis Naaman brachium ſuſtentantis Regis ingredientis ad colendum Idolum, ſimulque cum eo genua flectentis?*

27 *An & cur illis verbis non ſolum promiſit Eliſeus preces porrecturum pro Naaman, ſed etiam pacificauit conſcientiam ipſius.*

28 *Cur non fuit peccatum in illa operatione Naaman.*

29 *An, & cur licitum ſit habere curam non tantùm vitæ, & ſalutis Principis, ſed etiam indemnitatis, & dignitatis, etiam dum actu peccat?*

30 *Cur*

30 *Cur non peccaret qui Principi pergenti ad templum Idoli ſterneret, vel ornaret viam, vel ipſi genufleëtenti puluinar ſubmitteret, vel vmbellam ad caput ſubmitteret, ne læderetur à Sole, &c.*

31 *Quare non peccet famulus ſi Domino iam aſcendente, ſcalam ſuſtineat, ne ille labatur, nec ſi ſtupranti Domino aſſiſtat armatus, ne ab alio occidatur in peccato?*

32 *Cur coniux reddens debitum alteri coniugi petenti ex libidine non peccet; & deferenti ſcalam, &c. peccet?*

33 *Quare licet copula non poſſit exerceri niſi à duobus, tamen vnus non concurrit efficienter ad actionem alterius?*

34 *Cur licèt ſit proximior, & intimior actio reddendi debitum actioni exigentis ſit immunis à culpa, & non actio ſerui deferentis ſcalam reſpectu actionis Domini aſcendentis, quæ eſt remotior?*

§. IV.

35 *An peccent mortaliter Chriſtiani captiui remigantes in triremibus Turcarum Chriſtianos inuadentium.*

36 *Cur inexcuſabiles actiones eorum, quæ ſunt cooperatrices ad homicidia Chriſtianorum, & non ſemper, quæ ſunt cooperatrices ad furta, incendia, deprædationes bonorum Chriſtianorum?*

37 *An careat culpa, & obligatione reſtituendi is, qui metu coactus præbet furi claues, vel inſtrumenta, quibus effringat arcas, vel ſcalam tenet, dum fur murum aſcendit?*

38 *An & cur metu mortis non liceat tradere hoſtibus Fidei imagines Chriſti, vel Sanctorum, Codices Sacros, veſtes Sacras, Eccleſiæ vtenſilia?*

39 *Quæ diſpar ratio in venditione imaginum Deorum?*

40 *Cur ex metu quantumuis graui non liceat templa ædificare Idolis?*

41 *Quid de ædificare Synagogam Iudæis?*

42 *An ex metu mortis liceat pingere Idolum, vel veſtem Sacerdotalem facere ad petitionem infidelis.*

43 *Quid de pingente imaginem concubinæ amaſio?*

44 *An liceat deponere pecunias apud vſurarium, quibus creditur vti ad vſuram?*

45 *Quid de deponente vinum apud tabernarium, qui creditur venditurus fore mixtum aqua?*

46 *An aliud ſit ſi vendat?*

47 *An ex cauſa liceat petere à meretrice Iudicis interceſſionem in cauſa iuſta apud ipſum Iudicem? Vbi alij etiam caſus reſoluuntur.*

Digitized by Google

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò: Certum eſſe, ſi miniſtratio ſit in re de ſe mala, & turpi, nefas eſſe, etiam abſque intentione, vt aliter prauam ſuam voluntatem exequatur: Vt ſunt inuitare concubinam, vt cum Domino rem habeat; Dominum in rixa adiuuare, qua intendit occidere inimicum, ſimul cum illo pugnando, &c. Hæc enim intrinſece mala ſunt. *Caſtropalaus ſupra num.* 1. Hinc quando internuncia (*vulgò ambaſciate*) continent verba turpia, certum eſt, in nullo caſu licitum eſſe famulo hæc internuncia deferre. Quia hoc eſt intrinſece, & ex obiecto malum cùm ad fornicationem directè prouocent ea verba. Ita *Sanchez l. 1. Summ. c. 7. nu. 26. Merolla cit. dub. 10. coroll. 3. nu. 285. Diana p. 5. tr. 7. reſ. 27. Anton. à Spir. San. ſupra*, & alij communiter: quare nulla ratione excuſari poſſunt famuli, qui iuſſu heri quærunt illi fœminam, cum qua peccet, & ab ipſa hoc petunt, illamque inducunt, vt ad hunc finem domum heri adeat, quia hoc eſt intrinſecè malum. Similiter loquendo de internuncijs, quę continent verba ad Duellum proximè ſpectantia: *Vt conuentamus cras in talem locum pugnaturi*: non licebit famulo ea deferre propter rationem iam aſſignatam, quia ſcilicet id eſt intrinſecè malum, cum ea verba ſint ex ſe mala, & nulli bono vſui deſeruientia. Ita *Sanchez nu. 28. Merolla nu. 289. Antonius à Spiritu Sancto*, & alii communiter. Aliud ſentiunt *Merolla, Diana*, & alii, de deferentibus ſcienter epiſtolas ad peccatum prouocantia. Sed prorſus dicendum eſt ex nullo metu, vel cauſa excuſari à mortali famulum deferentem ſcienter epiſtolas ad peccatum prouocantia, ſic etiam dictantem, vel exarantem; quia huiuſmodi verba, & ſcripta ſunt intrinſecè mala, & famulus ſcienter concurrit ad excitandam libidinem; & ſicut principalis componens ſuo Marte, & ſcribens huiuſmodi litteras, certe excitat, vel excitare conatur in ea, cui ſcribit libidinem, nulluſque excuſaret eum à peccato, neque excuſari poſſunt ij, qui eidem ad dictandum, & ſcribendum ſuam operam præſtant. Patet conſequentia: non enim in priori caſu ideo excitatur libido in agente illas litteras, quia compoſitæ ſunt immediatè per ipſum amantem, ſed propter laſciuos ſenſus, & blanditias, ſiue preces, aut promiſſa in ipſis contenta: Ergo quicumque illas dictat, ſcribit, aut defert excitat ad libidinem. Confirmatur quia inſtrumentum licet non agat, niſi motum á principali agente, efficienter tamen concurrit ad effectum illius. Sed illi, qui pro alio huiuſmodi litteras vel dictant, vel ſcribunt, vel deferunt, ſunt inſtrumenta moralia illius, ab eo mota ad id faciendum: Ergo concurrunt efficienter ad excitandum alterius libidinem. Ita *Sanchez n. 26. An-*

Digitized by Google

Antonius à Spir.Sancto ſupra,& alii communiter,præſertim poſt hoc Decretum ſcribentes. Et ſimiliter famulis, etiam imminente mortis metu non licet pro Domino ſcribere chartas duelli,quia illud eſt prouocare ad Duellum: *Riccius hîc c.6.* atteſtans de communi, *Antonius à Spiritu Sancto*,& alii. Et idem eſt de ſcribente alia excitantia ad alia ex ſe mala: ſic *D. Gineſius Martyr in Romano Martyrologio* 25. Auguſti, quamuis non eſſet Clericus, maluit mortem ſubire, quàm edicta ſcribere nomine Imperatorum contra Chriſtianos, licèt ipſe exceptoris officio fungeretur, quia nimirum cenſebat ſe illa ſcribentem concurrere ad eorum perſequutionem.

3 Notandum eſt ſecundò,culpa vacare,quando res, vel miniſteria eſſent ex ſe æque indifferentia bono, & malo vſui,atque ea miniſtrans inſcius eſſet prauæ voluntatis alterius, nec iuſtam,male præſumendi cauſam haberet. Quod ſuum non ſit diſcutere an bene,maleue alter vtetur,nec malum præſumere debeat. Ita *Sanchez nu.3.* dicens hoc conſtare apud omnes, *Merolla num.*250.dicens certum, & alii communiter. Sic quando famulo non conſtat, quid ſcripta contineant, neque eſt ratio amoris turpis ſuſpicandi,eo quod perſonæ ſuſpectæ non ſint,certum eſt, eſſe licitum famulo deferre litteras, ſeu ſcriptum, ob ſolam communem rationem famulatus. Quia in dubio non eſt ſumenda præſumptio pro deteriori parte.

4 Notandum eſt tertiò: Quòd Concurſus magis late patet,quàm cooperatio ſiue directa,ſiue indirecta: nam concurſus poteſt eſſe in genere cauſæ obiectiuæ, vel materialis extrinſecæ, & ſuſtentatiuæ; Cooperatio vero dicit concurſum in genere cauſæ efficientis,ſeu dicit concurrere,vt inſtrumentum alterius; inſtrumentum autem pertinet ad genus cauſæ efficientis. Dixi *cooperatio ſiue directa,ſiue indirecta*; nam ſiue cooperans intendit actum principalis agentis,in quo caſu cooperatio eſt directa, ſiue non intendat,ſed tantum intendat auertere malum comminatum, niſi agat, &c. in quo caſu eſt cooperatio indirecta; ſemper dicitur agere,& efficere id,ad quod cooperatur: inſtrumentum enim dicitur etiam agere effectum principalis Agentis. Hoc autem in hac materia eſt ſpectandum; non verò quod cauſa ſit proxima, vel remota effectus: ſiue enim cauſa efficiens ſit proxima,ſiue remota,verè efficiens eſt; & conſequenter verè,& propriè effectus ei imputatur. Sol enim dicitur generare hominem; licèt Sol ſit cauſa remota illius generationis,omnes etiam effectus ſublunares tribuuntur cauſis ſupercæleſtibus.

5 Notandum eſt quartò: Magnum eſſe diſcrimen inter locum, & materiam. Nam ex loco proprie loquendo non ſumunt vſurarii, & meretrices occaſionem peccandi: licèt peccando quidem loco abutantur, ſicut etiam aere ipſo abutuntur. At verò ex materia,quia maximè ſumitur peccati occaſio,& paſſiuum ſcandalum incurritur. Quo fit,vt non præbere peccati materiam propriè ſit vitare paſſiuum proximi ſcandalum; non autem non locare domum. Hinc etiam nulla cauſa iuſta excuſante licet locare

care

care domum meretrici, vel vſurario publico (modo non ſit alienigena) propter prohibitionem *c. 1. de vſuris in 6.* Ita *Corella hîc nu. 204. Valent. 2. 2. d. ſp. 5. q. 20. pu. 5. col. 3. verſ. ex hoc autem, & meliùs q. 21. pu. 4. col. pen. Azorius 2. to. l. 12. c. vlt. quæſt. 3. Sanchez num. 20.* & alii communiter, benè limitant, *Valen. loco poſteriori, & Salonius 2. 2. q. 77. ar. 4. controu. 6. poſt 4. concl. coroll. 3.* niſi accideret, vt ob loci circumſtantiam aliquis peccatum admitteret, quod eo ſibi non conceſſo loco, minimè perpetraret: Tunc enim ſi abſque ſuo detrimento poſſet, teneretur hic non locare domum. Quod idem *Sanchez ſupra, & Merolla nu. 293.* exiſtimant quando in ea domo ratione ſitus, aut alia, eſſet ſpecialis ad ea peccata committenda aptitudo; quia tunc videtur locans præbere materiam peccandi: & ideo cauſa aliqua excuſante indiget. Similiter etiam benè limitat *Salonius cit. controu. 6. paulò ante ſolut. argumen.* niſi vicinia meretricis domum conducentis plurimum fœminis honeſtis vicinis noceret. Tunc enim ob id damnum neceſſaria eſt cauſa iuſta, locantem excuſans. Quam tamen eſſe cenſent *Sanchez ſupra, Anton. a Spir. Sancto nu. 197. & Merolla nu. 294.* ſi nequit commodè alii locare. At ſi determinatè commodetur domus ad fornicandum, vt, ſi fornicarijs paratis ad ſcelus, nec loci opportunitatem habentibus, ad eorum petitionem commodetur eis domus, quia tunc quidem adeſt concurſus efficiens ad peccatum, non ſumus extra condemnationem Decreti; propter verba illa, aperienti ianuam, aut quid ſimile domum, aut locum concedere hic, & nunc peccatum committere volenti non eſt minor concurſus, quam ianuæ aperitio. Non ſic autem de Locatione, vt dictum eſt, à qua metus grauis vrgens, aliæque ſupra enumeratę rationes excuſare poſſunt, & in hoc ſenſu intelligenda ſunt: quia contra charitatem Dei, & proximi præberetur indiuidualiter alteri commoditas ad peccandum. *Riccius hîc cap. 10.* Conſonat *Merolla num. 295.* dicens: *Hinc ſequitur licitum eſſe commodare cubiculum alicui petenti ad fornicandum quando abſque graui detrimento proprio proportionato denegare nequit. Quia commodare cubiculum ex obiecto non eſt intrinſecè malum, ſed indifferens, & ex ſola praua abutentis intentione ad malum ordinatur.* Sed ſi aperiretur domus ad dandum illis ingreſſum, eſſet inexcuſabile, quia eſſet concurſus efficiens ad peccatum, vt in hoc Decreto definitur de ſeruo aperiente oſtium Hero ad ſtuprum, qui reus dicitur peccati mortalis, etiam ſi metu notabilis damni id faciat. Ita *Riccius ſupra.*

6 Notandum eſt quintò: Vt præſtatio indifferentium ſit expers culpę requiritur iuſta cauſa, iuſta autem cauſa intercedente, non peccat, quis, quãuis ex eo alterum videat ſumpturum occaſionem peccandi, dummodò hoc nullatenus intendat. Ita cum communi *Anacletus Reiffenſtuel. Theol. mor. tr. 4. diſt. 7. q. 3. num. 22.* Porrò iuſta cauſa præſtandi indifferens, quamuis eo credatur alter abuſurus, non ſolùm eſt graue damnum, quod quis pateretur abſtinendo à tali opere ſubminiſtrationis, verùm etiam quæuis alia

cau-

cauſa,quæ iudicio viri prudentis iuſta cenſetur: Nam non ſemper æqualis cauſa erit proportionata ad excuſandam præſtationem indifferentium, cuipiam abuſuro factam: ſed quandoque maior, vel minor requiritur cauſa,pro vt & illa indifferentia remotius,aut propinquius ad illum abuſum propinquant;vel etiam grauior,aut minus grauis eſt obligatio illius virtutis cui peccatum illud proximi hac occaſione committendum opponitur. Ita cum aliis *Sanchez n.11.& 12.Merolla nu.257.Reiffenſtuel ſupra*,& alij.

7 Sic vendens ornamenta, vel fucos,quibus mulier iam parata abutetur,excuſari poteſt à peccato,ſi ipſo non vendente,alter venderet; quia vendere talia ex ſe eſt indifferens,ac remote ſolùm dat anſam peccato: ſimulque ſubeſt proportionata cauſa vendendi, nam alioqui mercatori ſequeretur damnum notabile,cum negando talia paſſim amitteret emptores. *Reiffenſtuel ſupra,Sanchez nu.12.Diana p.5. tr.7. reſ.38.* & alii communiter cum *Anton.à Spir.Sancto nu.197.*idem dicente de vendente taxillos ijs,qui in ludo illicito ſunt illis abuſuri.

8 Et ob eandem cauſam excuſari poſſunt Caupones vinum præbentens illis,qui timentur ſe inebriaturi:*Emanuel Sà V.Ebrietas nu.vn.Sanchez nu.35.Reiffenſtuel ſupra*,& alii, contra *Caietanum,Valentiam*, & alios. Vel præbentes cœnam eis,qui eandem in die ieiunij petunt, & caupones credunt illos à ieiunio non excuſari. Ita *Sanchez nu.34. Reiffenſtuel, & Diana ſupra*,& alii,quamuis contrarium doceant *Gabr.Nauar.Val.* & alii,qui dicũt tabernarios paratos præſtare cibos quibuſcũque petentibus,nullo habito diſcrimine an iuſtam ſoluendi ieiunii cauſam habeant eſſe in peccato mortali. Sed prior ſententia eſt ſatis probabilis, quam ſequitur etiam *Anton.à Spiritu San.num.198.*qui licet ad vendendum vinum ſcienter ſe inebrianti maiorem cauſam cenſeat eſſe neceſſariam, quàm merùm pretium vini, tamen ait,quod ſufficiat.timor alius iniuriæ,vel ſi numerus emptorum multum diminuatur.

9 Item & famuli parantes menſam,aut menſæ inſeruientes, vel cibos coquentes; quia hi tantum præſtant materiam, & excuſat famulatus;& ſi velis dicere concurrere ad potationem,vel comeſtionem, non concurrunt ad eas;vt eſt inebriatio,vel fractio ieiunii, ſed vt eſt quid deſeruiens ad refectionem, quod non eſt intrinſecè malum,ſed indifferens. Sic *Baſſæus V. ſcandalum num.9.Reiffenſtuel.& Diana ſupra*,& alii contra *Riccium hic c.11.* contrarium dicentem de coquente.

10 Nec peccat is, qui pro munere officii ſui cibos condit, miniſtratque menſæ concubinæ,& ſimilia,quæ non ſunt media ad peccandum, ſed tantum ad ſuſtentandam vitam: peccaret tamen ſi cibos excitantes libidinem pararet ſcienter iuſſu Domini. *Piſanus hic num.10.* & alii communiter.

11 Non poteſt quis gladium tradere furioſo, vel cum illo inimicũ occidere volenti,etſi illius ſit, niſi ex grauiſſima cauſa; quod ſi aliter fecerit, non

non ſolum peccat,ſed etiam tenetur ad reſtitutionem. *Anton. à Spir. Sancto nu.* 198. Talis cauſa eſt metus mortis.

12 Ex quo metu poteſt etiam quis idolum Ethnico vendere, furi dare inſtrumenta, quibus alterius feras infringat. Ita, cum *Coninch, Diana p. 5. tr. 7. reſ. 36. Anton. à Spir. Sancto num.* 199. & alii. Et quod ex graui cauſa liceat imagines deorum vendere, vel tradere gentibus, docet etiam *Riccius hic c. 7.* quia id non eſt efficienter concurrere ad peccatum idololatriæ, ſed tantum materiam præbere, erga quam alii peccant: & abſolutè ipſæ imagines poſſunt teneri, & non coli, ſicut tenerentur à Fidelibus, quare illa venditio non trahit ex ſui natura illarum cultum, neque is, vt ſupponitur, intenditur à vendente: ſed ſequitur ex prauitate ementis. Licet autem prouidere noſtris neceſſitatibus per actus, qui de ſe non ſunt mali, nec malum de ſe inferunt, quamuis ad illos ex aliorum malitia ſequatur. Hinc etiam, vigente neceſſitate graui, licet præſtare Iudæo agnum, quem emit immolandum. *Hurtadus de Mendoza in 2. 2. d. 76. ſect. 5. §. 179.* & alii, & conſentit *Riccius ſupra*: Qui ait, quod Conſtantinus quidem de Bragantia Prorex Goenſis, cùm ab Iudæis Gentilibus, quingentorum millium pretio ſollicitaretur ad vendendum eis dentem Simiæ albæ, quæ pro magna deitate ab eis culta fuerat, variantibus Theologorum ſententijs, maluit illum in puluerem redigere, quàm cum cōſcientiæ ſcrupulo eam auri ſummam lucrari. Laudabilior certè, quàm Ezechias Rex Iſrael conterens Serpentem Æneum, ne à Iudæis coleretur, 4. *Regum* 18. hic enim nihil perdidit, ille verò ingens pecuniæ pondus: ſed ſi ipſe propter belli expenſas, vel alia iuſta de cauſa pecuniis indiguiſſet, poterat abſque dubio dentem illum vendere ex ratione iam dicta.

13 Licet petere mutuas pecunias ab vſurario, quamuis cognoſcat, ea occaſione mutuantem prauè moueri ad exercendas vſuras; dum petens grauiter eget, & non alium reperit mutuantem; quia mutuatio, quæ petitur, non infert ex ſe exercitium vſuræ, immò poteſt rectè, & ex charitate fieri: ſed licet nobis prouidere per actus, qui de ſe non ſunt mali, nec malum de ſe inferunt, quamuis ad illos ex aliorum malitia ſequatur: Ergo. Similiter licèt exigere iuramenta ab infidelibus pro confirmanda pace, quia iuramentum poteſt rectè fieri per Deum verum, & ex impietate iurantium deſcendit, vt reddatur per falſa numina. Immò id poteſt eſſe laudabile ſi ex laudabili cauſa fiat. Pietatis enim cōmēdatur Luitprandus Rex Longobardorum, quod magno pretio corpus *D. Auguſt.* ne ei illuderetur à Barbaris, redemerit, in quo tamen eis occaſionem prębuit Simoniæ, & auaritiæ exercendæ. Ita communiter Doctores, idem dicentes in ſimilibus. His prænotatis, ſit.

§. SE-

Digitized by Google

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

14 Dico primò: Ex nulla cauſa, & metu licèt famulo adiuuare, & cooperari Hero ad ſtuprum puellæ, nempè ſubmiſſis humeris, vel aliter pedem heri aſcendentis ſuſtinendo ſcalam apponendo, aperiendo ianuam, vel quid ſimile cooperando: Et contrarium aſſertum eſt hoc Decreto vt minimum tanquam ſcandaloſum abactum.

15 Probatur; quia quicumque concurrit efficienter, & cooperatur ad peccatum alterius, dicitur coefficere actum malum: Ergo peccat; & cum ex nulla cauſa, & metu ſit faciendum peccatum: non enim ſunt facienda mala, vt eueniant bona; ex nulla cauſa & metu excuſatur quis à peccato cooperando: ſed in actionibus huius Propoſitionis conſideratur cooperatio, & ſic coefficientia: Ergo. Quòd autem ſeruus deferens ſcalam, vel ſubmittens humeros pro aſcenſu Domini ad ſtuprum concurrat efficienter moraliter, ſiue æquiualenter ad illud; & admittit Propoſitio, & conſtat; quamuis enim ſcala non videatur concurrere efficienter ad aſcenſum, ſed tantùm ſubiectiuè, ſuſtinendo aſcendentem, & ita etiam ſubmittens humeros; tamen in eo eſt efficientia æquiualenter, quia perinde eſt id facere, vt alius aſcendat, ac ipſum deferre ſurſum; quod erga Antonium funibus feciſſe legitur Cleopatra apud Plutarchum, cum ianuam pro eius ingreſſu aperire noluiſſet: Humano enim artificio fabricata eſt Scala, vt poſſimus aſcendere ſurſum: Ergo deferre Scalam pro eius aſcenſu, eſt dare illi vires, & viam ad aſcendendum, & ſic æquiualenter ipſum eleuare. Similiter, qui aperit oſtium, vt aliquis ingredi poſſit ad ſtuprandum, concurrit efficienter ad ſtuprum, nam remouet impedimentum phyſicum, quod pertinet ad actionem Agentis intendentis effectum ſuum. Quodlibet enim Agens remouet impedimenta ſuę actionis, vt ignis humiditatem & frigus à ligno: ſic etiam, qui diſponit; nam & hoc pertinet ad virtutem, & actionem principalis agentis ſiue immediatè, ſiue mediante virtute ſibi ſubordinata, vt inſtrumento. Igitur damnatur Propoſitio, quia eximit à graui peccato actiones intrinſecè malas in materia graui: non quia non aſſignat cauſam, ſeù metum proportionatum, veluti mortis, in quo habuit ſcrupulum *Ioannes Cardenas*; ſed ſi benè attendiſſet ad actiones cooperatiuas ad malum, quæ vt tales ſunt intrinſecè malæ; talem ſcrupulum depoſuiſſet. Nobiſcum ſentit *Felix à Panormo to.2. d.4.num.135.*

16 Voco actiones iſtas intrinſecè malas; quia licèt ſecundùm ſe eſſent indifferentes; tamen vt ſunt actiones inſtrumentariæ principalis Agentis ſunt intrinſecè malæ, quia ſunt determinatæ ab ipſo ad determinatum ma-

lum ex ſe formaliter tale ; & ſic ſunt cooperationes & coefficientiæ mali: quare errarunt non ſolum Auctores huius Propoſitionis, ſed etiam *Sanchez, Merolla, & Caſtropalaus* & alij, qui licèt abſtinuerint has actiones vocare cooperationes in tradenda doctrina Propoſitionis, & putarunt non eſſe tales dùm proportionata cauſa interceſſiſſet; tamen decepti fuerunt putantes in ijs circumſtantijs non induere rationem intrinſecè malarum, & vt indifferentes ex cauſa poſſe non habere rationem cooperationis indirectæ. Cæterum cauſæ attendendæ ſunt, quandò actiones non ſunt ſubminiſtrationes, ſed ſunt tantum præſtationes materiæ, vt ſupra oſtenſum eſt; tunc enim ex cauſa tollitur obligatio vitandi peccatum in alijs.

17 Dico ſecundò. Licèt Propoſitio loquatur expreſsè de famulis: tamen comprehendit damnatio quoſcunque etiam non famulos exercentes has actiones cooperatiuas ad malum. Ita Doctores communiter.

Patet, quia in famulis ratio famulatus, & metus damni notabilis ex expulſione à famulatu exiſtimabantur ab aliquibus ſufficere, vt ſimul cum mala tractatione in caſu non expulſionis, præſtarent legitimam cauſam exercendi eiuſmodi actiones: quæ rationes deerant in alijs: ſi ergo in famulis ratio famulatus, ſimul cum expulſione, aut mala tractatione ſufficere non potuit; quia actiones ſunt in illis circumſtantijs intrinſecè malæ; à fortiori ſufficere non poteſt in alijs non famulis metus ſimilis, immò quicumque alius, vt ſupra demonſtratum eſt.

18 Dico tertiò: Ly, *aut quid ſimile cooperando*, non ſolum refertur ad actiones, putà delationem litterarum, &c. ſed etiam ad ſimilia delicta nedum in eodem genere, putà fornicationem, adulterium, &c. verum etiam in alijs generibus, puta homicidium, ſumpto ly ſimile reſpectu cooperationis, & coefficientiæ mali, quæ ſimilis eſt in omnibus. Ita *Piſanus hìc nu.2.* & alij.

Patet; quia ſtuprum non habet quid ſpeciale, ratione cuius cooperatio ad ipſum ſit mala, non autem ad cętera peccata.

19 Verùm intelligo cum eodem *Piſano num.*16. illas actiones, quæ cooperantur ad illa genera peccatorum, quæ ſunt intrinſecè mala; quæ in nullo caſu, nec ratione officij, nec ratione metus licent; quia ipſæ etiam ſunt intrinſecè malæ in indiuiduo; ex malitia actus ad quem concurrunt; & cum quo ſunt coniunctæ, & ideo cooperatio eſt intrinſecè mala; nec excuſare poteſt ex eo quod ſit cooperatio remota; non proxima; nam (vt rectè *Riccius hìc c.3.* contra quoſdam) etiam cauſalitas remota eſt vera cauſalitas. Ergo etiam, qui concurrit efficienter remotè ad peccatum alterius, facit cum eo peccatum illud, ſed quicumque facit peccatum, peccat, ſeu compeccat: Ergo etiam qui concurrit efficienter remotè ad peccatum alterius peccat cum illo. Sic Adam dicitur culpa originali inquinare omnes ſuos poſteros vſque ad finem mundi: immò, vt loquitur *D.Thomas.*1. 2. *q.*81.*ar.*1. mouere eos motu gene-

ra-

Digitized by Google

rationis, ſicut voluntas mouet manum ad homicidium. Omnibus etiam, qui ſuo vel præcepto, vel conſilio, vel exemplo fuerunt cauſa, vel erunt, vt alij peccarent, vel peccent etiam poſt longiſſima tempora, tribuuntur peccata eorum. Sic Idololatria plurium Regum Iſrael tribuitur Ieroboam, qui erexit vitulos aureos in Bethel, & Dan, ſemperque in Scriptura de Ieroboam repetitur, quòd peccare fecit Iſrael. Sic Hęreſiarchis tribuitur peccata hæreſeos omnium eos ſectantium, quandiu durat eorum ſecta, vnde augetur eorum pœna in inferno. Sic è contra Apoſtolis, aliјſque primis Prędicatoribus Euangelii tribuitur fides, & ſanctitas omnium, qui eorum doctrina, diſcipliniſque eruditi ſunt, erudienturque vſque ad finem ſæculi. Et exinde creſcit eorum gloria in Cęlo, & gratiæ, laudeſque eis debetur ab omnibus poſteris: de quo grauiter monet Romanos erga D. Petrum & Paulum *Leo Papa ſerm. 1. in eorum Natali.*

20 Aliud verò cenſeo cum eodem *Piſano* de actionibus, quæ cooperantur ad illa genera peccatorum, quæ ſunt de iure poſitiuo, & non ſunt intrinſecè mala, vt ad fractionem ieiunii, & ſimilia; in iſtis enim poteſt excuſari quis ob notabile detrimentum (& vnico verbo) in illis caſibus, in quibus ſi cooperans eſſet principaliter operans excuſaretur à peccato: ratio eſt, quia in iſtis poteſt conſiderari cooperatio ad id, quod non eſt peccatum.

21 Ex his habes primò. Quòd famulo non licèt referre adulteræ, vt in tali hora accedat ad domum heri, vel alterius vbi dicit herum eam expectare, vt peccet, etiam metu notabilis detrimenti: Ita *Piſanus num. 11.* & alii contra *Sanchez, Merollam, Tamburinum*, & alios.

22 Secundò, nec literas deferre; etiam tantum continentes, quòd concubina ea nocte ad ſe veniat. Eſt contra *Antonium à Spiritu Sancto*, & alios.

23 Tertiò, nec ex graui metu licèt nautis, ſellularііs, lecticariis, aurigis, aliiſque baiulis, ſiue vectoribus, ſcienter deferre mulieres, ſeu viros ad loca, ſiue perſonas, in quibus, vel cum quibus fornicandum ſit. Ita *Riccius hic c. 5.* & alii contra *Corellam hic num. 214. Merollam, Sanchez, Dianam*, & alios. Si enim ex quouis metu, neque ſcalam deferre licet, per quam alius deſcendat ad fornicandum, vt patet ex damnatione huius Propoſitionis, quantò minus perſonam ipſam deferre? Ipſe motus, ſeu iter harum perſonarum ad fornicandum, peccatum eſt, dum eſt ad eum finem; ad eum autem motum efficienter concurrunt vectores, ſeu geſtatorii: Ergo concurrunt efficienter ad peccatum alterius, & non tantum exhibendo materiam, circa quam peccandum ſit: ergo inexcuſabiles ſunt. Quod ſi mulier neſciat, ſe ad fornicandum accerſiri; ſed putet, id eſſe ex aliqua honęſta, vel non mala cauſa, geſtator autem ſciat; etiam tunc iſte peccat, non quidem ex concurſu ad peccatum mulieris pergentis, quòd tunc nullum eſt; ſed quia eam ſcienter exponit periculo proximo peccandi; quod pe-

riculum, ſicut ſi nobis immineat tenemur effugere, vt in hoc Decreto definitur Propoſitione 61. 62. & 63. ita proximo non adſtruere.

24 Quartò, ex nulla cauſa licitum eſt famulis adducere concubinam in domum heri, vel alium locum, in quo peccaturus eſt. Ita *Angelus à Floribus 1.p.qu.7. de ieiun.diff.5. Layman*, & alii, contra *Azorium, Dianam, Merollam, Caſtropalaum*. At hoc non intelligitur, quando comitatus eſt ſimplex, & eo non adducitur, ſed ea ſine iſto iam iret; vt notant Doctores cum *Petro Hurtado 2.2. qu.103.ſect.1.§.397.*

25 Sicut etiam ſimplex comitatus cauſa obſequii ex officio famulo reſpectu heri incumbens non prohibetur, quia non eſt cooperatio ad malum; ſecus eſt, quando eſt talis, vt dominum animoſiorem reddat ad homicidium, vel adulterium, vel quoduis crimen patrandum. *Antonius à Spir. Sancto.n.188.*

§. TERTIVS.

Exturbantur obiecta.

OBijcies primò, ex reſponſo Eliſæi ad Naaman Syrum 4. *Regum* 5. *v.* 19. Naaman enim veri Dei cultor petiit pro ſe ab Eliſæo preces ad Deum pro peccato (vt timebat) eo quia ex ſui officii munere brachium ſuſtentabat Regis ingredientis ad colendum idolum, ſimulque cum eo genua flectebat ad eundem ſuſtentandum. Cui Eliſæus reſpondit: *Vade in pace*. Quare videtur nullum in eo opere agnouiſſe peccatum, cum tamen illud videatur concurſus efficiens ad idololatriam. Ergo excuſabatur Naaman, quia illud exhibebat ex metu grauis mali, ne deiiceretur à ſtatu, nè dignitate, aut bonis, ne forte vita priuaretur. Ergo grauis metus excuſat à peccato concurſum etiam efficacem ad peccatum alterius.

26 Reſpondent quidam Interpretes, ac Theologi cum *Valentia 2.2. d.1.qu.3.pu.2.dub.4. in ſolut.ad 3.* non excuſantes Naaman à peccato, Eliſæum ita reſpondiſſe, quia deſperabat correptionem ſuam tunc fore ſalubrem: in tali enim caſu non militat præceptum correptionis.

Sed contra eſt 1. Quia id eſt diuinare, vel gratis loqui. Ex verbis enim Naaman potius colligitur oppoſitum, cum ipſe conſcientia trepidus preces Eliſæi expoſcerit.

Secundò. Licet Eliſæus ex deſperatione correctionis excuſaretur ab obligatione correptionis, tenebatur tamen ſaltem docere de malitia operis, vt Naaman eam cognoſcens, aliqua aliquando occaſione exorta, vel accepta, exueret ſe illo officio; aliter ſaltem in illo, atque adeo in peccato permanſiſſet. Doctrina enim ſemper tradenda eſt, cum adeſt periculum erroris, & tunc maximè, cum petitur, vel præſtatur occaſio traden-

dendi: nec requiritur ſpes probabilis correctionis. Apoſtolus enim ait 2. *Timot.* 4. *Inſta opportunè, importunè*: opportunè, cum ſpes adeſt profectus, importunè, cum deeſt.

Tertiò: Eliſæus Naaman ad agnitionem, cultumque veri Dei adduxerat: eratque Propheta in Iſrael. Prophetæ autem non tantum deficiente ſpe correctionis, ſed etiam contradictionibus, immo & perſequutionibus inſtantibus, tenebantur corripere peccantes etiam Reges, & Sacerdotes, vt patet *Iſaiâ* 65. *n.* 2. *Ieremiæ* 1. *n.* 10. *Ezechielis* 2. *&* 3. & alibi. Ergo in ea occaſione petitionis Naaman videtur Eliſæus nullo modo prætermittere potuiſſe ſine peccato correptionem, vel ſaltem doctrinam de malitia illius operis.

Tandem Eliſeus non ſolum non corripuit, nec monuit Naaman, ſed etiam abſoluiſſe videtur ab omni peccato, dum reſpondit: *Vade in pace.* Eo enim dicto pacificaſſe, & tranquillaſſe videtur eius conſcientiam, ne ſcrupulis angeretur. Ergo prorſus in eo nullum agnouit peccatum.

Reſpondet ſecundò *Auerſa de Fide qu.* 3. *ſect.* 3 *obiectione* 3. Eliſæum eo reſponſo promiſiſſe Naaman ſuas preces apud Deum, quas ille petierat, non reſoluiſſe autem, an in illo opere eſſet peccatum, nec ne; de quo non fuerat interrogatus.

27 Sed contra: Primò Quia ni ad ſalutem prodeſſe poterant Naaman orationes Eliſæi, dum in peccato perſeueraret, perſeueraſſet autem ſemper, dum de eo admonitus non erat.

Secundò. Quia, etſi Naaman nõ propoſuit expreſsè dubiũ illud Eliſæo, tamen ipſa petitione precũ ſatis apertè oſtendit, ſe dubitare ne in illo opere eſſet peccatum, pro quo diluendo preces ad Deum poſtulabat. Ergo Eliſæus eo modo reſpondendo eximere voluiſſe videtur ab eo ſcrupulum illum; quod non rectè feciſſet, ſi in eo opere peccatum agnouiſſet: tenebatur enim monere Naaman de peccato, ſi in illo opere erat.

28 Præualet ergo ſententia docens, nullum fuiſſe peccatum in illo opere: aliter non tantum Naaman, ſed etiam Eliſæum ipſum peccati reatu adſtringeremus. Ita *Lyranus, Abulenſis qu.* 25. *in hunc locum, Sanchez* alios referens *l.* 1. *c.* 7. *num.* 21. *Suarez d.* 10. *de Char. ſect.* 3. *n.* 5. *Azor. Rebellus, & alij.*

Hoc ea ratione defendit *Abulenſis*; quia, inquit, ſi puella Chriſtiana officium haberet retinendi, ne in terram fluerent veſtes Dominæ ſuæ paganæ, poſſet cum ea templum Idoli ingredi, & ſimul genua flectere ad illas veſtes retinendas.

At in hoc dicto nulla eſt vis rationis, ſed eſt tantum propoſitio caſus ſimilis: atque adeo eidem difficultati ſubiecti; pariter enim dubitari poteſt, an puella illa peccet. Vltra quod ſuſtentatio veſtium genua flectentis non videtur eſſe cooperatio ad motum genuflexionis, ſicut ſuſtentatio corporis.

Ne,

Negandum eſt igitur, quòd Naaman efficienter concurreret ad idolatriam Regis. Etenim tantummodò ſuſtentabat Regem: ſuſtentare autem operantem non eſt illi cooperari. Poterat ſanè Rex genua flectere innixus ſcabello, vel ſedi, nec tamen ſcabellum, aut ſedes diceretur efficienter concurriſſe ad eius genuflexionem, aut illi cooperata eſſe, ſicut nec terra eum ſuſtentans. Ergo Naaman tantum ſe habebat vt cauſa materialis extrinſeca, non vt efficiens.

29 Adde, licitum eſſe habere curam non tantùm vitæ, & ſalutis Principis, ſed etiam indemnitatis, & dignitatis, etiam dum actu peccat: etenim id longè diuerſum eſt à concurſu ad peccatum illius. Et de vita quidem patet; nam hæc non niſi nefario ſcelere ei per vim eripi poteſt, cum magno quoque damno, vel periculo Reipublicæ: Ergo rectè, & laudabiliter habetur eius cura. Hinc Valentinianus Imperator huius nominis primus, cùm ſub Iuliano Apoſtata Tribunus eſſet Prætoriæ cohortis, eidem in templo immolanti Idolis ad defenſionem adſtabat armatus, ex *Theodoreto l.3.c.5.* Qui tamen adeo Chriſtianam fidem zelabat, vt Sacerdotem profanum, qui ipſum etiam execrabili aqua intinxerat, pugnis coram Imperatore cæciderit, veſtiſque partes ea aſperſione maculatas gladio abſciderit, vt narrat *Sozomenus l.6 c.6.* Illud enim non ad fomentum idolatriæ, ſed ad ſalutem hominis, & Reipublicæ, & per hoc ad exercitium charitatis Chriſtianæ pertinebat, ne Imperator in actu peccati occiſus, æternùm damnaretur. Colligitur hæc doctrina clarè ex verbis Dauid ad Abner, cæteroſque cuſtodes Saul 1. *Reg.26.* Hi enim cum ſomno ſopiti non ſenſiſſent ingreſſum Dauidis in tabernaculum Saul, quando contentus ille haſtam, ſcyphumque auferre, eius vitæ pepercit, is verbis ab eo increpantur: *Quare non cuſtodiſtis Dominum tuum Regem? Ingreſſus eſt enim vnus de turba, vt interficeret Regem Dominum tuum. Non eſt rectum hoc, quod feciſti. Viuit Dominus, quoniam filij mortis eſtis vos, qui non cuſtoditis Dominum veſtrum Chriſtum Domini.* Indubiè autem peccabat Saul perſequens Dauid innocentem, & per conſequens peccabant Abner, & omnes, qui eum ad perſequendum adiuuabant, ſi conſcii erant innocentiæ Dauidis; & tamen ipſe Dauid pronunciat, Abner, & cuſtodes corporis Saul eſſe reos mortis, eo quia non cuſtodiſſent vitam Saulis etiam aduerſus Dauid, quem innocentem perſequendo peccabant. Longe igitur diuerſa ſunt, cooperari peccato alterius, habere curam vitæ vel Salutis illius, ita vt primum ſit iniquitatis, ſecundùm charitatis; quæ charitas credenda eſt efferbuiſſe in corde Dauid, cum ita grauiter increpauit cuſtodes Saul, qui negligentia ſua eum periculo expoſuerant, vt in peccato occiſus mortem æternam ſubiret. Quod autem etiam indemnitatis, & dignitatis Principis, etiam cum actu peccat, cura licitè habeatur, patet; tum quia hoc pertinet ad dilectionem, & reuerentiam erga eum: tùm quia aliter renouatur error iam pridem damnatus in Concilio Con-

ſtan-

ſtantienſi, Valdenſium, Huſſitarum, Vuiclephiſtarum, docentium, Principem per peccatum mortale omne ius ſuæ poteſtatis, ac dignitatis amittere. Si ergo illud non amittit, conſequenter debetur ei amor, & honor, de quo deſcendit cura vitæ, ſalutis, indemnitatis, & dignitatis eius.

30 Hinc non peccaret, qui Principi pergenti ad templum Idoli ſterneret, vel ornaret viam; vel ipſi genuflectenti puluinar ſubmitteret, vel umbellam ad caput ſuſpenderet, ne læderetur à ſole; vel ipſum pergentem comitaretur; omnia enim hæc ad amorem pertinent eius, non ſunt cooperationes, ad idolatriam eius: Ioannes quidem Fridericus, Dux Saxoniæ, & Philippus Lantgrauius Haſſiæ, cum Lutherano ſpiritu non crederent corporis Chriſti permanentiam in Sacramento Altaris, renuerunt intereſſe proceſſioni in eiuſdem Sacramenti honorem à Carlo V. indictæ: cumque eis diceretur, vt pro aſſocianda perſona Cæſaris venirent, reſpóderunt, ſe in aliis occaſionibus libéter Cęſari ea obſequia præſtituros, ſed tunc Religione retineri, ne ſuſpicionem ingererent propriæ idolatriæ in cultu panis, vel fomentũ darent alienæ. Certè iſti Principes longè diſtabant, à ſenſu Propoſitionis, quæ ſeruum non tantùm comitantem, ſed etiam adiuuantem herum ad ſtuprum excuſat à mortali: ſed tamen in eo fallebantur, quòd illum ſimplicem comitatum tanquam peccatum declinabant. Quam delicatæ conſcientiæ oſtentationem de hæretico tumore deſcendiſſe, iudicari debet.

31 Ex his ſequitur, quod, quamuis famulus, de quo loquimur in hoc commentario, peccet deferendo ſcalam, qua dominus aſcendat ad ſtuprum; non tamen peccat, ſi Domino iam aſcendente eam ſuſtineat, ne ille labens, vel mortem, vel graue corporis damnum ſubeat. Ita etiam ſi Domino actu ſtuprandi aſſiſtat armatus, ne ab alio occidatur, vtique in peccato. Immò hæc ad charitatem erga Dominum pertinent, vt benè notant *Riccius hic c.4.* & alij.

Obijcies ſecundò. Non peccat coniux reddens debitum alteri coniugi etiam petenti ex libidine. Sed hic videtur adeſſe concurſus efficiens ad peccatum alterius, ſaltem quando vir debitum reddit mulieri. Ergo etiam concurſus efficiens ad peccatũ alterius eſt excuſabilis à peccato. Maior patet ex doctrina Chriſti Domini prohibentis viro dimittere vxorem, ne faciat eam mæchari. *Matth. c. 5. & 19.* Sed faceret eam mæchari, etiam non dimittendo, niſi debitum redderet petenti ex libidine: Ergo illud etiam tunc eſt reddendum. Ergo reddens tunc non peccat; aliter teneremur ad peccandum.

32 Reſpondeo, negando minorem; copula enim, & ſi vnica vox ſit, non eſt tamen vnica res, ſed vel duæ duorum actiones, coniunctæ, vel actio ex parte viri, paſſio ex parte mulieris; in qua rè quidquid dicatur non abeſt noſtro aſſerto. Si enim dicatur ſecundum, certum eſt, quod actio

non

non eſt cooperatio ad paſſionem : immò id repugnat : aliter actio eſſet paſſio, & è contra, neque poteſt intelligi concurſus efficiens ad paſſionem, quæ non eſt efficientia. Si dicatur primum: duorum actionum coniunctarum; quamuis vtraque ſit in eundem effectum, neutra tamen eſt in aliam. Patet in trahentibus nauem; vnuſquiſque enim agit in nauem trahendo ipſam, nullus tamen in alterum, ſiue actionem, aut tractum illius; immò nec poteſt; nam nullius actio poteſt creſcere, aut confortari, niſi confortata virtute eius, à qua procedit, & nullus ex trahentibus agit in virtutem, aut roborat brachium alterius, immò vnuſquiſque trahit ſecundum virtutem propriam. Ergo trahitur nauis ab omnibus, quæ non poteſt à ſingulis, non per virtutes, aut actiones veluti mutuo roboratas ſingulorum, ſed per ſingulas virtutes, & actiones omnium coniunctas. Aliter enim fit viſio à lumine gloriæ, & intellectu, aliter tractu nauis à pluribus trahentibus. Lumen eleuat virtutem intellectus, præſtatque, vt hic poſſit efficere viſionem, quam ſe ſolo nullo modo, id eſt neque ſecundum totum, neque ſecundum aliquam partem poteſt; vnde non ponit in numerum in ratione cauſæ cum ipſo, tanquam concauſa partialis, ſed conſtituit cum intellectu vnam cauſam ſecundum vnicam virtutem, & actionem, de quibus in *tr. de Viſione* latè dico. At vnus ex trahentibus non roborat brachia alterius, nec facit, vt alter poſſit agere, ſed vnuſquiſque agit iuxta virtutem propriam, ideoque ibi plura ſunt agentia partialia, pluresque actiones. Nulla igitur cauſa partialis concurrit efficienter ad actionem alterius, ſed omnes agunt in eundem effectum: & vnaquæque iuxta propriam virtutem; quia autem ſingulæ ſingulorum non ſufficiunt ad totum effectum, licet ſufficiant proportionaliter ad partem eius, ideò requiruntur omnes. Si ergo coniugum ſunt duæ actiones in eadem copula, nullus agit, ſeu concurrit efficienter in actionem alterius, quamuis ambo concurrant ad effectum prolis.

33 Inſtabis: Copula non poteſt exerceri niſi à duobus: Ergo alter coniugum præſtat alteri, vt ea poſſit exerceri. Ergo quilibet concurrit efficienter ad actionem alterius.

Reſpondeo, quòd neque actio poteſt haberi ſine paſſione, nec paſſio ſine actione, & tamen neque agens concurrit efficienter ad pati, neque paſſum ad agere; aliter actio eſſet paſſio, & paſſio actio, vt ſupra dictum eſt. Copula non poteſt exerceri niſi à duobus, quia nominat opus duorum; ſed non id conſiderandum eſt, quod clariſſimum eſt: ſed, an alter copulatorum habeat ab altero, ſiue actione eius, vt poſſit exercere munus ſuum in copula; & ſtatim patet, quod non: Ergo argumentum nullum eſt. Monachus, vt huiuſmodi exemplo vtar, non poteſt è monaſterio egredi ſine ſocio; non tamen ſocius, vel etiam Superior, ſi ipſe aſſociet, concurrit efficienter ad eius egreſſum, immò, neque ex vi ſuæ aſſociationis vult illum egredi; ſed tantum permittere, vt egrediatur, quia ali-

aliter ille non poteſt, vt ſupponitur, egredi . Sic coniux exercens cum coniuge copulam, in qua alter peccat ex libidine, non concurrit ad peccatum illius, nec ad libidinem, ſed tantum illam permittit, quia ſcilicet, ille aliter non poſſet copulam exercere. Ita etiam Deus concurrens cum homine ad actum malum, non vult illum, ſed tantum permittit, ob eandem rationem.

Vrgebis. Proximior, & intimior eſt actio reddendi debitum actioni exigentis, quàm actio ſerui deferentis ſcalam actioni domini aſcendentis; ſed ſeruus concurrit efficienter ad illum aſcenſum, vt dictum eſt; Ergo multò magis reddens debitum concurrit efficienter actioni peccaminoſæ petentis ex libidine.

34 Reſpondeo, negando conſequentiam: non enim attendenda eſt proximitas actionis ad actionem, ſed cauſalitas. Iubens, vel conſulens homicidium poteſt longiſſimè & loco, & tempore diſtare ab homicida, & ab homicidio, & tamen efficienter concurrit ad ipſum: vnus ex trahentibus nauem proximè adſtat alteri, & tamen non concurrit efficienter ad tractum alterius, vt dictum eſt. Cum ergo coniux reddens non ſit cauſa, ſeu non det vires petenti, vt hic poſſit exercere operationem ſuam in copula, non concurrit efficienter ad illam, licèt actio ſua ſit proxima, & coniuncta actioni alterius, & ſit ad eundem effectum, nempè prolem. Hac ratione excuſandus eſt à peccato coniux reddens debitum petitum ex libidine.

§. QVARTVS.

Complures difficultates, pro completa notitia, reſoluuntur:

35 PRima difficultas eſt. An peccent mortaliter Chriſtiani captiui remigantes in triremibus Turcarum Chriſtianos inuadentium, id facientes ex metu mortis.

Negant non pauci Doctores, quos refert, & ſequitur *Diana p.3. tr.5. reſ.36. Anton.à Spir.Sanct.num.*202. dicentes, quod poſſunt dicti captiui Chriſtiani contra Catholicos remigare, vel propugnacula ædificare, ſarcinas, machinas, & alia neceſſaria ad bellum afferre. Limitant tamen primò, ſi eo loco conſtituta res ita eſſet, vt captiui auxilium denegantes magno periculo Chriſtianos eriperent, vel victoriam illis conferrent, tunc enim bono Reipublicæ Chriſtianæ anteponendum erit propriæ vitæ. Secundò etiam in iis, qui tormenta in Chriſtianos dirigunt, ignemque applicant, quia directè damnum inferunt, peccare mortaliter, abſolutè docent *Suarez, Comitolus, Toletus, Fernandez, Nau. Salas, & alij*.

36 Ego cenſeo, prorſus inexcuſabiles eſſe actiones eorum, quæ ſunt

cooperationes ad homicidia Chriſtianorum; quia ſunt intrinſecè malæ: actiones verò, quæ ſunt tantum præſtationes materiæ, ſeù inſtrumenti, quibus ipſi non inſtrumentaliter concurrunt, ex metu mortis excuſantur. Sic *Molina, Corduba, Sa, & Azorius* excuſant hos captiuos porrigentes Turcis arma ab eis petita ad Chriſtianos interficiendos. *Coninch 2.2. d.31. dub. 7. num* 104, ait nullo modo licere Chriſtianis in triremibus Turcarum remigantibus, deprędari, aut incendere res Chriſtianorum, dum in terras Chriſtianorum deſcendunt. Idem docet *Lorca in 2.2. ſect. 3. diſp. 51. num.* 10. vbi tamen concedit, poſſe quidem quæ alii capuerunt ſuis humeris ad naues deferre, vel ad caſtra. At probabile eſt ex timore mortis poſſe hæc facere Chriſtianos captiuos. Ita *Caſtropalaus cit. d. 6. pu. 11. num. 12. An. on. à Spir. Sanct. num.* 204. & alii; quia licitum externis bonis proximi vti, prout neceſſarium eſt ad vitandam extremam neceſſitatem; ſed illa deuaſtare, & ſurripere, & tradere minanti mortem, eſt in tali caſu neceſſarium ad illam vitandam. Ergo id facere licitum erit. Neque dominus illarum rerum debet eſſe inuitus, ſed potius debet ex charitate conſentire. Neque actionem prout ab eis fit, iniurioſam reputare. Ergo, &c. Et hanc ſententiam docet etiam *Molina de iuſt. tom. 1. tr. 2. d. 115. conclu. 5. num. 7.* vbi ſic ait: *Mortis metu, aut amiſſionis membri, fas eſt huiuſmodi captiuis nocumentum inferre Chriſtianis in bonis externis, & ad infidelium imperium deſtruendo, capiendo, & ad triremes aſportando. Probatur, quoniam in eo euentu ſunt in extrema neceſſitate illorum bonorum ad vitam propriam conſeruandam. Ergo quantum fas eſt cuique in extrema neceſſitate ſumere de bonis aliorum ad conſeruandum propriam vitam, tantum damni fas erit eiuſmodi captiuis inferre bonis aliorum ad vitam propriam tuendam, præſertim cum ſi ipſi non cooperarentur ad illud damnum, defuturi non ſint, qui illud ſimiliter inferant. Quod ſi petas, an reſtituere teneantur damnum, quod ita dederunt? De iuſtitiæ rigore iuxta ea, quæ in materia de Eleemoſyna diximus, dicendum eſt teneri. Attamen regulariter credendum eſt, Chriſtianos, neque ab illis reſtitutionem expectare, neque eam velle. Quoniam præterquamquod mortis metu, & non in commodum proprium id effecerint, defuturi non erant, qui idem damnum darent.* Ita ille, quem ſequitur *Diana p. 5. tr. 7. reſ. 30.* At benè *Hurtadus de Mendoza in 2.2. d. 76. ſect. 3. §.* 114. limitat, quando dominus eſt in eadem neceſſitate ſulphuris, V. g. domus, murorum, & commeatuum ad tuendam propriam vitam, tunc enim non poſſunt hæc incendere, deuaſtare, aut demoliri. Ex his patet ad ſequentem difficultatem.

37. Secunda difficultas eſt. An excuſetur à peccato, & ab obligatione reſtituendi is, qui metu coactus, præbet furi claues, vel inſtrumenta, quibus effringat arcas, vel ſcalam tenet, dum fur murum aſcendit?

Negat *Riccius hic c. 4. num. 9.* Affirmat *Bonac. de reſtit. d. 1. qu. 2. pu. 10. num. 8.*

Aſt diſtinguendum eſt cum *Piſano hic num.* 17. de metu, an ſcilicet ſit me-

metus mortis, vel notabilis detrimenti præponderantis rei per furtum ſublatæ; aut leuis mali: ſi namque illi mortem aliàs, vel notabile detrimentum inferret fur; quod aliter, neque effugiendo poſſet euitare, nec alia via; poſſet claues, vel inſtrumenta præbere, aut ſcalam tenere: ſecus verò, ſi leue malum immineret. Ratio eſt, quia ille debet potius ſuæ indemnitati conſulere, quàm alterius, quando malum ſibi imminet grauius malo imminente proximo; hoc expoſcente charitatis ordine: qui tamen è contra vrget ſi leue damnum immineat. Et diſpar eſt ratio inter furtum, & ſtuprum, vel alia peccata in materia Venerea; quia ratio eſſentialis conſtitutiua furti, non eſt ſola acceptio rei alienæ; ſed vt ſit inuito domino, ad hoc vt ſit iniuſta acceptio rei alienæ: in præſenti autem caſu reſpectu huius cooperantis ob metum mortis, vel alterius mali grauis præponderantis rei per furtum ſublatæ, dominus non deberet eſſe inuitus; omnes enim ita ſentirent non debuiſſe illum pro rei alienæ indemnitati conſulendo, iacturam vitæ facere: vnde illius cooperatio eſſet ad materiale furti, nempè ad acceptionem rei alienæ; non autem ad furtum formale, prout eſt iniuſta acceptio; quare non cooperatur ad aliquod intrinſecè malum omnibus circumſtantiis inſpectis; & in indiuiduo illa actio eſſet honeſta, vtpote habens pro fine intrinſeco acceptionem rei alienæ, quæ eſt mala, ſi ſit inuito domino, ſecus verò, ſi hoc ei non annectatur, ſed aliud motiuum honeſtum, quòd in præſenti eſſet mortis euaſio, vel alterius notabilis damni: in materia autem Venerea cum actio ipſa libidinoſa, ad quam cooperatur, ſit in ſe mala, abſque relatione ad aliud; & ab hac ſpecificetur cooperatio; etiam ſi hæc ad proprium commodum ordinetur, nequit à malitia ſpoliari. Hæc volui addere ad probandam iuſtificationem actus, etiamſi eſſet cooperatio in materia acceptionis rerum alienarum: at reuera hic nō interuenit cooperatio, ſed tantum præſtatio inſtrumenti facta, illo vſuro ad furtum: quæ ex grauiſſima cauſa cohoneſtari poteſt, vt patet ex dictis.

38 Tertia difficultas. An metu mortis liceat tradere hoſtibus Fidei Imagines Chriſti, vel Sanctorum?

Videtur prima facie affirmandum, ex paritate; nam licet ex graui cauſa imagines deorum vendere, vel tradere Gentibus à quibus creduntur colendæ.

At prorſus negandum eſt, quia creduntur iſti hoſtes Fidei imagines Chriſti, vel Sanctorum dehoneſtaturi, vt non ſemel ab ipſis, maximè verò à Iudæis hoc factum eſt: Vnde Traditorum titulo infamati ſunt Chriſtiani, qui metu mortis ad Imperium Diocletiani Sacros Codices Gētibus tradiderunt; immò hoc peccatum adeo graue viſum eſt Donatiſtis, vt eo omnes Eccleſias, quæ iiſdem Traditoribus comunicauerāt, cōmaculatas dicerent, proindeque Eccleſiam Chriſti in ſua tantùm ſecta remanſiſſe: vt patet per *Auguſtinum* contra *Donatiſtas tom.7.* non minus autem malum eſt tradere Gentibus imagines Chriſti, & Sanctorum, quàm Sacros Codi-

tes. Hinc Valerianus Epiſcopus in Romano Martyrologio 15. Decembris, de humani conuictus, ac Societatis iure ſe depelli, omni habitatione, & receptione in domo, & in agris ipſi interdicta, nudoque ſub aere egeſtate, & ærumnis confici maluit, quàm Eccleſię vienſilia tradere Vuandalis; id enim fuiſſet contemnere illa, quia tradere contempturis, & dehoneſtaturis, vel ſaltem à cultu diuino ad alios vſus translaturis. Tarpicius etiam Martyr ibidem 15. Auguſti, cum Corporis Chriſti Sacramenta portans à Paganis inquireretur, quid geſtaret, indignum ratus porcis prodere Margaritas, fuſtibus, & lapidibus vſque ad eſtremum ſpiritum mactari ſuſtinuit: reuoluto autem eius corpore, nihil ſacrilegi diſcuſſores Sacramentorum Chriſti in manibus, aut veſtibus eius inuenerunt; ita nimirum Deo Religionem eius approbante, & Sacramentorum ſuorum honori conſulente. Legitur quidem de S. Ludouico Francorum Rege, quòd altaris Sacramentum tradiderit Ægyptio Soldano in pignus pecuniæ, quam pro ſui redemptione tranſmiſſurum ſe pollicebatur. Sed exiſtimandum eſt, quòd ipſum per Sacerdotes honorifice ſeruandum curauerit, & cauerit. Id etiam videtur præceptum à Chriſto *Matthæi 7. n. 6. Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis Margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis.*

39 Hinc diſpar eſt ratio in venditione imaginum Deorum; nam in hoc exhibetur tantùm materia, circa quam gentes noſcuntur peccaturæ: nullus vero tunc eis exibetur honor immò ſpernuntur eo ipſo, quò venduntur, quia magis æſtimatur pecunia, quàm ipſæ. Falaniæ Romano equiti crimini datum eſſe, quod ſimul cum horto imaginem Auguſti vendidiſſet in eo locatam, tamquam hoc facto Auguſtum dehonoraſſet, tradit *Tacitus primo Annalium c. 15.* At in traditione imaginum Chriſti, & Sanctorum adeſt contemptus earum, dum traduntur eis, à quibus creduntur conſpurcandæ. Grauiſſime ſimiliter peccarunt Sacrorum Codicum Traditores: cuſtodiendi enim erant, honorandi, & legendi illi libri, non gentibus tradendi ad comburendum.

Tertia difficultas: An ex graui metu liceat templa ædificare Idolis: aſſirmat *Hurtadus de Mendoza* ex grauiſſimo metu.

40 Negandum eſt, cum communi: Id enim omnino illicitum eſt, quia pertinet ad Idolatriam: Templum enim non ædificatur niſi Deo, hominibus autem domus, vel palatia. Hinc vrbes illæ, quæ Templa apud Tacitum ædificarunt Auguſto Tiberio, alijſque Romanis Principibus, eoſdem Deos profeſſę ſunt. Ergo ædificare templum Idolo eſt habere, & colere illum, vt Deum. Sic in Romano Martyrologio die 8. Maij Auda, vel Abda Epiſcopus Martyrium ſuſtinuit, ne excifum à ſe Idolorum Templum reexcitaret. Hanc enim cauſam ad Martyrij coronam promerendam idoneam eſſe, docet *Ambroſius Epiſt. 17. ad Theodoſium*, & notat *Baronius in notis ad Martyrologium*, eo die.

41 Centurio rectè Synagogam Iudæis ædificauit, qui vna cum ipſo

veri Dei cultores erant; & ideò fuit laudatus à Iudæis *Matth.*8. fuiſſet autem ab ipſis fortè laudatus, etiam ſi verumDeum non agnouiſſet, quia non rectitudinem, ſed honorem, & commodum ſuum in eius opere appendiſſent; ſicut ab eiſdem laudatus fuit impius Iulianus; qui Ieroſolymitanum Templum ipſis reædificare tentauit, *Mendoza* 2.2.*d.*76.*ſect.*6.§.181. putat etiam modò licitum Synagogam ædificare Iudæis, *Diana p.*3.*tr.*5.*reſ.*36. *Anton.à Sp.Sanct.nu.*199.id admittunt ex metu mortis. At audiendi non ſunt, cum *Riccio hic c.*9. nam hoc eſt Iudaicam Religionem fouere; quod malum intrinſecè eſt. Conſonant *Granadus*, *Duuallius*, & alii communiter.

42 Quarta difficultas eſt. An ex graui metu liceat effigies formare Deorum.

Affirmant licere ex grauiſſimo metu *Caſtropalaus pu.*12.*num.*7. *Diana p.*5.*tr.*7.*reſ.*36.*Anton.à Spir.Sancto*, & alij.

At ob nullum metum licere pingere Idolum, vel veſtem Sacerdotalem facere ad petitionem infidelis, rectiùs docent *Conimb d.*18. *de infidelitate dub.*18.*nu.*213.*Granadus*, & alii; quia in illis circumſtantiis cedit illa fabricatio in honorem falſi cultus, & eſt quædam illius profeſſio. Quapropter plures ſculptores maluerunt grauiſſima tormenta perpeti, quàm Idola ad petitionem Imperatorum fabricare, ſicut de Marco Arechuſiæ Epiſcopo teſtatur *Theod.l.*3.*hiſt.c.*5.

Idem dicunt *Bonac.*,*Azorius*, & alij de pingente imaginem concubinæ amaſio, ex grauiſſima cauſa.

43 At non improbabiliter docent *Alphonſus de Leone de offic.confeſſ. tom.*1.*d.*1.*recoll.*14.*num.*34.& 36.*Diana p.*5.*tr.*7.*reſ.*5. licere aliquando, vrgente ſcilicet grauiſſima cauſa, putà metu mortis, vel vulneris, quia illa pictio non eſt profeſſio illiciti amoris, &c. Sed quia tamen fomentum eſt, & incitamentum turpis amoris, mortale peccatum eſſet talem imaginem depingere, niſi preſſus aliqua graui cauſa pictor hoc faceret.

44 Quarta difficultas eſt. An poſſit quis deponere pecunias apud Vſurarios, quibus creditur vti debere ad vſuram, & deponere vinum apud Tabernarium, qui creditur venditurus fore mixtum aqua?

In primo caſu non conſideratur ratio cooperationis; an vero adſit oblatio occaſionis, quæ ex charitate ſaltem vitari debeat, negant *Caiet. Aragonius*, & alii, qui nullam cauſam in deponente pecunias expoſtulant, ſicut nec in locatione domus Meretrici. At dicendum eſt, requiri cauſam grauem ſi ceſſante tali depoſitione vſuræ non exercentur, vel non exercentur in tali quantitate; quia in præſenti adeſt exhibitio materiæ ſcandali, & ſic obligatio vitandi peccatum vſurarii, imò & obligatio vitandi damnum, quod recipiunt mutuatarij. Ita *Sanchez l.*1.*c.*7.*num.*36.*Nau. Molina*, & *Valentia*, quos refert, & ſequitur *Caſtropalaus pu.*1.*num.*1. *Diana p.*5. *tr.*7.*reſ.*11.& alii cum *Bannez* 2.2.*q.*78.*ar.*4.*dub.*4.*Vaſquez*, & *Pontius* exiſtimant

ſine

ſine cauſa deponentem obligatum eſſe reſtituere vſuras,quas mutuans accepit ex tali pecunia mutuata;quia præbuit materiam iniuſtitiæ.Sed melius negant *Hurt dus de Mendoza 2.2.d.17; ſect.14 §.181. Diana, & Caſtropalaus ſupra aliįque*; quia tantum peccat contra charitatem, non vero contra iuſtitiam, ſaltem directè, & vt obligationem reſtituendi inducat: nam negari nequit cum *Sanchez* occaſionem illam datam fæneratori peccandi contra iuſtitiam, non excuſante iuſta cauſa dantem,reduci ad peccatum iniuſtitiæ. Quæ autem cauſa grauis ſit honeſtandi hanc depoſitionem, affirmo cum *Caſtropal.o, Diana, & Hurtado de Mendoza ſupr.*,eſſe ſecuritatem pecuniæ: ſi enim deponenti ad huiuſmodi finem neceſſarium eſt deponere pecuniam apud prędictum nummularium, neque inuenit alium, apud quem ſecuram ſeruet, poterit abſque peccato deponere,neque vſuræ inde acceptæ ſibi debent imputari.

45 Aliter de depoſitione vini philoſophandum eſt, ſi vinum apud Tabernarium deponat,ipſeque vendat aqua mixtum,& deponens conſcius ſit illius delicti,grauiter peccat,ſi pro viribus non impedit: quia cum vinũ ſit ſuum,& non Tabernarii,deponens propriè vendit, & non ille,ac proinde omnia damna tenetur reparare. Quod ſi ipſe deponente pignorante vendidit,tenebitur reſtituere ea,in quibus factus fuerit locupletior. Ita *Caſtropalaus ſupra num.2. Sanchez num.73.* & alii cum *Antonio à Spir.Sanct.nu.* 198.quidquid dicant *Diana ſupra reſ.39.& Merolla.*

46 Verum ſi vinum apud Tabernarium non fuit depoſitum, ſed à ſe venditum; ſciebat tamen Tabernarios iterum vendituros non purum, ſed aqua mixtum, vel alio modo ſimulatum; tunc dicendum eſt vendentem obligatum eſſe ex charitate iis ſimulatoribus vinum non vendere; ſi alios inueniat de quibus iure non præſumit ſimulationem, quia tenetur quoad poſſit peccata impedire,& præcipue,quæ in damnum tertii vergunt. At ſi cogetur vinum inuenditum habere, cum hoc ſibi graue,& moleſtum futurum ſit,poterit peccatum illorum permittere,vtendo iure ſuo. Ita *Sanchez ſupra Caſtropalaus num.3. Diana ſupra Anton.à Spir.Sanct.nu.199. Merolla,*& alii communiter.

47 Quinta difficultas eſt: An liceat petere à Meretrice Iudicis interceſſionem in cauſa iuſta apud ipſum Iudicem?

Sanchez nu.38. Exiſtimat nullam eſſe poſſe cauſam iuſtam has actiones excuſantem, eo quòd petitur à concubina,quod ipſa licitè præſtare non poteſt;non enim ipſa licitè poteſt inuiſere Iudicem, illiue ſcribere, aut internuncium mittere,ſiquidem iis omnibus fouet turpem amorem,& ſaltem ſe,& Iudicem periculo peccandi exponit. Item quia videtur inordinatum,turpi amore concubinæ cauſam,& iura defendere.

Alii verò ſatis probabiliter docet, quòd ſi negotium graue ſit,videaſque Iudicem non tibi eſſe propitiũ, ſperes autem interceſſione concubinæ gratum fore, neque alia via apparet, quo poſſis illum ad ſeruandum ſuum

ius inflectere, tibi licere petere à concubina, vt in tali negotio intercedat, quia non petis aliquid, quod ipſa licitè præſtare non poſſit. Nam licet illa interceſſione Iudex, vel concubina foueant turpem amorem, hoc tu non intendis, nec illius fomenti es cauſa. Nam ſtante illa interceſſione adhuc Iudex, & concubina poterant à praua voluntate ſe continere. Ergo interceſſio de ſe mala non eſt. Quod verò media illa interceſſione concubina, & Iudex periculo peccandi exponantur, non obſtat quominus id rectè fieri poſſit vrgente graui cauſa. Neque etiam reputari debet inordinatum obligatione, & amore ex peccatis iam factis acquiſito vti aliquando ad bonum finem, ſcilicet vt iuſtitia ſeruetur; vt vnicuique ius ſuum reddatur. Ita cum *Bonac.Caſtropalaus pu.15.num.2.Hurtadus de Mendoza 2.2.d.173. ſect.11.§.143.Antonius à Spir.S anct.num.192.Tambur.l.5. Decal.c.1.§.4.nu. 25.Diana ſupra reſ.20.* qui cum citato *Hurtado* deducit quid ſit agendum in aliis caſibus ſimilibus; ſi enim quod ego peto poteſt exerceri benè, & malè, neque in petitione eſt malum, aut ſpecies mali, illa petitio eſt licita, quando ſuppetit grauis cauſa tàm mea, quàm proximi; vt ſi mihi opus eſt initiari ſacris ordinibus, aut ſum dignus beneficio, quo egeo, vel habeo ius ad cathedram cuius ſum candidatus, aut egeo iuſta ſententia Iudicis, poſſum licitè petere eas omnes actiones ab Epiſcopo, aut Iudice, & ab aliis, licet illi inde occaſionem accepturi ad Simoniam, vel ad ſubornationem, vel quid ſimile, quia ea peccata oriuntur ex illorum malitia, non ex meis actionibus.

Ex his etiam deducitur licitũ eſſe fœminæ Iudicem adire, & cauſam apud illum agere, quamuis prudẽter timeat, illum eius pulchritudine pelliciẽdũ, & laturum ſententiam iuſtam ex affectu ſe inſinuandi in eius fœminę conſuetudinem. Idem dicendum eſt, fœminam non peccare, quando ſe ægram curandam exponit medico, quamuis prudenter timeat, illum accepturum ſcandalum. Ita *Anton.à Spir.Sanct.ſup.*& cum *Hurtado de Mendoza Diana cit.reſ.20.* qui addit, idem dicendum eſſe de viro, qui poſſit à fœmina curari; quando non poteſt ſine graui incommodo id relinquere.

PROPOSITIO LII.

Præceptum ſeruandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

1 HÆc eſt *Richardi quod l.1.q.19. Angeli V. Feria num.42. Roſella V. Miſſa num.18.Tabienæ ibidem num.43.& Aſtenſis l.4.tit.16.c.11. q.1.* docentium illos ſolùm peccare mortaliter, qui diebus feſtis miſſam omittunt ex contemptu vero, vel ſaltem interpretatiuo: qualem dari cenſent, quando ſine cauſa legitima quiſpiam ad non audiendum miſſam in feſtis

feſtis aſſueſcit: illos verò, qui Miſſam omittunt ſine cauſa, vel ex imbecillitate, vel ex paſſione, vel ex negligentia ſeu pigritia, dum abſit contemptus, vel conſuetudo, peccare venialiter.

2 Hæc Propoſitio videtur inniti doctrinæ *Henrici quodl. 6. q. 22.* vbi dicit, quod tranſgreſſio legis humanæ non eſt mortalis, niſi fiat paſſim, & ex leui cauſa, & *Angeli V. Inobedientia* dicentis, quòd tranſgreſſio legis humanæ, & inobedientia tunc ſolùm eſt mortalis, quando fit ex contemptu, vel ducitur in conſuetudinem, quæ eſt quidam contemptus interpretatiuus: quæ doctrina eſt eadem ac *Imolæ, & Felini apud Nauarrum in Man. c. 23. num. 55.* qui citat etiam *Caiet. in ſumma V. Clericus, §. verum, & V. Ieiunium, §. quoad quartum.* Sed iſte vltimus non loquitur generaliter, ſed de quibuſdam legibus ex motiuo particulari: & quamuis eius doctrinam non approbem, tamen referendus non eſt pro hac generali doctrina.

3 Hanc ſententiam circa feſta ſeruanda iam antiquata inſtaurare voluerunt quidam Recentiores, vnde fuit in ordine octaua ex ſeptemdecim, quas facultas Louanienſis congregata in Curia *Academica 30. Martij, & 26. Aprilis 1653.* iudicauit, & reſoluit in praxi non tolerandas, & ſuperiorum auctoritate meritò prohibendas: *Gonetus in differt. de probabilit. nu. 135.* vult, illi opinioni ſuffragari *Tamburinum*, eo quod dixerit *l. 1. in decal. c. 3. §. 8. num. 12. Leges Eccleſiaſticas non multum frequenter ſub mortali obligare.* At immeritò: Primò, quia hæc eſt praua conſequentia: *Aliquæ leges non obligant ſub mortali: Ergo præceptum ſeruand feſta non obligat ſub mortali.* Quia à Propoſitione particulàri ad ſingularem praua eſt conſequentia. Secundò, quia *Tamburinus* expreſse contrarium docuit *l. 4. in Decal. c. 2. §. 1. num. 1.* ibi: *Teneri omnes baptizatos adultos ad Miſſam (& quidem vnam etiam in Natali Domini) die feſtiuo audiendam, idque ſub mortali (quia res eſt grauis, etiam ſemel omittere ex Suario to. 3. in 3. p. d. 88. ſect. 2.) iam omnium Fidelium ſenſus edocuit & c. 3. §. 1.* loquens de abſtinentia ab operibus ſeruilibus die feſto, *num. 1.* inquit: *Opera propriè ſeruilia, quæ ſub mortali in diebus feſtiuis vetantur, ea ſunt, ad quæ deputantur ſerui, &c.* & quod non requirat contemptum patet; nam *§. 2. n. 2.* ait quod ſi in ſingulis diebus feſtis per duas operatur horas non peccat mortaliter, ſecus ſi idem in eodē feſto, diuerſis vicibus interpolatis, modicè quidē laboret, ſed ita vt vnitim aſcendatur ad tempus notabile. Non tamen propterea approbo cum *Ioanne de Cardenas hic differt. 32. c. 1. num. 7.* quòd *Tamburinus* dixerit *Non multum frequenter*; melius enim dixiſſet *Aliquando.* Non enim poteſt negari, aliquando leges Canonicas non obligare ſub mortali vel ex leuitate materiæ, vel quia non habent aliquod ſignum, ex quo colligatur non eſſe intentionem legislatoris obligare ſub graui culpa.

******

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

§. I.

4 *Præcepta Eccleſiæ obligant nedum ſub pœna, ſed etiam ſub culpa, & oppoſita ſententia ſaltem eſt erronea.*

5 *Quinque ſunt præcipua præcepta Eccleſiæ, quorum primum eſt de obſeruatione feſtorum.*

6 *Præceptum de obſeruatione feſtorum in lege veteri fuit partim morale, & vt ſic durauit, partim cæremoniale, & vt ſic expirauit. Quare Eccleſia pro feſto, omiſſo Sabbato, deſignauit diem Dominicum?*

7 *An ſic dies Dominicus dicendus ſit iure diuino in lege gratiæ pro feſto inſtitutus, vel potius iure Eccleſiaſtico.*

8 *A quo tempore incœpit diei Dominici obſeruatio, & quibus miraculis commendatur?*

9 *A quo tempore incipiat Dies feſtus?*

10 *Hoc præceptum obſeruandi feſta, affirmatiuum ne eſt ex toto, an ex parte negatiuum?*

11 *Quibus eſt ius inſtituendi feſta, quæ feſta ſunt communiter obſeruanda, quæ poteſt Epiſcopus modò inſtituere?*

12 *An ex vi præcepti affirmatiui obſeruationis feſtorum alia actio ſit exercenda præter auditionem miſſæ?*

13 *Qui adſtrigantur colere Dies feſtos in tota Eccleſia indictos, qui diœceſanos? Aduenæ & Peregrini an, & quare tenentur ſeruare feſta illius territorij, in quo repeniuntur?*

14 *An ſolus tranſitus ſufficiat, ad obligandum aduenas?*

15 *Ad quid teneatur, qui data opera recedit à loco ſui domicilij, vbi ſeruatur feſtum, ad locum, vbi non ſeruatur?*

16 *Quæ ſunt opera ſeruilia, quæ prohibentur, quæ liberalia, & nō ſeruilia, quæ permittuntur, quæ communia, quæ etiam permittuntur: an ratio lucri requiratur ad ſeruilitatem, & mutet liberalia, & communia opera in ſeruilia?*

17 *An iterfacere ſiue id pedibus fiat, ſiue equo, ſiue lectica ab hominibus, equiſque portata liceat?*

18 *An liceat in Die feſto vti molendinis non ſolùm aquatilibus, ſed etiam ijs, quæ animalia ſolent obuertere?*

19 *An venari, & piſcari? & quæ obſeruanda circa piſcationem iuxta c.* licèt de Ferijs?

20 *An ſcribere lucri, & mercedis gratia?*

21 *Quid dicendum de tranſcriptione?*

22 *Quæ permittantur Typographis facere in Die feſto?*

23 *Quæ Pictoribus?*

24 *An prohibeatur tunc exercere artem ſculptoriam?*

Pars II. Zz 25 *An*

Digitized by Google

25 *An prohibeatur ne dum frumentum cribro purgare, ſed etiam frumentum cribro euentilatum minutius manibus expurgare?*

26 *An tanquam opera ſeruilia prohibeantur peccata? An circumſtantia temporis ſacri augeat ſaltem peccatum, & quando confitendi?*

27 *An ſ item culpam venialem committat contra religionem peccans in die feſto?*

28 *An exceptis quibuſdam, regula generalis ſit, omnem actionem liberalem licitam eſſe in die feſto?*

29 *An, & cur prohibeantur mercatus, & placita, ac ſtrepitus iudiciales? Quid conſuetudo obtinuerit circa mercatus & quæ ſub hoc nomine comprehendantur? Quos contractus Notarij facere poſſint?*

30 *Sub placito, ſeu iudicio forenſi prohibito, quæ actiones comprehendantur?*

31 *An actiones comprehenſæ in diebus feſtis in honorem Dei non ſolum prohibeantur, ſed etiam annullentur, etiam ſi fiant de conſenſu litigantium? Et quid ſi ſint dies feſti, ſeu feriæ inſtitutæ, gratia vindemiarum, meſſium, in vtilitatem hominum?*

32 *Si iuramentum in die profeſto ſuſceptum ſit, depoſitio teſtium poteſt ne eſſe valida, & licita in die feſto?*

33 *An oblatio libelli licitè, & validè fiat in diebus feriatis?*

34 *Quid dicendum de executione ſententiæ?*

35 *Quid verò de Appellatione.*

36 *In quibus caſibus neceſſitatis, & pietatis poſſint placita & iudicia forenſia exerceri in die feſto?*

37 *Quæ cauſæ expediri, qui actus iudiciales fieri ratione pietatis, vel neceſſitatis, vel punitionis delicti ſcandaloſi poſſint?*

38 *Quotuplex poteſt eſſe contemptus, & in quo conſiſtat contemptus formalis? Contemptus interpretatiuus, & generalis, ſeu materialis, an ex ſe reddat actionem prohibitam lethalem?*

39 *An contemptus quilibet formalis in quacumque materia quamtumuis parua ſit peccatum mortale? Quid ſi violetur præceptum non ex contemptu legis, aut legislatoris, ſed ipſius rei præceptæ? quidue ſi non deſpiciatur ſuperior, vt talis?*

40 *An contemptus formalis lethalis reperiatur etiam in re debita ex ſolo conſilio?*

§. II.

41 *An præceptum ſeruandi feſta obliget ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, & contemptu: & pars negatiua quibus cenſuris ſubdatur?*

42 *An & cur damnatio afficiat hanc propoſitionem, pro vt excludit obligationem grauem ſeruandi feſta, ſiue per auditionem miſſæ, ſiue per ceſſationem ab opere ſeruili, ſiue per ceſſationem à placito, & ſtrepitu iudiciali?*

43 *An & cur euadat damnationem aſſerere ſecluſo contemptu eſſe veniale in materia leui deficere in obſeruatione feſti?*

44 Quæ

44 *Quæ pars non ſit notabilis in auditione miſſæ, quæ poteſt omitti ſine peccato mortali.*

45 *Quid, ſi quis audiat miſſam à principio vſque ad ſumptionem tantum?*

46 *An & quomodo ad iudicium ferendum de grauitate, conſideranda etiam ſit dignitas partis, quæ omittitur?*

47 *An qui deeſt ſoli conſecrationi, vel ſumptioni peccet mortaliter? Quid ſi deſit ſoli oblationi verbali poſt conſecrationem?*

48 *Quando qui abeſt, reputatur adeſſe?*

49 *An peccet mortaliter qui venit poſt lectam Epiſtolam, & exit poſt communionem?*

50 *Quæ in diebus feſtis ſit parua materia excuſans à mortali in ordine ad opera ſeruilia?*

51 *Quæ parua in operibus forenſibus, & iudicialibus?*

52 *An & cur immune ſit à damnatione aſſerere ſecluſo ſcandalo, & contemptu non eſſe mortale, aut etiam veniale ex legitimis cauſis excuſantibus exercere opera ſeruilia in die feſto, non audire Miſſam, &c?*

53 *Quæ opera ex cauſa religionis excuſentur à mortali, & quæ etiam à veniali?*

54 *Qui ex cauſa pietatis excuſentur?*

55 *Qui ex cauſa neceſſitatis?*

56 *Qui ex cauſa diſpenſationis, & à quo facienda?*

57 *Qui ratione conſuetudinis excuſentur?*

§. III.

58 *S. Bernardus loquitur de iuſſionibus Prælatorum Regularium, non de præceptis Eccleſiæ, reſpectu quorum omnis contemptus formalis eſt circumſtantia nouam ſpeciem malitiæ tribuens, ſed contemptus formalis rarò interuenit?*

59 *Propoſitio illa: Non eſt peccatum mortale, niſi ſit contra charitatem Dei, & proximi, quo ſenſu ſit falſa, quo vera?*

60 *An ſit erroneum dicere, non poſſe Eccleſiam præcipere, vel prohibere ſub reatu culpæ, niſi quæ iure diuino, vel naturali præcepta, vel prohibita ſunt?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

4 PRænotandum eſt primò, *Caramuelem in Theol. Regulari diſp.* 102. procedere dubitanter circa quinque Eccleſiæ præcepta, an obligent ſolum ſub pœna, & non ſub culpa. Et pro opinionis probabilitate negantis obligationem ſub culpa, citat in primis *Seruatium Layruelzium*

in opticæ Regularium ſpeculo 58. *instruct.* 1. quatenus iſte Auctor dicens oppoſitam ſententiam, quam ſequitur probabiliorem, cenſetur hanc probabilem exiſtimare. In *Apologemate* autem *de probabilitate Caramuel* à n. 267. multos ex veteribus citat, qui dixerunt leges Canonicas, & quinque Eccleſiæ præcepta eſſe ſolum pœnalia, & non obſtringere conſcientias. Ibi citat *Caietanum, Martinum Cromerum* virum a *Pio I.* valdè laudatum, *Angelum, Ioannem Ferum, Gerſonem, Almainum*; & (quod maius eſt) *S. Bernardum lib. de Præcep. c.* 29. maximè in illis verbis: *Non ergo qualiſcumque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam; ſed rapugnare, ſed nolle obedire*. Sed S. Bernardum illi ſententiæ non fauere patet ex ipſiſmet verbis, & ex contextu, & infra verus ſenſus ipſius tradetur. Nec *Caietanus* eius fuit ſententiæ, vt omnia ſua opera intuenti patebit: *Angelus* non huius, ſed alterius ſententiæ, vt ſupra fuit: Alios non licuit videre. At eſto iſti eam docuerint, ea eſt prorſus improbabilis, & à quodam hæreſeos nota inuritur, teſte eodem *Caram. in cit. d.* 10. *num.* 1638. & ſaltem eſt erronea: & quidem ſufficit firma perſuaſio omnium fidelium de præceptis quinque Eccleſiæ, vt obligent ad culpam, & non tantum ſint purè pœnalia. In tota enim Eccleſia per totum Orbem terrarum diffuſa, dum Fideles Catechiſmum docentur, quinque Eccleſiæ præcepta, vt in conſcientia, & ad culpam obligatoria, inter Chriſtianæ doctrinæ documenta proponuntur. Cæterum ipſemet *Caramuel in Apologia*, teſte *Ioanne de Cardenas to.* 2. *d.* 22. *c.* 1. *num.* 10. eam ſententiam reuocauit. Precemur ergo nos Deum, vt eam reuocationem credant priſtinarum eius opinionum aſſeclæ.

5 Notandum eſt ſecundò, quòd præcipua Præcepta Eccleſiæ, & cuiuis Chriſtiano ſcitu, atque obſeruatu neceſſaria, communiter quinque numerantur, non obſtante quod plurima alia Præcepta Eccleſiaſtica, particulares hominum ſtatus concernentia, & in Sacris Canonibus expreſſa reperiantur. Ex illis autem quinque præcipuis, ſimulque generalibus Eccleſiæ Præceptis, primum communiter traditur de obſeruatione, ſeù celebratione feſtorum, de quo fit mentio frequenter in Iure Canonico, vt *c. nullus, & ſeqq.* 15. *q.* 4. & *can.* 1. & *ſeqq. de conſecr. d.* 3. nec non & *toto tit. de Ferijs*; & quatenus ſpecialiter complectitur auditionem Miſſæ, habetur *c. Miſſas de conſecr. d.* 1.

6 Notandum eſt tertiò, ante hoc præceptum Eccleſiaſticum, in lege veteri latum fuiſſe præceptum de obſeruatione Sabbati, *Exodi* 12. 16. & 20. & *Leuit.* 23. quòd præceptum, quia partim erat morale, ſeù naturale, & partim cęremoniale, manet immutabile ſecundum quod habet ex iure naturali. Ex illo namque obligamur cultum, & reuerentiam Deo exhibere, eique gratias referre ob beneficia accepta, & conſequenter obligamur aliquod tempus habere, in quo hæc præſtentur. Quoad hanc ergo partem Decalogi præceptum ſemper perſeuerat. Habet tamen aliquid cęremoniale ex diuina inſtitutione, nempè aſſignationem illius diei, qui Saba-

batum dicitur. Non enim à natura edocti ſumus, vt potius ſeptimo, quàm alio die cultum Deo debitum exhibeamus, vt bene dicit *Azorius tom.2. inſtit.moral l.1.c.2.quæſt.9.* Fuit ergo Sabbatum Diuina poſitiua lege deſignatum pro feſto Populo Judaico in memoriam beneficii creationis, & liberationis Populi Judaici à dura ſeruitute Pharaonis, & etiam in memoriam requiei, quam Chriſtus Dominus in ſepulchro erat illo die habiturus. At in Lege Gratiæ, quia beneficium Redemptionis excellentius eſt creationis beneficio, Eccleſia Sabbati feſtiuitate excluſa, *c.peruenit de con. ſecrat d.3.* diem Dominicum ſeruandum eſſe pronunciauit, *c. pronunciandum, & c.Sabbato, de conſecrat.diſt.3. & c.Omnes, & c. Conqueſtus de Ferijs.* Tum quia Populus Chriſtianus præcipue reputat habiturus requiem, quando cum Chriſto eſt in vitam æternam reſurrecturus. Tum ne videremur cum Judæis conuenire. Alias rationes poſt alios affert *Gonzalez in c.omnes dies, num.31.de Ferijs.* Neque obſtat *textus in c.licèt de Ferijs,* vbi *Alex.III.* affirmat ſeptimum diem tàm ex veteri, quàm ex nouo teſtamento ad humanam quietem ſpecialiter eſſe deputatum. Non, inquam, inde infertur Sabbatum in nouo Teſtamento eſſe ſeruandum vt feſtum: eſſet enim manifeſtus error contra Paulum *ad Rom.14. ad Galat.4. & ad Coloſ.2.* vbi obſeruatores Sabbati reprehendit, ſed vnum ex ſeptem diebus etiam in nouo Teſtamento ſeruandum eſſe, vt benè *Barboſ.in eodem c.licèt*: vel clariùs dicendum diem ſeptimum ſeruandum eſſe in nouo Teſtamento, & veteri, ſumpto die ſeptimo formaliter, non materialiter. Qua ratione in numero ſeptenario tàm primus numerus, quàm vltimus poteſt eſſe. Et in hoc ſenſu in veteri Teſtamento, immo & ante à tempore Adami, vt habes apud *Gonzalez,* Sabbatum erat dies ſeptimus, & in nouo erit dies Dominicus, qui eſt primus, & ſeptenarius.

7 An autem ſit dies Dominicus in Lege Gratiæ iure Diuino pro feſto inſtitutus, vel ſolum iure Eccleſiaſtico? Non deſunt, qui cum *Sylueſtro V.Dominica qu.1.§.7.* affirment iure Diuino eſſe inſtitutum, ſicut fuit antiqua Lege Sabbatum. Et probari poteſt: quia ex iure Diuino, & naturali habetur eſſe concedendum aliquod tempus ad diuina beneficia recognoſcenda, & Deo eiuſque ſeruitio ſpecialiter vacandum: Ergo conueniens erat, vt hoc tempus Chriſtus Dominus determinaret; quia ipſe abrogabat legem antiquam quoad obligationem ſeruandi Sabbatum: ergo debebat loco illius aliud tempus ſubrogare, in quo obligationi naturali colendi Deum fieret ſatis. Aliàs non rectè ſuæ Eccleſiæ videretur prouidere.

Nihilominus dicendum eſt, iure tantùm humano diem Dominicum pro feſto conſtitutum eſſe: ſic docet expreſsè *Catech. Roman.in 3. Decal.præcepto fol.442.* & ſentiunt Theologi cum *D.Thoma 2.2.q.122. art.4.ad 4. & D.Bonau. in 3. d.37.circa litteram, Turrecr. in c.1. de conſecr.diſt.3. Archidiaconus in c. ieiunia, ibidem, Barb.ſupra,* & alii Canoniſtæ cum *D.Antoni-*

*tonino 2.p.tit.9.c.3.*Fauetque *D.Auguſtinus ſerm.151.de tempore.* Ratio præcipua eſt; quia communis Theologorum Schola nullum aliud præceptum diuinum à Chriſto Domino latum recognoſcit, præter præcepta fidei, & Sacramentorum. Alia vero præcepta, quæ pro varietate temporum variationem recipere poſſunt, & aliqua in parte diſpenſari, Eccleſiæ ſuæ tradenda reliquit. At obſeruatio diei Dominici, pro vt modò in Eccleſia habetur, recipere mutationem poteſt, & cum aliquibus diſpenſari. Quæ enim repugnantia excogitari poteſt in eo quod à Pontifice inſtitueretur, vt die Dominico ſolùm vſque ad meridiem eſſet vacatio ab operibus ſeruilibus? Item eſſet vacatio à determinantis operibus ſeruilibus, non ab omnibus, quæ modo ſunt? Ergo obligatio, & inſtitutio prout modo eſt, non à Chriſto, ſed ab Eccleſia habetur, aliàs eſſet omnino immutabile. Hinc fundamentum contrarium euertitur. Fateor de iure diuino, & naturali eſſe, vt detur aliud tempus pro cultu Dei, & illius beneficiorum recordatione: At quod hoc tempus ſit dies Dominicus integer ab omnibus operibus ſeruilibus vacuus, Miſſaque in eo audiatur, non ex iure diuino, ſed Eccleſiaſtico habetur. Neque ex eo, quod hunc diem, neque alium Chriſtus ſignauerit, infertur Eccleſiæ ſuæ ſatis non prouidiſſe; ſiquidem reliquit eius Vicario poteſtatem deſignandi dies, prout magis expedire iudicauerit, & inſuper imperauit talem deſignationem.

8 At licet ſit de iure humano, tamen vetuſtiſſima eſt diei Dominicæ celebratio, vt conſtat ex *D. Clement.lib.2. conſtit.c.63.* vbi refert Apoſtolos diem Dominicum ſumma obſeruantia colendum inſtituiſſe: & quidem probabile ſatis eſt eam obſeruationem fuiſſe ab Apoſtolis verbotenus tunc præceptam, vt animaduertit *Suarez to.1.de relig.l.2. de diebus feſtis c.4. nu* 8. & à toto populo Chriſtiano poſtea receptam, vtpote neceſſariam ad religionem Chriſtianam, & morum honeſtatem; & ſub hac exiſtimatione; hactenus duraſſe conſuetudinem hanc obſeruandi ſic hanc diem Dominicam: quæ legibus ſcriptis poſtea confirmata fuit, vt conſtat liquidò ex *c. 1. & c. Sabbato, de conſecr.d.3. & ex c.quoniam, & ex c.licèt, & c. conqueſtus de ferijs.* & ipſi etiam Imperatores eam confirmauerunt ſuis legibus, vt patet ex toto *tit.de ferijs, præſertim l.2. & l.omnes dies*, vbi poſt alias præcipuas feſtiuitates ſubditur, *Et dies Solis, quos Dominicos ritè dixere Maiores, pari neceſſe eſt habere reuerentia.* Et in *l.vltim.* ità decernitur, *Dominicum diem ita ſemper venerandum decernimus, vt à cunctis exemptionibus excuſetur.* Quę peruetuſta diei Dominici obſeruatio commendatur celebri miraculo, quod refert *Manrique to.3 annal.Ciſterc.ann.*1201.*c.*3.& approbatum eſt in *Concilio Scotiæ celebrato anno* 1203. vt teſtantur Coriolanus *in ſumma Concil. pag.* 534. *Rogerius p.2. anno* 1201. à quo ita referuntur etiam alia: *Quodam Sabbato poſt nonam, quidam Carpentarius in Beuerlaco contra ſalubria vxoris ſuæ monita clauum ligneum faciens, corruit in terram paralyſi percuſſus: & quædam textrix poſt horam nonam in Sabbato cum ad pertexendum partem telæ anxia*

xia

Digitized by Google

xia inſiſteret, eadem in terram percuſſa paralyſi obmutuit. Et apud Naſſeratu villam Magiſtri Rogerij Arundel, quidam homo fecit ſibi panem ſubcinericium die Sabbati, poſt nonam, & inde comedit, & partem reſeruauit ſibi vſque mane, quem cùm die Dominica fregiſſet, exiuit ſanguis, & qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius. Et apud Vualcefed, quodam Sabbato cum Molendinarius poſt nonam operam daret, vt bladum ſuum moleret, ſubito exiuit loco farinæ tantus impetus ſanguinis, quod vas ſuppoſitum plenè impleretur ſanguine, & rota Molendini ſtetit immobilis contra vehementem impulſum aquæ, & qui viderunt, mirati ſunt dicentes: Parce Domine, parce populo tuo. Item in Linconiſtria parauerat quædam mulier paſtam, quam deferens ad furnum poſt horam nonam Sabbati miſit eam in furnum calidiſſimum; & cùm eam extraheret, inuenit crudam: & iterum miſit eam in furnum valdè calidum, & in craſtino, & in die Lunæ, cum æſtimaret ſe inuenire panes coctos, inuenit paſtam crudam. Item in eadem Prouincia, cùm quædam mulier paſtam ſuam præparaſſet volens eam ad furnum portare, dixit ei vir ſuus, Sabbatum eſt, & hora nona iam præterijt, dimitte vſque ad diem Lunæ: Mulier autem obediens viro ſuo fecit ſicut præceperat, & inuoluit paſtam ſuam linteaminibus mundis, & in craſtino cùm viſitaret paſtam ſuam, ne propter fermentum impoſitum vas excederet, inuenit panes inde diuino nutu factos, & benè coctos ſine igne materiali. Hæc eſt mutatio dexteræ Excelſi. Et quamuis Omnipotens Dominus his, & alijs potentiæ ſuæ miraculis Populum ad obſeruationem diei Dominicæ inuitaret; tamen Anglicanus Populus plus timens Regiam, & humanam poteſtatem, quàm Diuinam, pluſque timens illos, qui corpus occidunt, & quod vltra faciant, non habent, quàm illum, qui poſtquam corpus occiderit, animam poteſt mittere in gehennam: & plus timens terrena amittere, quam cæleſtia; & tranſitoria, quam æterna (proh dolor) vt canis ad vomitum reuerſus eſt ad forum rerum venalium exercendum in diebus Dominicis.

9 Pro intelligentia horum exemplorum animaduertendum, quòd antiquitus attento ſcilicet *c.1. de Ferijs,* dies feſti incipiebant à veſperis præcedentis diei; idque in Officio Diuino, ſeu recitatione Horarum Canonicarum etiamnum obſeruatur; tamen quantum attinet ad abſtinentiam ab operibus ſeruilibus, alijſque ſupra, & infra enumerandis rationabili, & præſcriptæ locorum conſuetudini modò ſtandum eſt. Ita expreſsè habetur *c. Quoniam, de Ferijs* Item patet ex *c. vltimo, de conſuetud.* vbi generaliter dicitur, quòd conſuetudo rationabilis, & legitimè præſcripta, deroget iuri poſitiuo humano. Hinc ex vſu Romanæ Eccleſiæ, qui per totam ferè Europam inualuit, ſolent incipere feſta à media nocte, arg. *l. More Romano, ff. de Ferijs, Reiffenſtuel Theol. moral. tr. 10. diſt. 1. qu. 1. num. 4.*

10 Aliud dubium eſt hic reſoluendum: Quale ſit hoc præceptum Eccleſiaſticum ſeruandi feſta, affirmatiuum, an negatiuum. Pro reſolutione animaduertendum, quòd in obſeruatione feſtorum duo præcipiuntur. Pri-

Primò audire Miſſam. Secundò ab opere ſeruili, & liberali prohibito ceſſare: qua parte præcipit Miſſam audire, conſtat eſſe affirmatiuum; quia poſitiuum cultum præcipit: at qua parte præcipit ab opere ſeruili ceſſare, aliqua dubitatio eſt. Et eſſe negatiuum cenſent *Herinx p.3.d.3.de Feſtis n. 8. Reiffenſtuel ſupra nu.3. Anton.à Spir. Sancto p.3. Direct. Confeſſ. tr.6.dub.1. ſect.1.num.1.* At dicendum puto cum *Caſtropalao p.2.tr.9. d.1. pu.3. num.2.* & aliis, hoc præceptum ſeruandi feſta, qua parte continet ab opere ſeruili ceſſationem, eſſe formaliter poſitiuum, materialiter verò negatiuum. Probo eſſe formaliter poſitiuum: quia præcipit diei ſanctificationem, iuxta illud *Exodi 20. Memento, quòd diem Sabbati ſanctifices*: ſanctificatio autem poſitiuum quid ſonat ſaltem moraliter: quia tamen hæc ſanctificatio non actione phyſica poſitiua, ſed potius ceſſando à tali facienda eſt, ideò materialiter, & abſolutè eſt hoc præceptum ex hac parte negatiuum.

12 Notandum eſt quartò, quòd ſtando diſpoſitioni antiquorum Canonum, Epiſcopis facultas erat ſtatuendi in propria Diœceſi dies feſtiuos de præcepto, præter feſta communia de præcepto toti Eccleſiæ, in honorem alicuius Sancti in numero Sanctorum adſcripti, iuxtà *textum in c.1. de conſecr.d.1.& in c.Conqueſtus de Ferijs, ac in S.C.Trid. ſeſſ.25. c.22. de ref.* Et dies feſtos ab Epiſcopis in ſua Diœceſi præceptos, ſeruari debere ab omnibus, etiam exemptis, ac Regularibus, expreſsè ſtatuit *Trid.ſeſſ.25. c.12.de Regul.* ibi: *Dies autem Feſti, quos in Diœceſi ſua ſeruandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, ſeruentur.* Nequit tamen inſtituere, niſi cum expreſſo conſenſu Cleri, & ſaltem tacito Populi, prout habetur *c. vlt. de Ferijs*, & alibi. Stando verò nouiori iuri, nempè *Bullæ Vrbani VIII. publicatæ ſub die 22. Decembris anno* 1642. hæc Epiſcoporum poteſtas limitata eſt, ac ſtatutum eſt in Vniuerſa Eccleſia ſeruari pro feſtis de præcepto, omnes dies Dominicos totius anni, Natiuitatis Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, cum duabus ſequentibus ferijs, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duabus pariter ſequentibus feriis, Sanctiſſimæ Trinitatis, Solemnitatis Corporis Chriſti, & Inuentionis S. Crucis, nec non feſtiuitatum Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, & Natiuitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, SS. Petri, & Pauli, S. Andreæ, S. Iacobi, S. Ioannis, S. Thomæ, SS. Philippi, & Iacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis, & Iudæ, S. Matthiæ, Chriſti Domini Apoſtolorum. Item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Mart. S. Sylueſtri Papæ, & Confeſſoris, S. Ioſephi, etiam Confeſſoris, & S. Annæ Deiparæ reſpectiue Sponſi, ac Genitricis, Solemnitas Omnium Sanctorum, atque vnius ex Principalioribus Patronis in quocumque Regno, ſiue Prouincia, & alterius pariter Principalioris in quacumque Ciuitate, Oppido, vel Pago, vbi hos Patronos habere, & venerari contigerit. Hæc feſta ſtatuit Bulla prædicta, & prohibet alia ſeruari, quæ de præcepto ſeruabantur

præ-

Digitized by Google

præter hæc in Vniuerſali, ſeu particulari Eccleſia, & monet Ordinarios locorum, vt deinceps abſtineant ab indictione nouorum feſtorum de præcepto. Eſt tamen obſeruandum, quod ſi Ciuitas haberet plures Sanctos patronos, & aliqui eſſent de expreſsè nominatis ſeruari in dicta Bulla, poterit etiam alius de Principalioribus Patronis, ſeruari de præcepto: nam Bulla, præter nominatos concedit facultatem ſeruandi alium Patronum. Sic *Squill. de obl. g. & priuil. Epiſc. p. 3. c. 36. n. 5.* aliique.

12 Notandum eſt quintò: Ex vi præcepti affirmatiui obſeruationis feſtorum nullam aliam actionem eſſe exercendam præter Miſſæ auditionem, quia nec diuino, nec poſitiuo præcepto conſtat aliam deberi. Eſt communis, & certa ſententia. Hoc autem, vt clariùs conſtet, expendendum eſt cum *Suarez l. 2. de feſtis c. 16.* & *Caſtropalao ſupra pu. 4.* actiones, in quibus eſſe poteſt aliqua dubitatio. Prima eſſe poteſt communio in die Paſchalis, iuxta *textum in c. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* Sed hæc non obligat pro illo die feſtiuo determinato; cùm poſſit octo diebus antecedentibus, & aliis ſubſequentibus impleri. Et præterea non obligat ex vi præcepti ſeruandi feſta, ſed ex vi præcepti diuini communicandi, quod Eccleſia ad illud tempus determinauit. Secunda actio eſt oratio, quæ diſtincta à Miſſæ auditione præcipi videtur in *ſexta Synodo generali c. 8.* Si quidem ibi datur licentia iter agendi; ita tamen, vt illius occaſione Miſſæ, & orationes non pretermittatur: Ergo aliquæ ſunt orationes diſtinctæ à Miſſa, quæ non debent prætermitti. Reſpondeo, non debere prætermitti Miſſam, id eſt Sacrificium, neque orationes, quæ in Miſſa fiunt; quia tamen formaliter ab ipſomet Sacrificio diſtinctæ ſunt, tametſi illud comitentur, ea de cauſa diſtinctè nominantur. Tertia actio eſt auditio Sacræ concionis: & adhuc cõmunis ſententia docet per ſe, & ex vi obſeruationis feſtorum nullã eſſe fidelibus impoſitam obligationem audiendi verbum Dei, quia nemini obligatio eſt imponenda, quin de illa conſtet. Atqui ex nullo textu, neque ratione conſtat fideles obligatos eſſe diebus feſtis concionem audire. Ergo illis non eſt obligatio imponenda. Minor patet, ſiquidem ex obligatione impoſita Parochis prædicandi verbum Dei, à *Trid. ſeſſ. 24. c. 4. de ref.* & alibi, nequit inferri obligatio in quocumque Fideli audiendi. Parochus enim obligari poteſt ob Populum, qui regulariter neceſſitatem verbi Dei habet: ſi non pro ſingulis de populo, ſaltem pro vno, vel altero. At ipſi Fideles ſpecialiter hac neceſſitate non tenentur ſemper; tum quia neceſſaria ad ſalutem, & quæ ſcire tenentur diſcere poſſunt ex concione habita die profeſto, vel aliunde. Tum quia poſita illa notitia, quæ facilè obtinetur; iam non indigent concione. Nec obſtat *Conc. Trident. ſeſſ. 24. c. 4. de Reform.* ibi: *Moneat Epiſcopus populum diligenter, teneri vnumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, vbi commodè id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.* Nam quamuis nonnulli Doctores, quos citat *Barboſ. in Collect. ad cit. c. 4. Trident. num. 15.* inde inferant, atque ex ly *teneri vnumquemque*, deducant eiuſmodi obliga-

tionem intereſſendi concioni Parochiali; tamen Concilium non loquitur de rigoroſa obligatione iuris poſitiui. Et hoc deſumitur, tum ex ly *moneat Epiſcopus*, quod patet non inuoluere præceptum, tum ex addita clauſula, *vbi commodè id fieri poteſt*: tum ex communi ſenſu Fidelium qui à tempore citati Concilii Tridentini, tam grauem obligationem in dictis verbis non agnouerunt. Nec dictis obſtant illa verba, *vnumquemque teneri*. Nam in primis hæc verba etiam in toto rigore accepta, non loquuntur de obligatione abſoluta, ſed ſolùm ſuppoſita commoditate. Deinde ea commode intelliguntur de obligatione audiendi verbum Dei, non quæ procedit ex iure aliquo Eccleſiaſtico, ſed quæ procedere ſolet ex lege charitatis, qua quiſque tenetur habere curam animæ ſuæ, ſibique prouidere de ſcientia neceſſaria ad ſalutem, & obſeruantiam mandatorum Dei. Et meritò monendi ſunt Fideles ad accedendam propriam Parochiam, vtpote in qua denunciari ſolent dies feſti, atque occurrentia ieiunia, & alia de præcepto obſeruanda: quamuis cæteroquin ſufficiat, & Miſſam extra Parochiam ſuā quam concionem audire. *Barboſ. lo o cit. Herinx, Reiffenſtuel, Suarez*, & alii communiter, de quo alibi fuſius, adducendo Decreta Pontificum, ac declarationes S. Congreg. Quarta actio, eſt oblatio. Et ſimiliter dicendum eſt oblationem non eſſe in præcepto ex vi obſeruationis feſtorum; quia nemo tenetur conſuetudine ſic declarante, oblationes diebus Dominicis, & feſtis facere. Quod ſi aliquando aliquas oblationes offerre quis teneatur, non ex præcepto obſeruationis feſtorum, ſed ex obligatione ſuſtentandi Eccleſiæ Miniſtros, vel ex præcepto Eccleſiaſtico prouenit, quod nullum eſt ſpeciale pro diebus feſtis. Concilium autem *Tibur. c. 35. & c. omnis Chriſtianus, de conſecr. d. 2.* non de præcepto, ſed de conſilio loquuntur. Quinta actio eſt actus charitatis, quem dicit *Poncius*, & quidam alii, cum *Scoto in 3 d. 27.* eſſe in diebus feſtis ex obligatione exercendum. Sed ſupra ſuo loco hanc obligationem non agnouimus cum *D. Thoma 2. 2. q. 22. art. 47.* ſicut nec etiam agnouimus cum eodem S. Doctore obligationem exercendi contritionem.

13 Notandum eſt ſextò: Quòd ad colendos dies feſtos generaliter in tota Eccleſia indictos obligantur omnes fideles, qui habent vſum rationis, & alias excuſati non ſunt. Et idem dicendum eſt de Diœceſanis reſpectu Diœceſis, vbi dies feſtus obſeruatur: in hoc conueniunt omnes Doctores. Et ſecundum probabiliorem ſententiam Aduenæ, & Peregrini tenentur ſeruare feſta illius territorii, in quo reperiuntur, etiam ſi ibi non habeant domicilium, vel animum maiori anni parte habitandi. Ita cum *Panorm. Couar. Nauar. Philiarcho, Henriquez, Rodriquez, Lopez, Suarez, Leſſio, Maldero, Ortiz, Barboſa, Reginal o, Sancio, Filliuc. Caſtropalao*, & aliis, *Merolla to. 2. d. 4. c. 3. nu. 576. Renzi tom. 1. l. 1. tr. 3. c. 2. quaſ. 13. Ioſeph de Iannario reſol. moral tom. 1. reſ. 64.* & alii. Contra *Azorium, Bonac. Tamburinum*, & alios, quos refert, & ſequitur *Antonius à Spir. Sancto ſupra ſect. 2. nu. 10.* dicentes non

tene-

teneri,ſi ibi non ſint per maiorem anni partem, vel habeant animum permanendi,ſecluſo ſcandalo. Patet primò auctoritate *D. Auguſtini lib.de Doct.Chriſt.*& habetur *c. Quiſquis d.4.& l.2. conſ ſſ.* & habetur *c.quæ contra d.18.* vbi hoc apertè aſſerit,& *Epiſt.119.c.18.*& habetur *c.illa diſt.12.*ibi: *Mater mea Mediolanum me ſecuta, inuenit Eccleſiam Sabbato non ieiunantem, tum conſului Ambroſium Epiſcopum : at ille ait cum Romam venio Sabbato ieiuno, ſic & tu,ad quamcumque Eccleſiam veneris,eius morem ſerua.* Vnde ortum habuerunt verſus. *Cùm fueris Romæ,Romano viuito more. Et ſi fueris alibi viuito ſicut ibi*. Secundò, quia lex obſeruationis feſti, aut alia ſimilis generaliter fertur pro tali territorio : Ergo obligat omnes actu ibi degentes,pro tempore,quo ibi commorantur. Probatur conſequentia, quia ad bonam gubernationem territorii eſt moraliter neceſſarium, vt leges latæ hanc vim habeant,quia ad pacem,& bonos mores loci neceſſe eſt, vt leges latæ hanc vim habeant,quia ad pacem,& bonos mores loci, neceſſe eſt, vt aduenæ conueniant cum moribus populi, quamdiù ibi verſantur,vt ſæpè in iure inſinuatur *c.illud d.12.c.quæ contra d.8.* & experientia ipſa ſatis docet,nam ſi aliter fiat ſequuntur diſſidia, & ſcandala. Tertiò, à contrario ſenſu,nam incola diſcedens à ſuo territorio ad breue tempus, ſtatim pro eodem deſinit obligari lege obſeruationis feſti, & ſimilibus illius territorii,vt fatentur omnes etiam Aduerſarii, & conſequenter pro tunc fit non ſubditus actu: Ergo è contrario,aduena exiſtens in alieno territorio, incipit eò ipſo obligari lege hac, & ſimilibus illius territorii, & fit ſubditus actu: nam eſt eadem ratio,& æquitas poſtulat in vtroque, vt ſeruetur paritas,& proportio: quia abſurdum videtur,Peregrinos eſſe exemptos ab omnibus legibus municipalibus,ſiue proprii,ſiue alieni territorii. Quartò,nam vt concedunt Aduerſarii, Peregrinus tenetur ſeruare leges obſeruationis feſtorum,& ſimiles territorii, in quo reperitur, ſi in loco ſui domicilii ſit eadem lex: Sed non tenetur ſeruare illam legem; audire,ſcilicet,ſacrum in loco vbi reperitur, ex vi conſtitutionis ſuæ patriæ, ſeu domicilii, quia lex non obligat extra territorium : Ergo ſi obligatur, obligatur ex vi ſtatuti illius loci, in quo reperitur, quia non obligatur ex aliqua lege generali, vt ſupponimus,& oportet,vt ex aliqua lege obligetur. Quintò, ex conſuetudine, qua contrauenientes puniuntur,vt patet in ſimilibus;nam Peregrini, & Aduenæ excommunicantur, ſi cum Monialibus loquantur: puniuntur, ſi arma prohibita deferunt, ſi merces à Regno extrahant, &c. & etiam ex communi æſtimatione fidelium non ſolum rudium, ſed etiam Doctorum, qui vbique putant, ſe obligari legibus locorum, vbi ipſos verſari contigerit.

14 An autem ſolus tranſitus ſufficiat ad obligandum? *Sà V.Miſſæ auditio nu.6.*& alii putant, tranſeuntem per locum,in quo eſt feſtum particulare,non teneri audire ſacrum;ſecus verò ſi inde recedat, aut eò accedat, *Leſſius l.4.de iuſt.c.2.dub.7.num.51*,inquit ſi eodem die,quo venit,vel poſtri-

Digitized by Google

die cogitet diſcedere, non teneri ſeruare legem obſeruationis feſti, aut alia ſtatuta illius loci; ſecùs verò ſi integro die ibi manere ſtatuerit. At dicendum puto, teneri tranſeuntes ſeruare hanc, & ſimiles leges, quando manſuri ſunt in oppido tempore proportionato adimpletioni legis: quare non tenentur audire Sacrum, quando eo ſolo tempore manſuri ſunt, quod ſatis eſt ad cibos ſumendos, vel ad faciendam aliquam actionem neceſſariam pro itinere; ſecùs verò ſi toto manè, vel magna eius parte ibi ſiſtere debeant. Ita cum *Philiarcho Merolla num.56 1.* & *Renzi ſupra*, ex quo inferentes contra *Suarez, & Salas*, Peregrinum diſcedentem ſummo mane ab illo oppido, vbi ſeruatur feſtum, quod ſimili modo ſeruatur in toto illo territorio, per quod vſque ad meridiem acturus eſt iter, non teneri audire Sacrum, quia non tenetur ad permanendum ibi pro tempore illo, vt audiat Miſſam, nec ceſſare ab itinere.

15 Quod ſi quis data opera recederet à loco ſui domicilii, vbi ſeruatur feſtum, ad locum, vbi non ſeruatur, poteſt ibi ſeruilia exercere: quia exitus à loco domicilij ei non interdicitur, ratione feſti; cum autem eſt in loco, in quo feſtum non ſeruatur, non tenetur ad feſtum. Ita *Sanchez l.1. ſumm.c.12.nu.31.Nauar.* & alii communiter, quos ſequitur *Renzi quaſ.17. Antonius à Spiritu Sancto num.12.* An autem teneatur audire Sacrum antequam exeat? Certum eſt apud omnes, non teneri audire Miſſam, ſi non dicatur in loco, vbi eſt, antequam exeat, vel quando vult exire; quia non tenetur ad aliud tempus expectare. E contra vero eſt etiam certum, quod ſi tunc Sacrum celebretur, & non ſit alia Miſſa dicenda in tali loco, tenetur audire illam antequam exeat ab eo; quia nulla eſt ratio excuſationis. Quare dubium eſt, quando toto mane miſſæ in illo loco celebrantur, & inde vult exire medio tempore: & aliqui affirmant teneri audire antequam exeat. Ita *Suarez de legibus l.2.c.5.num.9. Martinez 1.2.q.96.ar.5.dub.6.* & alii: Verius tamen negant *Sanch.nu.32. Caſtropalaus tr.3.d.1.pu.24.§.5.num.8. Tapia l.4.q.16.ar.2.nu.4. Grandus, Andreas à Matre Dei*, & alii; quia ſi in illo loco ſint aliæ Miſſæ dicendæ tempore ſequenti, non obligatur audire Miſſam hora, vel horis præcedentibus, cùm poſſet alia hora audire illam: ſed non tenetur expectare totum tempus, pro quo obligat præceptū. Ergo ſi exeat, iam non tenetur vllo modo; cùm tam ſit ab obligatione exemptus. Vnde non tenetur præuenire obligationem; quia tunc eſt verum quem obligari præuenire illam, quando impedimento adueniente ſolùm excuſatur à transgreſſione, vt ſi impedimentum eſſet obliuio ignorantia, detentio; at ſi impedimentum extrahat ab obligatione legis, non tenetur præuenire illud: vt ſi ſciret eo die ſibi priuilegium concedendum non recitandi, aut audiendi Sacrum, non tenetur audire, aut recitare antequam priuilegium adueniat.

16 Notandum eſt ſeptimò: Opera, quæ in hoc præcepto Eccleſiaſtico prohibentur fieri, eſſe opera corporalia ſeruilia, ad quæ deputantur ſerui,

atque

Digitized by Google

atque exerceri à liberis nequaquam ſolent, & immediatè in corporis vtilitatem fieri, vt plurimum conſueuerunt. Ita *Suarez tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 2. c. 23. Caſtropalaus tom. 2. d. vn. de obſeruat. feſt. pu. 5. Tamburinus l. 4. in Decal. c. 3. §. 1. nu. 1. Anton. à Spir. Sancto ſect. 7. nu. 52.* ex illo *Leuitici 27. omne opus ſeruile non facietis in eo*, quod ab Eccleſia receptum iam eſt, *c. licet de ferijs*. Huius generis ſine dubio cenſentur, arare, fodere, ſerere, ligna, lapideſue cædere, fabricare, & vniuerſaliter opera artium mæchanicarum exhibere: Liberalia ſunt, ea, quæ ad artes liberales pertinent, atque à liberis exercentur, & immediatè referri vt plurimum ſolent ad inſtruendam mentem, ſeu ingenium; qualia ſunt dare conſilium, concionari, ſtudere, docere, diſcere, cantare, organa muſica pulſare, choreas agere, digladiari, vulgo *Schermire*: Bellum agere, &c. quæ hoc decreto, non prohibentur. Ita *Tambur. ſupra*, & alii communiter. Inueniuntur & alia tertii generis, quæ ſcilicet ſunt ſeruis, & liberis communia, vt iter facere, venari, piſcari, & hæc nec prohibentur, *Tambur. nu. 2. Anton. à Spir. Sancto n. 53. & 57.* & alii communiter. Sed iuxta ea, quæ infrà dicentur. Seruilia tametſi non fiant propter lucrũ, ſunt prohibita; quia adhuc ſunt ſeruilia; prohibitio autem non eſt, niſi de ipſis operibus; quare parum facit, an ob lucrum exerceantur, an verò gratis: contra, tum liberalia, tum communia; ſi fiant ob lucrum non propterea prohibitioni ſunt obnoxia, (idem, ſi fiant ex officio) quia ſpes lucri, vel ea facere ex officio, non transferunt opus ex ſe liberale, in ſeruile: ſtudere V. g. ſiue ob lucrum fiat, ſiue gratis, ſuam operis liberalis natûram ſemper retinet. Ita *Layman l. 4. tr. 7. c. 2. num. 3. Tambur. num. 3. Anton. à Spir. Sancto nu. 52.* & alii communiter.

17 Iter facere ſiue id pedibus fiat, ſiue equo, ſiue lectica ab hominibus, equiſque portata, ſemper licet, quando etiam omnia itineri neceſſaria deferri poſſunt. Ita *Caſtropalaus ſupra pu. 5. nu. 12.* alios referens, *Tambur. nu. 11. Anton. à Spir. Sancto num. 53. Trullench l. 3. Decal. c. 1. dub 8. num. 2.* De beſtiis, ac curribus onuſtis maius eſt dubium, ſed abſolutè dicendum eſt licere, ſiue ſermo ſit de mulionibus, ſiue agaſonibus ex officio, ſiue non, dũmodo Miſſam audiant. Quod procedit, non ſolùm ſi continuent iter inceptum die antecedenti; ſed etiam ſi illud eodem die feſto incipiant, quia regulariter in onerandis iumentis, & curribus non multum temporis inſumitur, & ſic tenet conſuetudo introducta ob publicam vtilitatem, ad quã neceſſarium ferè ſemper eſt, vt ſine mora, & grauamine hæc alportatio mercium fiat. Ita alios referens *Caſtropalaus ſupra, Diana p. 1. tr. 1. reſ. 36.* & cum *Filliuc. Sanch. Rodriquez, Trullench. ſupra n. 2.*

18 An etiam liceat in die feſto, vti Molendinis non ſolùm aquatilibus, ſed etiam iis, quæ animalia ſolent obuertere? Reſpondeo, quòd ſi detur neceſſitas, vel conſuetudo, id licitum eſſe omnes pro comperto habent. Sed his ſecluſis, adhuc exiſtimo licere, ſi applicationem notabilem non habeant, ſecùs ſi illam habeant; cenſeo tamen talem applicationem notabilem non

dari,

dari,ſi molendinum aqua moueatur. *Sanchez l.5.conſil.cap.2.dub.13.Trullench cit.c.1.dub.10.num.8.* Vel ſi beſtia benè inſtructa ſolo ſibilo, voce,vel etiam baculo quandoque moueatur; ſecus ſi ſæpe ſæpius equus eſſet alligandus,& ſoluendus,ſi cum eodem male inſtructo ſæpè incedendum eſſet, ſi mola auertenda non rarò foret,& ſimilia. *Tambur.ſupra num.14. Anton.à Spir.Sanct.n.59.*

19 Venari,& piſcari,ex ſe,ac niſi addantur opera ſeruilia,vtpote opera communia, non cenſentur prohibita: At non neutrum licet,quando coniunctum eſt cum aliis operibus ſeruilibus; prout accidere ſolet in venationibus clamoroſis cum canibus, & apparatu inſtitutis, nec non & in operoſis,multique laboris,& piſcatoriæ tribui quaſi proprijs piſcationibus: quales proinde in Iure,*c.licet de Ferijs*, dumtaxat conceduntur tempore neceſſitatis,ſeu propter occurſum lucri tranſeuntis, eò quod tales piſces rarò,& certis dumtaxat temporibus apparere ſoleant, vt *Halecia. Reiffenſtuel Theol.mor.tr.10.diſc.1.q.2 nu.16.*& alii. Aduertendum, quod licet *in cit c.licet*, ſolùm detur licentia ad piſcandum quoddam genus piſcium ſpeciale, quod vocatur Halecia;at communiter Doctores extendunt, vt videre eſt in *Suarez to.1.de Relg.c.32.nu.6. Gonzalez in eodem cap.nu.5.* facultatem ibi conceſſam ad quodlibet aliud genus piſcium, quod certis diebus ſolet apparere,cuius piſcatio illo die facienda eſt, quin minus magna ex parte amitteretur,vt ſunt thunni,ſpodi,ſeu ſardæ, & ſimiles piſces. Conceditur tamen in ſupradicto *c.licet* Dominicis diebus,& feſtis diſpenſatio (prætterquam in maioribus anni ſolemnitatibus) cum illo tamen onere, & obligatione, vt eleemoſynam aliquam poſt factam capturam Eccleſijs circumpoſitis,& Chriſti pauperibus faciant: quam Eleemoſynam dandam eſſe ex obligatione exiſtimat cum aliis *Suarez ſupra,& l.2.de feſtis c.vlt.num.7. Caſtropalaus nu.10.Gonzalez ſupra,*contra *Sylu.& Lopez*. Et videtur conuinci,quia ſub illo onere datur facultas non debita. Si tamen in maioribus ſolemnitatibus ex diſpenſatione Prælati piſcandum eſſet, tunc ſi ipſe Prælatus diſpenſationem ſub illo onere,& Eleemoſyna dandam non concederet,non arctarentur piſcantes illam erogare, quia tunc non ex diſpenſatione *c.licet*,ſed ex diſpenſatione Prælati operaretur. Ita *Caſtropalaus ſupra*.

20 De aliquibus alijs actionibus dubitatur apud Doctores, an hoc præcepto prohibeantur. Prima actio eſt ſcribere lucri,& mercedis gratia. Et quamuis eſſe opus ſeruile docuerint communiter Summiſtæ *Sylu. Tabiena, Roſella, Angelus, item Sotus, & Richardus*, quos refert & ſequitur *Azorius 2. p.l.1.c.27.quæſ.4.* Nihilominus dicendum eſt ob lucrum,& mercedem ſcribere non eſſe opus ſeruile. Ita *Caiet.Nauarr. Toletus, Sayrus, Medina,Lopez, Fagundez,& Bonac.* quos relatos ſequitur *Caſtropalaus n.3. Reiffenſtuel nu.17.*& alij communiter. Ratio eſt, quia ſcribere eſt opus mentis, & locutio quædam permanens ordinata ad inſtructionem mentis propriæ, vel alienæ: conſequenter ex ſe cenſetur opus liberale, nec fit

ſer-

ſeruile ob id, quod fiat ob lucrum.

21 *Nauar. c. 13. num. 14. & Caietanus 2.2. q. 121. ar. 4.* affirmant tranſcribere eſſe opus ſeruile, quando fit ob lucrum. Sed oppoſitum eſt probabilius, quòd cum *Medina, Lopez, Sayro, Fagundez, Bonac. & Suarez docet Caſtropal us nu. 4. Reiffenſtuel ſupra, Anton. à Spir. Sancto num. 55.* Ratio eſt, quia tranſcribere nihil aliud eſt, quàm deſcribere quòd alius, vel ipſe tranſcriptor permanenter locutus eſt: Ergo ſi ſcribere opus liberale eſt, etiam tranſcribere debet eſſe. Qui enim ſcribit dictante allo, exprimit illius conceptus: qui verò tranſcribit eius dicta, idem facit, & ſola eſt differentia, quòd ſcribens exprimit conceptus alienos, quos auribus percipit; tranſcribens exprimit conceptus, quos percipit oculus: percipere autem oculis, vel auribus accidentarium eſt, nec poteſt opus liberale ſeruile reddere.

22 Secunda actio eſt Impreſſio. Et quidem certum eſt, quod actualis impreſſio foliorum ſit opus ſeruile, ac proinde prohibitum. Num autem artificioſa illa ordinatio, ſeù compoſitio characterum, ſit opus ſeruile, nec ne maior eſt difficultas, & non eſſe opus ſeruile putant *Anton. à Spir. S. n. 55.* & alii, quia ipſa videtur æquiualere ſcriptioni, & probabile fatetur *Layman ſupra num. 2.* addens, quòd Typographi in ea perſuaſione ſunt, quòd poſt peractam rem diuinam, licitè compenſare poſſint ea, quæ præcedentibus diebus neglexerunt. Eandem ſententiam ſequitur *Diana p. 4. tr. 4. reſ. 62.* Nihilominus *Henr. x d. 3. de Feſtis qu. 2. num. 15. Baſſæus V. Feſtum num. 8. Caſtropalaus num. 5. Reiffenſtuel num. 19.* & alii communiter, etiam compoſitionem characterum inter opera ſeruilia, & mæchanica connumerat: cum per ſe non ordinetur ad locutionem, & expreſſionem mentis, ſicuti tranſcriptio, ſed ſit præparatio materiæ, & fabricatio inſtrumenti mæchanici ad opus mæchanicum, ſcilicet ad ipſam impreſſionem.

23 Tertia actio eſt Pingere. Et concedunt non pauci die feſto imitari, ſeù retrahere exemplaria, item deſignare, ſicut & fœminis acu eadem exemplaria excipere. Item Diſcipulis Pictorum aliquid ad diſcendum delineare: hæc enim ad ingenium exercendum magis, quòd eſt quid liberale, quàm ad operandum referuntur. Ita *Tambur. num. 8.* & alii, quos ſequitur *Azorius p. 2. c. 27. quæſ. 6.* vbi ait, tuta conſcientia facere iuuenes, qui huiuſmodi artem diſcendi cupidi in ea loca ſe abdunt diebus feſtis, in quibus Sanctorum hominum imagines, aut Ducum, Imperatorum, & Regum, & aliorum magnorum virorum effigies pulchrè depictæ cernuntur, quas intentis oculis, & animis intuiti pingendo imitantur; & paulò inferius addit cum *Armilla* opus ſeruile non facere eos, qui deſcribunt, vel deſignant in chartis ea, quæ ſunt poſtea fabricaturi, ſicut puellæ, quæ vt addiſcant faciunt recamaturas. Sed de ipſa abſoluta pictura, *Azorius ſupra, Caſtrop laus num. 7. Trullench num. 7.* & alii, negant licere, quia putant opus mæchanicum: *Sayrus* verò *l. 7. clauis c. 2. n. 16. Medina, & Lopez* contendunt non eſſe opus ſeruile pingere in die feſto ratione lucri, & mer.

mercedis acquirendæ. Ego cum *Laymano num. 2. Tambur. num. 8. Antonio à Spiritu Sancto num. 56* & aliis dico pingere ſine magno apparatu licere die feſtiuo: merum enim pingere liberale eſt, ipſi ſcriptioni ſimillimum: nam perinde color in pictura, ac atramentum in ſcriptura, ex vaſe in telam, ſeù chartam artificioſè deponitur, & quoad operationem ipſam materialem, quæ ab hoc præcepto potiſſimum reſpicitur, & prohibetur parum facit, quod pictura intendat rerum imagines exprimere, ſcripturam autem internos conceptus: quibus euertitur fundamentum Aduerſariorum. Magnum autem apparatum (qui eſt illicitus vtpote opus ſeruile) voco eum, quo conteruntur, ſeù miſcentur colores, edolantur tabulæ, gypſo parantur telæ, efformantur penicilli; hæc enim verè famulorum ſunt miniſteria. Ita Doctores citati. Sicut etiam diximus ſupra, quòd venatio, & piſcatio licitè ex ſe exerceantur in die feſto; tamen ſi aliqua intermiſceantur propria ſeruorum, non exercebuntur licitè: huius generis eſſet reficere ex propoſito retia, componere ſeriò armamenta, eſcas, hamos, naſſas principaliter compingere; immò & eadem magna retia, quas *Sciabbicas* vocamus, magno niſu, & piſcatorum labore, longo tempore, attrahere, & ſimilia, vt docent etiam *Tambur. num. 9. Anton. à Spiritu Sancto nu.* 57. aliique.

24 Exercere autem artem Sculptoriam, ſiue ſculpendo ſtatuas marmore, cera, creta, metallo, ſiue gypſo, &c. abſque dubio eſt opus ſeruile; pertinet enim ad artem mæchanicam. *Tambur. num. 10. Anton. à Spiritu Sancto ſupra.*

25 Frumentum cribro purgare à craſſioribus ramentis, lapillis, hordeo, lolioue, opus ſeruile eſt, & ſic illicitum. An verò frumentum cribro euentilatum minutius manibus expurgare etiam ſit illicitum, *Tambur. num. 18.* fatetur prius affirmaſſe, poſtea animo pendere; quia modiciſſimæ applicationis eſt eiuſmodi occupatio, vnde recreationis etiam cauſa ab honeſtis fœminis excipi ſolet. Certè *Filliuc. us tr. 7. c. 9. qu. 10. nu. 109.* excuſat opus diſtillandi aliquod ſimplex, vel mixtum, in quo exigua corporis fatigatio impenditur.

26 Notandum eſt octauo: inter opera ſeruilia prohibita, tantum numerari ſeruilia propria, non autem methaphorica, qualia ſunt quælibet peccata; vnde peccare in die feſto non eſt ſpecialiter prohibitum hoc præcepto, neque neceſſariò manifeſtandum in confeſſione. Ita *Gutierrez l. 1. canon. qq. c. 31. num. 9. Suarez to. 1. de Relig. l. 2. de feſtis c. 18. num. 3. Fagundez l. 1. de quinque Eccleſ. præcept. cap. vlt.* & alii his temporibus communiſſimè: Eſt contra *Ioannem Medinam de orat. qu. 10. & 19. Cordubam in Quæſt. l. 1. q. 6.* & alios apud ipſum, & *Suarez,* alioſque relatos.

Ratio eſt, quia cultus, qui hoc præcepto mandatur, eſt ſola Miſſæ auditio, & ab opere ſeruili, ſeù mæchanico, vel liberali, mercatus, ac fori iudicialis ceſſatio; ſed per quodlibet peccatum non impeditur Miſſæ auditio,

Digitized by Google

ditio, neque à prædictis operibus ceſſatio: Ergo quodlibet peccatum non eſt contrarium cultui diuino mandato. Si opponas *c.conſideret, de pænit. diſt.5.* vbi circumſtantiam temporis explicandam in confeſſione dicit,eſſe, ſi peccatum commiſſum fuit tempore orationi conſtituto, aut in feſtiuitate Sanctorum, vel in tempore ieiunii: Reſpondeo cum *Nauar.in d. c.conſideret num.32.* & aliis, textum loqui de conſilio, non de præcepto. Non nego tamen circumſtantiam temporis ſacri, poſſe aliquando eſſe de neceſſitate confeſſionis vel ratione ſcandali, vel ratione contemptus, vel ſi opus ipſum, in quo peccatur, ſimul etiam ſeruile ſit, & corporale, vt optime animaduertit *Suarez num.17.* & de hac contrarietate intelligendus eſt *D.Thomas 2.2.qu.122.ar.4.ad 3.* Si vrgeas *text.in c.1.de Ferijs,* vbi dicitur: *Omnes dies Dominicos à veſpera in veſperam cum omni veneratione decernimus obſeruari, & ab omni illicito opere abſtinere:* Reſpondeo ibi non eſſe ſermonem de opere illicito vtcumque; ſed in tali materia, quæ obſeruationem feſti violet. Vt aliis motiuis contrariæ ſententiæ occurram, dico, feſtum quidem inſtitutum eſſe ad Deum colendum, at non quibuſcumque mediis ex præcepto, ſed ſolum duobus, ſcilicet auditione Miſſæ, & ceſſatione ab opere ſeruili, &c. Fateor peccatum eſſe contrarium fini huius præcepti, qui eſt Deo vacare, & totum illum diem in ipſius honorem tranſigere, cui fini quælibet actio peccaminoſa opponitur. At cum finis præcepti non cadat ſub præceptum, vt eſt recepta omnium ſententia; efficitur ſanè peccatũ nõ cadere ſub hoc præcepto obſeruandi feſta.

27 An autem culpam venialem committat contra religionem peccans in die feſto? Affirmare videtur *Caiet.in ſum.V.dies feſtus, Suar.ſupra num.26.* Ego cum *Caſtropalao p.10.n.3.* & alijs cenſeo nullum contra religionem peccatum committi tametſi intra eandem ſpeciem grauius. Priorem partẽ probo; quia non poteſt eſſe opus contra religionem peccatum, niſi ex ipſamet religione prohibeatur. At ex religione ſeruandi feſta non prohibetur peccatum, quatenus peccatum eſt, ſed ſolùm opus ſeruile mæchanicum, corporale: Ergo peccatum quatenus tale non eſt contra religionem feſti. Adde ſi contra religionem peccaret, qui die feſto furtum committeret, poſſet tanta eſſe grauitas furti, vt meritò peccatũ mortale contra religionem fieret, quę enim ratio eſſe poteſt quominus creſcere non poſſit vſq; ad mortale talis oppoſitio: Quod autem intra eandem ſpeciem grauius peccet, qui peccat in die feſto, quàm qui peccat in profeſto, clarum eſt, nam hæc grauitas ex multis capitibus conſurgit tum ex qualitate perſonæ, tum ex cognitione beneficiorum, tum ex circumſtantia loci, tum temporis, &c.

28 Notandum eſt nonò: Regulam generalẽ eſſe, Omnem actionem liberalem licitam eſſe in die feſto, exceptis aliquibus à iure expreſſis. Sic cum *D.Thoma 2.2.q.122.ar.4.* communiter Theologi. Ratio eſt clara; quia ex vi feſti ſolùm prohibitum eſt opus ſeruile: Ergo liberale eſt conceſſum, niſi ſpeciali iure exceptum ſit. Hinc fit, licitum eſſe Doctori legere, concio-

nari, conſilia, & reſponſa dare, & iudicem de partium iuſtitia, ſiue verbo, ſiue ſcripto informare; quia hæc actiones liberales nullibi ſunt prohibitæ. Sic *Azorius to.2.inſtit.moral.l.1.c.27.quæſ.11.Suarez c.30.num 9. Reiffenſtuel cit.q.2.num.23.* Secundò fit omnes actus iuriſdictionis voluntariæ licitos, & validos fieri diebus feſtis, ac proinde licitum eſt emancipare, adoptare, ſeruos manumittere, ſignare tutores pupillorum, eligere ad officia, & regimen ciuitatis, conficere teſtamenta, celebrare contractus, priuilegia, & diſpenſationes concedere, ab excommunicatione, & cenſuris abſoluere; quia omnia hæc cum iudicialia non ſint, neque ſtrepitum iudicialem expoſtulent, nullibi prohibentur: & ita tradunt *Maranta 6. p.de ordin. iudic.tit.de actorum edit.n.39.Suarez n.10. Fagund.c.13.nu.14.*

29 Duo autem actionum genera in *c.1.& vlt.de Ferijs, & l.1.2.& 3.& vlt.Cod.eod.tit.* prohibentur, ſcilicet mercatus, & fori: ſub quibus variç tum ad contractus, tùm ad iudiciũ comprehẽduntur. Ratio huius prohibitionis eſt, vt vitentur iurgia, diſſenſiones, ſecularisq; diſtractio, quam ſecum afferunt hę actiones, & quia vacationem, & quietem in die feſto intentam maximè impediunt. Prima actio prohibita eſt mercatus, ſub quo non ſolum nundinę publicæ, quæ ſemel, bis, vel ter in anno, iuſſu, & conceſſione Principis in aliquo loco fiunt, ſed etiam intelliguntur nundinæ, quæ ſingulis hebdomandis die determinato in aliqua ciuitate, villa, aut pago celebrantur, quæ proprie nomine mercatus appellantur. Hæ ergo per ſe, & iure Canonico illicitè fiunt in die feſto. At ferè in omnibus partibus conſuetudine abrogata eſt hæc obligatio; ſiquidem videntibus, & non contradicentibus Prælatis hi mercatus celebrantur, neque deficit iuſta cauſa permiſſionis: conuenit enim maximè bono Reipublicæ diem fixum habere mercatus, vt ſic ex vicinis partibus ad emendũ, vel vẽdendũ illuc poſſint accedere, quod fieri non poſſet ſi adueniente feſto mutaretur. Sic *Nauar.c.13.num.8.Tolet. l.4.ſummæ c.24.num.4.Gonzalez in c.1.num.8.de Ferijs, Suarez c.29. num.4. Fagund.c.12.n.6.& 7.Anton.à Spir.Sanct.ſect.9.num.78.* Vlterius ſub nomine mercatus comprehenditur à Doctoribus quælibet emptio, venditio, locatio, permutatio; vt benè expendunt *Suar.d.c.29. num.1.* & alij communiter. At magna ex parte hoc præceptum eſt conſuetudine derogatum: videmus namque operarios ſine vllo ſcrupulo die feſto conduci, bona Defunctorum publica voce præconis vendi, neceſſaria cibo, & potui venalia fieri, calceos, aliaſque res leues emi, ac denique paſſim fiunt priuatæ venditiones, vel locationes tum in gratiam emptoris, qui alio die adeſſe non poteſt, tum in gratiam vendentis, qui alio die non poteſt ex defectu ementium vendere, vt benè tradit *Azorius cit.c.27.quæſ.10.* Quapropter in hac parte ſpectanda eſt conſuetudo, quæ ſolum videtur eſſe (inquit *Caſtropalaus pu.6.num.5.*) ne apertis officinis, & quaſi in publico hi contractus celebrentur. Immò aliquibus in locis ſemiclauſis officinarum ianuis celebrantur, vt teſtatur *Anton.à Spiritu Sancto num.76.* Si ab-

ſit

ſit ſcandalum non peccant Notarii, qui in diebus feſtis celebrant Ruſticorum contractus. Ita *Caiet.2.2.q.122. ar.4.* cuius ſententiam probabilem putant *Layman l.4.tr.7.c.2.num.8. & Diana p.2.tr.15. reſ.34.* nam, vt ait *Caietanus* prohibitio *c.1. de ferijs*, intelligitur de iuramento ſolemni in iudicio præſtando: *Rodriq.* verò *tract.1.c.122.num.3. & Philiarchus to.1.p.2. l.3.c.23.* illos a peccato excuſant, ratione neceſſitatis. Nam ruſtici in profeſtis non adſunt in Ciuitate.

30 Secunda actio prohibita Iure Canonico eſt placitum, ſeu iudicium forenſe, ſub quo omnes actiones pertinentes ad iudicium comprehenduntur, vt manifeſtè conſtat ex tribus canonibus *15.qu.4.& ex c.1.de Ferijs*, ibi: *His diebus nec placitum fiat, neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur, neque Sacramenta (niſi pro pace, vel aliqua neceſſitate) præſtentur*. Et licèt hæc Sacramenta, id eſt, iuramenta, & ſententiæ ſub homine PLACITI comprehenſa eſſent, maioris claritatis gratia exprimũtur. Quod conſtat ex *c.vlt.de Ferijs*. Vbi ſolum dictum eſt, iudicialem ſtrepitum diebus feriatis debere conquieſcere, qui ob reuerentiam Dei noſcuntur eſſe ſtatuti. Sub hoc ergo placito, ſtrepituque iudiciali tres ſpeciales actiones comprehenduntur; nempè citatio partis, formatio proceſſus, ſeu cognitio cauſæ, & ſententia; quia his tribus actionibus iudicium conſtat. Hæ ergo ſiue in criminali cauſa, ſiue in ciuili prohibentur. Quia ſupradicti textus generaliter loquuntur; prohibent, inquam, omnem ſtrepitum iudicialem, omneque placitum, & verba generalia, generaliter ſunt intelligenda, maximè cum in honorem Dei ſit hæc prohibitio. Ita *Caiet.2.2.q.122. art.4.Tolet.ſuprà n.5.Nauar.n.13.Suarez n.8.Fagundez n.9.*

31 Adde non ſolum ſupradictas actiones diebus feriatis in honorem Dei prohiberi, ſed inſuper annullari, & irritari; ita vt ex conſenſu partium validè fieri non poſſint, vt habetur expreſsè *c.vlt.de Ferijs*, ibi: *Adeo conuenit ab huiuſmodi abſtinere, vt conſentientibus etiam partibus, nec proceſſus habitus teneat, nec ſententiam, quam contingit diebus huiuſmodi promulgari*. Fauetque *tex.in l.vt in die, eodem tit.de Ferijs*. Quare hæc eſt differentia inter mercatum, & iudicium; nam mercatus ſolum prohibetur *c.1.de Ferijs*, factus tamen tenet: At actus iudicii non ſolum prohibetur fieri die feriato in honorem Dei, ſed etiam facti annullantur, itaut neque poſſint litigantes tali annullationi renunciare: quia eſt annullatio facta ob finem publicum religionis, cui fini publico nullus homo particularis derogare poteſt. Sic *Azorius quæſ.18.Tolet.num.5.Fagundez num.11. Gonzalez in cit.c.1.num.9.* Verum ſi dies feriatus non ſit in honorem Dei, ſed gratia vindemiarum, & meſſium in vtilitatem hominum, actus iudicialis ex conſenſu partium eo die facti & liciti, & validi ſunt; quia tali vacationi, & feſto poſſunt partes renunciare, vtpotè in gratiam, & vtilitatem ipſorum introducto. At ſi partes non conſentiant, integra prohibitio, & annullatio perſeuerat, vt bene *Marant. ſupra num.36. Fagundez num.11.*

Gonzal. in cap. vlt. num. 10. *de Ferijs.*

32 Si iuramentum in die profeſto ſuſceptum ſit, depoſitionem teſtium eſſe validam, & licitam in die feſto tenent *Maranta num.*40. *Gloſſa, Ioannes Andreas, & Speculator,* quos refert, & ſequitur *Azorius quæſ.*14. eſſe validam, ſed illicitam putat *Panorm. in d. c.* 1. *de Ferijs,* at illicitam, & nullam eſſe, rectius docent *Anton. in d. c.* 1. *Suar. c.* 30. *num.* 16. *Fagundez c.* 13. *num.* 16. & alii; quia per hanc depoſitionem firmatur proceſſus, & bis continuatur, at in *cit. c. vlt. de ferijs* mandatur litem omninò conquieſcere, & proceſſum habitum non tenere: Ergo deinde non examinantur teſtes, quin renouent iuramentum factum, & ſub illius obligatione. Amplia ſupradictam examinationem teſtium nullam, & illicitam eſſe non ſolùm in cauſa temporali, ſed etiam in ſpirituali; quia textus ſupradicti generaliter loquuntur. *Suar. d. c.* 30. *n.* 8. *Regin. lil.* 4. *praxis n.* 47.

33 Oblationem libelli in diebus feriatis ob gratiam vindemiarum, & meſſium, hominumque vtilitatem licitè, & validè fieri probat textus in *l. Miles, § ſexaginta, ff. de Adult.* & tradit *Maranta cit. p.* 6. *tit. de libelli oblat. nu.* 29. At in diebus feriatis ob honorem Dei aliqui affirmant fieri non poſſe, niſi ex neceſſitate aliqua excuſetur. Ceterum probabilius puto cum *Fagundez cit. c.* 13. *nu.* 21. & alijs, licitè & validè fieri. Quia non reputo oblationem libelli eſſe actum iudicialem, neque ad formationem proceſſus concurrere, quouſque parti contrariæ auctoritate Iudicis intimetur.

34 Licèt *Panorm. in c. vlt. de Ferijs, & in c. vlt. de iudic. num.* 22. arbitretur executionem ſententiæ ſiue criminalis, ſiue ciuilis licite, & valide fieri in die feſto; nihilominus dicendum eſt, eſſe illicitam, & nullam; quia executio ſententiæ eſt terminus, & complementum ſtrepitus iudicialis. Ita *Felin. in d. c. vlt. de iudic. num.* 13. *Suar. num.* 11. *Fagundez. num.* 23.

35 Appellationem verò in die feſto interponi poſſe docent *Gloſſ. in c. vlt. de Ferijs, & ibi Panorm. num.* 12. *Felin. col.* 5. *Fagun. num.* 24. *Caiet.* & alij communiter Canoniſtæ, & Theologi, quia appellatio non eſt actus iudicialis, quia non eſt exercitium iuriſdictionis, cùm nullo modo à Iudice proueniat, ſed à parte. Et eſtò ſit iudicialis, eſt actus propriam perſonam defendens: ſed defenſio propria iure naturæ conceditur quolibet die: Ergo & appellatio.

36 In caſu neceſſitatis poſſunt omnia prædicta licitè, & validè fieri, *cit. c.* 1. & propterea excuſantur iudices rurales iudicia in diebus feſtis exercentes in ciuilibus ad pauperes pertinentibus; quod locum habet etiam in cauſis criminalibus. Et idem dicendum eſt non ſolum quando neceſſitas id poſtulat, ſed etiam quando pietas, vel bonum pacis, & concordiæ id poſtulat, *c. vlt. de Ferijs,* vel quando ex interpoſita dilatione datur periculum iuſtitiam impediendi. Ita cum multis *Trullench l.* 3. *Decal. c.* 1. *dub.* 6. *num.* 3. *Anton. à Spiritu San. nu.* 81.

37 Hinc fit poſſe in feſtis ratione pietatis licitè expediri cauſas alimento-

to-

Digitized by Google

torum, carceratorum, pupillorum, viduarum, & miſerabilium perſonarum. *Anton. à Spir. S. num. 82. Fagund. c. 12. num. 12.* Similiter quando periculum adeſt temporalis damni priuati, vel publici *l. 1. §. ſed excipiuntur, ff. de ferijs*, ibi: *Si res tempore peritura ſit*, hoc eſt, ſi dilatio actionem eſt peritura. Et conſonat *c. ſignificauerunt, de Iudicijs, & l. 2. ff. de ferijs* dicitur poſſe iudicium formari die feriato ratione rei ſeruandæ, ideſt, vt Gloſſa exponit, quando eſt debitor ſuſpectus, ne dilapidet bona. Idemque eſt, quando timetur fugiturus, aut debitum deterioraturus notabiliter. *Caſtropalaus pu. 7. nu. 17.* Quod à fortiori procedit in nocumento, & damno ſpirituali, eſt enim hoc præferendum omni alio temporali commodo, vt bene aduertit *Suar. num 29.* & addit hanc neceſſitatem habere locum non ſolum in cauſis ciuilibus, ſed etiam in criminalibus: ſic enim latro ſuſpectus de fuga poteſt in die feſto incarcerari, & in eum procedi, quantum neceſſe fuerit, *iuxta Gloſſam, Bart.* & alios, *in l. vlt. Cod. de ferij.*, & tradit *Maranta tit. de Actorum editione num. 38. Suarez ſupra, & Fagun. c. 12. nu. 12.* Item ſi atrox delictum commiſſum ſit cum publico ſcandalo in die feſto, poteſt ſtatim iudicari, & puniri. *Suarez ſuprà Fagundez c. 13. num. 28.* Qua ratione ſolent hæretici in diebus feſtis publicè iudicari, & ſupplicio affici; vt maior concurſus fiat, & omnibus ſit in exemplum, terrorem, & inſtructionem.

38 Notandum eſt vltimò: Quòd contempus poteſt eſſe vel rei præceptæ, vel legis, vel ipſius legiſlatoris. Cæterum non omnes conueniunt in hoc, quòd eſt explicare, in quo formalis contemptus coſiſtat. Aliqui aſſerunt quòd in ipſa conſuetudine operandi contra legem, ſiue ex concupiſcentia talis contempus proueniat: quia qui ex conſuetudine contra legem operatur; illam contemnere cenſetur, & ideo vocant hunc contemptum Interpretatiuum. Verumtamen, licèt talis ſit contemptus legis materialis, non tamen eſt formalis (quamuis frequentia, peccati diſpoſitiuè inducat ad contemptū formalē, iuxtà illud *Prouerb. 18. Impius cum in profundū venerit, contemnit. Reiffenſtuel Thcol. mor. tr. 3. d. 3. q. 3. n. 20.* & alij) Hoc vt clarius percipiatur animaduertendum eſt ex *D. Thoma in 4. d. 9. ar. 3. qu. 3.* contemptum, ſicut & inobedientiam eſſe in duplici differentia; nimirum materialem, ſeù generalem, & formalē, ſeù ſpecialem. Contēptus, & inobedientia generalis datur in quolibet peccato: quod ſicut eſt fractio legis, ita eſt inobedientia, & contemptus ipſius legis, quod eſt generale omnibus peccatis: & ſic dicitur inobedientia, & contemptus generalis, quæ non eſt circūſtantia ſpecialis in confeſſione detegenda. Contemptus ſpecialis præter fractionē ipſius legis importat cauſam & motiuum tendendi expreſsè contra legem, vt quando non vult obedire legi, quia parui illam æſtimat; & ex motiuo paruipendendi ipſam legem, & ſic ex formali deæxiſtimatione ipſius legis, & conſequenter legiſlatoris: quia qui contemnit legem, legiſlatorem contemnit. Alij etiam id explicant ex *D. Thoma 2. 2. q. 186. ar. 9.*

ad

Digitized by Google

ad 3. quando quis non vult obedire, ne ſubdatur legi, ſeu ex motiuo non obediendi legi, quia ideò non vult ſubiici, quia paruipendet ipſam legem. Vnde præter violationem præcepti includit cauſam, & motiuum formale non ſe ſubiiciendi legi. Ita *Reiffenſtuel ſupra*, & alii.

39 Igitur contemptus formalis legis, vt lex eſt, ſeu legislatoris vt talis, ſiue diuinus ſit, ſiue humanus, in quacumque materia, quantumuis parua, ſemper eſt peccatum mortale. Et quidem ſi diuinus ſit legislator, & lex diuina, vel naturalis, probatione non indiget; quia paruipendere maieſtatem Dei, illiuſque præcepta contemnere in quacumque materia, blaſphemia eſt, & graue peccatum. Sed in legislatore humano id probatur, quia contemnere ſuperiorem, vt ſuperior eſt, & conſequenter illius præceptum, vt præceptum ſuperioris eſt, eſt deſpicere ſuperioris poteſtatem: Ergo cum repręſentet Deum vt ſuperior eſt, & illius vicem gerit, contemptus ſuperioris eſt contemptus Dei, ſeù redundat in contemptum Dei, ſecundum illud: *Qui vos ſpernit, me ſpernit*. Ergo erit peccatum mortale in quacumque materia fiat. Sic Doctores communiter cum *D.Thoma 2.2.qu.186.ar 9.ad 3.* At verò ſi quis violet præceptum ex contemptu, non quidem ipſius legis, aut legislatoris, ſed ipſius rei præceptæ; aut ſi contemnat ſe ſubiicere non abſolutè, ſed in illa materia, quia parui eam æſtimat, non erit graue peccatum, ſi materia parua ſit: & ſi fuerit magni momenti, erit quidem lethale peccatum nolle in illa obedire; non tamen tale peccatum habebit ſpecialem circumſtantiam contemptus; quia tunc non eſt formalis contemptus legislatoris, aut eius præcepti; ſed ſolum rei mandatę, & ſic iuxta grauitatem illius erit metienda grauitas transgreſſionis: vt ſi præcipiatur tibi ne verbum otioſum loquaris, ne modicam refectionem accipias in die ieiunii, non peccares ex contemptu, ſi recuſes obedire: quia parui æſtimas materiam præcepti, non quia præcepta eſt, ſed quia parua eſt. *Suarez de legib.l.3.c.28.num.22. Martinez 1.2.q.96. ar.4. dub.2.* Similiter ſi quis nollet obedire ex indignatione, non quia ſuperiori vt tali ſubiici deſpiciat, ſed ne in illa re ſolatio illum afficiat, tunc non dicitur peccare ex contemptu, quia non deſpicit ſuperiorem vt talem, ſed vt ſibi repugnantem, & offenſum. *Caiet. in ſumma V.Contemptus, Sanchez l.1. Decal.c.5. num.12. Baſſæus V.Contemptus num.3.* Denique ſi contemptus ſuperioris non ad ipſum Superiorem vt talis dirigatur, ſed ad ſingularem perſonā, non erit formalis contemptus legis, aut ſuperioris, ſed erit magis, aut minus graue peccatum, iuxta quantitatem deęſtimationis, & merita perſonæ ſingularis, vt ſi quis deſpiciat obedire Petro non quia ſuperior eſt, ſed quia eſt indoctus, imprudens, vitioſus, &c. Vel eius imperio ſubiici renuat, non quia imperium vt tale deſpiciat, ſed quia in tali materia iudicat inutile, imprudens, vel iniuſtum: tunc ſi iudicium fuerit temerarium deſpiciendo perſonam, & contra eam prauè iudicando, erit peccatum mortale iuxta grauitatem materiæ, ſicut ſi talis deæſtimatio dè

quo-

quocumque alio haberetur, quamuis quia eſt deſpectus ſpecialis perſonæ in dignitate conſtitutæ haberet circumſtantiam ſpecialem contra virtutem obſeruantiæ, & reuerentiæ illi debitæ: non verò erit formalis contemptus, aut inobedientia, quia non eſt deſpectus perſonæ: quia ſuperior eſt, & ſic non contemnitur ſuperioritas, qua in nomine Dei imperat, ſed eſt deſpectus perſonæ particularis, ob qualitates ſingulares illius. *Caſtropalaus to.1.tr.2.d.2.pu.9.§.7.n.9.concl.3. Leſſius l.2.c.46.dub.6.nu.46. Sanch.ẓ cit.c.5.n.8.12.& 13 Monteſin.to.2.d.33.q.9.n.154.*

40 Et non ſolum reperiri poteſt peccatum mortale contemptus formalis in re debita ſub mortali, aut veniali, ſed etiam in re debita ex ſolo conſilio. *Suar.l.3.de leg.c.28.num.24. Baſſæus ſupr. num.4.* qui *num.5.* rectè notat, latius patere peccatum ex contemptu, quàm peccatum inobedientię, quia contemptus verſatur circa præcepta, & circa conſilia, inobedientia autem circa ſola præcepta: Quamuis formalis inobedientia non poſſit accidere ſine actuali præcepti contemptu. His prænotatis ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

41 Dicò primò: Præceptum ſeruandi feſta obligat ſub mortali nedum ſemoto ſcandalo, ſed etiam contemptu, & contrarium aſſertum hoc decreto, vt minimùm tamquam ſcandaloſum abigitur, imò dignum eſt cenſura tanquam erroneum.

Probatur, quod obliget ſub mortali: Firma eſt perſuaſio omnium Fidelium de præcepto ſeruandi feſta, vt grauiter ex ſe obligatorio: Ergo illud obligat ſub mortali, etiam præciſo contemptu. Antecedens verti in dubium nequit, cùm in tota Eccleſia per totum orbem terrarum diffuſa, dum Fideles Catechiſmum docentur, quinque Eccleſiæ præcepta, vt grauiter obligatoria inter Doctrinæ Chriſtianæ documenta proponuntur. Et ideo *Suareẓ to.1. de Relig.tr.2.l.2. c.2.num.2.* dixit manifeſtè conſtare hanc veritatem *ex perpetua traditione, & communi Eccleſiæ conſenſu*.

Confirmatur. Nam *S. Auguſtinus in Epiſt.118.* in ea quęſtione. *Quid faciendum ſit in materia Eccleſiaſtica?* Poſtquam primo loco pro regula poſuit Sacram Scripturam: ſecundo loco propoſuit pro regula certiſſima conſuetudinem vniuerſalem Fidelium, illis verbis: *Similiter etiamſi quid horum tota frequentat Eccleſia. Nam hoc quin ità faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Sed tota Eccleſia habet hanc conſuetudinem ſeruandi dies feſtos tamquam grauiter obligatorium præciſo contemptu: Ergo inſolentiſſimæ inſaniæ eſt, id in diſputationem vertere.

Quod autem Propoſitio damnata ſit nedum ſcandaloſa, ſed etiam erro-

Digitized by Google

erronea, ſic benè oſtendit *Ioannes De Cardenas hîc diſſert. 32. c. 4. nu. 31.* Illa eſt Propoſitio erronea, quæ contradicit concluſioni Theologicæ: Atqui ſic ſe habet Propoſitio damnata: Ergo erronea eſt. Maior eſt certiſſima, & patet ex dictis *tom. 1. Prolegom.* Minor probatur: Concluſio Theologica eſt, quę euidenter infertur ex vna præmiſſa de Fide, & altera euidenti: Sed Propoſitio negans obligationem grauem ſeruandi feſta contradicit concluſioni illatæ ex vna præmiſſa de Fide, & altera euidenti: Ergo contradicit Concluſioni Theologicæ: Probatur minor: quia Propoſitio damnata contradicit Concluſioni huius Syllogiſmi: *Eccleſia habet poteſtatem imponendi grauem obligationem ſeruandi feſta: Sed de facto illam impoſuit: Ergo impoſita eſt talis obligatio grauis ſeruandi feſta.* Sed in hoc Syllogiſmo maior eſt de Fide, & minor eſt euidens, cum ex ſupradictis conſtet eſſe euidens dari tale præceptum impoſitum ab Eccleſia: Ergo Propoſitio negans obligationem grauem ſeruandi feſta contradicit concluſioni illatæ ex vna præmiſſa de Fide, & altera euidente.

42 Dico ſecundò Damnatio afficit Propoſitionem hanc, pro vt excludit obligationem grauem ſeruandi feſta, ſiue per auditionem Miſſæ, ſiue per ceſſationem ab opere ſeruili, ſiue per ceſſationem à placito, & ſtrepitu iudiciali. Eſt aſſertio certa.

Patet; quia præceptum ſeruandi feſta hæc omnia includit: Ergo damnatio, quæ afficit Propoſitionem hanc tollentem obligationem grauem in obſeruatione huius præcepti, afficit eam prout excludit eũ in omnibus partibus præcepti: nulla enim eſt maior ratio vnius, & non aliarum partium.

43 Dico tertiò: Non tamen damnatur aſſerere ſecluſo contemptu eſſe veniale in materia leui deficere in obſeruatione feſti. Eſt etiam aſſertio certa.

Patet; quia damnatio ſolum afficit illam propoſitionem prout excludit obligationem grauem in præcepto ex ſe, & ſolùm aſſerit eam obtinere ratione contemptus. Sed qui aſſerit poſſe eſſe veniale, ſecluſo contemptu, deficere in materia leui in obſeruatione feſti, non aſſerit grauitatem præcepti, & ſubinde tranſgreſſionis obtineri à contemptu, ſed aliunde: Ergo, &c.

44 Igitur quamuis dicatur in *c. Miſſas de conſecr. d. 1.* Miſſas audiendas eſſe totas, ideſt integras ab initio vſque ad finem, ita, vt nulla pars Miſſæ poſſit omitti voluntariè ſine peccato; nihilominus peccatum non erit mortale, ſed veniale, ſi pars Miſſæ non notabilis ſine contemptu omittatur. Pars Miſſæ notabilis communiter reputatur dimidia Miſſa, vel tertia pars illius. Leuis verò quinta, vel etiam quarta pars illius. Attamen, quæ cenſeatur in particulari quinta, vel quarta, vel tertia pars; prudentis arbitrio definiendũ eſſe docent *Nauar. c. 21. nu. 2. Azor. to. 1 l. 7. c. 3. quæſt. 2. Bonac. d. 4. de Sacram. q. vlt. pu. 11. num. 15.* & alii communiter, cùm à iure non definiatur, *arg. l. 1. ff. de iure delib.* Verùm in hoc arbitrio diſſidunt Doctores, quos ad quatuor ſen-

ſententias poſſumus reducere. Prima ſententia docet: Si quis omittat à principio Miſſæ vſque ad Epiſtolam excluſiuè, peccare venialiter. Si tamen omittat Epiſtolam, peccare mortaliter, quia iam omittit partem notabilem. Ita *Toletus l.6.c.7.num.4. Medina in ſumma c.14.§.9. Nugnus 3.p.qu.83.ar.6. dub.2.* Accedit *Henriquez l.9.c.25.num.7.* dicens, audiri debere ſaltem Epiſtolæ partem ad euitandum mortale peccatum. Secunda ſententia docet, quamuis omittatur Epiſtola, non peccari mortaliter, dum totum Euangelium audiatur, ſecus, ſi ſimul omittatur Euangelium, quia tunc omittitur pars notabilis, non anteà. Ita *Sotus in 4.d.13.q.2.ar.1. circa finem, Suar.d.88. ſect.2. Azorius quæſ.3. Fagund. præcep.1.l.2.c.6.nu.3. Villalobos to.1. tr.8. diff. 35.num.2. Card. de Lugo d.22.num.3. Naldus V. Miſſa nu.28. Franciſcus à Ieſu Maria tr.5.c.6.pu.1.nu.2. Paſqual.q.1278.* Tertia ſententia docet, etſi quis omittat Euangelium, ſi poſtea legit, vel audit à legente, quæ non audiuit, non peccare mortaliter, quoniam Epiſtolam interdum cantat in Choro laicus, & Euangelium Diaconus. Ergo ſufficiet pariter ab aliis audire. Ita *Nauar. ſupra citans Margaritam*. Quarta ſententia docet, quòd, qui omittit à principio vſque ad Euangelium incluſiue, ita vt audiat ab eo quod ſequitur vſque ad finem Miſſæ, non peccat mortaliter, dummodò audiat vltimũ Euangelium S. Ioannis. Ita *Diana par.5. tr.5. reſ.38. in fine, & reſ.44. Gaſp. Hurtadus de Miſſ. d.5. diff.1. Auerſa de Euch. qu.11. ſect.19.§. ſexto, Barth. à S. Fauſto l.2. qu.386. Gabr. à S.V. d.3.q.8.* nam vltimum Euangelium eſt aliquo modo pars Miſſæ, ſimulque eſt probabile, non teneri fideles ad audiẽda duo Euangelia, ſed ſolum vſque ad benedictionem, vt colligitur ex *c. omnes, &c. cum ad celebr.* vbi prohibentur Fideles ante completam benedictionem diſcedere, & ſentiunt *Nugnus 3.p.q.83.ar.6.dub.2. Caſali bius l.3. reſol. mor. c.1.nu.3.* & alii. Quapropter audiendo poſterius Euangelium, compenſari videtur Euangelium prius omiſſum. Imò *Laym. tr.7.c.5.num.3. & Renzi c.2. quæſ.1.* volunt, quòd qui omittit audire ſymbolum, dummodo audiat ab offertorio vſque ad finem, neque peccat mortaliter. Ego cum *Franciſco de Lugo de Sacram. l.5.c.14 q.6.nu.65.* & alijs, primam ſententiam cenſeo probabilem. Secundam probabiliorem. Tertiam non niti ſufficienti rationi: nam Epiſtolæ, vel Euangelii lectio poſt Miſſam non eſt pars Miſſæ, nec facit vnum cum illa, nec cadit ſub hoc præcepto, ſecus eſt quando cantatur intra miſſam, licèt non à Presbytero. Propterea Nugnus vocat hanc ſententiam improbabilem. Quartam non eſſe prorſus improbabilem. Propterea *Card. de Lugo*, & alii carpunt *Turrianum*, qui *p.2. ſelect. d. 31. dub.28.* rigidè notat iſtam ſententiam, vt improbabilem, & temerariam, ſine ſufficienti fundamento.

45 Et circa finem Miſſæ, ſi quis audiat illam à principio vſque ad ſumptionem, etſi reliquum omittat, non peccat mortaliter, vt ſentiunt *Henriquez, Suarez, Laym. & Fagundez nu.4. Gobat tr.5. c.4. nu.138. Tambur.* & alii. Nam illa pars Miſſæ poſt ſumptionem non cenſetur notabilis. Si quis

autem exiret ante ſumptionem, peccaret mortaliter, vt communiter docent Doctores cum *Coninchio q. 83. num. 285.* quia iam omitteret partem notabilem.

46 Conſideranda quoque eſt dignitas partis, quæ ſi nimis propinqua, vel neceſſaria ſit ad ſubſtantiam Sacrificii, licèt minor ſit quarta Miſſæ parte, ſufficiet ad mortale peccatum. Ideo Doctores facilius permittunt, omitti principium, vel finem Miſſæ, quaſi partes eius accidentales, quàm aliquid Canonis, præſertim à conſecratione vſque ad ſumptionem. *Gaſpar Hurtadus ſupra* dicit, omiſſionem conſecrationis, & partis ſubſequentis vſque ad Pater noſter incluſiuè fore culpam mortalem ob dignitatem huius partis. *Henriquez, & Nugnus ſupra, Molfeſius tr. 3. c. 17. num. 49.* dicunt, illum non ſatisfacere præcepto, qui non adeſt dum fiunt tres partes ſubſtantiales Sacrificii, ſcilicet conſecratio, oblatio, & conſumptio. Quod ſi quis deſit conſecrationi, & ſumptioni, quamuis adeſſet de reliquo toti Miſſæ, non ſatisfacere præcepto docent *Suarez ſupra, Fagund. nu. 14. Auerſa §. Rurſus non, Card. de Lugo nu. 4 Diana p. 5. tr. 13. reſ. 61.*

47 An verò qui deeſt ſoli conſecrationi, vel ſoli ſumptioni, peccet mortaliter? Negant *Suarez, Fagund. Hurtadus, Card. de Lugo ſupra, & Diana.* Quia, cùm non conſtet, in quo præcise conſiſtat ſubſtantia Sacrificij, poteſt probabiliter opinari, non eſſe ſubſtantialem partem omiſſam. Affirmant *Nugnus, & Auerſa ſupra, Caſalichius l. c. num. 5. Paſqualig. de Sacrif. qu. 1272. Caſtropalaus,* & alii, quia vel ſecundum opinionem magis receptam, vtraque pertinet ad eſſentiam Sacrificij, vel ſaltem ſecundum plurimos ita pertinet ad eius integritatem, & neceſſitatem, vt omninò debeat adhiberi celebrationi. Et hanc ſententiam tutiorem, et probabiliorem dicit *Franc. de Lugo nu. 67.* præſertim quoad conſecrationem.

Aliud verò dicendum, ſi quis non adſit oblationi verbali, dum enim audiat reliqua, non peccat mortaliter; quia in tract. de Sacrificio Miſſæ ſatis oſtendo verbalem oblationem à conſecratione, ſumptioneque diſtinctam non eſſe de ſubſtantia, nec de integritate Sacrificij. Ita *Paſqual. ſupr. n. 1275. Thomas à S. Maria p. 4. ſelect. 9. dub. 2.* et alii.

48 Ille qui tempore conſecrationis, vel ſumptionis adit Sacriſtiam, vel alium locum vicinum, vt afferat aliquid ad cultum Sacrificii neceſſarium, non reputatur abeſſe, ſed adhuc vnum corpus conſtituere cum aliis adſtantibus. *Auerſa, Diana, & Card. de Lugo n. 6. Gabr. à S. V. d. 3. qu. 9.* et alij.

49 *Azor. ſupra quæſ. 2. Suar. d. 88 ſect. 2. Coninch qu. 83. num. 285. Fagundez c. 6. num. 4. & 9.* cum aliis dicunt illum peccare mortaliter, qui venit poſt lectam Epiſtolam, & exit poſt communionem: qui tamen audit Epiſtolam, quamuis exeat ſtatim poſt ſumptionem, non peccare mortaliter: nam Epiſtola cenſetur æquiualere precibus, quæ poſt communionem recitantur.

An qui venit circa Canonem Miſſæ teneatur eam audire, dum alia

non

non ſuppetit? videbimus in Commentario ſequenti.

50 Quæ etiam in diebus feſtis ſit parua materia in ordine ad opera ſeruilia, diſſentiunt Doctores. Nam Aliqui requirunt quatuor horas, vt quis dicatur notabili tempore in die feſto opus ſeruile exercuiſſe. *Marcantius in qq. Paſtoralibus c.3.q.2.* vt minimum requirit tres horas ad peccatum mortale. At noſtra ætate recepta ſententia eſt, docens per duas integras horas vacare ſeruilibus, non eſſe mortale; quia modicum tempus iudicatur duarum horarum ſpatium, comparatione vigintiquatuor horarum. Ita *Diana 2.p.tr.15.reſ.36.& p.5.tr.5.reſ.6.Tambur.l.4.Decal.c.3. §.2.nu.11. Trullench l.3.Decal.c.1.dub.10.num.1. Anton.à Spir.Sancto p.3. tr.6. d.1. ſect.8. num.61.*

Vnde non erit mortale, ſi quis habeat animum laborandi ſingulis diebus feſtis duabus horis, quia vnus dies feſtus non annectitur alteri. *Sanchez l.1.Decal.c.4.nu.12.Tambur.nu.2.Anton.à Spir.Sancto n.62.*

Mortaliter tamen peccare cenſeo herum ſi pluribus famulis ſucceſſiue præcipiat laborare, ita vt tota die labor continuetur: quia licet famuli ſinguli, vt ſinguli modicum quid laborent, & venialiter peccent: tamen Dominus cauſa eſt, vt dies feſtus integrè violetur: quidquid in contrarium dicant *Bonac. Pelliz.tr. & Portel. Tambur. ſupra Trullench num.3. Anton.à Spir.Sancto nu.62.* quibus non aſſentior, propter inconuenientia, quæ ſequerentur, quæ patere poſſunt ſpeculanti.

51 In quibus autem forenſibus, & iudicialibus, quæ ſunt ſpeciali iure prohibita, docent *Caſtropalaus tom.2.tr.9.d.1. pu.3.nu.5. & Diana p.5. tr.5. reſ.6. Quod materia grauis ſumenda eſt non ex quantitate temporis inſumpti, ſed ex qualitate operis: nam ſi res vendita eſſet magni momenti, & venditio ſolemnitate aliqua celebraretur, etiam ſi breui tempore fieret, eſſet mortale, quod à fortiori milit t in quolibet actu iudicij; ſiquidem negari non poteſt habere de ſe grauem deformitatem, quod Iudex efficiat actum irritum, & nullum. Si verò venditio minoris eſſet momenti, vt vendere calceos, vel alia huiuſmodi, iam conſuetudo obtinuit non eſſe graue peccatum, & ſæpè nullum ob neceſſitatem vendentium, & ementium. Neque enim iuſtum erat, vt vendentes merces denegarent agricolis, & alijs die feriato concurrentibus, quia ex tali denegatione graue damnum paterentur.* Hæc ſunt verba vtriuſque Auctoris.

52 Dico quartò: Nec etiam ſubijcitur damnationi aſſerere, ſecluſo ſcandalo, & contemptu non eſſe mortale, immo nec veniale ex legitimis cauſis excuſationis exercere opera ſeruilia in die feſto, non audire Miſſam, &c.

Patet; quia Propoſitio proſcripta aliud longè diſſitum aſſerebat, vt omnibus compertum eſt.

Porrò cauſas excuſantes exercentes actiones mercati, & placiti, ſeu iudicii forenſis ſupra adduximus: cauſas excuſantes ab auditione Miſſæ afferemus in Commentario ſequenti; nunc breuiter adducimus cauſas ex-

cuſantes exercentes opera ſeruilia in diebus feſtis.

Quamuis variæ afferantur cauſæ excuſantes, eas ad quinque capita reducere poſſumus, Religionem ſcilicet, Pietatem, Neceſſitatem, Diſpenſationem, & Conſuetudinem.

53 Ex cauſa religionis excuſantur opera diuino cultui ſeruientia: hæc autem ſunt in triplici differentia, quædam per ſe diuino cultui inſeruiunt, alia præparant ad illum, alia remote, & per accidens conducunt. Quæ per ſe diuino cultui inſeruiunt, licita ſunt; quia tunc dici non poſſunt propriè ſeruilia, cùm per illa non hominibus, ſed Deo ſeruiatur. Vnde licitum eſt deferre Crucem, Organa, & Cymbala pulſare, aliiſque muſicis inſtrumentis vti: ſic omnes Doctores. Quæ verò præparant diuinum cultum non debent fieri die feſto, ſi ante præueniri poſſunt; quia ſunt actiones de ſe communes hominum ſeruitio. At ſi ex induſtria in die feſto fiant, non videntur culpam venialem excedere, ſecluſo contemptu, alijſque circumſtātiis extrinſecis. Quia huiuſmodi actiones ex coniunctione diuini cultus amittant maxima ex parte rationem ſeruitutis; eaque de cauſa earum labor ſolùm culpam venialem conſtituit. Ita *cum Caietano, Suarez, Azorio, Fagundez, & Bonac. Caſtropalaus pu. 10. nu. 1. Tambur. nu. 3.* ex qua doctrina inferentes ſolùm culpam venialem eſſe abſque rationabili cauſa die feſto panes azymos coquere, templum verrere, parietes illius tapetibus ornare, tabulatum facere in templo à ſolemnitate petitum, publicas vias mundare, ſi futura eſt proceſſio, & alia huiuſmodi, quia hæc ob coniunctionem diuini cultus leuis materia reputantur. Sic etiam *Tambur. nu. 5.* infert, Sepulchra Chriſti Domini pro Hebdomada Sancta, & Præſepia eiuſdem pro diebus Sacri Natalis, & moles artificioſas ad exponendam in ijs Diuinam Euchariſtiam, & Cœnam ad repræſentationem Sacram, licite collocari in Eccleſia, ſaltem ſine mortali poſſe, eſtò cum veniali, ſi potuiſſent antea: *Dixi, ſi abſque rationabili cauſa fiunt die feſto, cum poſſint die profeſto præueniri*; nam ſi aliqua cauſa rationabilis intercedit, qualis eſt ſi die profeſto non commode reperiantur, qui hæc opera præſtent, vel paramenta non fuerunt commodo tempore ſubminiſtrata vel Sacriſta oblitus eſt præuenire, tūc ceſſat omnis culpa. Sic *Suar. l. 2. de feſtis c. 21 num. 11. Caſtropalaus*, & alij communiter. Alia verò opera diuino cultui remotè, & per accidens conducentia nequaquam licent die feſto: quia hæc indifferentia ſunt, vt cultui diuino, & hominum corporali ſeruitio inſeruiant; ac proinde ſolùm ex relatione operantis, & non ex ſe diuinum cultum ſpectant; eaque de cauſa per ſe ſeruilia ſunt, & illicita. Qua propter non licet colere agros Eccleſiæ, portare lapides ad illius ædificium, illam conſtruere; niſi fortè Eccleſia ita indigeat his ſubſidiis, vt abſque illis grauem iacturam patiatur, vel Epiſcopus ob pietatem licentiam operandi concedat. Ita *Fagud. precep. 1. l. 1. c. 14. nu. 6. Caſtropal. Tambur.* & alii.

54 Ex cauſa pietatis excuſantur ſepelientes mortuos foueam facere ad

ad illum ſepeliendum, curantes infirmos, veſtientes nudos, & quæcumque alia opera de ſe pia exercentes. Secus autem eſt de operibus pietatis per accidens, & reductiuè; vt domos religioſas ædificare; pontes erigere ad ſolam pietatem, publicas vias pro viatoribus ſternere; hæc enim non licent in die feſto, niſi fortè adſit neceſſitas communis, vel alia iuſta cauſa. Ita cum *Suarez, & Nauarro, Trullench ſupra nu.6.* Nec etiam erit licitum laborare in die feſto ad pauperes ſubleuandos: excipe, niſi aliquis pauper, vel Eccleſia ſit in extrema, vel graui neceſſitate, non tamen in communi. Ita cum communi ſententia *Tambur. ſupra num. 16. qui num.17. & ſeq.* teſtatur conſiliũ præbuiſſe puellæ nobiliſſimæ Panormitanæ ad euitandum otium aliquid efficere in die feſto, ad aliquem pauperem in particulari in graui, vel extrema neceſſitate conſtitutum ſubleuandum, vel aliqua ornamenta, quibus caret aliqua pauper Eccleſia. Debet tamen conſtare de neceſſitate pauperis, vel Eccleſiæ alicuius in particulari, vt rectè aduertit cum *Fagundez.Tambur.nu.18.*

55. Ex cauſa neceſſitatis tam priuatæ, quàm publicæ, tàm propriæ, quàm alienæ plures excuſantur; nam Eccleſia non obligat cum graui incommodo: & neceſſitas non habet legem. Hinc excuſantur primò parantes ea, quæ ad potum, & cibum deſeruiunt, tametſi ſuperflua ſint, & potius ad delectationem, quàm ad ſuſtentationem deſeruiunt: ita *D.Thomas* communiter receptus *2.2. q.122. ar.4. ad 4.* conſuetudine namque hoc eſt iam introductum; ſicuti extenſum eſt ad actionem colligendi fructus eodem die, vt ſaniores, & integriores ſint, & ad actionem occidendi, & excoriandi animalia, præcipuè ſi ratio aliqua neceſſitatis, vel vtilitatis intercedit, qualis eſt cibaria non eſſe ita ſuauia, ſi alio die diſponantur. Sic *Suar.d.l.2.c.21. num.4.* & alij communiter. Secundò excuſantur coquentes panem, ſi plures feſtiuitates concurrant: quia regulariter in extremis vrget neceſſitas coquendi. Tum quia panis coctus non eſt ſufficiens: Tum quia non eſt ſatis aptus: *Azorius cit.c.2. quæſ.2.* Tertiò, excuſantur Chirurgi, Medici, Pharmacopolæ, Medicinas die feſto parantes ſaluti infirmorum pro illo die neceſſarias; aliàs autem nequaquam licèt, quia illarum nulla eſt neceſſitas. Sic relato *Soto, & Sayro Bonac.d.5.de 3.præc.Decal. q.vn p.1.3.num.90. Suar.num.7.* Quartò excuſantur agricolæ, qui ingruente pluuia laborant, vt ſegetes tueantur, vel qui ob venti commoditatem purgant triticum in area, aut fructus colligunt aliter periculum timentes; quare regulariter tempore meſſis, vel vindemiarum datur ſufficiens cauſa laborandi ſaltem cum diſpenſatione, quia regulariter eſt periculum aduerſi temporis, & grauis damni. *Suarez, Bonac. & Azorius ſuprà; Fagund. c.14.num.11. Antonius à Spir.San.nu.69.* idem dicens de ſatoribus ſeminantibus Autumni tempore, ne occaſio ſeminandi amittatur, & ijs, qui fænum de pratis deferunt, ne pluuia corrumpatur. Quintò excuſantur coquentes lateres, tegulas, vitrum, aliaſque ſimiles actiones præſtantes, quæ

quæ ſine graui iactura amitti non poſſunt, & in diem profeſtum differri, ſeù clariùs excuſantur, qui inchoatum opus perficiunt, dum ex ipſius omiſſione graue damnum naſceretur, vt accidit in decoctione lateris, calcis, vitri, & ſaponis, aut tincturæ lanæ: non tamen poſſunt hæc inchoari in die feſto, niſi daretur graue damnum, ſi non inchoarentur. Ita cum *Suarez*, *Nauarro*, & alijs *Trullench ſupra num.* 10. Sextò excuſantur pauperes, qui niſi laborent in die feſto, non poſſunt ſe, ſuamque familiam ſuſtentare ſufficienter; ſed non debent laborem prorogare vltra id, quod ſibi neceſſarium eſt; inſuperque debent audire miſſam, & vitare ſcandalum, quare non publicè, ſed ſecretò labori incumbant. *Suar. c.32. nu.2. Tolet. l.4. c.25. num.3. Fagund. c.14. nu.7.* Septimò, excuſantur milites decertantes, aggeres, vel foueas facientes, cauſa belli pro defenſione Reipublicæ. *Anton. à Spir. San. num.69.* Octauò fabri equorum, qui ferreas ſoleas pedibus equorum accomodant, ex equorum neceſſitate. *Trullench num.9. Anton. à Spir. San.* alijque. Nonò reficientes pontes, vias, & alia publico vſui neceſſaria, modò ſine magno incommodo differri non poſſint: *Caſtropalaus pu.10. num.3.* & alij. Decimò, laborantes in occaſione alicuius lætitiæ publicæ; parantes veſtes, ſtruentes tabulata, portantes arma, fabricantes inſtrumenta lætitiæ, quando alio tempore profeſto præueniri non poſſunt; quia hæc ſigna communia lætitiæ ſunt Reipublicæ neceſſaria. *Fagundez num.15. Suar. c.32 num.5. Anton. à Spir. San. Azorius*, & alij. Vndecimò, excuſantur regulariter filij, ſerui, aliæque perſonæ ſubiectę, quę à parentibus, domino compelluntur laborare: quia ſi ei non obediant, graue damnum patientur, quia vel domo expellentur, nec facilè inueniũt, cui inſeruiãt, vel Dominũ infeſtũ habebunt, vel ſolutio debiti ſalarij differretur, aut non obtinebitur; & alia huiuſmodi, quæ grauia reputantur: Sic *Nauar. c.13. num. 7. Azor. c.28. quæſ.5. Fagund. c.14. num.9. & 12. Suar. c.32. num.4.* qui tamen rectè aduertunt, ne in contemptum feſti compellantur laborare; quia tunc mors potiùs ſubeunda eſſet, quàm iniquis mandatis obedire. Duodecimò excuſantur in multis caſibus ſartores, perficientes veſtes die feſto: vt putà ſi illæ debeant inſeruire pro eiuſmodi feſto: vel ſi ſint veſtes ſponſi, ſeù ſponſæ, proxime nuptias celebrantium: aut veſtes lugubres, vel eorum, qui ijs indigent ad ſeruandam decentiam ſtatus. *Reiffenſtuel Theol. mor. tr.10. diſt.1. q.3. num.31.* Idem cenſet *Baſſæus V. Feſtum 3. num.1.* ſi ſartores timeant aliquod notabile incommodum, vel acerbas repræhenſiones, aut iniurias ex eo, quòd non perfecerint veſtes ante feſtum. Præparatio autem veſtium, quæ fit per ſciſſuram, & præparationem panni die feſtiuo, ex eo excuſari poteſt, quia non eſt labor ſeruilis; cum propriè competat Magiſtris, nec habeat adiunctum magnum laborem. *Reiffenſtuel ſupra.*

56 Ex cauſa diſpenſationis excuſantur ij, quibus cum Prælatus diſpen-

penſat. Hæc autem diſpenſatio non eſt neceſſaria, quando cauſa eſt moraliter certa, niſi fortè publicè ſit laborandum, ad tollendum ſcandalum. Erit tamen neceſſaria, ſi cauſa eſt dubia. *Antonius à Spiritu Sancto num. 72.* Hæc autem diſpenſatio poteſt concedi pro tota Eccleſia à Papa, quæ vt iuſtè, non autem vt validè fiat, requirit cauſam: & idem dicendum eſt de Epiſcopo reſpectu feſtorum ab ipſo indictorum. An autem Epiſcopus poſſit diſpenſare in feſtis à Papa indictis? Reſpondeo, poſſe validè, & iuſtè, ſi adſit cauſa, ſecus ſi cauſa deſit, quia diſpenſatio in lege ſuperioris ſine cauſa non tenet. Ita cum *Azorio, Sayro, & Bonac. Trullench ſupra num. 12. Caſtropalaus num. 5.* addens, quòd cauſa ſufficiens, vt Prælatus in ijs diſpenſet, arbitrio prudentis relinquitur: ſi enim diſpenſatio generaliter eſt concedenda, cauſa communis adeſſe debet; at ſi aliquibus perſonis tantum, cauſa ſpecialis ſufficit; hæc autem ad neceſſitatem reducenda eſt. Poteſt enim Epiſcopus, vt promoueatur aliquod opus pium, facultatem concedere tali, vel tali die laborandi: tibi autem ſpecialiter concedere poteſt, vt aliquam iacturam euites, quæ licèt grauis non ſit, & quæ ſe ſola abſque diſpenſatione excuſaret, at præbet ſufficientem occaſionem diſpenſandi. Nomine autem Epiſcopi veniunt illi, qui habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, vt ſunt Vicarii generales Epiſcoporum, Capitulum Sede vacante, & illius Vicarius, immò etiam Prælati regulares reſpectu domeſticorum ſuorum intra clauſtra degentium, *Caſtropalaus ſupra, Trullench num. 12.* An autem Parochus hanc etiam poſſit concedere diſpenſationem? Reſpondeo in dubio cauſæ poſſe, quando adiri non poteſt Epiſcopus, quia ſic conſuetudine introductum eſt, ne fideles remedio deſtituantur. Ita alijs relatis *Azor. c. 28. quæſ. 6. Suarez c. 33. num. 2. Fagundez num. 27.* An autem diſpenſantes in feſtis poſſint aliquam multam imponere diſpenſatis pro aliquo opere pio? Reſpondeò affirmatiuè, ſicque fieri ſolet, *Trullench ſupra num. 12. Tambur. nu. 39.*

57 Ex conſuetudine a ſuperiore ſcita, & tolerata à Prælatis Eccleſiaſticis, excuſari poſſunt exercentes ſeruilia in die feſto. Sic *Reiffenſtuel num. 35.* & alij. Hæc autem iam nunc excuſat primò Barbitonſores, vt cum *Suario, Diana, Fagundez, Trullench ſupra nu. 14* Secundò Hortulani rigantes olera in die feſto, & agricolæ vertentes, & ſeparantes in area triticum in die feſto, & alia minuta facientes. Ita cum *Sanchez, Tamburinus ſupra num. 28.* Tertiò artifices præparantes, & ferentes materiam in die feſto ad veſperam pro labore ſequentis diei, purgantes inſtrumenta artis, &c. *Trullench. ſupra num. 14. Anton. à Spir. San. num. 75.* Hæc tamen conſuetudo vbique non eſt:

****

§. TER-

§. TERTIVS.

Argumenta contraria protelantur.

OBiicitur primò, auctoritas *D. Bernardi lib. de Præcept. c. 29.* maximè in illis verbis: *Non ergo qualiſcumque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam; ſed repugnare, ſed nolle obedire.*

58 Reſpondeo, *S. Bernardum* non loqui de præceptis Eccleſiæ, ſed de iuſſionibus ſimplicibus Prælatorum Regularium, qui non præcipiunt virtute voti Obedientiæ, vt ſatis clarè colligitur ex ea voce *mandati*, quæ in rigore non ſignificat præceptum grauiter obſtringens conſcientias, niſi ex adiunctis aliud colligatur. Nam his ſimplicibus iuſſionibus non obedire, non eſt peccatum ſaltem graue; ſi autem Prælatus Regularis hoc ſimplex mandatum det, & ſubditus reſpondeat, *Nolo parere*, omnes fatentur, id eſſe peccatum mortale, quamuis Prælatus Regularis non præcipiat virtute voti Obedientiæ; & tunc certum eſt, eſſe culpam lethalem, propter contemptum Prælati, vt talis. Cęterum in præceptis Eccleſiaſticis ſufficit ad mortale ſcienter contrauenire præcepto in materia graui; nec requiritur contemptus formalis; & quidem materialis, & generalis in omni peccato includitur, vt ſupra dictum eſt. Si autem adſit contemptus formalis, hic nouam ſpeciem malitiæ actui ſuperaddit, nempè irreuerentiæ contra Superiorem, & ſic neceſſariò eſt in confeſſione explicandus. Vnde qui ex contemptu Superioris non intereſt ſacro iuxta pręceptum Superioris, non ſatisfacit in confeſſione dicere, ſe Miſſam non audiuiſſe, ſed contemptum aperire tenetur. Ita *Suarez de leg. l. 3. c. 28. num. 25.* cum *Sanchez, Val. & Laymano, Baſſæus V. Contemptus num. 6. Andreas à Matre Dei tr. 11. c. 2. pu. 2. §. 4. num. 37.* & alii, communiter cum *D. Thoma 2. 2. qu. 186. ar. 9.* Poteſt etiam adeſſe circumſtantia cuiuſdam contemptus in confeſſione aperienda, & tamen non ſit contemptus formalis, vt ſupra viſum eſt; nam vt rectè notat *Andreas à Matre Dei num. 40. in fine*, rarò contingit peccatum formalis contemptus, cum vix vnquam deſpiciatur ſuperior vt talis, ſed parui æſtimetur obedire illi in tali, vel tali materia, vel ſolum deſpiciatur, vt perſona particularis, non ſuperioritas à Deo recepta.

Obiicitur ſecundò: Non eſt peccatum mortale, niſi ſit contra charitatem Dei, vel proximi, ſi ſit abſque contemptu: Atqui violatio præcepti indicentis obſeruationem feſti, non eſt contra charitatem Dei, vel proximi; quia antequam poneretur id præceptum, inueniebatur in fidelibus charitas Dei, & ſupponimus non violari ex contemptu: Ergo violatio eius præcepti non eſt peccatum mortale.

58 Reſ-

Digitized by Google

59 Reſpondeo, propoſitionem maioris, prout, ab Aduerſariis vſurpatur eſſe doctrinam falſam, improbabilem, & implicatoriam. Et ſic oſtendo primò; nam iuxta eam doctrinam violare legem ex contemptu eſt peccatum mortale: & tamen contemptus legis non eſt contra charitatem Dei, aut proximi: Ergo datur peccatum mortale, quod non ſit contra charitatem Dei, aut proximi. Secundò: quòd leges humanæ non poſſint obligare ſub mortali, niſi in iis, quæ ſpectant ad charitatem Dei, & proximi, vel eſt, quia legiſlator non vult obligare; & hoc pugnat contra rei euidentiam; ſæpè enim videmus legiſlatorem præcipere ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ multa, quę non ſunt contra charitatem Dei, aut proximi; ſed quæ ſic pręcipit, vult pręcipere ſub reatu peccati mortalis cum excommunicatio latę ſententię fulminari non poſſit, niſi propter peccatum mortale: Ergo euidens eſt, legiſlatorem velle obligare ſub reatu peccati mortalis. Vel eſt quia non poteſt: & hoc eſt multò abſurdiùs. Hinc enim infertur, Eccleſiam non poſſe pręcipere, niſi quę præcepta ſunt lege naturali, vel diuina: etenim omne peccatum, quod eſt formaliter contra charitatem Dei,& proximi, militat contra ius diuinum, & naturale; quia hoc iure interdicitur quidquid eſt contra charitatem Dei, & proximi: Ergo ſi Eccleſia non poteſt interdicere ſub mortali, niſi quę ſunt contra charitatem Dei, & proximi: non poteſt interdicere ſub mortali, niſi quę iure diuino, & naturali interdicuntur.

60 Si conuictus admitias, Eccleſiam non poſſe pręcipere, aut interdicere ſub reatu culpæ grauis, niſi quæ iure diuino, vel naturali præcepta, aut interdicta ſunt, iam in errorem peiorem priore incides, contra quem ſtrenuè milito *in tr. de Conſtitutionibus*. Sufficit modo afferre definitiones Concilii Tridentini, ex quibus conſtat, eſſe in Eccleſia poteſtatem præcipiendi, & de facto eſſe data præcepta ab Eccleſia, quæ grauiter obligant, vltra ea, quæ iure diuino,& naturali conſtringunt conſcientias. *ſeſſ 6.c.8.de Baptiſmo*, ſic ſtatuit Concilium: *Si quis dixerit, baptizatos liberos eſſe ab omnibus Sanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta, vel tradita ſunt, ita vt ea obſeruare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint, anathema ſit*. Vbi notandum eſt primò, euidenter conſtare, in Eccleſia eſſe præcepta plurima vltra ea, quæ iure naturali, & diuino præcipiuntur,& Concilium loqui de illis. Secundò euidens eſſe, quòd dantur in Eccleſia eiuſmodi præcepta grauiter obligantia, maximè quæ verſantur in materia graui, & habent annexam excommunicationem latæ ſententiæ, nam de his loquitur Concilium, loquitur enim de omnibus. Conſtat ergo ex Concilio Tridentino, poſſe Eccleſiam ſub metu culpæ grauis præcipere, vltra ea, quæ ſunt præcepta iure diuino, aut naturali. Deinde præcepta Eccleſiæ conſtituentia impedimenta dirimentia matrimonii eſſe multa, quæ non ſunt iuris naturalis, aut diuini poſitiui, eaque præcepta grauiter obligare, conſtat etiam ex eodem *Concilio ſeſſ.24.can.4.de matrim.*

Si quis dixerit Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in eis conſtituendis erraſſe, anathema ſit.

Verùm, quia illa Propoſitio: Non eſt peccatum mortale, niſi ſit contra charitatem, poteſt habere verum ſenſum, ideò aduertendum eſt, dupliciter poſſe peccatum eſſe contra charitatem Dei, ſcilicet obiectiuè, & ſubiectiuè, Peccatum obiectiuè opponitur charitati, quando opponitur ratione obiecti, ſiue ex parte modi tendendi in obiectum: V.g. odium Dei directè opponitur charitati Dei; quia odium & charitas eiuſdem obiecti opponuntur obiectiuè. Opponitur peccatum mortale ſubiectiuè charitati Dei, quatenus expellit à ſubiecto charitatem, & hæc expellit à ſubiecto quodlibet peccatum mortale,eo quod ſint incompatibilia in eodem ſubiecto. Hinc ad argumentum diſtinguenda eſt maior: nullum eſt peccatum mortale, niſi quod opponitur charitati, obiectiuè; nego; ſubiectiuè concedo. Quæ reſponſio patet ex dictis.

PROPOSITIO LIII.

Satisfacit Præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro,qui duas eius partes, immò quatuor ſimul à diuerſis celebrantibus audit.

1 SAtisfacere præcepto Eccleſiæ, qui duas medietates miſſæ in eodem tempore à diuerſis Sacerdotibus audit, docuerunt plures, quorum ſententiam probabilem putauit *Bonac. to.1.d.4.de Sacram. Euchar. pu.11.num.13.* ibi: *Addo in rigore loquendo, eum ſatisfacere præcepto miſſæ, qui ſacrum duorum Sacerdotum media ex parte audit, vt ſi audiat miſſam vnius Sacerdotis vſque ad conſecrationem, & eodem tempore audiat miſſam alterius Sacerdotis à conſecratione vſque ad finem: ſicut enim poteſt aliquis eodem tempore tres miſſas, exempli gratia, quæ in eadem Eccleſia eodem tempore celebrantur, audire, & ſatisfacere pœnitentiæ iniunctæ de audiendis tribus miſſis: (quòd etiam aſſerit Rodriquez, Groſſius, Sanchez, Scortia, Azorius, & alij, quos alibi retuli) ita in rigore loquendo videtur ſatisfacere præcepto Miſſæ,qui ſacrum duorum Sacerdotum media ex parte audiret; contrarium tamen tenet Coninchius, Nugnus, Reginaldus, Molfeſius, quod ego tanquam tutius in praxi conſulendum eſſe duxi.* Sic *Bonac.*eandem opinionem abſolutè defendit:*Geſualdus de ſacram.tr.17.c.2.num.16. Remigius in praxi confeſſ.tr.21. c.3.§.1. num.4.* & probabilem dicunt *Molfeſius, Barth.à S.Fauſto, Baſſæus, Roccaful, Trullench, Baunius, & Buſembaum,* quos refert *Diana p.2.tr.17.reſ.18.p.5.tr.14.reſ.52. & p.10.tr.15.reſ.3. & p.11.tr.1.reſ.3.* qui etiam admittit vt probabile m..., licet contrariam dicat probabiliorem, & conſulendam: Putat etiam probabilem *Dicaſtillus de Sacram.tom.1.tr.5.d.5.du.3.n.4. Gaſpar Hurtadus,* & alii.

Et

Et quia eadem eſt ratio de audiente ſimul quatuor partes Miſſæ, ita dicendum expreſsè fatetur *Leander à Sacramento to. 3. in 1. præcept. Eccleſ. tr. 2. d. 1. qu. 57.* vbi ſic ait: *An item ſatisfaceret præcepto, qui non ſolum à duobus Sacerdotibus duas partes, ſed etiam à tribus, vel quatuor Sacerdotibus tres, aut quatuor partes Miſſæ, eodem tempore audiret? Negat Lugo, &c. Sed conſequenter loquendo probabiliter ſanè reſpondeo, etiam ſatisfacere præcepto, qui in debita diſtantia, cum ſufficienti attentione, & alijs circumſtantijs requiſitis, à tribus, aut quatuor Sacerdotibus tres, aut quatuor partes Miſſæ audiret, ſi ex illis tota, & integra Miſſa coniungeretur.* Et pro eadem ſententia ſtat apertè *Antonius de Eſcobar in Theol. mor. tr. 1. exam. 11. p. 1. c. 4. nu. 97. in fine*, vbi ſic aſſerit: *Satisfacit ne præcepto, qui eodem tempore audit vnam medietatem ab vno, & alteram ab alio? Ità planè ex Sanchez, quia Eccleſia præcipit, vt Miſſa audiatur, duæ autem medietates vnam Miſſam conſtituunt. Colligo poſſe te breuiſſimo temporis interſtitio Miſſam audire, ſi quatuor V. g. Altaribus variæ Miſſæ proportionati temporis anterioritate ſic celebrentur, vt dum vna inchoatur, ſecunda ab Euangelio, tunc in conſecratione procedat, tertia à conſecratione in conſumptionem, quarta denique à conſumptione vſque ad terminum.*

SVMMARIVM.

§. I.

2 *An præceptum audiendi Miſſam in diebus Dominicis, & feſtis ex genere ſuo ſit graue? Et an relinquenda ſit Miſſa ob concionem?*

3 *Infideles, amentes, cathecumeni præcepto audiendi Miſſam non ligantur: benè verò omnes fideles adulti, baptizati, ſui compotes hac lege obligantur? Sed quid de Hæreticis, ac pueris ſtatim ac habent vſum rationis?*

4 *Vtrum hoc præceptum audiendi Miſſam obliget non ſolum diebus Dominicis, ſed etiam feſtis, tum communibus totius Eccleſiæ, tum particularibus locorum? An huic obligationi poſſit quis ſatisfacere qualibet hora diei feſti? Et quid de eo, qui audit Miſſam Pontificis ante mediam noctem Natiuitatis Domini, ſatisfacit ne præcepto pro die Natiuitatis?*

5 *An fideles ſatisfaciant præcepto audiendi Miſſam in quacumque Eccleſia etiam non parochiali? Quid in Oratorijs priuatis, aut Epiſcopi? Et an peccet mortaliter, qui ob contemptum proprij Parochi audit Miſſam alibi?*

6 *An poſſit ſatisfieri præcepto audiendi Miſſam per cuiuſcumque Miſſæ auditionem tum priuatæ, tum votiuæ? Quid de Miſſa diuerſa à ritu Romano celebrata, vel ab hæretico, ſchiſmatico, vel excommunicato vitando?*

7 *An ad ſatisfaciendum præcepto Miſſam audiendi requiratur præſentia moralis ad ſacrificium? Et quænam ſit hæc præſentia? Vide etiam num. 9.*

8 *Vtrum Surdi, & Cæci præcepto audiendi Miſſam ligentur?*

9 *An qui exiſtit in choro poſt murum Altaris, in qua celebratur Miſſa, ſatisfaciat præcepto? Et quid de eo, qui ſtat poſt murum Capellæ, & coniungitur cum multitudine fidelium, qui audiunt ſacrum? & n.10.*

11 *Quid ſi ſacrum fieret in aliqua via publica, & audiretur per feneſtram? Et an ſi quis à feneſtra ſuæ domus videret, vel audiret Sacerdotem in templo celebrantem mediante via publica, ſatisfaceret ne præcepto audiendi Miſſam?*

12 *Num ad ſatisfaciendum præcepto Miſſam audiendi requiratur intentio illam audiendi? Et quæ intentio ſufficiat?*

13 *Vtrum dum quis ſacrum incipit audire, & poſtea inuoluntariè dormiat per notabilem eius partem, impleat præceptum hoc? Et quid ſi raptum, aut extaſim patiatur?*

14 *An qui accedit ad Eccleſiam animo meditandi diuina, & per accidens adſit ſacro, ſed ſemper in meditatione perſiſtens, impleat præceptum audiendi Miſſam?*

15 *An pueri, qui metu Magiſtri in die feſto audiunt Miſſam, quam non audirent, ſi Magiſter non adeſſet, ſatisfaciant huic præcepto? Et quid ſi aliquis prorſus inuitus, & coactus detineatur coram celebrante?*

16 *An ad ſatisfaciendum præcepto audiendi Miſſam (ſicut alijs præceptis) requiratur voluntas aliqua ſaltem interpretatiua diuerſa ab ipſa voluntate audiendi illam ſiue faciendi rem præceptam? Et ſuppoſito quod reſponſio ſit negatiua, quare doctrina non ſit applicanda obligationibus iuſtitiæ?*

17 *An audiens Miſſam, & expreſsè volens ſatisfacere per illam, nihilominus ſatisfaciat?*

18 *Vtrum per auditionem Miſſæ peccaminoſam impleatur præceptum?*

19 *Ad ſatisfaciendum præcepto auditionis Miſſæ requiritur attentio externa in audiente. Quæ nam ſit talis attentio? Et vtrum, qui confabulatur in Miſſa, aut dormiat ſatisfaciat præcepto?*

20 *An ad ſatisfaciendum præcepto Miſſæ requiratur attentio interna circa ſenſum verborum, vel circa Deum?*

21 *Vtrum dum quis audit Miſſam poſſit ſimul recitare preces debitas ex præcepto, vel voto? Et an poſſit quis confiteri peccata ſua, & ſimul ſatisfacere præcepto Miſſæ?*

22 *An ſemper omittere partem leuem Miſſæ ſit veniale? Et an talis omiſſio ſit ſupplenda?*

23 *An propter impotentiam ſpiritualem, quæ prouenit ob excommunicationem excuſetur quis à præcepto audiendi Miſſam? Et vtrum negligens in procuranda abſolutione excommunicationis peccet contra dictum præceptum. Tandem excommunicatus ſi miſſam audiat, & poſtea ea die abſoluatur, an teneatur audire aliam Miſſam?*

24 *An, & quæ impotentia corporalis excuſet ab hoc præcepto?*

25 *An qui Miſſam non poteſt audire, niſi cum iactura vitæ ſpiritualis ſuæ, vel bono-*

Digitized by Google

bonorum temporalium, etiam mediocris æſtimationis, ſalutis corporalis, aut honeſtatis, teneatur hoc præcepto?

26 *Quomodo milites cuſtodientes caſtra, matres cuſtodientes filias, vel infantes, famuli ex Domini imperio prohibentis ad Templum accedere, excuſentur ab hoc præcepto?*

27 *An exoneretur aſſiſtens infirmo, qui prudenter timet adeundo Templum graues rixas naſcituras, vel fœmina, quæ ſi Eccleſiam adeat, erit adoleſcenti occaſio peccandi?*

27 *Quomodo excuſentur qui ex ignorantia, vel inaduertentia Miſſam non audiunt in die feſto?*

29 *Quid de Viduis certo tempore non exeuntibus domo poſt mortem mariti, Virginibus nobilibus, ac nubilibus non prodeuntibus in publicum, & fœminis poſt partum abſtinentibus ab ingreſſu Templi?*

30 *An ſi vrgeat præceptum præualens, vtpotè confeſſionis, aut communionis, obliget præceptum Miſſæ audiendæ? Et quid ſi confeſſio facienda ſit ex deuotione, valdè tamen neceſſaria?*

31 *An qui rationabiliter excuſatur ab auditione Miſſæ teneatur recitare alias preces, vel ad audiendam Miſſam alia die?*

§. *II.*

32 *Non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro, qui quatuor, vel etiam qui duas partes ſimul à diuerſis celebrantibus audit, & oppoſitum tanquã ſcandaloſum ademitur.*

33 *An aſſertio nuper facta rectè probetur ab inconuenienti, quod ſequeretur ex contraria ſententia, ſcilicet poſſe etiam per auditionem viginti partium ſimul ſatisfieri præcepto Miſſæ?*

34 *Arguitur ad hominem contra* Leandrum à Sacram. *reſpondentem poſſe à tribus, vel quatuor Sacerdotibus tres, vel quatuor partes Miſſæ eodem tempore audiri, non tamen à ſex: quia hoc eſt maius, & illud minus.*

35 *Oſtenditur, neque in eſſe phyſico, neque in eſſe morali illas duas, vel quatuor partes Miſſæ in eodem tempore, conſtare vnam Miſſam integram.*

36 *Adducitur aliud inconueniens, quod ſequeretur ex contraria ſententia.*

37 *An qui pluribus partibus ſacrificiorum aſſiſtit, dicatur propriè ſacro aſſiſtere? Et an auditio partium plurimorum ſacrificiorum ſit Miſſæ auditio ex Eccleſiæ permiſſione?*

38 *An exemplum (ſi admittatur) de eo, qui tria ſacra eodem tempore tenetur audire, ex pœnitentia, ex voto, & ex præcepto, probet?*

39 *An hoc decreto damnetur opinio docens, adimpleri præceptum ab eo, qui ſucceſſiuè audit duas medietates Miſſæ à diuerſis Sacerdotibus dictas?*

40 *Et ſtante quod non ſit damnata ſententia affirmatiua, an ſit probabilis?*

41 *Vtrum ſit probabilius, ab vno audire à principio vſque ad conſecrationem excluſiuè, & ab hac ad finem ab altero?*

§. PRI-

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

1 PRænotandum eſt primò : Præceptum audiendi Miſſam in diebus Dominicis,& feſtis ità grauiter obligare, vt ex genere ſuo mortale peccatum committat,qui ſemel,aut iterum ſine cauſa Miſſam omittit,quamuis abſit omnis contemptus,aut conſuetudo. Nam ex ſuo genere materia grauis eſt,quæ pertinet ad virtutem Religionis, & ad cultum diuinum:& in particulari Sacrificium integrum, aut eius omiſſio ſatis grauis apparet, quare votum audiendi Miſſam ſub mortali pariter obligabit. Quod ſi Miſſam integram omittere ſine cauſa non eſſet mortale,nec ratione conſuetudinis redderetur mortale peccatum, ſiquidem plura venialia non efficiunt vnum mortale,nec ſola conſuetudo ſufficit ad contemptum lethalem, aliàs mendacium ex conſuetudine prolatum eſſet mortale crimen. Ita *S. Antoninus, Paludanus, Panorm. Caiet. Sotus, Nau. Sylu. Abulenſis,* quos refert,& ſequitur *Suar. tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 2. c. 15.* & alii communiter, & modo contrarium ſubijcitur damnationi Propoſitionis LII. iam explicatæ. Poterit autem eſſe leuis culpa,ſi paruam Miſſæ partem quis omittat,(de qua in Comment. ad Propoſ. LII. cit. actum eſt) vel ex inaduertentia, vel ignorantia leuiter culpabili. Quò reduci poteſt,quādo quis putat ſe ſufficientem habere cauſam excuſationis ex errore leuiter culpabili,quod notarunt *Caietanus, & Henriqu. z, l. 9. c. 25. num. 1.* Hinc fit non eſſe relinquendam in feſto Miſſam ob concionem per ſe loquendo. Nam audiendæ Miſſæ datur præceptum,non autem audiendæ concionis. Ita *Suarez tom. 3. in 3. p. d. 88. ſect. 1. Fagund. præcep. 1. Eccl. l. 2. c. 2. num. 10. Reiffenſtuel Theol. mor. tr. 10. diſt. 1. q. 4. nu. 42.* & alii communiter, acriter reprehendentes *Angelum V. Feriæ num. 45* dicentem, cùm in feſto non poſſunt audiri ſimul Sacrum, & concio, potiùs audiendam eſſe concionem. Quia ius *in c. omnes Fideles, c. Sacerdote, c. Epiſcopus nullum, de conſecrat. d. 1.* principaliter attendit auditionem concionis, & potiſſimum ob audiendum Dei verbum, & Scripturas Sacras præcepiſſe videtur conuentum Fidelium in templis, & auditionem Miſſæ. Fatentur tamen citati Auctores, & alii communiter per accidens in caſu raro, V. g. ſi quis inſtrui non poſſit in Fide, dum indiget inſtructione, vel ab Hæreticis defendi, niſi concionem audiat Doctoris Catholici, poſſe talem excuſari ab audiendo Sacro, ſicut propter alias cauſas minùs vrgentes. Et forſan in hoc caſu loquitur *Angelus*, qui numero præcedenti loquutus fuerat de neſcientibus neceſſaria ſaluti, & ipſis imponit obligationem audiendi concionem in die feſto. Iura illa citata, vel loquuntur ſimiliter in iſto caſu, vel damnant ſolum egredientem à concione

cum

cum aliorum ſcandalo, vel ex contemptu, ſicut explicat ipſemet *Angelus ibi num.*44.

3 Notandum eſt ſecundò: Nec amentes, nec infideles,nec Catechumenos hoc præcepto Miſſam audiendi ligari. Quoniam amentes, & quotquot vſu rationis carent,non ſunt præcepti capaces. Infideles non ſubdũtur Eccleſiæ legibus; imò nec Catechumeni priuſquam baptizentur. Quare nec ad proprium Miſſæ Sacrificium admittuntur, ſed ſolùm ad Miſſam Catechumenorum vſque ad Offertorium, vt conſtat *ex Concilio Carthaginienſi 4.cap.*84. Nec ad illam Catechumenorum Miſſam audiendam obligantur; tum ratione dicta, quia nondum ſunt capaces talis obligationis, dum non ſunt baptizati;tum etiam quia, qui non obligatur ad ſubſtantiam actus,nec ad ea,quæ ſunt accidentaria,poteſt obligari. Ita *Auerſa de Euch. qu.*11.*ſect.*19.*§.ſecundò omnes*, & alii communiter. Omnes verò Fideles adulti baptizati ſui compotes hac lege per ſe loquendo obligantur,vt habetur multis Canonibus,*de conſecr.d.*2.præſertim *Can. omnes Fidelis*. Hæremitæ verò,qui inÆgypto floruere,Miſſam non audiebant in ſolitudinibus vitam agentes, excuſati aut quia bona fide putabant, ſe Deo mancipatos non teneri: aut quia illis temporibus erat talis conſuetudo tolerata ab Eccleſia,& ſic non peccabant. Quamuis autem *c.Miſſas*, ibidem de ſolis ſæcularibus loquatur, tamen alii Canones generaliter loquuntur, ad omneſque Fideles extendunt obligationem, & ſic habet communis Eccleſiæ praxis. Forſan etiam per ſæculares intelliguntur in eo textu qui non ſunt Sacerdotes. Nam hi celebrantes ſatisfaciunt huic præcepto, quia perfectiùs Miſſam audiunt,quàm aſſiſtentes.Ita *Suarez cit. d.*88.*ſect.*4. dicens eſſe per ſe notum. *Sotus in* 4.*d.*12.*q.*1.*ar.*11.*in fine,Henriquez l.*8.*c.*42.*nu.*4.*& Corduba in ſum.q.*60. docent,pueros non ſtatim, ac habent vſum rationis obligari præceptis, aut cenſuris Eccleſiæ,ſed ab anno duodecimo, vel ſaltem vndecimo. At communis ſententia cenſet pueros, cùm ad vſum rationis perueniunt,(quod communiter ſeptennio completo contingit, vt oſtendit *Sanchez de matrim.l.*1.*d.*16.*nu.*2.)ligari præcepto Miſſam audiendi, ſicut & aliis Eccleſiæ præceptis præter communionis, &ieiuniorum legem. Ita de præceptis Eccleſiæ generaliter docent *Sanchez l.*1. *Decal.c.*12.*nu.*6. *Salas de legibus d.*14.*ſect.*13.*Caſtropalaus tom.*1.*tr.*3. *d.*1.*pu.*24.*Diana p.*3.*tr.*6. *reſ.*87.cum aliis. In ſpeciali de præcepto Miſſæ *Suarez ſupra, Coninck.qu.* 83.*num.*286.*Fagundez d.l.*2.*c.*2.*num.*7.*Anton.à Spir.Sancto, Fillinc.* & alii communiter, apud citatos. Patet generali ratione. Quia puer habens rationis vſum,iam eſt capax obligationis: Ergo ſicut obligatur lege naturali, & diuina,ſic etiam legibus Eccleſiæ, cuius ſubditus eſt. Nec enim eſt ius aliquod,aut conſuetudo,quæ tales pueros excipiat. Nec circa Miſſæ præceptum reperitur aliquid ſpeciali iure præſcriptum, & ita generali regula menſurandum eſt, ita vt, quoties puer eſt capax peccati mortalis, & per conſequens obligationis naturalis colendi Deum, ſubdatur etiam Eccleſia-

ſticæ

Digitized by Google

ſticæ legi colendi Deum auditione miſſæ: ſubſcribit *Felix à Panormo tom. 2. Exam. Conf. d.4. num.* 872. Addunt iſti Doctores, circa rationis vſum nõ poſſe regulam generalem aſſignari, nam alijs citiùs, alijs tardiùs illucet, ac proinde prudens huius rei iudicium in ſingulis pueris ad Parentum, Parochorum, & Confeſſorum curam pertinere. Si verò dubium ſit hic, & nunc an puer polleat, an careat vſu rationis, ante ſeptennium præſumi carere, ſubindeque non obligari, ſecùs poſt ſeptennium. Quia tamen *c. 1. & 2. de delictis puerorum* decernitur, ipſorum delicta non eſſe punienda pœnis ordinarijs, ſed mitioribus, colligunt Doctores, vſque ad quartumdecimum, vel duodecimum annum ipſos non ligari cenſuris. Ita *Sotus*, *Azorius*, *Henriquez*, *Corduba*, *Valentia*, quos ſequitur *Sanchez l.1. Decal. c.12. num.7. Vaſquez 3.p.q.90.ar.2.dub.4.num.13. Diana ſupra reſ.87.* cum alijs, *Suarez* quoque *3.p.tom.4.d.36.ſect.8.nu.5.* dicit, pueros non incurrere excommunicationem, donec ita perfectum vſum rationis habeant, vt ad communionẽ obligentur. Eſt contra *Renzi*, *Thomam à S. Mart*, & alios. Verum rectè *Diana ſupra* cum *Caſtropalao tom.1.tr.3.d.1.pu.24.§.2.nu.9.* excipit ob ſuam grauitatem caſum percuſſionis clerici, & patet expreſse ex *c. ſuper eo, c. Pueris, iuncta Gloſſ. c. Quamuis, de ſenten. ex com.* vbi pueri dicuntur, ſi percutiãt Clericum, excommunicationem Canonis incurrere; ſed abſolui poſſe ab Epiſcopo. Sub interdicto locali, vel generali comprehenduntur pueri doli capaces, quoniam licèt ipſi non incurrant pœnam, ob propriam culpam, tenentur generali prohibitione. Sic *Azorius*, *Sylu.*, *Corduba*, quos ſequitur *Sanchez ſupra nu.8. Caſtropalaus* eo *num.9.* & ſic ſi in ea ætate decedant, non poſſunt ſepeliri in loco interdicto, *Diana ſupra* cum *Salas*, *Suarez*, & alijs.

4 Notandum eſt tertiò: Præceptum hoc obligare non ſolum omnibus diebus Dominicis, ſed etiam feſtis tum communibus totius Eccleſiæ, tum particularibus locorum, iuxta tamen motum proprium Vrbani VIII. de qua re in Commentario præcedenti. Sufficit tamen vnam Miſſam audire etiam in die Natalis Domini. Ita cum *Naldo V. Miſſa num.16.* communiter alij. Huic autem obligationi poteſt quis ſatisfacere qualibet hora diei feſti. Vnde ſi quando vel in Dominica, vel in feſto fiat ex priuilegio, vel ex iuſta cauſa Sacrum, aut mox poſt mediam noctem, aut diù poſt meridiem, eius auditione præceptum adimpletur: præcipitur enim auditio Miſſæ in die feſto, & hic durat à media nocte, vſque ad mediam noctem. Ita cum communi *Franciſcus de Lugo cit. c.14. qu.3. nu.26.* contra *Paſqualig. dec.211. nu.8.* An autem, qui audit Miſſam Pontificis ante mediam noctem Natiuitatis dici ſolitam, ſatisfaciat præcepto in die Natiuitatis? Affirmant *Card. de Lugo d.15. ſect.2. num.57. & Leander a Sacram. ſupra tr.2. d.1. qu.17.* eo quia Papa videtur diſpenſare pro omnibus eidem Miſſæ intereſſentibus. Negant verò *Paſqualig. de Sacrif. q.1261.* & alij; nam cum ea die plures Miſſæ, à quouis Sacerdote, regulariter loquendo, dici ſoleant, Pontifex putat, ad-

ſtan-

Digitized by Google

ſtantes aliam Miſſam in die Natalis audire, & conſequenter non præſumitur cum adſtantibus diſpenſare. Si is,qui mane dum non erat feſtum audiuit Miſſam,ſi poſtea feſtum publicetur, tenetur nè audire aliam Miſſam ? Negant *Diana, Renzi*,& alii. *Leander* verò *à Sacram. Quintanaduennas* , & alii affirmant;quia per auditionem Miſſæ , antequam promulgetur feſtum, non ſatisfacit præcepto:ſiquidem ſatisfactio neceſſario ſupponit obligationem. Probat præterea *Thomas à S.Maria p 4.de Sacram.ſelect.9.dub.1.q.8.* paritate Beneficiarii , qui nequit ſatisfacere debitæ reſtitutioni ob omiſſionem horarum per Eleemoſynas ante de fructibus ſui beneficij factas , vt habet Decretum *Alex.VII.ſub die* 18. *Martij* 1666. vbi damnatur Propoſitio in ordine 33. contrarium docens ; de qua vide Commentarium meum in dictam Propoſitionem .

5 Notandum eſt quartò:Fideles ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam in quacumque Eccleſia,etiam non Parochiali. Sic modò communiter Doctores. Et probatur primò : Nam Eccleſia tantùm obligat Fideles ad audiendam Miſſam in feſtis,nec eis aſſignat propriam Parochiam, vt habetur in *Can. Miſſas,& Can.ſi quis etiam,de conſecr. d.1.* vbi ſolùm præſcribitur,vt in ſolemnioribus feſtis non in Oratoriis priuatis,ſed in Ciuitatibus,aut Parochiis audiatur Miſſa , quaſi liceat in quouis Templo Ciuitatis audire. Probatur ſecundò:nam *Trid.ſeſſ.22.decreto de obſeruandis, &c.* ſic ait . *Moneat etiam Epiſcopus populum, vt frequenter ad ſuas Parochias , ſaltem diebus Dominicis,ac maioribus feſtis accedant.* Vbi non præceptum, ſed monitionem indicit,nec pro cunctis feſtis, ſed pro maioribus dumtaxat . Probatur tertiò : Nam communis Fidelium conſuetudo nota Paſtoribus , & à Pontifice tolerata,vbilibet habet,vt impleat præceptum audiendæ Miſſæ,qui Sacrum audit in quolibet loco . Quare,ſi quid in contrarium antiquo iure fuit ſtatutum, iam vniuerſali conſuetudine videtur derogatum . Quare Epiſcopus,nec præcipere poteſt,vt ſubditi Sacrum audiant in ſuis Parochiis, nec pœnæ,ſeu cenſuræ,ſi quas addit,valent . Ita *S.Anton.p.2. tit.9.c.4.§.1. Suar.tom.3.d.88.ſect.2. Auerſ. ſupra , §. Quartò circa, Fagund.præcept.1.l.2. c.3.num.11.*& alii communiter. Quia ſicut Epiſcopus non poteſt tollere, nec reſtringere ius commune,iuxta *c.Inferior,21.diſt,* Sic non poteſt tollere,nec reſtringere generalem Eccleſiæ conſuetudinem , nec id iam hodie fieret ſine multorum ſcandalo. Et *Henriquez l.9.c.25.num.9.t.3.* refert anno 1564.quoſdam Epiſcopos (vt *Toletan.Salmantin.Palentin.*)conatos fuiſſe prætextu Tridentini compellere ſub excommunicatione ſubditos adire Parochias ad audiendam Miſſam,& concionem , ſed reſiſtentibus Regularibus,& viris ſapientiſſimis ceſſauiſſe compellere . Ita *declarationibus Cardinalium circa Tridentin.ſeſſ.24.c.4. de refor.num.9.* ſic habetur : *Ordinarius non poteſt per hoc Concilium mulctis , & pœnis,etiam in cauſa notabilis negligentiæ, aut contumaciæ cogere populum ad audiendam Miſſam , & Sacram Concionem in Eccleſia Parochiali* . Quam declarationem referunt, iunio-

res. *Leo X.* apud *Manuelem in Bullario, Bulla 22.* decernit, omnes Chriſti Fideles, qui non contempto proprio Sacerdote in Eccleſijs Fratrum Mendicantium Dominicis, ac feſtiuis diebus Miſſam audiunt, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, nec aliquam labem peccati mortalis, nec ſubinde pœnam incurrere. Idem declarauit *Pius V. in Bulla anni* 1567. teſte eodem *Manuele tom. 1. Regular. q. 43. ar. 7.* Verum idem *Auctor tom. 1. Summæ c. 123. num. 6.* ait quod *Conceſſio Leonis X. ſecundum id, quod dictum eſt, non eſt priuilegium, ſed quadam declaratio iuris ad abolendos ſcrupulos gentis ignorantis, & ad vitandas lites, quas poſſent excitare Parochi ſimplices.* Qui verò per contemptum proprii Parochi non audit Miſſam in ſua Parochia, ſed alibi, peccat mortaliter, vt docent Doctores communiter, & colligitur ex *c. 2. de Parochijs*, ibi: *Qui proprio contempto Paro. ho.* Notant tamen *Azorius tom. 1. l. 7. c. 6. quæſ. 4. Gutier. l. 1. Canon. c. 30. num. 17. Fagundez c. 3. num. 9.* & alii contra quoſdam apud *Azorium* hunc contemptum debere eſſe expreſſum, quando ſcilicet Parochianus indignatus Parocho, & conuitijs in ipſum iactatis, renuit adire Parochiam. Et inſuper notant *Toletus l. 6. c. 7. nu. 2. Fagund. num. 21.* quod quamuis peccet mortaliter, qui per contemptum ſui Parochi Miſſam audit extra Parochiam, tamen implet præceptum iſtud per Miſſam vbilibet auditam: vnde peccatum erit ratione ſolius contemptus, vel ſcandali, non verò quia violetur præceptum audiendi Miſſam.

Molfeſius tr. 3. c. 17. nu. 70. & Quaranta V. Miſſa verſic. Quarto notan. Quoties Papa concedit facultatem, vt in Oratoriis priuatis Sacrum fiat, ſolere ſequentes limitationes adhibere, ſcilicet, vt Oratorium ad hoc decenter extructum, & ornatum exiſtat, ac ab omnibus domeſticis actibus liberum, ab Ordinario loci viſitandum, & approbandum. Item, vt prædicta conceſſio intelligatur ſinè iurium Parochialium præiudicio. Declarant etiam *Cardinales ſeſſ. 22. Trid. cap. de obſeruandis*, hoc præiudicium intelligi ſolùm in his, quæ pertinent ad Sacramentorum adminiſtrationem, & ad alia, quæ Parochiæ de iure debita tribuuntur, in aliis verò non item vt excipiantur dies Paſchatis, Pentecoſtes, Natiuitatis, &c. liè, vt alii præter familiares eius perſonæ, cujus intuitu dicta licentia conceditur, ſeruitio neceſſarios, ibidem intereſſentes Sacro diebus feſtis ab obligatione Miſſam audiendi, nimirum in Eccleſia minime liberi cenſeantur. Vnde deducunt *Bonac. d. 4. qu. vlt. pu. 12. nu. 4. Auerſa*, & alii extraneum, qui Miſſam audiuit, in præfatis Oratoriis die feſto, debere aliam audire, vt impleat præceptum audiendi Miſſam. At licèt in Breui de Oratorio priuato aſſeratur, Miſſam poſſe celebrari, *in tua, ac familiæ tuæ præſentia*; ſi dominus abſit, poſſe celebrari Miſſam coram familia; & hanc ſatisfacere præcepto, ſicuti etiam è contra, aſſirmant *Diana p. 9. tr. 1. reſ. 2. & Caſtrop. chius l. 3. reſol mor. c. 1. nu. 11.* Quia particula, *Et in his caſibus*, accipitur in ſenſu diſiunctiuo, non copulatiuo.

Aliud eſt de audientibus Miſſam in Oratorio Epiſcopi, hi enim ſatisfaciunt, ſiue ipſemet celebret, ſiue coram ſe celebrare faciat, ſiue in ſua

Digitized by Google

Diœceſi, ſiue aliena. Ita *Sacra Congregatio*, apud *Card. Brancatium in quadã diſſertatione in fine, §. hinc in Sacra Congregatione*, vbi idem firmat de audientibus Miſſam in Cappellis Cardinalium: quam diſſertationem refert per extenſum *Diana p.6. tr.8. reſ.4.*

16 Notandum eſt quinto: Poſſe ſatisfieri præcepto per auditionem cuiuſcumque Miſſæ. Et quamuis *Abbas in c.1. num.8. de vita, & honeſt. Cler.* velit, Fideles teneri in feſtis Miſſam ſolemnem, ſeu maiorem audire; probetque *ex c. hoc attendendum, de conſecr. d.1.* vbi prohibetur, ne Miſſæ priuatæ fiant diebus feſtis; ità publicè, vt propterea populus à Miſſis ſolemnibus auocetur: Nihilominus dicendum eſt non teneri Fideles hanc Miſſam audire; ſatisfacereque præcepto, ſi priuatam audiant. Ita *Tabiena, Toletus, Azorius, Nugnus*, quos ſequitur *Bonac. cit. q. vlt. pu.11. nu.12. Henriquez cum alijs ſupra nu.4. Suarez tom.3. d.88. ſect.2. Fagund. cit. c.3. num.5.* & alii communiter. Ratio eſt, quia nullum ius cogit ad auditionem Miſſæ ſolemnis, ſeu maioris. *Et in c. Hoc attendendum*, nullum eſt verbum præcipiens expreſsè talem auditionem. Quia tamen conuenientiſſimum eſt, vt populus ad ſolemne Sacrum conueniat, præcipitur Sacerdotibus, ne Miſſis priuatis illum auocent à ſolemni conuentu. Quin etſi ius aliquod antiquam auditionem Miſſæ ſolemnis iniungeret, videretur iam contraria conſuetudine derogatum, cùm plurimi Fidelium in feſtis Miſſas ſolùm priuatas audiant. Immò qui in die feſto audit Miſſam votiuam, vel quamcumque aliam ſatisfacit præcepto; quia ſimpliciter audit Miſſam. Nec præceptum obligat ad Miſſam diei propriam: ſed abſolutè obligat ad audiendam Miſſam. Ita *D. Anton. 2. p. tit.9. c.10. §.1. Tambur. l.1. c.3. §.1. nu.2. Nugn. 3. par. q.83. ar.6. dub.2. concl.4. Suarez*, & alii communiter, contra *Angelum V. Miſſa num.33.* Nec obſtat *c. Quidam laicorum, de celebr. Miſſ. ar.* Nam in eo ſolùm reprehenditur quorumdam conſuetudo, vel potius ſuperſtitio, poſtulantium, etiam in feſtis Miſſas votiuas, vel etiam Defunctorum, quæ iuxta Rubricas illis diebus celebrari nequeunt. Ob eandem rationem ſufficit ad præceptum implendũ, audire Miſſam ritu Romano, vel quouis alio non ſolum diuerſorum ordinum, ſed etiam diuerſarum Regionum, aut Eccleſiarum, ſcilicet vel Ambroſiano, vel Moſarauico, vel Græco, vel Syro, vel Armeno, vel Rutheno, vel ſimili, dum ſit Ritus ab Eccleſia permiſſus, nec contineat intolerabilem errorem. Ita *Fagund. cit. c.3. Azorius quæſ.5. Bonac. Layman*, & alii communiter cum *Soto in 4. d.13. q.2. ar.1.* Notatq. *Filliuc. tr.5. num.204.* ſi legitimo ritu Sacerdos Catholicus Græcus, vel Armenus celebret, non ſolùm nos poſſe, ſed etiam teneri, diebus feſtis eius Miſſam audire, dum alia non ſuppetit. Secùs ſi iſti ſint Schiſmatici, vel Hæretici: dicit enim *Fillucius*, non audiendam eſſe Miſſam ipſorum, ob ſcandalum aliorum, qui fortè putarent nos illorum errores approbare. Cæterum *Azorius tom.1. l.8. c.11. quæſ.10.* cenſet Catholicos qui permiſti cum Græcis, Armenis, & Ruthenis Schiſmaticis commorantur, poſſe tuta conſcientia Miſſas ipſorum, dum celebrant

brant ritu ab Eccleſia approbato, diebus feſtis audire, præceptoque ſubinde ſatisfacere.

Qui Miſſam audit à Sacerdote excommunicato vitando, vel ſuſpenſo, interdicto, depoſito, vel degradato, ſatisfacit præcepto. Ita *Dicaſtillus*, & alii, contra *Paſqualig. Dianam*, & alios. Ratio eſt, quia illa auditio Miſſæ, quamuis ab extrinſeco ſit prohibita, & illicita, ſecundum ſe tamen non eſt prohibita, & conſequenter licet ex alio capite; quia ſcilicet eam audit ab excommunicato vitando, &c. peccet mortaliter, implet nihilominus præceptum quoad ſubſtantiam. Et quidem *Diana* inconſequenter loquitur, dum alibi tenet, quòd ſi excommunicatus in excommunicatione audiat Sacrum, ſatisfacit præcepto; atque in vtroque caſu audiens Sacrum peccat lethaliter: Ergo. Excommunicati tamen tolerati poſſunt Fideles Miſſam audire, dũmodo ad eam dicendam illum non inducant. Idem cum *Fagundez*, & aliis *Trullench l. 3. Decal. c. 1. dub. 6. nu. 1.* Et idem dicendum eſt de Miſſa Clerici irregularis, ſi non ſit de irregularitate denunciatus. Ita *Trullench ſupra*, *Anton. à Spiritu Sancto p. 3. tr. 6. d. 1. ſect. 4. n. 26.*

7 Notandum eſt ſextò: Ad ſatisfaciendum huic præcepto quatuor requiri; quorum primum eſt *Præſentia moralis*. Verbum enim audiendi hic non ſumitur ſtrictè, ſed latè, quatenus ſignificat moralem aſſiſtentiam, & humanam præſentiam, & quandam attinentiam ad illud miniſterium colendi Deum oblatione Sacrificii. Sic *S. Antoninus, Sylu. Caietanus, Sotus, Nauarrus, Azorius*, quos ſequitur *Fagundez præcept. 1. l. 2. c. 6 nu. 18. & c. 7. nu. 2. Suarez to. 3. d. 88 ſect. 3. Henriquez l. 9. c. 25. num. 4.* & alii communiter aſſerentes præcipi ſolam præſentiam moralem, qua Miſſis aſſiſtamus, vel audiendo, vel videndo celebrantem, vel ſaltem ita comitando, vel ſociando alios videntes, aut audientes, vt ad multitudinem aſſiſtentium moraliter pertinere, cenſeamur, &, quantum in nobis eſt, percipere poſſimus aliquo ſenſu, vel ſigno quæ dicuntur, vel aguntur, & ſurgere, vel genuflectere, vel tundere pectus, quoties opus ſit. Probatur, tum ex verbo audiendi, quod non poteſt alia ratione commodiùs explicari, tum ex Eccleſiæ praxi, iuxta quam neceſſarium eſt adire templum, vel locum, in quo Miſſa celebratur. Ergo præcipitur præſentia corporalis, & cùm hæc ordinetur ad ſenſibiliter percipiendum verba, vel cæremonias Miſſæ, talis vtique præſentia præcipitur, qualis per ſe loquendo ſufficiat moraliter ad aliquid Miſſæ ſenſu quopiam externo dignoſcendum. Nam percipere ſenſibiliter nihil aliud eſt, quàm aliquo externo ſenſu rem aduertere, vt alios referens docet *Sanchez l. 3. de matrim. d. 13. nu. 9. & 11.*

8 Vnde fit primò, ſurdos, & cæcos, hoc præcepto ligari; quia ſurdus, etſi non audiat verba, poteſt videre cæremonias Miſſæ: Cæcus, quamuis non videat, poteſt audire verba: Qui ſimul eſt ſurdus, & cæcus, poteſt aliquo ſigno noſſe, fieri Sacrum ibi, myſterium attendere, diuinum illum cultum intendere, ſuoque modo ſacrificium offerre cum celebrante, ac om-

omnibus circumſtantibus. Ita *Fagundez ſupra*, *Card. de Lugo d. 22. de Euch. n. 19. Auerſa ſupra, §. Octauo circa, Diana cum alijs p. 5. tr. 6. reſ. 18.*

9 Fit ſecundò, non ſufficere, quòd aliquis adſit intra templum, vt adeſſe cenſeatur cuilibet Miſſæ, quæ celebratur in quouis eius Altari, ſed debet aſſiſtere moraliter celebranti modo ſuperiùs dicto, & arbitrio prudenti decernendum eſt, illum ſic ſe celebrationi præſentem, vt humano modo dicatur celebrationi aſſiſtere. Quare qui eſt in choro ſiſtente poſt murum Altaris, in quo celebratur Miſſa, ſatisfacit præcepto. *Paſqualig. de Sacrif. q. 1301. num. 5. Renzi to. 1. tr. de præcep. Eccleſ. c. 3. quæſ. 2. Antonius à Spir. San. ſupra num. 30. Card. de Lugo, Pallauicinus, Cotonius*, & alii communiter. Nam eſt moraliter præſens. Nec murus chori fuit factus ad diuidendos pſallentes ab Eccleſia, ſed ad tollendos eos ab oculis adſtantium. Et idem dicendum eſt de eo, qui audit Miſſam poſt pilaſtrum Templi: Siquidem eſt moraliter præſens, quia pilaſtrum non fuit factum ad diuidendam vnam partem Eccleſiæ ab alia. Ita *Renzi, & Anton. à Spir. Sancto locis relatis.* Secùs verò dicendum de eo, qui ſtat poſt murum Cappellæ, in qua celebratur Miſſa; hic enim non ſatisfacit; eo quia murus Cappellæ, eſt ad ſeparandum inter Cappellam, & Eccleſiam; & conſequenter ad diuidendum eos, qui ſunt extra murum, intra murum Cappellæ: ac proinde qui ſtat poſt murum Cappellæ non dicitur præſens Cappellæ. Ergo &c. Ita cum alijs *Renzi, & Anton. à Spir. Sancto locis citatis.* Verum in hoc caſu ſi ille fortè coniungeretur cum multitudine horum, qui audiunt Sacrum in illa Cappella, videtur ſatisfacere præcepto: quamuis non videat celebrantem tunc enim eſſet pars ipſius multitudinis: adeoque cenſeretur moraliter præſens. Ita *Gabr. à S. V. d. 3. de Sacrif. q. 9. Anton. à Spir. Sancto ſupra, Leander à ſacram.* & alij communiter.

10 Nec è contra requiritur, vt audiens Miſſam ſit intra Templum, vt contingit quando locus, in quo Miſſa celebratur, non capit multitudinem confluentem; tunc enim adeſſe dicuntur Miſſæ, qui ſunt in Cœmeterio, vel atrio, vel in via communi ante fores Templi, vt notant *Auerſa, & Antonius à Spir. San. ſupra, Card. de Lugo num. 20. Felix à Panormo to. 2. d. 4. num. 873. Reiffenſtuel Theol. moral. tr. 10. diſt. 1. q. 4. num. 39.* Immò *Gabr. à S. V. d. 3. q. 9.* addit, quòd is, qui vnitur cum multitudine audientium Miſſam, etiam ſi intra milliare diſtet à celebrante, vt V. g. quando ſacrum fit in campo, & exercitus audit, ſatisfacit præcepto: eo quia cenſetur pars illius multitudinis: ſecus ſi eſſet ſolus: tunc enim non ſatisfacit. Ita ille *loco cit.*

11 Quòd ſi ſacrum fieret in aliqua platea, vel in via publica, ſufficienter adeſſet, qui Miſſam audiret, vel videret e domo ſua per ianuam, vel feneſtram, quia moraliter tales ſunt præſentes actioni, quæ fit in platea, vel in via, vt docent *Filliuc. tr. 5. num. 209. Trullench l. 3. Decal. c. 1. dub. 5. num. 13.*

Si

Si quis tamen è feneſtra ſuæ Domus videt, vel etiam audit Sacerdotem in aduerſo Templo, vel ſacello celebrantem, quamuis intercedat via publica, dum minus lata non ſit, ſatisfacere præcepto Miſſam audiendi, docent *Card. de Lugo ſupra num. 21. Dicaſtillus de ſacram. d. 5. dub. 4. num 59. Antonius à Spir. Sancto num. 31. Tamburinus l. 4. Decal. c. 2. §. 1. num. 14.* Et idem ſentit *Donatus tr. 7. q. 107.* Hoc vero negant *Filliuc. Auerſa, & Felix à Panormo ſupra Diana p. 4. tr. 4. reſ. 154. Renzi c. 3. quæſ. 1. Caſalicbius l. 3. c. 1. num. 16.* quia non videtur, vel vſu, vel exiſtimatione communi receptum; vt hæc dicatur præſentia moralis, & humana. Certè, cum caſus non ſit frequens, non poteſt communis vſus, aut ſenſus vtramvis partem iuuare. Durum tamen apparet, vt ille non impleat iſtud præceptum, qui præſens eſt, vbi Miſſam externo ſenſu percipit, & forſan minus diſtans à celebrante, quàm alius intra magnum Templum exiſtens. Immò *Dicaſtillus citatus, & Gordonus*, quorum ſententiam probabiliſſimam cenſet *Thomas à S. Maria in collect. de ſacram, par. 4. ſelect 4. dub. 3. diff. 3. illat. 3.* exiſtimant, quòd qui audit Miſſam, & ſi ſit magna diſtantia inter ipſum, & celebrantem aut etiam inter ipſum, & celebrantem mediet magna platea: dummodo videre poſſit, quid agatur: cenſetur moraliter præſens, & conſequenter ſatisfacit.

12 Secundum requiſitum eſt *Intentio.* Duplex autem communiter diſtinguitur, tàm in iſto, quàm in alijs præceptis, altera præſtandi, vel exequendi rem præceptam, altera ſatisfaciendi præcepto per id opus. Circa primam communiter docent Doctores requiri voluntatem audiendi Miſſam. Quia nullum præceptum affirmatiuum impleri poteſt, niſi per actum humanum, & liberum, quo velit homo facere quòd præcipitur. Cum enim lex hominibus imponatur, non brutorum more, ſed humano, non per animales actiones, ſed per humanas implenda eſt, ſicut nec violari poteſt, niſi per actum humanum, & liberum. Ità *Durandus, Paludanus, Medina,* quos refert, & ſequitur *Sanchez l. 1. Decal. c. 13. num. 2. Azorius to. 1. l. 7. c. 2. quæſ. 6. Suar. to. 3. in. 3. p. d. 88. ſect. 3. Filliuc. tr. 5. n. 210. Laym. l. 1. tr. 4. ca. 4. num. 9. Nugnus 3. p. qu. 83. ar. 6. dub. 2. Caſtropalaus to. 1 tr. 3. d. 1. pu. 17. num. 4. Thomas à S. Maria ſupra diff. 11.* & alij communiter, qui rectè colligunt inde, ad præceptorum impletionem requiri ſaltem intentionem virtualem faciendi rem præceptam, & habitualem non ſufficere, quia requiritur actus humanus ad præceptum affirmatiuum implendum; actus autem humanus prouenire non poteſt ab intentione tantum habituali, vt per ſe conſtat. Videatur *Suar. de Relig. to. 2. l. 4. c. 26. num. 3.* Porrò hæc intentio Miſſam audiendi continet ſaltem implicitè voluntatem offerendi ſaltem cum celebrante ſacrificium, iſtud, & communicandi per ſuam præſentiam, tam oblationi, quàm orationibus, & alijs, quæ Sacerdos peculiariter præſtat, & dicit nomine circumſtantium. Quare, ſi quis ſit in Templo ſine tali voluntate, non implet iſtud præceptum; quamuis interim

rim coram illo fiat ſacrum.

13 Hinc fit, ſi quis incipiat Miſſam audire, poſteaque dormiat, etiam inuoluntariè per notabilem eius partem, non implere præceptum, vt cum aliis docet *Sanchez l.7.conſil.c.2. dub.33. Card. de Lugo d.22.n.19. Auerſa cit. ſect.19.§. Octauo circa, Anton. à Spir. Sanct. num.29. Franc. à Ieſu Maria tr.5.c.6.num.18.* Quia non retinet voluntatem liberam, & præſentiam humanam neceſſariam. Quin addunt *Luiſius de Torres in ſelect. p.2.d.16. dub.7. Auerſa, Card. de Lugo, & Anton. à Spir. Sanct. locis relatis, & Tambur. l.4. Decal.c.2.§.1.num.11.* Si quis, dum Miſſam audit, raptum, aut extaſim patiatur, qua prorſus alienetur à ſenſibus, non implere præceptum audiendi Miſſam, quia nec tunc habet intentionem, & præſentiam neceſſariam. Oppoſitum docent *Suar. cit. d.88. ſect.3. Filliuc. num.214. & Trullench l.3.c.1.dub.5.num.14.* Quoniam iſte voluit audire Miſſam, & adhibuit præſentiam neceſſariam ipſius auditioni, retinetque formaliter, aut virtualiter illam voluntatem, dum raptus contemplatione diuinorum perfectiſſime colit Deum, quem oblatione Miſſæ veneramur.

14 Quod ſi quis veniat ad Templum animo meditandi diuina dumtaxat, quamuis interim fiat ſacrum, cui per accidens adſit, in ſua ſemper meditatione perſiſtens, non implere præceptum audiendi Miſſam, quia non habuit intentionem illius audiendæ, ſed ſolum meditandi diuina, cenſent *Sanchez l.1. Decal.c.13.num.3. & Bonac. de leg. d.1.qu.1.pu.10.nu.4.* Horum tamen ſententia procedit, ſi talis homo retinuit poſitiuam nolitionem audiendi ſacrum, dum fiebat. Si verò negatiuè ſolum ſe habeat circa volitionem expreſſam audiendi, vel non audiendi Miſſam, quæ dicitur, dum ibidem ipſe meditatur diuina, habet locum ſententia contraria *Caſtropalai num.7. & Dianæ p.3.tr.6.reſ.77.* Quoniam is adfuit Miſſæ liberè volens. Ergo voluntatem habuit requiſitam, ac ſubinde præceptum impleuit, quin voluit eſſe meditans diuina, dum coram ipſo fiebat ſacrum, nec talis voluntas ſeiungitur à morali præſentia, nec intentio meditandi diuina repugnat cum intentione Miſſam audiendi.

15 Pueri, vel Serui, qui metu Magiſtri, vel Domini in die feſto audiunt Miſſam, quam non audirent, ſi Magiſter, vel Dominus non adeſſent: ſatisfaciunt præcepto, ſi habent voluntatem audiendi Miſſam, nam ſimpliciter volunt audire Miſſam: cum metus non tollat ſimpliciter voluntarium. Quod ſi haberent voluntatem conditionatam non audiendi ſacrum, ſi Magiſter, vel Dominus non foret præſens, peccarent mortaliter, ex hoc capite. Ita *Renzi tom.1.tr.3.c.4.quæſ.4.* & paſſim, alii, quos ſequitur *Franc. à Ieſu Maria n.32.*

Qui verò prorſus inuitus, & coactus detinetur in Templo coram Sacerdote celebrante, ſine vlla voluntate Miſſam audiendi, non implet præceptum. Ita *Medina 1.2.qu.100.ar.9. Henriquez l.9.c.25.num.4. Fagund. l.2. c.7.num.20. Salas de legibus d.9.ſect.2.num.34. Sanch. d.c.13. Franc. à Ieſu*

Ma-

Digitized by Google

Maria num. 25. *Caſtropalaus cit pu.* 17. *num.* 5. & alii communiter: quoniam vbi datur talis coactio, deficit voluntas audiendi Miſſam, vel præſtandi rem præceptam, quæ requiritur ad impletionem præcepti. Non enim impleri poteſt præceptum affirmatiuum, quin efficiatur opus præceptum: At non præcipitur opus neceſſarium, ſed liberum. Ergo non implet præceptum, dum non efficit opus, quod ab interna voluntate libera poſſit exterius denominari liberum. Eſt contra *Victoriam* apud *Salas*, motum, quia iſte aſſiſtit humano modo, nimirum vtendo ratione, quamuis ſine voluntate. Sed reſpondeo, nec moraliter, nec exterius re ipſa præceptum implere, quia non facit rem præceptam, quæ ſcilicet eſt auditio libera ſacri. *Medina ſupra, Henriquez* cum alijs eo *n* 4. *litt. I.* cenſent, incurrere cenſuram, ſi lata ſit contra non audientes Miſſam, dum inuitus quis audit, quia verè non impleuit præceptum etiam exterius, & ille defectus conſtare poteſt in externo foro. Vnde *Franciſcus de Lugo cit c.* 14. *q.* 7. *n.* 96. colligit, quando defectus voluntatis exterius non conſtaret, non incurri cenſuram, licèt re vera non impleatur præceptum, ſicut in confeſſione ficta notat *Henriquez* ſupra, cum multis *litt. K.* quod poteſt aliis præceptis applicari. Secus ſi mutaret voluntatem in ipſo actu, quamuis enim antea peccauerit, quia habuit voluntatem repugnantem præcepto, ſi tamen poſtea illam ponat, ſatisfacit. Ita cum *Suar. o, Filliuc.* & aliis, *Trullench l.* 3. *c.* 1. *d.* 5. *n.* 19.

16 Circa verò alteram intentionem, ſatisfaciendi ſcilicet præcepto, quamuis nonnulli requirant intentionem diſtinctam implendi præceptum. Ita *S. Anton.* 2. *p. tit.* 9. *c.* 10. §. 1. *& Nauar. in Enchiridio de oration. c.* 13. *num.* 27. conſonenique *Suar. cit. d.* 88. *ſect.* 3. *Fagund. d. c.* 7. *num.* 11. *&* 12. *Nugnus* 3. *p. q.* 83 *ar.* 6. *dub.* 2. dicentes, illum, qui non aduertens eſſe feſtum audiuit Miſſam ex deuotione non excludens intentione contraria volitionem ſatisfaciendi præcepto, ſi quod vrget, non teneri rurſus aliam Miſſam audire, quoniam virtualiter, aut interpretatiuè voluit implere præceptum. Nihilominus dicendum eſt, non requiri voluntatem ſatisfaciendi præceptis etiam habitualem, virtualem, aut interpretatiuam diuerſam ab ipſa voluntate faciendi rem præceptam. Ita *Azor. to.* 1. *l.* 7. *c.* 2. *quæſ.* 6. *& l.* 10. *c.* 12. *quæſ.* 9. *Vaſquez* 1. 2. *qu.* 100. *ar.* 9. *circa litteram. Valen.* 2. 2. *d.* 6. *q.* 2. *pu. vlt. Caſtropalaus ſupra num.* 8. *Sanchez cit. c.* 13. *num.* 9. *Anton. à Spir. Sancto num.* 34. & alii, quia præcepta ſolum obligant ad actum præceptum reipſa præſtandum liberè, non autem ad illam internam volitionem ſatisfaciendi præcepto: cum nullibi talis obligatio reperiatur. Hoc indicat *S. Thomas* 2. 2. *qu.* 104. *ar.* 3. *ad* 2. dicens, poſſe quempiam actum virtutis implere non attendendo rationem præcepti. Conſonant *Sotus de iuſt. l.* 10. *qu.* 5. *ar.* 5. *& Caſalichius d. l.* 3. *c.* 1. *num.* 12. dicentes, præceptum audiendi Miſſam obligare ſolum ad ſic audiendum, vt ſit actus humanus. Dixi *Diuerſam ab ipſa voluntate faciendi rem præceptam*; quia vt rectè *Caſtropalaus ſupra num.* 2.

ſi ſe-

Digitized by Google

ſi ſemel habeamus intentionem efficacem exequendi rem præceptam, ſimul habemus implicitam intentionem ſatisfaciendi præcepto; ſiquidem in actu exercito præceptum implemus efficiendo quidquid præcipitur. Itaque ſi quis ignorans eſſe diem feſtum audit Miſſam, poſtea verò cognoſcit eſſe feſtum, non tenetur rurſus aliam Miſſam audire, ſed iudicare poteſt,ſe præcepto ſatisfeciſſe. Sic omnes Doctores relati. Quod idem in voto, vel pœnitentia Sacramentali, vel ſimilibus dicendum eſt, vt aſſerunt *Sanchez ſupra num.*10. *Leſſius, Vaſquez, Azorius, Valen. Laym.* & alii, quos ſequitur *Bonac.de legib.d.*1.*qu.*1.*pu.*10.*num.*11. mòdò non applicet illud opus obligationi diuerſæ. V.g. qui debet Miſſam ex voto, & ex debita pœnitentia, dum audit Miſſam, intendens ſatisfacere voto, non ſatisfacit pœnitentiæ, vel e contra. Si verò debeat ſolum ex voto, cuius immemor audit Miſſam, ipſi ſufficienter ſatisfacit. Idem eſt de iuramento, vel pœnitentia, &c. Aliud eſt in obligationibus iuſtitiæ, iſtis enim ſatisfieri non poteſt ſine voluntate ſatisfaciendi formaliter. Nam ibi præcipitur ſolutio, non donatio: ſolutio verò neceſſario claudit cognitionem obligationis, & voluntatem ſatisfaciendi. quibus deficientibus erit donatio liberalis, ac proinde non extinguet debitum. Ita *Bonac* cum multis ſupra *num.*13. *Sanchez num.*11.*Caſtropalaus num.*10. qui ſubdit, debentem reſtituere centum pauperibus ob malè parta, quamuis immemor ſit obligationis, ac ſubinde non habeat actualem intentionem reſtituendi, dum eleemoſynas largitur ſatisfacere poſſe reſtitutionis obligationi, ſi quando prius generaliter voluerit, vt ſi forſan obligationem habeat reſtitutionis,ei ſatisfaciant eleemoſynæ faciendæ. Nam illæ largitiones tunc non ſunt eleemoſynæ propriè, ſeù donationes liberales, ſed ſunt debiti ſolutiones, vtpotè quæ procedunt ex voluntate generali prærerita ſatisfaciendi debito.

17 An autem audiens Miſſam, & expreſsè nolens ſatisfacere per illam, nihilominus ſatisfaciat? Negant *Medina,Nau,vterque,Ledeſma,Palacios,Angles,Manuel,* quos ſequitur *Fagund.d.*1.7. *num.*21. & 27.*Nugnus cit.dub.*2. *Azorius,* & alii: nam actus non operantur vltra intentionem agentium. *leg.non omnis, ff. ſi certum petatur, leg. in agris, ff. de acq. rer. dom.* At verius affirmant *Sanchez ſupra,Caſtropalaus nu.*12. *Valent.& Vaſquez locis relatis, Salas nu.*32.*Suar. cit.d.*88.*ſect.*3.*& to.*2.*de Relig.tr.*4.*l.*4.*c.*26. *num.*12.*& de leg.l.*3.*c.*29.*num.*12.*& Leſſius l.*2.*c.*37.*dub.*10.*num.*59.*& c.*40.*dub.*6.*num.*42.*Filliuc.num.*211.*Coninch.q.*83.*num.*209. *Laym. l.*1.*tr.*4.*c.*4.*Diana p.*3.*tr.*6.*reſ.*68.69.*&* 77.*Card.de Lugo cit.d.*22.*num.*24.*Auerſa ſupra §. Addit. Nugnus, Felix à Panormo num.*874.*Anton.à Spir.San num.*33. *Caſalichius l. c.num.*12.*Thomas à S.Maria ſupra diſſ.*1.*Paſqual.de Sacrif.q.*1209.*Naldus V. Miſſa num.*16. *Tambur.c.*2.*§.*2.*num.*18.*Barth.à S.Fauſto,* & alij. Nam præcepta non alligant ad habendam intentionem illis ſatisfaciendi, ſed ad exequendam rem præceptam humano modo, vt ſupra oſtenſum eſt. Hic autem audit Miſſam humano modo, ſeù liberè. Quamuis ergo nolit præ-

ſticæ legi colendi Deum auditione miſſæ: ſubſcribit *Felix à Panormo tom. 2. Exam. Confeſſ. d. 4. num. 872.* Addunt iſti Doctores, circa rationis vſum nō poſſe regulam generalem aſſignari; nam aliis citiùs, aliis tardiùs illucet, ac proinde prudens huius rei iudicium in ſingulis pueris ad Parentum, Parochorum, & Confeſſorum curam pertinere. Si verò dubium ſit hic, & nunc an puer polleat, an careat vſu rationis, ante ſeptennium præſumi carere, ſubindeque non obligari, ſecùs poſt ſeptennium. Quia tamen *c. 1. & 2. de delictis puerorum* decernitur, ipſorum delicta non eſſe punienda pœnis ordinarijs, ſed mitioribus, colligunt Doctores, vſque ad quatuordecimum, vel duodecimum annum ipſos non ligari cenſuris. Ita *Sotus, Azorius, Henriquez, Corduba, Valentia*, quos ſequitur *Sanchez l. 1. Decal. c. 12. num. 7. Vaſquez 3. p. q. 90. ar. 2. dub. 4. num. 13. Diana ſupra reſ. 87.* cum aliis, *Suarez* quoque *3. p. tom. 4. d. 36. ſect. 8. nu. 5.* dicit, pueros non incurrere excommunicationem, donec ita perfectum vſum rationis habeant, vt ad communionē obligentur. Eſt contra *Renzi, Thomam à S. Mari*, & alios. Verum rectè *Diana ſupra* cum *Caſtropalao tom. 1. tr. 3. d. 1. pu. 24. §. 2. nu. 9.* excipit ob ſuam grauitatem caſum percuſſionis clerici, & patet expreſse ex *c. ſuper eo, c. Pueris, iuncta Gloſſ., c. Quamuis, de ſenten. excom.* vbi pueri dicuntur, ſi percutiāt Clericum, excommunicationem Canonis incurrere; ſed abſolui poſſe ab Epiſcopo. Sub interdicto locali, vel generali comprehenduntur pueri doli capaces, quoniam licèt ipſi non incurrant pœnam, ob propriam culpam, tenentur generali prohibitione. Sic *Azorius, Sylu. Corduba*, quos ſequitur *Sanchez ſupra nu. 8. Caſtropalaus eo num. 9.* & ſic ſi in ea ætate decedant, non poſſunt ſepeliri in loco interdicto, *Diana ſupra* cum *Salas, Suarez*, & alijs.

4 Notandum eſt tertio: Præceptum hoc obligare non ſolum omnibus diebus Dominicis, ſed etiam feſtis tum communibus totius Eccleſiæ, tum particularibus locorum, iuxta tamen motum proprium Vrbani VIII. de qua re in Commentario præcedenti. Sufficit tamen vnam Miſſam audire etiam in die Natalis Domini. Ita cum *Naldo V. Miſſa num. 16.* communiter alij. Huic autem obligationi poteſt quis ſatisfacere qualibet hora diei feſti. Vnde ſi quando vel in Dominica, vel in feſto fiat ex priuilegio, vel ex iuſta cauſa Sacrum, aut mox poſt mediam noctem, aut diù poſt meridiem, eius auditione præceptum adimpletur: præcipitur enim auditio Miſſæ in die feſto, & hic durat à media nocte, vſque ad mediam noctem. Ita cum communi *Franciſcus de Lugo cit. c. 14. qu. 3. nu. 26.* contra *Paſqualig. dec. 211. nu. 8.* An autem, qui audit Miſſam Pontificis ante mediam noctem Natiuitatis dici ſolitam, ſatisfaciat præcepto in die Natiuitatis? Affirmant *Card. de Lugo d. 15. ſect. 2. num. 57. & Leander a Sacram. ſupra tr. 2. d. 1. qu. 17.* eo quia Papa videtur diſpenſare pro omnibus eidem Miſſæ intereſſentibus. Negant verò *Paſqualig. de Sacrif. q. 1261.* & alii; nam cum ea die plures Miſſæ, à quouis Sacerdote, regulariter loquendo, dici ſoleant, Pontifex putat, ad-

ſtan-

Digitized by Google

ſtantes aliam Miſſam in die Natalis audire, & conſequenter non præſumitur cum adſtantibus diſpenſare. Si is,qui mane dum non erat feſtum audiuit Miſſam,ſi poſtea feſtum publicetur, tenetur nè audire aliam Miſſam? Negant *Diana, Renzi*,& alii. *Leander* verò *à Sacram. Quintanaduennas*, & alii affirmant;quia per auditionem Miſſæ, antequam promulgetur feſtum, non ſatisfacit præcepto:ſiquidem ſatisfactio neceſſario ſupponit obligationem. Probat præterea *Thomas à S. Maria p 4.de Sacram.ſelect.9.dub.1.q.8.* paritate Beneficiarii, qui nequit ſatisfacere debitæ reſtitutioni ob omiſſionem horarum per Eleemoſynas ante de fructibus ſui beneficij factas, vt habet Decretum *Alex.VII.ſub die* 18. *Martij* 1666. vbi damnatur Propoſitio in ordine 33. contrarium docens; de qua vide Commentarium meum in dictam Propoſitionem.

5 Notandum eſt quartò:Fideles ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam in quacumque Eccleſia,etiam non Parochiali. Sic modò communiter Doctores. Et probatur primò: Nam Eccleſia tantùm obligat Fideles ad audiendam Miſſam in feſtis,nec eis aſſignat propriam Parochiam, vt habetur in *Can. Miſſas,& Can.ſi quis etiam, de conſecr. d.1.* vbi ſolùm præſcribitur,vt in ſolemnioribus feſtis non in Oratoriis priuatis,ſed in Ciuitatibus,aut Parochiis audiatur Miſſa, quaſi liceat in quouis Templo Ciuitatis audire. Probatur ſecundò:nam *Trid.ſeſſ.22.decreto de obſeruandis, &c.* ſic ait. *Moneat etiam Epiſcopus populum, vt frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis,ac maioribus feſtis accedant.* Vbi non præceptum, ſed monitionem indicit,nec pro cunctis feſtis, ſed pro maioribus dumtaxat. Probatur tertiò: Nam communis Fidelium conſuetudo nota Paſtoribus, & à Pontifice tolerata,vbilibet habet,vt impleat præceptum audiendæ Miſſæ,qui Sacrum audit in quolibet loco. Quare,ſi quid in contrarium antiquo iure fuit ſtatutum, iam vniuerſali conſuetudine videtur derogatum. Quare Epiſcopus,nec præcipere poteſt,vt ſubditi Sacrum audiant in ſuis Parochiis, nec pœnæ,ſeu cenſuræ,ſi quas addit,valent. Ita *S. Anton.p.2. tit.9.c.4.§.1. Suar.tom.3.d.88.ſect.2. Auerſ. ſupra, §. Quartò circa, Fagund.præcept.1.l.2. c.3.num.12.*& alii communiter. Quia ſicut Epiſcopus non poteſt tollere, nec reſtringere ius commune,iuxta *c.Inferior,21.diſt.* Sic non poteſt tollere,nec reſtringere generalem Eccleſiæ conſuetudinem, nec id iam hodie fieret ſine multorum ſcandalo.Et *Henriquez l.9.c.25.num.9.t.3.* refert anno 1564.quoſdam Epiſcopos (vt *Toletan.Salmantin.Palentin.*)conatos fuiſſe prætextu Tridentini compellere ſub excommunicatione ſubditos adire Parochias ad audiendam Miſſam,& concionem, ſed reſiſtentibus Regularibus,& viris ſapientiſſimis ceſſauiſſe compellere. Ita *declarationibus Cardinalium circa Tridentin.ſeſſ.24.c.4. de refor.num.9.* ſic habetur: *Ordinarius non poteſt per hoc Concilium mulctis, & pœnis,etiam in cauſa notabilis negligentiæ, aut contumaciæ cogere populum ad audiendam Miſſam, & Sacram Concionem in Eccleſia Parochiali.* Quam declarationem referunt, iunio-

res. *Leo X.* apud *Manuelem in Bullario, Bulla* 22. decernit, omnes Chriſti Fideles, qui non contempto proprio Sacerdote in Eccleſijs Fratrum Mendicantium Dominicis, ac feſtiuis diebus Miſſam audiunt, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de audienda Miſſa, nec aliquam labem peccati mortalis, nec ſubinde pœnam incurrere. Idem declarauit *Pius V. in Bulla anni* 1567. teſte eodem *Manuele tom. 1. Regular. q. 43. ar. 7.* Verum idem *Auctor tom. 1. Summæ c. 123. num. 6.* ait quod *Conceſſio Leonis X. ſecundum id, quod dictum eſt, non eſt priuilegium, ſed quædam declaratio iuris ad abolendos ſcrupulos gentis ignorantis, & ad vitandas lites, quas poſſent excitare Parochi ſimplices.* Qui verò per contemptum proprii Parochi non audit Miſſam in ſua Parochia, ſed alibi, peccat mortaliter, vt docent Doctores communiter, & colligitur ex *c. 2. de Parochijs*, ibi: *Qui proprio contempto Paro. ha.* Notant tamen *Azorius tom. 1. l. 7. c. 6. quæſ. 4. Gutier. l. 1. Canon. c. 30. num. 17. Fagundez c. 3. num. 9.* & alii contra quoſdam apud *Azorium* hunc contemptum debere eſſe expreſſum, quando ſcilicet Parochianus indignatus Parocho, & conuitijs in ipſum iactatis, renuit adire Parochiam. Et inſuper notant *Toletus l. 6. c. 7. nu. 2. Fagund. num. 21.* quod quamuis peccet mortaliter, qui per contemptum ſui Parochi Miſſam audit extra Parochiam, tamen implet præceptum iſtud per Miſſam vbilibet auditam: vnde peccatum erit ratione ſolius contemptus, vel ſcandali, non verò quia violetur præceptum audiendi Miſſam.

Molfeſius tr. 3. c. 17. nu. 70. & Quaranta V. Miſſa verſic. Quarto notant. Quoties Papa concedit facultatem, vt in Oratoriis priuatis Sacrum fiat, ſolere ſequentes limitationes adhibere, ſcilicet, vt Oratorium ad hoc decenter extructum, & ornatum exiſtat, ac ab omnibus domeſticis actibus liberum, ab Ordinario loci viſitandum, & approbandum. Item, vt prædicta conceſſio intelligatur ſinè iurium Parochialium præiudicio. Declarant etiam Cardinales *ſeſſ. 22. Trid. cap. de obſeruandis*, hoc præiudicium intelligi ſolùm in his, quæ pertinent ad Sacramentorum adminiſtrationem, & ad alia, quæ Parochiæ de iure debita tribuuntur, in alıis verò non item vt excipiantur dies Paſchatis, Pentecoſtes, Natiuitatis, &c. Itē, vt alii præter familiares eius perſonæ, cujus intuitu dicta licentia conceditur, ſeruitio neceſſarios, ibidem intereſſentes Sacro diebus feſtis ab obligatione Miſſam audiendi, nimirum in Eccleſia minime liberi cenſeantur. Vnde deducunt *Bonac. d. 4. qu. vlt. pu. 12. nu. 4. Auerſa*, & alii extraneum, qui Miſſam audiuit, in præfatis Oratoriis die feſto, debere aliam audire, vt impleat præceptum audiendi Miſſam. At licèt in Breui de Oratorio priuato aſſeratur, Miſſam poſſe celebrari, *in tua, ac familiæ tuæ præſentia*; ſi dominus abſit, poſſe celebrari Miſſam coram familia; & hanc ſatisfacere præcepto, ſicuti etiam è contra, aſſirmant *Diana p. 9. tr. 1. reſ. 2. & Caſtelebius l. 3. reſol mor. c. 1. nu. 11.* Quia particula, *Et in his caſibus*, accipitur in ſenſu diſiunctiuo, non copulatiuo.

Aliud eſt de audientibus Miſſam in Oratorio Epiſcopi, hi enim ſatisfaciunt; ſiue ipſemet celebret, ſiue coram ſe celebrare faciat, ſiue in ſua

Dœ-

Digitized by Google

Diœceſi,ſiue aliena. Ita *Sacra Congregatio*, apud *Card. Brancatium in quadā diſſertatione in fine,§.hinc in Sacra Congregatione*,vbi idem firmat de audientibus Miſſam in Cappellis Cardinalium: quam diſſertationem refert per extenſum *Diana p.6.tr.8.reſ.4.*

16 Notandum eſt quintò: Poſſe ſatisfieri præcepto per auditionem cuiuſcumque Miſſæ. Et quamuis *Abbas in c.1.num.8.de vita, & honeſt.Cler.* velit, Fideles teneri in feſtis Miſſam ſolemnem, ſeu maiorem audire;probetque *ex c.hoc attendendum,de conſecr.d.1.*vbi prohibetur,ne Miſſæ priuatæ fiant diebus feſtis; ità publicè,vt propterea populus à Miſſis ſolemnibus auocetur:Nihilominus dicendum eſt non teneri Fideles hanc Miſſam audire; ſatisfacereque præcepto,ſi priuatam audiant. Ita *Tabiena,Toletus,Azorius,Nugnus*,quos ſequitur *Bonac.cit.q.vlt.pu.11.nu.12. Henriquez cum alijs ſupra nu.4.Suarez tom.3.d.88.ſect.2. Fagund.cit.c.3.num.5.* & alii communiter. Ratio eſt, quia nullum ius cogit ad auditionem Miſſæ ſolemnis, ſeu maioris. *Et in c.Hoc attendendum*,nullum eſt verbum præcipiens expreſsè talem auditionem. Quia tamen conuenientiſſimum eſt, vt populus ad ſolemne Sacrum conueniat,præcipitur Sacerdotibus,ne Miſſis priuatis illum auocent à ſolemni conuentu. Quin etſi ius aliquod antiquam auditionem Miſſæ ſolemnis iniungeret, videretur iam contraria conſuetudine derogatum,cùm plurimi Fidelium in feſtis Miſſas ſolùm priuatas audiant. Immò qui in die feſto audit Miſſam votiuam, vel quamcumque aliam ſatisfacit præcepto;quia ſimpliciter audit Miſſam. Nec præceptum obligat ad Miſſam diei propriam: ſed abſolutè obligat ad audiendam Miſſam. Ita *D.Anton.2.p.tit.9.c.10.§.1.Tambur.l.1.c.3.§.1.nu.2.Nugn.3.par. q.83.ar.6. dub.2. concl.4.Suarez*,& alii communiter, contra *Angelum V.Miſſa num.33.* Nec obſtat *c.Quidam laicorum,de celebr.Miſſar.*Nam in eo ſolùm reprehenditur quorumdam conſuetudo,vel potius ſuperſtitio,poſtulantium,etiam in feſtis Miſſas votiuas,vel etiam Defunctorum,quæ iuxta Rubricas illis diebus celebrari nequeunt. Ob eandem rationem ſufficit ad præceptum implendū, audire Miſſam ritu Romano,vel quouis alio non ſolum diuerſorum ordinum,ſed etiam diuerſarum Regionum, aut Eccleſiarum,ſcilicet vel Ambroſiano,vel Moſarauico,vel Græco,vel Syro, vel Armeno,vel Rutheno, vel ſimili,dum ſit Ritus ab Eccleſia permiſſus, nec contineat intolerabilem errorem. Ita *Fagund.cit.c.3.Azorius quæſ.5.Bonac.Layman*, & alii communiter cum *Soto in 4.d.13.q.2.ar.1.*Notatq. *Filliuc.tr.5. num.204.* ſi legitimo ritu Sacerdos Catholicus Græcus, vel Armenus celebret, non ſolùm nos poſſe,ſed etiam teneri,diebus feſtis eius Miſſam audire, dum alia non ſuppetit. Secùs ſi iſti ſint Schiſmatici,vel Hæretici:dicit enim *Filliucius*, non audiendam eſse Miſſam ipſorum, ob ſcandalum aliorum, qui fortè putarent nos illorum errores approbare.Cæterum *Azorius tom.1.l.8.c.11.quæſ.10.*cenſet Catholicos qui permiſti cum Græcis,Armenis, & Ruthenis Schiſmaticis commorantur, poſse tuta conſcientia Miſsas ipſorum, dum cele-

brant ritu ab Eccleſia approbato, diebus feſtis audire, præceptoque ſubinde ſatisfacere.

Qui Miſſam audit à Sacerdote excommunicato vitando, vel ſuſpenſo, interdicto, depoſito, vel degradato, ſatisfacit præcepto. Ita *Dicaſtillus*, & alii, contra *Paſqualig. Dianam*, & alios. Ratio eſt, quia illa auditio Miſſæ, quamuis ab extrinſeco ſit prohibita, & illicita, ſecundum ſe tamen non eſt prohibita, & conſequenter licet ex alio capite; quia ſcilicet eam audit ab excommunicato vitando, &c. peccet mortaliter, implet nihilominus præceptum quoad ſubſtantiam. Et quidem *Diana* inconſequenter loquitur, dum alibi tenet, quòd ſi excommunicatus in excommunicatione audiat Sacrum, ſatisfacit præcepto; atque in vtroque caſu audiens Sacrum peccat lethaliter: Ergo. Excommunicati tamen tolerati poſſunt Fideles Miſſam audire, dūmodo ad eam dicendam illum non inducant. Idem cum *Fagundez*, & aliis *Trullench l. 3. Decal. c. 1. dub. 6. nu. 1.* Et idem dicendum eſt de Miſſa Clerici irregularis, ſi non ſit de irregularitate denunciatus. Ita *Trullench ſupra*, *Anton. à Spiritu Sancto p. 3. tr. 6. d. 1. ſect. 4. n. 26.*

7 Notandum eſt ſextò: Ad ſatisfaciendum huic præcepto quatuor requiri; quorum primum eſt *Præſentia moralis*. Verbum enim audiendi hic non ſumitur ſtricte, ſed latè, quatenus ſignificat moralem aſſiſtentiam, & humanam præſentiam, & quandam attinentiam ad illud miniſterium colendi Deum oblatione Sacrificii. Sic *S. Antoninus, Sylu. Caietanus, Sotus, Nauarrus, Azorius*, quos ſequitur *Fagundez præcept. 1. l. 2. c. 6 nu. 18. & c. 7. nu. 2. Suarez to. 3. d. 88. ſect. 3. Henriquez l. 9. c. 25. num. 4.* & alii communiter aſſerentes præcipi ſolam præſentiam moralem, qua Miſſis aſſiſtamus, vel audiendo, vel videndo celebrantem, vel ſaltem ita comitando, vel ſociando alios videntes, aut audientes, vt ad multitudinem aſſiſtentium moraliter pertinere, cenſeamur, &, quantum in nobis eſt, percipere poſſimus aliquo ſenſu, vel ſigno quæ dicuntur, vel aguntur, & ſurgere, vel genuflectere, vel tundere pectus, quoties opus ſit. Probatur, tum ex verbo audiendi, quod non poteſt alia ratione commodiùs explicari, tum ex Eccleſiæ praxi, iuxta quam neceſſarium eſt adire templum, vel locum, in quo Miſſa celebratur. Ergo præcipitur præſentia corporalis, & cùm hæc ordinetur ad ſenſibiliter percipiendum verba, vel cæremonias Miſſæ, talis vtique præſentia præcipitur, qualis per ſe loquendo ſufficiat moraliter ad aliquid Miſſæ ſenſu quopiam externo dignoſcendum. Nam percipere ſenſibiliter nihil aliud eſt, quàm aliquo externo ſenſu rem aduertere, vt alios referens docet *Sanchez l. 3. de matrim. d. 13. nu. 9. & 11.*

8 Vnde fit primò, ſurdos, & cæcos, hoc præcepto ligari; quia ſurdus, etſi non audiat verba, poteſt videre cæremonias Miſſæ: Cæcus, quamuis non videat, poteſt audire verba: Qui ſimul eſt ſurdus, & cæcus, poteſt aliquo ſigno noſſe, fieri Sacrum ibi, myſterium attendere, diuinum illum cultum intendere, ſuoque modo ſacrificium offerre cum celebrante, ac om-

omnibus circumſtantibus. Ita *Fagundez ſupra*, *Card.de Lugo d.22.de Euch. n.19.Auerſa ſupra,§.Octauo circa, Diana cum alijs p.5.tr.6.reſ.18.*

9 Fit ſecundò, non ſufficere, quòd aliquis adſit intra templum, vt adeſſe cenſeatur cuilibet Miſſæ, quæ celebratur in quouis eius Altari, ſed debet aſſiſtere moraliter celebranti modo ſuperiùs dicto, & arbitrio prudenti decernendum eſt, illum ſic ſe celebrationi præſentem, vt humano modo dicatur celebrationi aſſiſtere. Quare qui eſt in choro ſiſtente poſt murum Altaris, in quo celebratur Miſſa, ſatisfacit præcepto. *Paſqualig. de Sacrif.q.1301.num.5. Renzi to.1. tr.de præcep.Eccleſ.c.3. quæſ.2. Antonius à Spir.San.ſupra num.30.Card.de Lugo, Pallauicinus, Cotonius*, & alii communiter. Nam eſt moraliter præſens. Nec murus chori fuit factus ad diuidendos pſallentes ab Eccleſia, ſed ad tollendos eos ab oculis adſtantium. Et idem dicendum eſt de eo, qui audit Miſſam poſt pilaſtrum Templi: Siquidem eſt moraliter præſens, quia pilaſtrum non fuit factum ad diuidendam vnam partem Eccleſiæ ab alia. Ita *Renzi, & Anton.à Spir.Sancto locis relatis*. Secus verò dicendum de eo, qui ſtat poſt murum Cappellæ, in qua celebratur Miſſa; hic enim non ſatisfacit; eo quia murus Cappellæ, eſt ad ſeparandum inter Cappellam, & Eccleſiam; & conſequenter ad diuidendum eos, qui ſunt extra murum, intra murum Cappellæ: ac proinde qui ſtat poſt murum Cappellæ non dicitur præſens Cappellæ. Ergo &c. Ita cum alijs *Renzi, & Anton.à Spir.Sancto locis citatis*. Verum in hoc caſu ſi ille fortè coniungeretur cum multitudine horum, qui audiunt Sacrum in illa Cappella, videtur ſatisfacere præcepto: quamuis non videat celebrantem tunc enim eſſet pars ipſius multitudinis: adeoque cenſeretur moraliter præſens. Ita *Gabr.à S.V.d.3. de Sacrif.q.9. Anton. à Spir. Sancto ſupra, Leander à ſacram.* & alij communiter.

10 Nec è contra requiritur, vt audiens Miſſam ſit intra Templum, vt contingit quando locus, in quo Miſſa celebratur, non capit multitudinem confluentem; tunc enim adeſſe dicuntur Miſſæ, qui ſunt in Cœmeterio, vel atrio, vel in via communi ante fores Templi, vt notant *Auerſa, & Antonius à Spir.San.ſupra,Card.de Lugo num.20. Felix à Panormo to.2. d.4. num.873.Reiffenſtuel Theol.moral tr.10. diſt.1.q.4.num.39.* Immò *Gabr.à S. V.d.3.q.9.* addit, quòd is, qui vnitur cum multitudine audientium Miſſam, etiam ſi intra milliare diſtet à celebrante, vt V.g. quando ſacrum fit in campo, & exercitus audit, ſatisfacit præcepto: eo quia cenſetur pars illius multitudinis: ſecus ſi eſſet ſolus: tunc enim non ſatisfacit. Ita ille *loco cit.*

11 Quòd ſi ſacrum fieret in aliqua platea, vel in via publica, ſufficienter adeſſet, qui Miſſam audiret, vel videret e domo ſua per ianuam, vel feneſtram, quia moraliter tales ſunt præſentes actioni, quæ fit in platea, vel in via, vt docent *Filliuc. tr.5. num.209. Trullench l.3. Decal. c.1. dub.5. num.13.*

Si

Si quis tamen è feneſtra ſuæ Domus videt, vel etiam audit Sacerdotem in aduerſo Templo, vel ſacello celebrantem, quamuis intercedat via publica, dum minus lata non ſit, ſatisfacere præcepto Miſſam audiendi, docent *Card. de Lugo ſupra num. 21. Dicaſtillus de ſacram. d. 5. dub. 4. num 59. Antonius à Spir. Sancto num. 31. Tamburinus l. 4. Decal. c. 2. §. 1. num. 14.* Et idem ſentit *Donatus tr. 7. q. 107.* Hoc vero negant *Filliuc. Auerſa, & Felix à Panormo ſupra Diana p. 4. tr. 4. reſ. 154. Renzi c. 3. quæſ. 1. Caſalicbius l. 3. c. 1. num. 16.* quia non videtur, vel vſu, vel exiſtimatione communi receptum, vt hæc dicatur præſentia moralis, & humana. Certè, cum caſus non ſit frequens, non poteſt communis vſus, aut ſenſus vtramvis partem iuuare. Durum tamen apparet, vt ille non impleat iſtud præceptum, qui præſens eſt, vbi Miſſam externo ſenſu percipit, & forſan minus diſtans à celebrante, quàm alius intra magnum Templum exiſtens. Immò *Dicaſtillus citatus, & Gordonus*, quorum ſententiam probabiliſſimam cenſet *Thomas à S. Maria in collect. de ſacram, par. 4. ſelect. 4. dub. 3. diff. 3. illat. 3.* exiſtimant, quód qui audit Miſſam, & ſi ſit magna diſtantia inter ipſum, & celebrantem aut etiam inter ipſum, & celebrantem mediet magna platea: dummodo videre poſſit, quid agatur: cenſetur moraliter præſens, & conſequenter ſatisfacit.

12 Secundum requiſitum eſt *Intentio.* Duplex autem communiter diſtinguitur, tàm in iſto, quàm in alijs præceptis, altera præſtandi, vel exequendi rem præceptam, altera ſatisfaciendi præcepto per id opus. Circa primam communiter docent Doctores requiri voluntatem audiendi Miſſam. Quia nullum præceptum affirmatiuum impleri poteſt, niſi per actum humanum, & liberum, quo velit homo facere quod præcipitur. Cum enim lex hominibus imponatur, non brutorum more, ſed humano, non per animales actiones, ſed per humanas implenda eſt, ſicut nec violari poteſt, niſi per actum humanum, & liberum. Ità *Durandus, Paludanus, Medina*, quos refert, & ſequitur *Sanchez l. 1. Decal. c. 13. num. 2. Azorius to. 1. l. 7. c. 2. quæſ. 6. Suar. to. 3. in. 3. p. d. 88. ſect. 3. Filliuc. tr. 5. n. 210. Laym. l. 1. tr. 4. c. 4. num. 9. Nugnus 3. p. qu. 83. ar. 6. dub. 2. Caſtropalaus to. 1 tr. 3. d. 1. pu. 17. num. 4. Thomas à S. Maria ſupra diff. 11.* & alij communiter, qui rectè colligunt inde, ad præceptorum impletionem requiri ſaltem intentionem virtualem faciendi rem præceptam, & habitualem non ſufficere, quia requiritur actus humanus ad præceptum affirmatiuum implendum; actus autem humanus prouenire non poteſt ab intentione tantum habituali, vt per ſe conſtat. Videatur *Suar. de Relig. to. 2. l. 4. c. 26. num. 3.* Porrò hæc intentio Miſſam audiendi continet ſaltem implicitè voluntatem offerendi ſaltem cum celebrante ſacrificium, iſtud, & communicandi per ſuam præſentiam, tam oblationi, quàm orationibus, & alijs, quæ Sacerdos peculiariter præſtat, & dicit nomine circumſtantium. Quare, ſi quis ſit in Templo ſine tali voluntate, non implet iſtud præceptum, quamuis interim

Digitized by Google

rim coram illo fiat ſacrum.

13 Hinc fit, ſi quis incipiat Miſſam audire, poſteaque dormiat, etiam inuoluntariè per notabilem eius partem, non implere præceptum, vt cum aliis docet *Sanchez l. 7. conſil. c. 2. dub. 33. Card. de Lugo d. 22. n. 19. Auerſa tit. ſect. 19. §. Octauo circa, Anton. à Spir. Sanct. num. 29. Franc. à Ieſu Maria tr. 5. c. 6. num. 18.* Quia non retinet voluntatem liberam, & præſentiam humanam neceſſariam. Quin addunt *Luiſius de Torres in ſelect. p. 2. d. 16. dub. 7. Auerſa, Card. de Lugo, & Anton. à Spir. Sanct. locis relatis, & Tambur. l. 4. Decal. c. 2. §. 1. num. 11.* Si quis, dum Miſſam audit, raptum, aut extaſim patiatur, qua prorſus alienetur à ſenſibus, non implere præceptum audiendi Miſſam, quia nec tunc habet intentionem, & præſentiam neceſſariam. Oppoſitum docent *Suar. cit. d. 88. ſect. 3. Filliuc. num. 214. & Trullench l. 3. c. 1. dub. 5. num. 14.* Quoniam iſte voluit audire Miſſam, & adhibuit præſentiam neceſſariam ipſius auditioni, retinetque formaliter, aut virtualiter illam voluntatem, dum raptus contemplatione diuinorum perfectiſſime colit Deum; quem oblatione Miſſæ veneramur.

14 Quod ſi quis veniat ad Templum animo meditandi diuina dumtaxat, quamuis interim fiat ſacrum, cui per accidens adſit, in ſua ſemper meditatione perſiſtens, non implere præceptum audiendi Miſſam, quia non habuit intentionem illius audiendæ, ſed ſolum meditandi diuina, cenſent *Sanchez l. 1. Decal. c. 13. num. 3. & Bonac. de leg. d. 1. qu. 1. pu. 10. nu. 4.* Horum tamen ſententia procedit, ſi talis homo retinuit poſitiuam nolitionem audiendi ſacrum, dum fiebat. Si verò negatiuè ſolum ſe habeat circa volitionem expreſſam audiendi, vel non audiendi Miſſam, quæ dicitur, dum ibidem ipſe meditatur diuina, habet locum ſententia contraria *Caſtropalai num. 7. & Dianæ p. 3. tr. 6. reſ. 77.* Quoniam is adfuit Miſſæ liberè volens. Ergo voluntatem habuit requiſitam, ac ſubinde præceptum impleuit, quin voluit eſſe meditans diuina, dum coram ipſo fiebat ſacrum, nec talis voluntas ſeiungitur à morali præſentia, nec intentio meditandi diuina repugnat cum intentione Miſſam audiendi.

15 Pueri, vel Serui, qui metu Magiſtri, vel Domini in die feſto audiunt Miſſam, quam non audirent, ſi Magiſter, vel Dominus non adeſſent: ſatisfaciunt præcepto, ſi habent voluntatem audiendi Miſſam, nam ſimpliciter volunt audire Miſſam: cum metus non tollat ſimpliciter voluntarium. Quod ſi haberent voluntatem conditionatam non audiendi ſacrum, ſi Magiſter, vel Dominus non foret præſens, peccarent mortaliter, ex hoc capite. Ita *Renzi tom. 1. tr. 3. c. 4. quæſ. 4.* & paſſim, alii, quos ſequitur *Franc. à Ieſu Maria n. 32.*

Qui verò prorſus inuitus, & coactus detinetur in Templo coram Sacerdote celebrante, ſine vlla voluntate Miſſam audiendi, non implet præceptum. Ita *Medina 1. 2. qu. 100. ar. 9. Henriquez l. 9. c. 25. num. 4. Fagund. l. 2. c. 7. num. 20. Salas de legibus d. 9. ſect. 2. num. 34. Sanch. d. c. 13. Franc. à Ieſu*

Ma-

Digitized by Google

ſi ſemel habeamus intentionem efficacem exequendi rem præceptam, ſimul habemus implicitam intentionem ſatisfaciendi præcepto; ſiquidem in actu exercito præceptum implemus efficiendo quidquid præcipitur. Itaque ſi quis ignorans eſſe diem feſtum audit Miſſam, poſtea verò cognoſcit eſſe feſtum, non tenetur rurſus aliam Miſſam audire, ſed iudicare poteſt, ſe præcepto ſatisfeciſſe. Sic omnes Doctores relati. Quod idem in voto, vel pœnitentia Sacramentali, vel ſimilibus dicendum eſt, vt aſſerunt *Sanchez ſupra num.*10. *Leſſius, Vaſquez, Azorius, Valen. Laym.* & alii, quos ſequitur *Bonac.de legib.d.*1.*qu.*1.*pu.*10.*num.*11. modò non applicet illud opus obligationi diuerſæ. V.g. qui debet Miſſam ex voto, & ex debita pœnitentia, dum audit Miſſam, intendens ſatisfacere voto, non ſatisfacit pœnitentiæ, vel è contra. Si verò debeat ſolum ex voto, cuius immemor audit Miſſam, ipſi ſufficienter ſatisfacit. Idem eſt de iuramento, vel pœnitentia, &c. Aliud eſt in obligationibus iuſtitiæ, iſtis enim ſatisfieri non poteſt ſine voluntate ſatisfaciendi formaliter. Nam ibi præcipitur ſolutio, non donatio: ſolutio verò neceſſario claudit cognitionem obligationis, & voluntatem ſatisfaciendi. quibus deficientibus erit donatio liberalis, ac proinde non extinguet debitum. Ita *Bonac* cum multis ſupra *num.*13. *Sanchez num.*11.*Caſtropalaus num.*10. qui ſubdit, debentem reſtituere centum pauperibus ob malè parta, quamuis immemor ſit obligationis, ac ſubinde non habeat actualem intentionem reſtituendi, dum eleemoſynas largitur ſatisfacere poſſe reſtitutionis obligationi, ſi quando prius generaliter voluerit, vt ſi forſan obligationem habeat reſtitutionis, ei ſatisfaciant eleemoſynæ faciendæ. Nam illæ largitiones tunc non ſunt eleemoſynæ propriæ, ſeù donationes liberales, ſed ſunt debiti ſolutiones, vtpotè quæ procedunt ex voluntate generali præterita ſatisfaciendi debito.

17 An autem audiens Miſſam, & expreſsè nolens ſatisfacere per illam, nihilominus ſatisfaciat? Negant *Medina, Nau. vterque, Ledeſma, Palacios, Angles, Manuel,* quos ſequitur *Fagund.d.c.*7. *num.*21. *&* 27.*Nugnus cit.dub.*2. *Azorius,* & alii: nam actus non operantur vltra intentionem agentium. *leg. non omnis, ff. ſi certum petatur, leg. in agris, ff. de acq. rer. dom.* At verius affirmant *Sanchez ſupra, Caſtropalaus nu.*12. *Valent. & Vaſquez locis relatis, Salas nu.*32.*Suar. cit.d.*88.*ſect.*3.*&* *to.*2.*de Relig.tr.*4.*l.*4.*c.*26. *num.*12. *& de leg.l.*3.*c.*29.*num.*12.*& Leſſius l.*2.*c.*37.*dub.*10.*num.*59.*& c.*40.*dub.*6.*num.*42.*Filliuc.num.*211.*Coninch.q.*83.*num.*209. *Laym. l.*1.*tr.*4.*c.*4.*Diana p.*3.*tr.*6.*reſ.*68.69.*&* 77.*Card.de Lugo cit.d.*22.*num.*24.*Auerſa ſupra §. Addit. Nugnus, Felix à* Panormo *num.*874.*Anton.à Spir.San num.*33. *Caſalichius l.c.num.*12.*Thomas à S.Maria ſupra diff.*1.*Paſqual.de Sacrif.q.*1209.*Naldus V. Miſſa num.*26. *Tambur.c.*2.*§.*2.*num.*18.*Barth.à S.Fauſto*, & alij. Nam præcepta non alligant ad habendam intentionem illis ſatisfaciendi, ſed ad exequendam rem præceptam humano modo, vt ſupra oſtenſum eſt. Hic autem audit Miſſam humano modo, ſeù libere. Quamuis ergo nolit præ-

cepto ſatisfacere, verè ſatisfacit, dum exequitur verè quod præcipitur. Nec eſt in operantis poteſtate non ſatisfacere præceptis, dum libere vult exequi rem præceptam. Vnde ſi feratur excommunicatio contra non audientes Miſſam, & aliquis debita intentione Miſſam audiat, animo non obediendi Eccleſiæ, non incurrit excommunicationem. Ita cum *Bonac.* & alijs *Trullench. ſupra nu.22. Anton.à Spir.Sancto nu.34. Suarez, Filliuc. & Leſſius ſupra* poſtulant, vt audiens Miſſam cum intentione non ſatisfaciendi, mutet illam voluntatem intra tempus opportunum implendo præcepto, velitque auditione Miſſæ præcedentis ſatisfacere. At hanc limitationem rectiùs reijciunt *Caſtropalaus, Card.de Lugo, Salas, Sanchez, Layman, Auerſa, Thomas à S.Maria, & Anton.à Spir.Sancto, Caſalichius* locis relatis. Quia vel per illam priorem auditionem Miſſæ fuit impletum præceptum, vel non: Si fuit impletum, non requiritur ad eius impletionem ea voluntatis mutatio. Cum enim præceptum Miſſæ iam impletum ſit, nullum ſupereſt præceptum, quod obliget ad eliciendum hunc actum obedientiæ. Si non fuit impletum, nihil conducet ea voluntatis mutatio, cum præſtare nequeat, vt opus præteritum ex obedientia proceſſerit. Nec requiritur obedientia formalis, ſed ſufficit materialis reperta in ipſa executione rei præceptæ; vnde ſufficienter inuenitur in actu priori, dum verè ſit, quod præcipitur, & ſi cum intentione non ſatisfaciendi. *Sanchez cit. c.13. num.14.* requirit, vt qui, putat, ſe non ſatisfeciſſe priori Miſſa, deponat eam conſcientiam erroneam, ſciens ſe ſatisfeciſſe. Certe, ſi quis in noſtro caſu iudicet, ſe non impleuiſſe præceptum auditione priori, tenebitur ex erronea conſcientia Miſſam aliam audire; per ſe verò non tenetur ad iudicandum, ſe non ſatisfeciſſe præcepto: quia non eſt, vnde talis obligatio colligatur, ſed per accidens tenebitur, vt erronea conſcientia deponatur. Ita *Salas ſupra*, & alij. Hic autem quandoque peccat, quandoque non: ſi enim audiat Miſſam in feſto cum intentione non ſatisfaciendi præcepto tunc, ſed poſtea, nullo modo peccat, nec poſtea tenetur Miſſam aliam audire, ſed ad ſummum iudicare ſe ſufficienter impleuiſſe præceptum, ne peccet ex conſcientia erronea, ſi non audiat. Si verò voluntatem habet nec ſatisfaciendi præcepto per illã Miſſam, nec aliam audiendi poſt, peccat mortaliter non effectu, ſed affectu: *Felix à Panormo ſupra nu. 874. Diana*, & alij, quos ſequitur *Caſalichius cit.num.12.* Vel contra præceptum naturale diuinum, quo tenetur quilibet ſubijci legibus, & legislatoribus, vt ait *Sanchez ſupra num.15.* Vel etiam contra præceptum illud Eccleſiaſticum, quod etiam prohibet, quemlibet affectum ſibi contrarium, vt aiunt *Suarez, & Laym.locis relatis, Bonac.de leg.d.1.q.1.pu.10.nu.20.* & alibi: quare ſi nolit audire poſtea Miſſam permanens in intentione non implendi præceptum auditione præcedenti, peccat interno affectu contra præceptum, non autem externa præcepti violatione. Ad fundamentum autem oppoſitæ ſententiæ, reſpondeo ex dictis, actum non operari

vltra

vltra intentionem agentis, quando pendet ab eius intentione tam actus quàm effectus ipſius. At, quando poſito actu ſequitur effectus neceſſariò, non poteſt actu poſito per intentionem agentis impediri talis effectus. Sic in præſenti poſita libera executione rei præceptæ, videlicet auditione Miſſæ, non poteſt impediri per intentionem agentis adimpletio præcepti. Ita poſt alios *Gabr. à S. V. d. 3. q. 9.* Quin etiam dici poteſt, hic actus operari non vltra, ſed iuxta intentionem agentis; efficacem tamen. Nam quoties voluntatem habes audiendi Miſſam, & non implendi præceptum, duplicem intentionem habes, primam efficacem præſtandi rem præceptam, quæ conſequenter inducit efficacem impletionem præcepti, ſubindeque continet virtualem intentionem efficacem implendi præceptum. Secundam inefficacem ortam ex ignorantia, vel errore, quo falsò putas, audiendo talem Miſſam non impleri præceptum. Igitur ex concurſu duplicis huius intentionis vincit efficax, vtpotè principalior. Sic *Franc. à Ieſu Maria num.* 29.

18 Per auditionem Miſſæ peccaminoſam impletur præceptum, nempè ſi quis ob vanam gloriam, vel ob turpem aſpectum aſſiſtat Miſſæ. Ita *Nau. Sotus, Conar. Azorius, Ledeſma*, quos ſequitur *Sanchez l. 1. Decal. c. 14. num. 1. Suar. cit. d. 88. ſect. 3. Fill. inc. num. 213. Caſtropalaus to. 1. tr. 3. d. 1. pu. 18. num. 2. Franc. à Ieſu Maria num. 34. Card. de Lugo cit. d. 22. num. 23. Caſſalichius d. l. 3. c. 1. num. 14. Tambur. ſupra num. 17.* Et alij communiter. Contra *S. Antonin. 2. p. tit. 9. c. 10. §. 2. Maiorem in 4. d. 15. q. 3. Adrianum in 4. de confeſſione q. 5. dub. 4. Carthuſianum in 1. d. 17. q. 2. & in 4. d. 17. q. 1.* Quia præceptum humanum ſolùm imperat actus ſubſtantiam, & modum pertinentem ad ſubſtantiam actus præcepti, qualis eſt intentio colendi Deum in oratione, conferendi, vel recipiendi Sacramentum in Sacramentorum vſu, non autem imperat modum, qui non pertineat ad ſubſtantiam actus præcepti, nec ad eius externam honeſtatem requiratur, vt probat *S. Thomas 1. 2. q. 100. ar. 9. & 10.* Etenim actus ſic factus ſufficit ad externum Dei cultum, & ad rectam Eccleſiæ, vel Reipublicæ gubernationem; alius verò modus extrinſecus, præſertim interior, per accidens eſt operi præcepto, & forſan etiam extra iuriſdictionem humanam. Dum ergo ponitur actus præceptus quoad ſubſtantiam, videlicet auditio Miſſæ, quantumuis vel circumſtantia vitietur, impletur præceptum Miſsæ, licèt peccet contra præceptum illud, cui circumſtantia, vel finis prauus opponitur. Hinc ſi quis ex pœnitentia, vel voto, vel iuramento teneatur audire Miſsã, & illam audiat ob prauum finem, ſatisfacit nihilominus his obligationibus; nam omnes ligant inſtar cuiuſdam legis, & præcepti. De pœnitentia Sacramentali ſic docet *Suar. 3. p. tom. 4. d. 38. ſect. 8. num. 1.* De voto, quamuis aliqui negent, quia votum requirit materiam vndequaque bonam; affirmat tamen *Vaſquez 1. 2 qu. 100. ar. 9. circa litteram num. 11.* De omnibus affirmant *Sanchez ſupra num. 2. & 3. Caſtropalaus num. 4. Bonac.* & alii.

Quamuis enim non ſatisfaciat fini, qui per votum, vel pœnitentiam intenditur; ſcilicet cultus Dei, vel ſatisfactio pro peccatis; ſatisfacit equidem materiæ pœnitentiæ, vel voti, ſi rem ex ſe honeſtam offerat, etſi viciatam extrinſeca circumſtantia. Quippe, ſicut finis extrinſecus legis non cadit ſub legem, videlicet maceratio carnis non cadit ſub legem ieiunii: ſic finis extrinſecus pœnitentiæ,vel voti non cadit ſub ipſorum obligationem.

19 Tertium requiſitum eſt attentio. Et quidem conueniunt Doctores, requiri attentionem externam, quę petit, vt quis adſit Miſſæ cum externa reuerentia, religioſo, ac humano modo; ità vt verè dici poſſit, hic, & nunc actum externæ religionis exercere, atque cum celebrante in precibus externis communicare. Quapropter omnem externam vagationē,diſtractionē,& occupationē excludit, quæ nō cōpatiatur ſecū externā reuerētiā,&religioſam aſſiſtentiā.Ratio eſt;nam aliàs non dicetur fidelis decenter, ac religiosè Miſſam audire. Quare, qui, dùm Miſſam audit, pingeret, vel ſcriberet, vel dictaret, vel obiecta diuerſa circumſpiceret, vel colloqueretur cum aliis, peccaret contra præceptum Eccleſiæ. Quod ſi ſit occupatio, vel confabulatio diuturna continuò durans magna parte Miſſæ, graue peccatum erit, quia grauiter repugnat actui per Eccleſiam imperato. Secus eſſet, ſi ſolum interruptim aliqua verba miſceret, vel aliquid curioſè conſpiceret, & poſtea Miſſæ reuerenter attenderet; tunc enim ſecluſo ſcandalo peccatum eſſet veniale. Sic intelligendus eſt *Sotus in 4.d.13.qu.2. ar.1.* dum abſolutè dicit, confabulantes in ſacro ſatisfacere præcepto Eccleſiæ; quod ſine moderatione poſita videtur eſſe falſum, vt benè notat *Coninch qu.83.nu.298.* Hic colligunt *Suarez 3.p.to.3.d.88.ſect.3. Azor to.1. l.7.c.5.quæſ.1. Filliuc.num.216. Fagund.ſup.c.7. num.5.* & alii non eſſe probabile, quod docuit *Medin. Cod. de Confeſſ. quæſt.de Pœnitentia tempore Miſſæ impleta.* Nimirum, ſi quis iugiter confabularetur, dum audit Miſſam, aut alia negotia cum mercatoribus tractet; nihilominus implere præceptū, quoniam implet eius ſubſtantiam; licèt agat contra finem ipſius. Et quidem falſitas huius doctrinæ patet, nam attentio ſolum exterior non eſt ſolum finis huius præcepti, ſed etiam eius ſubſtantia, quatenus præcipitur actus externus humanus, & religioſus. Aduertunt tamen *Caietanus V.Feſti viol. Franc.à Ieſu Maria num.50. Suarez, & Filliuc.ſupra*, ſi colloquia non eſſent de re ſeria, nec nimis attenta, quæ ſubindè non impediant attentionem Miſſæ neceſſariam, non fore graue peccatum, & ſic exponi poſſe *Medinam.* At Doctores, quos ſequitur *Geſualdus tr.4.c.2. num.24. & Ronzi c.3.quæſ.6.* aſſerunt, quòd qui confabulatur in Miſſa, etſi confabulatio ſit de re leui, non ſatisfacit pręcepto: eo quod quęlibet confabulatio tollat actionem externam, vel ſaltem eam notabiliter minuat. Hinc etiam colligunt *Card.de Lugo num.36. Sanchez l.7. conſil.c.2.dub.33.n.2.* illum qui dormit per maiorem partem Miſſę voluntarie, vel etiā inuoluntariè, non implere pręceptum iſtud, quia non habet attentionem neceſſariam, quare

tene-

tenetur aliam Miſſam audire, ſecus, ſi per partem non notabilem,ſed exiguam, opprimeretur à ſomno, & ita reſiſtit , vt aduertat , ſe Miſſam integram audire, quamuis ob moleſtiam ſomni non attendat ad ſignificationem, nec ad aliam meditationem, non peccare ſaltem mortaliter;nam hic habet attentionem neceſſariam ad orationem, & ad auditionem Miſſę. Sic *Sanchez ſupra n.*1.cum aliis, quos ſequitur etiam *Franc.à Ieſu Maria n.*48.

20 Loquendo verò de attentione interna , quę continet mentis conſiderationem,vel circa verba, vel circa ſenſum verborum,vel circa Deũ, cui cultus religioſus exhibetur, vt notat *S.Thomas 2.2.qu.83. ar.13.* Duę ſunt ſententię. Prima requirit attentionem internam ſaltem ad verba, vel ad externas Miſſę cęremonias,vt prçeceptũ audiendi Miſſam impleatur. Ita *Caiet.in ſum.V.Feſtorum violatio,Nau.c.13.nu.17.Sotus, Medina,Lopez,* quosſequitur *Suar.cit.d.88.ſect.3.Filliuc.n.213.Manuel.in ſum.to.1.c.123.n.3. Toletus l.6.c.6.n.3. Fagundez c.7.num.4.7.&* 8.*Marchinus de ordin.tr.3. par. 3.c.17.num.11.* & alii ſimiliter de recitatione Diuini Officii ſentiunt *Caiet. Nauarrus, Medina , Lopez , Sa, Peſantius, Zerola, Beia, Comitolus , Malderus, Moneta, Macignus, Molfeſius , Syluius, Homobonus, Viguerius, Gauantus, Bellochius, Corradus, Vela, Valen. Squill. Pyrus, Aragonius , Salas, Larea, Raphael De la Torre, Ragucius,* quos refert, & ſequitur *Diana p.2.tr.12.num.2. & p.8.tr.1.reſ.5. Maſtrill.Felix à Panormo*, aliique .Probatur: nam Eccleſia pręcipere poteſt actus internos , quatenus neceſſarii ſunt ad eſſe morale, vel artificiale actuum externorum, quos imperat. Sed interior attentio requiritur ad eſſe morale, quod in auditione Miſſę pręcipit, & intendit Eccleſia. Ergo talis attentio comprehenditur etiam ſub Eccleſiæ pręcepto. Minor probatur primò. Nam Eccleſię lege pręcipitur auditio Miſſę, prout actus humanus, & moralis ſufficiens ad moralem pręſentiam. At, ſi deſit omnis interior attentio,non erit actus moralis ſufficiens ad moralem pręſentiam. Ergo requiritur ad auditionem Miſſę pręceptam aliqualis attentio ; ideo quippè qui dormit , vel attentiſſimè ſtudet legendo, vel ſcribendo, ſine dubio non audit Miſſam humano, ſeù morali modo, quoniam attentione deficiente, non cenſetur moraliter adeſſe Miſſæ : ſic autem ſe habet , qui voluntariè non attendit Miſſę, ſed ſpontè rebus aliis cogitandis occupatur. Probatur ſecundò, eadem minor , quia pręcipitur auditio Miſſę, prout eſt actus religioſus ad cultum Dei pertinens. Ergo requirit attentionem religioſam diuino cultui conuenientem: ita vt audiens Miſſam Deum oret, ipſum recolat , vel ſaltem ea conſideret, quę Sacerdos facit tanquam myſteria ſacra. Sic etiam ad orationem etiam requiritur attentio religioſa, quoniam in ſpiritu , ac veritate oportet orare, ac adorare. Confirmatur . Nam ideò requiritur exterior attentio, & prohibentur actiones cum illa repugnantes , ne ſcilicet impediatur interior attentio. Ergo hæc multò magis requiritur, & eius defectus impediet impletionem præcepti. Si opponas. Si voluntaria diſtractio tolleret ſub-

ſtan-

ſtantialem orationem, vel auditionem Miſſę neceſſariam ad pręceptum implendum, pariter illam tolleret inuoluntaria, quod omnes negant. Reſpondetur, negando ſequelam. Nam quando diſtractio contingit inuoluntariè, licet non maneat actualis attentio, manet virtualis: ſecus verò quando voluntariè diſtrahimur, quia tunc reuocamus voluntatem attendendi.

Hanc ſententiam cum *Auerſa ſupra ſect. 19. circa finem*, voco communiorem, & cum *Diana p. 4 tr. 4. reſ. 107.* & alijs, exiſtimo probabiliorem, & conſulendam: non tamen certam; vnde malè *Nugnus 3. p. qu. 83. ar. 6 poſt 6. concluſ.* dicit contrariam ſententiam eſſe falſiſſimam, & prorſus improbabilem: & *Ludouicus de Torres in ſelect. cent. 4. dub. 28. & 2. p. d. 31. dub. 15.* vocat oppoſitam ſententiam improbabilem, & pernicioſam: Eſt enim probabilis: quam docent *Sylu. V. Miſſa 2. n. 9. & V. Horæ qu. 11. nu. 14. S. Antoninus, Durandus, Paludanus, Ioannes de Medina, Angelus, Roſella, Gabriel, Adrianus, Gerſon, Aſtenſis, Innocentius, Hoſtienſis, Abbas, Ioannes Andreas in c. dolentes, Coninch, Gaſpar Hurtadus, Valerus, Caramuel, Tamburinus, Anton. à Spir. Sancto*, & alii. Et quidem; eſtò poſſet Eccleſia internam attentionem præcipere concomitanter, & indirectè, non ſatis nobis conſtat (vt fatetur *Laym. l. 4. tr. 1. l. 1. num. 10.*) vtrum illam præcipuè voluerit, & tam rigoroſam obligationem recitantibus Horas, & audientibus Miſsam imponere, multis quidem laqueis, & ſcrupulis expoſitam. Cum Eccleſiæ ſufficere videatur, ſi ſuis præceptis ab Eccleſiaſticis obtineat, vt Horas decenter canant, aut recitent, & à fidelibus, vt ſecundum externum corporis habitum Miſsæ decenter interſint. De interna verò deuotione, vel attentione iudicium Deo committet, vt ait *S. Antoninus*. Nec obſtat illud *c. dolentes de celeb. Miſſ.* præcipiens in virtute ſanctæ obedientiæ Clericis, vt officium celebrent ſtudioſè pariter, ac deuotè. Quia multi putant, illud quoad poſteriorem partem, ſiue quoad modum recitandi non eſſe præceptum, ſed conſilium. Nam illa poſteriora verba: *Studioſè pariter, ac deuotè*, non ſimpliciter præcipiuntur, ſed cum illa limitatione: *in quantum Deus ei dederit*. Ita notant ibi *Hoſtienſis, Anchar. Ioannes Andreas*. Plures verò cenſent, ibi ſolam præcipi deuotionem, & attentionem externam. Nam eiſdem ferè verbis *Trid. ſeſſ. 24. c. 12.* præſcribit, vt Canonici compellantur in choro hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuotèque laudare, vbi ſatis apparet, præcipi ſolam deuotionem, & reuerentiam externam, ad quam ſolam deſeruire poterunt pœnæ, ſeu media, quibus compellendi ſunt delinquentes: & ita *Suarez de Relig. tom. 2. tr 4. l. 4. c. 26. num. 13.* fatetur dictum textum non vrgere contra ſententiam iſtam. Et auditio Miſſæ facta cum attentione externa, & intentione interna vera auditio eſt, & actus humanus, & religioſus: ſicut & oratio vocalis facta ſine mentali, & cum voluntaria diſtractione. Et quidem oratio vocalis non eſt aliud niſi externa locutio inferioris, & indigentis

facta

facta cum reuerentia externa Superiori, cui dirigitur oratio: ſed totum hoc ſubſtantialiter habetur, quamuis oratio vocalis fiat cum voluntaria diſtractione: Ergo, &c. Maior, & Minor ſimul manifeſtantur. Inferior, V. g. qui loquitur cum Rege cum debita reuerentia externa, & profitetur indigere illius rei quam petit, & ſi actualiter voluntariè ſit diſtractus, verè tamen dicitur orare Regem; licèt committat aliquam irreuerentiam erga Regem: & per eandem orationem impetrare poteſt, quod petit, & ſi promiſſionis aliquo debito, vel alio titulo ad eam teneretur ſatisfacere. Ergo, &c. Nec dicas aliud eſſe de oratione erga Deum, qui intuetur animum internum orantis. Nam qui homines orat cum voluntaria diſtractione, non ideò verè orat, quia homines non intuentur internum orantis, ſed quia ponit totum id, quod eſt neceſſarium ad eſſentiam orationis vocalis. Siquidem quoties aliquid eſt de eſſentia alicuius, vbicumque tale ponatur, ſemper quoque poni debet id, quod eſt de eſſentia illius. Ergo ſi attentio interna eſset de eſſentia orationis vocalis: vtique quando oratio vocalis dirigeretur ad hominem, etiam exigeret ad ſui eſſentiam ipſam attentionem internam; ſed de facto eam non exigit: Ergo attentio interna per accidens ſe habet ad orationem vocalem. Accedit, ſi ſic etiam alloquor excommunicatum vitandum, verè incurro minorem excommunicationem. Si ſic emitto vota religioſæ profeſſionis, verè profiteor. Si ſic miniſtro Sacramenta, verè recipientem alloquor, & in extrema vnctione Deum oro, cum eius forma ſit deprecatiua, validaque Sacramenta confero: Ergo etiam ſi ſic aſſiſto Miſsæ, vel recito Officium Diuinum, præuia intentione interiori, verè, validè, & cum impletione præcepti audio Miſsam, recito Officium.

21 Dum quis audit Miſsam, non poſſe ſimul recitare preces debitas ex præcepto, vel voto; voluerunt *Sylu.V.Miſſa* 2. *q.6. Armilla eodem V. nu. 39. Angelus V.Feria n.46.Corduba l.1.q.4.* Contrarium tamen docet communis, & vera ſententia, quam tenent *Suar.cit.d.88.ſect.3.in fin.Toletus l.6. c.6.n.4.Conin.q.83.n.307.Dian.p.4.tr.4.reſ.107.Caſalich.d.l.3.c.1.n.9. Tamburinus ſupra num.15. Anton.à Spir.Sancto num.31.* & alij, *Franc.à Ieſu Maria num.*220. Ratio eſt, quia poſſumus ſufficienter attendere precibus, & ſimul exhibere Miſſæ moralem præſentiam cum ea reuerentia, quam hoc ſacrificium poſtulat: & in ſententia quoque requirente attentionem internam, attendere ſimul ad verba, vel ad ſenſum precum, & ad actiones ſacras, quæ peraguntur in Miſſa, vel potius attendentes Deo, vel rebus diuinis habemus attentionem vtrique ſimul obligationi ſatisfacientem. *Nugnus ſupra, Nauar.de orat.c.19.num.*178. dicunt eſſe veniale, quando ſine mediocri cauſa fit, vt plus remaneat otij. At *Coninch*, & alij dicunt, nullum eſſe peccatum, quoniam eadem attentione ſufficienter ſatisfit vtrique præcepto, quia ex vtroque iuuatur deuotio; nec eſt irreuerentia vnum officium, in aliud ordinari, quandoquidem id totum referatur ad cultum

Dei,

Dei. Immò dum Sacerdos ſecretè orat, orationes aliquas à fidelibus recitari, bonum eſſe conſilium, inquit *Tambur. num.* 161. Siquidem mentis euagatio hac ratione, melius euitabitur.

Reginaldus l. 19. *num.* 14. in fine, & *Caſtropal. tr.* 22. *d. vn. pu.* 10. docent quòd audiens Miſſam poſſit ſimul confiteri peccata ſua: ſequitur *Franciſcus de Lugo cit c.* 14. *q.* 12. *num.* 151. in caſu, in quo & ſi non vrgeat confeſſionis præceptum, detur occaſio confitendi, dum auditur ſacrum in feſto, multo pòſt tempore non extitura, nec confeſſio duratura ſit magna Miſſę parte. Quippè non ita rapit confeſſio mentem vt non poſſit animus Miſſæ ſimul attendere, Deum cogitans, vt Dominum, & vt Saluatorem. At ſimpliciter negandum eſt cum *Suarez ſupra ſect.* 6. *Gordono to.* 2. *Theol. mor l.* 6. *q.* 7. *c.* 2. *§.* 3 *num.* 13. *Card. de Lugo num.* 22. *Anton o à Spir. San. nu.* 31. *Tamburino num.* 15. *Franc. à Ieſu Maria num.* 46. & alijs communiter, quia non ſatis eſt pietas actionis ſi hæc diſtrahat, ſeu excludat moralem aſſiſtentiam: diſtrahit autem in caſu noſtro confeſſio, quia actio externa confeſſionis impedit ipſum externum cultum attendendi ad Miſſam

22 Quartum requiſitum eſt *Integritas*: de qua in Commentario præcedenti. An autem ſemper omittere leuem partem ſit veniale? Affirmandum eſt, ſi voluntariè ſine cauſa fiat. Ita *Filliuc. num.* 205. *Dicaſtill.* *d.* 5. *dub.* 3. *num.* 41. *Leander a Sacram. tr.* 2. *d.* 1. *q.* 65. *Franc à Ieſu Maria num.* 14. & alij. Si verò ex cauſa leuis pars, & inuoluntariè omittatur, nullum eſſe peccatum, docent Auctores citati. Sed an is, qui leuem partem omiſit ſiue voluntariè, & ſine cauſa, ſiue inuoluntariè, vel ex cauſa, teneatur ſub veniali, ſi poteſt, ſupplere illum defectum audiendo partem omiſſam? Negat *Filliucius* vbi ſupra. Sed meliùs oppoſitum aſſerunt *Leander à Sacram. ſupra, & Franch. à Ieſu Maria num.* 16. quia illa pars leuis omiſſa poteſt ſuppleri in alia Miſſa: Ergo cum fieri poteſt, tenetur quis ſub veniali ad illam ſupplendam: ſicuti in communi ſententia, qui accedens ad chorum reperit officium per Pſalmum inchoatum, tenetur ſub veniali poſtea illum defectum ſupplere.

23 Notandum eſt vltimò, dari cauſas rationabiles, quibus excuſentur Fideles diebus feſtis audire ſacrum, quarum Prima eſt *Impotentia ſpiritualis*: talis eſt ea, quæ prouenit ob excomunicationem, vel interdictum: nam excommunicatus, vel interdictus cum prohibeatur Miſſam audire, eſt impotens ex vinculo ſpirituali. Et licèt negligens quis eſſet in abſolutione cenſuræ procuranda, non obinde aduerſus hoc præceptum peccaret: quia ex vi illius præcisè non tenetur tàm à longè, & remotè ſe diſponere ad audiendam Miſſam, procurando ſibi abſolutionem à cenſura, ſicut ſi quis infirmus negligens ſit in procuranda ſibi ſanitate, & captiuus in procuranda ſibi libertate, & propter hanc negligentiam Miſſam audire non poſſit, non peccabit contra hoc præceptum, quod non obligat ad tollenda impedimenta tam remota: ità ſimiliter in caſu noſtro. Ita *Suarez d.c.* 88. *ſect.* 6.

Nau.

Digitized by Google

Nau.c.21. num.2. Caſtropalaus cit.d.vn.pu.vlt. Petrus Ledeſma in ſum.c.27. Franc.à Ieſu Maria num.53.Villalobos, Fagundez, Graffius, Trullencb, Dicaſtillus, Geſualdus, quos refert,& ſequitur Leand.à Sacram. tr.2. d.2. q.5. contra Nugnum, & alios. Quòd ſi excommunicatus audiat Miſſam dum eſt in excommunicatione, ſi poſtea in ea die abſoluatur, non tenetur audire aliam Miſſam; quia licet cum quis audit illam Miſſam non ſit phyſicè obligatio; adeſt tamen moralis obligatio præcepti: Ergo per illam ſatisfacit quis præcepto,& ſic non tenetur poſtea aliam audire. Ita Diana p.10.tr. 14.reſ.10. Renzi hoc præcepto c.1. quæſ.5. contra Baucium in miſcell.to.1. q. 534. & Thomam à S. Maria ſelect.9. dub.1. diffic.2. In interdicto autem locali Religioſi, & Clerici, quia ſecundum ius commune c. Quod in te, de pænit. & remiſſ.&c. Quod nonnullis, de priuil. non ſunt comprehenſi, ſed poſſunt diuina celebrare, ſeruata moderatione, de qua in c. Alma Mater, de pænit, & remiſſ. tenentur Miſſam audire ſecundum communem Doctorum ſententiam; quia comparatione horum non eſt interdictum, ſeù prohibitio facta: vnde ipſi potius dicentur non comprehendi prohibitione, quàm priuilegio vti. Et ſimiliter in prædicto interdicto locali habens priuilegium audiendi ſacrum V.g. ex Bulla cruciatæ, &c. tenetur audire Miſſam in diebus feſtis; niſi dederit cauſam interdicto; ſiquidem per priuilegium reſpectu ipſius aufertur interdictum, quod eſt impeditiuum auditionis Miſſæ: Ergo ablato impedimento, tenetur audire Miſſam. Nec dicas, quòd nemo cogitur vti ſuo priuilegio; nam ſic priuilegiatus nullo priuilegio vtitur: vſus enim dicit actionem præſtandam, hic autem poſito priuilegio nullam præſtat actionem, ſed tantùm non comprehenditur a Iudice fauente interdictum. Ita Suarez d.88. ſect.6. num.1. Sotus in 4.d.13. q.2. ar.1. & d. 22.q.3.ar.1. Azorius, Medina, Rodriquez, & alij, quos refert, & ſequitur Fagund.d.l.2.c.8.num.5. Card.de Lugo num.13. Toletus, Vill lobos, Barboſa, Baſſæus, Geſualdus, Lublinus, & alij,quos refert, & ſequitur Leander à Sacram.d.1.q.7. Dicaſtillus tr.5.d.5.num.159. Franc.à Ieſu Maria num.56. Tamburi.l.4.Decal.c.25.num.2. Renzi quæſ.6. & alij contra Auilam, Dianam, Altertum, Coninch, & alios.

24 Secunda cauſa excuſans eſt impotentia corporalis, quæ, ſi ſit impotentia ſimpliciter, excuſat ſine dubio; ſiquidem nemo ad impoſſibile obligatur. Talis eſt, ſi quis in vinculis teneatur, vel alia quacumque ratione cogatur non exire domo, vel non adire Templum. Item, ſi deſit Sacerdos, qui celebret, vel templum adeo diſtet, vt non poſſit adiri, vel ſi quis ita grauiter ægrotet, vt ſurgere nequeat, vel etiam caſu, quo prudenter timeat, ſi ſurgat, vel Eccleſiam adeat, aliquod damnum conſiderabile in ſalute, aut moram notabilem in conualeſcentia, conſideratis diſtantia loci, labore audiendi, aeris intemperie, temporis qualitate, alijſque circumſtantijs: quia iugum Eccleſiæ ſuaue eſt, & onus eius leue. Ita Petrus de Ledeſma in ſumma c.27. poſt 16. concluſ. Caietanus, Sotus, Nauar, Suarez,

rez, Henriquez, Bonac. Hurtadus, Fagundez, Scortia, & alij plures, quos citat, & ſequitur *Leander à Sacr. tr. 2. d. 2. q. 13. Gabr. à S. V. de ſacrif. cit. d. 3. q. 8. Franc. à Ieſu Maria num. 58.* Eſt autem optimum indicium, quod ea infirmitas ſufficienter excuſet, ſi etiam impediat egredi ad alia negotia æqualis, vel minoris laboris, quàm ſit Miſſam audire. Si enim hæc impediat, etiam erit ſufficiens impedire, & excuſare auditionem ſacri; ſecus è contrà. Ità *Suarez* ſupra, *Dicaſtillus n. 173.* Verùm ſi infirmus, aut valetudinarius dubitet, an incurrat periculũ morbi, exeundo domo ad Miſſam audiendã, debet petere conſilium à Medico, vel à Superiore, vel à Parocho, niſi ipſe ſit vir ſatis prudens, qui rectè valeat per ſe in ea re iudicium ferre. Quando autem adhuc manet dubium, non ſolùm non tenetur, verùm neque poteſt domo exire, ne ſe periculo exponat grauioris morbi: vt rectè docent *Dicaſtillus num. 174.* & alij. Et quoniam id propriè poſſumus, quòd licitè poſſumus, huc etiam pertinet quando quis data fide, vel interpoſito iuramento, ſeù præcepto ſuperioris domi ſuæ iuſtè manere compellitur. Etenim cùm inde licitè nequeat exire, ſimpliciter impotens reputatur. Ita *Suar.* ſupra *Filliuc. num. 224. Fagundez c. 8. Anton. à Spiritu Sancto ſupra ſect. 5. nu. 38. Trullench*, & alij. Et idem dicendum eſt de filio, vel ſeruo à patre, vel Domino domi in ſupplicium detento, & quibus indumenta denegant, ne foras exeant, quod aliquando licitè poſſe patres concedit *Fagund. l. 4. Decal. c. 1. num. 2. Tambur. ſupra num. 4. Anton. à Spir. Sancto*, & alij. Nec domi detentus, tenetur ibi in Oratorio Miſſam audire; quia nemo cogitur vti ſuo priuilegio. Ita cum communi *Franc. à Ieſu Maria num. 61. Anton. à Spir. Sancto n. 38.* & alij communiter, contra *Nugnum 3. p. q. 85. ar. 3. verſus finem.* Aliqui limitant, quando eſſet neceſſarium conducere Sacerdotem ad celebrandum; quia priuilegium non videtur ad hoc medium extraordinarium obligare; ſecus ſi Sacerdos gratis vellet Miſsam celebrare. Ita *Tambur. n. 4. Franc. à Ieſu Maria num. 62. Anton. à Spir. Sanct. ſupra, Trullench*, & alii. Sed alii docent, quod non tenetur vti priuilegio, etiam ſi habeat Sacerdotem gratis celebrantem; quia priuilegio ſuo de ſe odioſo, legi communi aduerſo, & reuerentiæ Sacramenti parum conformi, nemo vti cogitur. Ita *Renzi l. c. quaſ. 8.* & cum aliis *Thomas à S. Maria vbi ſupra.* Ego tamen à prima ſententia non puto eſſe recedendum, quia habens tale priuilegium impotens, & legitimè impeditus ad Miſsam audiendam dici non poteſt. Si ſit impotentia ſecundum quid, reducitur ad impotentiam moralem, de qua mox dicemus.

25 Tertia cauſa excuſans eſt impotentia moralis, ſi videlicet Miſſa audiri non poſſit, niſi cum magna difficultate, vel iactura bonorum mediocris æſtimationis. Ita *Suarez ſupra, Azorius tom. 1. l. 7. c. 7. quaſ. 1. Fagundez c. 9. Filliuc. n. 226. Conimb q. 83. num. 314. Laym. l. 4. tr. 7. c. 4. num. 3. Henriquez l. 9. c. 25. num. 10. Franc. à Ieſu Maria num. 63. Tambur. nu. 5.* & alii communiter; qui rationem reddunt, nam hoc præceptum iuxta communem ſenſum, & mo-

& morem cum hac moderatione latum eſt, vt non requiratur cauſa valde grauis ad excuſandum, & conſequenter ex cauſa mediocriter graui obligatio huius præcepti ceſſare poteſt. Plures caſus enumerant Doctores, ex quibus alii etiam deduci poſſunt: Primò ex iactura vitæ ſpiritualis, ſi quis enim timeat occaſionem ſpiritualis ruinæ templum adeundo cum periculo proximo labendi, videtur excuſari. Sic *Mauro par.2.c.8.a.1. num.7.* & alii Doctores relati. Secundò ex iactura vitæ certa eſt excuſatio; vnde ſi ob audiendam Miſſam, in probabile periculum vitæ incurras, vel ob inimicitias, vel ob intemperiem aeris, vel ob aliam ſimilem cauſam, manifeſtum eſt, te eſſe excuſatum: *Reiffenſtuel Theol.mor.tr.10.diſt.1.q.1.nu.48.* Vnde bene excuſant *Laym.nu.3.Tambur.nu.5. Anton.à Spir.Sancto num.40.* eum, qui ob probabile periculum peſtis domi ſe continet. Tertiò excuſatur, qui ſine pudore ſuo, & dedecore domo exire non poteſt, vt honeſta mulier carens veſte decenti: dum enim in eo ſtatu quis eſt conſtitutus, comparatur ei, qui in vinculis eſt alligatus: *l.eadem cauſa, ff.ex quibus cauſis*. Ita *Sà, Hurtadus, Scortia, Tabiena, Henriquez, Azorius, Trullench, Geſualdus, Vega, Rodriquez, Groſſius*, quos refert, & ſequitur *Leander à Sacram.q.36.* & cum aliis *Franc.à Ieſu Maria num.64.* qui cum *Petro de Ledeſma ſupra, Leandro à Sacram.q.36. Suarez*, & aliis addit, non eſſe extendendam nimium hanc licentiam ad ſuperfluos ornatus, præſertim fœminarum. Idem eſt ſi careat pediſſequa, aut comitatu: in quo prudenter penſanda ſunt conſuetudo loci, perſonarũ qualitas; item an ſummo mane, vel ſecretè poſſit audiri Miſſa. Ita *Caſalichius d.l.3 c.1.nu.25. Antonius à Spirito Sancto nu.40. Trullench l.3.in Decal. c.1.dub.7.nu.7. Gobar tr.5. Theol.experim.nu 489. Caſtropalaus*, & alii. Quartò, excuſatur fœmina innupta, quæ habetur honeſta, & tamen grauida eſt, ſi in vltimis menſibus ante partum non poſſit lapſum occultare, niſi domi ſe contineat; modò non poſſit aliàs occultè, & ſine nota Miſſam audire, tunc enim tenebitur, vt ex communi ſententia tradit *Dicaſtillus d.5.dub.10 num.177. Caſtropalaus cit.d.vlt.pu.vlt.num.4. Franc.à Ieſu Maria ſupra, Villalobos, Petrus de Ledeſma, Hurtadus, Layman, Reginaldus*, & alii, quos refert, & ſequitur *Leander à Sacram.q.40.* Quintò, excuſantur ob diſtantiam: diſtantia enim loci a templo non modicam ſæpè cauſat corporalem incommoditatem ſenibus, claudis, labore pridiano valdè feſſis, &c. Etſi verò non poſſit abſolutè determinari certa diſtantia, quæ ſit neceſſaria, ſimulque ſufficiens, pro omnibus, & ſingulis hominibus excuſandis; quandoquidem homines ſunt adeò diuerſæ complexionis, & alii robuſti, alii imbecilliores, aliqui etiam diuites, qui curriculo ad Eccleſiam vehi poſſunt, ſimulque tempeſtatis nimboſæ atque hyemalis habenda ſit ratio, &c. *Gobar Theol.experim.tr.5 num.485. Reiffenſtuel num.49.& 50* Nihilominus tamen ſi loquamur de hominibus mediocriter valentibus, ſeu peculiarem excuſationem non habentibus, & abſtrahamus à malignitate tempeſtatis, putat *Suarez, & Caſtropalaus ſupra, Caſalichius l.c. nu.19.* ſufficere ad excuſandum peditem

diſtantiam vnius leucæ Hiſpanicæ, ideſt, bonæ horæ, iuxta explicationem *D. caſtilli num.* 182. ſeu trium milliariorum Italicorum, vt placet *Filliuc. nu.* 226. *Caſalichio*, & aliis: *Dicaſtillus nu.* 183. negat duorum milliariorum Italicorum ſpatium eſſe ſufficiens, ad excuſandum per ſe loquendo, quandoquidem nobiles, & prædiuites poſſunt vehi curru, at mediæ ſortis fœminæ pedibus vti, maximè intra vrbem, & addit *num.* 18. *Generaliter tamen loquendo, tempore hyemis, aut æſtus, fœminas, quæ vltra mediam leucam legalem, ideſt, vltra mille quingentos paſſus diſtant ab Eccleſia, non puto obligari, etſi fortè fœminæ ruſticæ ſint, quæ non minùs, quàm euſdem farinæ viri ſolent huc, illuc diſcurrere, leuibus de cauſis etiam ad longius ſpatium; quando autem pluit, vel ningit notabiliter, imò, ne vix quidem tales fœminas, aut viros obligari ad quærendum Sacrum, intra mediam leucam. Itaque abſolutè iudicio prudentis relinquendum eſt, expenſis circumſtantijs.* Hactenus *Dicaſtillus*, cuius iudicio ſaltem in dubio ſtare quem poſſe notat *Gobar num.* 487. Sextò, excuſantur ob iacturā bonorum temporalium, qui Sacrum audire non poſſunt, quia domum ſolam relinquant, caſu quo timeantur latrones. Ita ex communi *Caſtropalaus ſupra*, & cum aliis *Leander à Sacram. qu.* 35. Septimò excuſantur cuſtodes gregum, qui non poſſunt Miſſam audire, niſi grege ſine cuſtodia in agro relicto, propter probabile periculum grauis nocumenti; quod ſi ſint plures ſocij debent ad Miſſam ſic accedere: vt vnus ad Eccleſiam adeat, altero cuſtodiente gregem, eo verò redeunte alter ad ſacrum pergat, & ſi vnica tantùm ſit Miſſa, debent alternatim ad illam audiendam tendere: Sic *Suarez cit. d. 88. ſect. 6. Nau. conſil. 5. tit. 9. de Ferijs, Azorius, Coninch, Scortia, Fagundez, Marchinus, Villalobos, Baſſeus, Trullench, Dicaſtillus, Geſualdus, Veg., & Rodriquez*, quos relatos ſequitur *Leander à Sacram. q.* 43. Octauò, excuſatur viator, qui ſi Miſſæ aſſiſteret, perderet comites in via, quando probabile periculum latronum imminet, ſi ſolus incedat, & etiam ſi ſperet itineris expenſas, quibus eget accipere à comitibus, vel aliud ſimile commodum, quod amittere, temporale damnum grauis momenti cenſeatur. Nam ſolùm amittere comites viæ, ſi nullum aliud incommodum adiungatur, non videtur ſufficiens cauſa ad Miſſam omittendam. Ita cum *Caietano, Armilla*, & aliis *Suarez ſupra, Villalobos tr. 8. diffic. 36. Ledeſma, Coninch; Toletus, Trullench, Reginaldus, & Dicaſtillus*, quos ſequitur *Leander à Sacram. qu.* 50. Nonò excuſantur, qui Miſſam audire non poſſunt propter vrgentia negotia, quæ dilationem non patiuntur, ſine magno detrimento boni temporalis. Quod intelligendum eſt, quando huiuſmodi negotia præueniri non poſſunt, ne Miſſæ auditionem impediant, vel è contrario, Miſſa præueniri nequit, vt negotiis vacetur; nam ſi quis velit priùs nimio ſomno indulgere, vnde poſtea non poſſit vtrique oneri ſatisfacere; non excuſabitur à culpa ratione præteritæ negligentiæ, ſi fuit præuiſum impedimentum, & voluntariè non præuentum. Ita *Suarez*, & *Dicaſtillus* locis relatis, *Franc. à Ieſu Maria nu. 69. Filliuc. n. 226.*

26 Quar-

26 Quarta cauſa excuſationis à Miſſa præcepta audienda eſt ratione officii,& iuſtæ obedientiæ. Quo titulo excuſantur primò,milites cuſtodiẽtes Caſtrum,aut vigilias, ſeu excubias facientes, quando ſine graui detrimento,non poſſunt ſuo muneri deeſſe,vt Miſſam audiant. Ita cum *Toleto, Suarez,Fagundez,Ledeſma,Villal.Boſſæo, Martinono*, & aliis *Leander à Sacram.qu.51.* Secundò,excuſantur matres,vel nutrices, quæ neque infantes deſerere poſſunt,neque habent aliquam,cui illos commendent,nec frequẽter expedit eos ad Eccleſiam deferre ob eorum inquietitudinem, quæ adſtantes moleſtat,& celebrantem perturbat. Ita cum *Nau.Sylu.Azorio,Suar. Henriquez,& Toleto,Dicaſtillus num.209. Diana p.10.tr.11.reſ.36. Caſalichius cit.c.1.nu.21,Trullench,*& alii. Tertiò, excuſatur ab audienda Miſſa mater,quæ domi ad cuſtodiendas filias remanet; caſu quo neque eas ſolas poſſit domi abſque periculo relinquere; neque ſecum abſque periculo ad Eccleſiam portare. Ita *Suarez d.ſect.6.Trullench num.4. Dicaſtillus nu.217.* & cum pluribus aliis *Leander à Sacram.qu.27.* Quartò, excuſantur famuli, quibus imperium Domini obſtat, quominus ad templum accedere liceat, quando miniſterium eſt ita neceſſarium iuxta communem, & ordinarium viuendi modum; vel iuxta occurrentes morales,ac rationabiles occaſiones, vt non poſſit in aliam horam ſine graui incommodo differri: tunc enim nec domini peccant præcipiendo,nec famuli parendo; tametſi ex illo obſequio Miſſa omittatur: quia eſt grauis, & rationabilis cauſa & moralis neceſſitas. Quod ſemper intelligendum eſt (inquiunt bene *Suarez cit. ſect.6. num.5.Coninch q.86.ar.6.dub.vn.Caſtropalaus nu.7.Dicaſtillus nu.213.*) dummodo famuli non poſſint,mediocri diligentia adhibita, opportunum tempus pro Miſſa audienda præuenire: quod facile contingit,quando in oppido non eſt niſi vna Miſſa. At ſi miniſterium non eſt ita neceſſarium, ſed poſſit in alium diem,vel in aliam horam ſine incommodo differri, Domini quidem inique agent,& grauiter peccabunt,id præcipiendo: eo quod impedient famulos ſine legitima cauſa ab audienda Miſſa: cum tamen non ſolum ſint obligati ſibi ſubiectos à Miſſa audienda ſine legitima cauſa non impedire,verùm etiam debitam curam, & diligentiam,vt Miſſam audiant, adhibere. Quod adnotauit *D.Ambroſ.hom.33.Quadrageſima*, & refertur *in c.Non putatis* 80.*diſt.* Et colligitur ex illo *Pauli ad Corinth.5. Si quis ſuorum,maximè domeſticorum curam non habeat,fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Ac bene docent *Sylu.V.Miſſa 2.q.1.Nau.c.21.nũ.9. Caſtropalaus nu.6. Dicaſtillus nu.213.* Vnde in hoc caſu famuli ſi abſque magno incommodo, poſſunt ſubterfugere, & Miſſam audire, non obtemperando Dominis,tenentur facere,quamuis aliqua leuis rixa intercedat: ſi verò grauem iram, aut verbera,aut graues rixas timent,excuſari poſſunt; quia cum tanto incõmodo non vult eos obligare Eccleſia. Ita cum *Azorio,Fagundez,& Henriquez,Caſalichius d.l.3.c.1.num.24.*& alii mox allegandi. Quod ſi frequenter, & quaſi per conſuetudinem à Miſſa audienda ſine cauſa iuſta neceſſi-

ratis

Digitized by Google

tatis impediantur, debere illos nacta opportunitate tale miniſterium relinquere, & alteri Domino adhærere, apud quem Eccleſiæ præcepta ſeruare poſſint, rectè tradunt *Suarez, Coninch, & Laym.* quos refert, & ſequitur *Caſtropalaus num. 6. Dicaſtillus num. 212. Caſalichius loco cit. num. 29. Anton. à Spir. Sancto nu. 40.*

27. Quinta cauſa excuſationis à præcepto audiendi Miſſam ſumitur ex titulo charitatis, vel ad ſubueniendum proximo, vel ad euitandum eius damnum. Hac ratione excuſatur: Primò, qui aſſiſtit infirmo, ſi aſſiſtentia eſt vrgens, & neceſſaria; Immò *Renzi c. 1. quæſ. 12. & Tambur. §. 2. num. 8.* volunt, quod qui aſſiſtit infirmo, dum aſſiſtentia fuerit tantum vtilis: puta quia infirmo ſtatutis horis debet remedia, & pharmaca adhibere, etiam excuſatur ab audiendo Sacro: eo quia Eccleſia non obligat inſtante tali actu charitatis. Addunt *Renzi, & Tambur. locis relatis,* quod in graui infirmitate, vt aſſiſtens infirmo excuſetur ab auditione Sacri, ſatis eſt, quod infirmus relinqui non poſſit ob anxietatem animi, & moleſtiam, quam ſolus pateretur. Ratio horum eſt, quia Eccleſia non obligat ad præſentiam operum pietatis. Et idem tenent *Fagundez c. 9. num. 7. Marchinus,* & alii. Idem eſt de aliis operibus miſericordiæ corporalis, vel ſpiritualis. Sic dicit *Nugnus 3. p. qu. 83. ar. 6. poſt nonam concluſ.* Si ſit neceſſarium audire confeſſionem extremè laborantis, omitti poſſe Miſſam, non ſolum, quando cogit præceptum diuinum confeſſionis, ſed etiam quando ſola charitas mouet, ſecluſo præcepto. Secundò, ſi quis prudenter timet adeundo templum, graues inde rixas naſcituras, aut propter veteres inimicitias, aut propter locorum ordinem, & dignitatem, vel quid ſimile, ſufficienter excuſatur ab auditione Miſſæ. Sic *Nau. Azorius, Bonac. Suarez,* quos affert, & ſequitur *Palaus nu. 4. Henriquez, Trullench, Baſſæus, Marchinus, Scortia, Fillius, Dicaſtillus,* quos ſequitur *Leander à Sacram. qu. 41.* Tertiò, ob eandem cauſam excuſatur nupta, quæ ex acceſſu ad audiendum Sacrum grauem rixam, aut iram mariti timet; non verò ſi leuem, hæc enim ſimulanda eſt, & patienter ſuſtinenda. Sic cum *Henriquez, Suarez, & Bonac. Caſtropalaus l. c.* & cum *D. Antonino, Soto, Trullench, Azorio, Scortia, Dicaſtillo, Geſualdo, & Molfeſio, Leander à Sacram. qu. 31. Caſalichius ſupra nu. 23.* Quartò, ſi maritus ob zelotypiam, non permittat vxorem de domo exire, ſi ſit periculum grauis incommodi, ea excuſatur, non verò ſi leuis tantùm. Ita cum *Trullench, Dicaſtillo, Geſualdo, Molfeſio,* & aliis, *Leand. à Sacram. qu. 32.* Quintò, ex hoc capite aliqui excuſant fœminam interdum, ſe domi continentem die feſto, quando ſcit ſe ab adoleſcente perditè amari, quę ſi Eccleſiam adeat, erit illi occaſio peccandi; quamuis in hoc non conſentiant alii. *Henriquez* enim *l. 9. c. 12. num. 10.* nec non *Caſtropalaus num. 5.* aſſerunt, hanc cauſam non eſſe legitimam excuſationem, ſed putant teneri Miſſam audire, quia præceptorum obſeruatio omittenda non eſt ob ruinam proximi, quam ipſe ſibi voluntariè ſumit. *Valent.* verò *tom. 3. d. 3. qu. 18. pu. 4. reg. 3. Ludouicus Lo-*

pez 1.p.c.57 putant teneri ad omittendam Miſſam, bis vel ter, ſi creditur vir ex fragilitate ruiturus. *Sotus in 4.d.13.q.3. ar.1.* conſulit Miſſam relinquere, *Suarez* verò, *Sà*, & alii quos ſequitur *Dicaſtillus num.204. Filliuc nu. 227. Caietanus, Sanchez, Azorius, Marchinus, Trullench, Baſſaus, & Villalobos*, quos ſequitur *Leander à Sacram. qu.54. Tambur. ſupra num.8. Antonius à Spiritu Sancto num.42. Thomas à S. Maria*, & alii ſatis probabiliter aſſerunt, poſſe relinquere, ſed non teneri: poſſe quidem relinquere propter charitatem proximi, ad euitandum notabile ipſius damnum: non teneri verò, quia vtitur iure ſuo, & ſcandalum illud eſt paſſiuum, acceptum non datum, neque ipſa non relinquendo Miſſam, cenſetur præbere occaſionem peccandi, ſed alius illam arripere ex ſua malitia.

28 Sexta cauſa eſt ignorantia, ſcilicet inuincibilis, quæ ſicut ab aliis præceptis, ſic etiam excuſat ab iſto. Siue ſit ignorantia facti, ſcilicet, an hic dies ſit feſtus: ſiue ſit ignorantia iuris, vel in particulari, ſcilicet, an in hoc feſto cum his circumſtantiis obliget præceptum audiendi Miſſam; vel in communi, ſcilicet, an in feſtis obligemur ad Miſſam audiendam. Quam ignorantiam, etſi regulariter exiſtiment Doctores, inuincibilem eſſe non poſſe; tamen in aliquo puero, vel ſtupido dari poſſe, fatentur *Suarez cit. d. 88. ſect.6. Filliuc. num.225. Azor. tom.1. l.7. c.7. quæſ.4. Fagund. c.9. Trullench nu.16.* Huc pertinet obliuio naturalis, & inaduertentia. Nam hæc etiam excuſat, ex generalibus regulis excuſandi quempiam à peccato, vt notant *Suarez, & Filliuc. ſupra Antonius à Spir. San. nu.45.* Qui etiam bona fide putauerit, ſe legitimam cauſam excuſationis habere, quamuis reuera fallatur excuſatur à tranſgreſſione huius præcepti, vt docent *Caiet. in ſum. V. Feſtorum violatio, Sylu. V. Miſſa 2. nu.1. Trullench nu.21. Thomas à S. Maria ſelect. 4. dub. vlt. diff.3. quæſ.1. Fagund. nu.1. & 13.* colligens inde ſatis excuſari viatorores, qui bona fide putant, in aliquo loco ſe reperturos Miſſam, quã audiant in Feſto, quamuis poſtea non reperiant.

29 Septima cauſa excuſans eſt conſuetudo rationabiliter inducta, & per Epiſcopos tolerata, ſicut enim conſuetudo poteſt ferre legem, ſic etiam illam abrogare, vel moderare. Sic excuſantur primò, Viduæ poſt mariti mortem non exeuntes domo certo tempore. Quidam limitant ad menſem: ſed alicubi viget per ſemeſtre, vel annum præſertim fœminis nobilioribus, nec eam conſuetudinem eſſe damnandam, cenſent *Suarez ſupra ſect.6. Filliuc. nu.229. Antonius à Spir. San. nu.43.* Idem eſt de fœminis, quæ propter obitum parentum, aut fratrum iuxta receptum morem certo tempore domo non exeunt: *Azorius ſupra q.3. Trullench num.18. Fagundez c.9. num.6.* Secundò, excuſantur Virgines nobiles, & nubiles vbi mos eſt, nè prodeant in publicum, donec nubant, etenim quamuis *Filliucius, & Trullench ſupra*, talem conſuetudinem improbent, & *Nau. c.21. num.9. Suar. ſupra*, cum aliis velint, ſaltem eſſe moderandam, vt in feſtis ſolemnioribus Miſſam audiant: At quandiu conſuetudo vim habet, excuſari ſufficienter à mortali docent

Hen-

Henriquez l.9.c.25.num.12. cum aliis *Bonac. d.4.q.vlt.pu.vlt.num.26. Caſalichius d.l.3.c.1.num.28* Attamen quia contra tales conſuetudines, plurimi Epiſcopi in ſuis Synodalibus Conſtitutionibus, Parochi, & concionatores proclamant, & reprobant, non ſunt iam faciliter tolerandæ, neque excuſandi à culpa, qui illas ſequuntur eo maxime ſi eædem Virgines, & ſupra commemoratæ exire domo permittantur ad ludos, aut choreas, aut ſpectacula, vel exhibere ſe videndas in feneſtris, non eſt æquum, vt excuſentur ab audienda Miſſa. Sic cum communi *Bonac. Trullench, & Caſalichius ſupra*. Tertiò excuſantur fœminæ poſt partum abſtinentes ab ingreſſu templi, nō ex ritu Moſaico, ſed ex reuerentia, ſeu deuotione, *c.vn.de purificat. poſt partum*. Ita *Suarez, Trullench*, & alii *ſupra, Antonin.à Spir.S.a num.44. Caſalichius num.27*. Verùm ſecluſa debilitate, melius eſſet audire Miſſam, quam illam omittere, quamuis omittatur in honorem Sanctiſſimæ Virginis, vt indicat *Henriquez l.9.c.25.num.12*. Quæ verò patiuntur menſtrua non excuſantur, niſi morbus, aut debilitas per accidens adiungantur. Ita *Nauar. Suarez, Henriquez, Filliuc. & Trullench ſupra, Caſtropalaus nu.7. Dicaſtillus nu.219.* Pariter non excuſantur prægnantes, niſi forſan exitus è domo notabiliter ipſis nociturus eſſet. *Villalobos to.1.tr.8.diff.36.nu.8. Trullench*, & alii.

30 Octaua cauſa eſt præualentia alterius præcepti. Quare ſi ſimul vrgeat præceptum confeſſionis, aut communionis, quæ commode differri non poſſit, hoc præualere videtur præcepto audiendi Miſſam, vt notat *Trullench ſupra*. Quin, etſi confeſſio facienda ſit ex deuotione, dum eſt valdè neceſſaria, vel ad lucrandum Iubilæum, vel ad vincendam tentationem, vel ad exonerandam conſcientiam nimis grauatam, quandiu diu quiſpiam non eſt confeſſus, nec multò poſt tempore confiteri commode poterit, hanc excuſare ab auditione Miſſæ docent *Fagund.d.c.9. Trullench dub.7. nu.19* contra *Suar. & Azorium*.

31 Porrò qui rationabiliter excuſatur ab auditione Miſſæ, non tenetur ad recitandas alias preces, nec ad audiendam Miſſam alio die, quoniam id nullibi præcipitur. Ita *Henriquez ſupra num.13. Trullench num.14. Herinx par.4.diſp.8.de Sacrificio nu.223. & 224. Reiffenſtuel num.55.* qui tamen conſulit orationem ex *D. Auguſt. ſerm.251. de Tempore* His prænotatis ſit,

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

Dico primò: Non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui quatuor, vel etiam qui duas eius partes ſimul à diuerſis Celebrantibus audit. Et oppoſitum vt minimum tamquam ſcandaloſum hoc Decreto peruellitur: & ante hoc Decretum abſurdum vocauit *Fagundez d.l.*

d. l. 2. c. 6. n. 12. & valde abſurdum *Suarez d. d. 88. ſect. 2.* & neque probabile, nec tutum in conſcientia *Turrianus in ſelectis d. 16. d. 7.*

33 Probatur primò cum *Caramuele* ex inconuenientibus: nam ſi poſſet ſatisfacere quis audiendo duas, vel etiam quatuor partes ſimul, etiam audiendo octo partes ſimul: nam poſſet vnus incipere introitum, alter eſſe ad epiſtolam, alter ad Euangelium, alter ad offertorium, alter ad Sanctus, alter ad conſecrationem, alter ad Pater noſter, & alter ad communionem, ita vt antequam iſte perueniat ad finem Miſſæ, vnuſquiſque eorum peruenerit ad locum alterius, videlicet ille, qui erat ad introitum perueniat ad Epiſtolam, & ſic de ſingulis, ita vt toti Miſſæ interfuerit, nec præſentia moralis defuiſſet, ſicut enim poteſt eſſe moraliter præſens quatuor ſimul celebrantibus, ita & octo, ſi omnes in vno latere Eccleſiæ celebrent, non enim interueniret magna diſtantia: immò argumentum poteſt fieri etiam quoad auditionem viginti partium ſimul. Hoc eſt abſurdum. Ergo & id vnde ſequitur. Similiter poſſet quis audire nouem lectiones matutinales à diuerſis recitantibus, poſtquam recitauerit Pſalmos, & ſatisfacere obligationi recitandi; nam hoc, quod poſſet dici hic de defectu attentionis, etiam ibi; nam etiam in auditione Miſſæ requiritur attentio. Sed hoc etiam eſt abſurdum: Ergo. Vide *Caram. in Theol. fundam. fund. m. 31.* vbi alia abſurda etiam obijcit: meritòque Vniuerſitas Louanienſis hanc propoſitionem hac cenſura configit *die 4. Maij 1655. Falſa eſt, & præceptorum Eccleſiæ eluſiua, nec maiorem habet apparentiam de quatuor ſacri partibus, quàm de viginti.*

Reſpondet *Leander à Sacram.* poſſe quidem à tribus, vel quatuor Sacerdotibus, tres, vel quatuor partes Miſſæ, eodem tempore audiri, & ſic ſatisfieri præcepto, non tamen à ſex: quia hoc eſt maius, & illud minus.

34 Sed contra ad hominem: Minus eſt à duobus poſſe ſimul audiri, quàm à tribus, vel quatuor, & nihilominus ſic arguit *Leander: Sicut ex duabus partibus Miſſæ, nempè prima, & ſecunda, conſlatur vna integra Miſſa ita etiam conſlatur ex quatuor partibus, nempè ex prima, ſecunda, tertia, & quarta. Ergo ſi ille, qui audit ſimul prædictas duas partes Miſſæ, adimplet præceptum, ita etiam qui quatuor præaſſignatas.* Ergo vel hæc *Leandri* conſequentia non tenet, vel *Caramuelis* conſequentia tenet; præſertim cum idem *Leander* paulò infra dicat, in præcepto auditionis Miſſæ ad ipſius impletionem non requiri, quòd audiantur adhuc in confuſo, quæ à Celebrante dicuntur, ſed ſolum quod corpore, & mente præſens quis ſit ſacrificio, quod quidem ſicut pluribus præſtare id poteſt; ita & pluribus partibus eorum. Hæc *Leander*. Cur ergo ſicut à quatuor Sacerdotibus poteſt ſimul quatuor Miſſæ partes audire, & in *Leandri* ſententia ſatisfacere præcepto, non poterit ſimul à ſex Sacerdotibus in Eccleſia habente ſex Altaria, quibus facilè poſſit quis eſſe præſens corpore, & mente, ſex partes

Miſſæ ſimul audire, & præcepto ſatisfacere? Et ſi hoc reputat inconueniens, & meritò, vt communis ſententia reputat, cenſeatur etiam cum communi ſententia, nec quatuor, nec duas Miſſæ partes à pluribus ſimul audiendo poſſe Eccleſiæ præcepto ſatisfieri.

35 Probatur ſecundò, cum *Nigno 3.p.q.83.dub.2.ar.6.in reſp. ad 3.* Neque in eſſe phyſico, neque in eſſe morali illæ duæ, vel quatuor partes Miſſæ in eodem tempore, conſtant vnam Miſſam integram; ſed præceptum audiendi Miſſam obligat ad audiendam integram Miſſam, vt patet ex *c. Miſſas, de conſecr. d. 1.* Ergo audiendo illo modo Miſſam non ſatisfacit præcepto. Maior probatur: in eſſe phyſico, & naturali ea, quæ ſunt in diuerſis ſubiectis non poſſunt vnum conſtare. Neque in eſſe morali, quia eſt contra rationem alicuius ſucceſſiui habere partes ſimul, vel etiam aliquas, de quorum ratione ſit ſucceſſio; licèt enim ad continuitatem moralem non obſtet aliqua modica interruptio: tamen ei, quod etiam in eſſe morali requirit ſucceſſionem obſtat habere partes ſimul, & nemo exiſtimabit ſucceſſiua ea, quæ ſunt ſimul; cum hoc ſit contra rationem ſucceſſiui; ſed de ratione Miſſæ eſt, quòd ſit res ſucceſſiua, & ſimiliter de ratione auditione eius, quód ſit actio ſucceſſiua: Ergo Miſſa non poteſt coaleſcere ex illis partibus ſimul, cuiuſmodi ſunt illæ partes Miſſæ à diuerſis celebrantibus, & conſequenter non eſt vna integra Miſſa, nec audiens poteſt dici audiuiſſe vnam integram Miſſam.

36 Confirmatur: aliàs ſequeretur, quod illi, qui tenentur perſoluere Officium in Choro, ſatisfacerent ſuæ obligationi, ſi duo eorum recitarent matutinum; & alij duo, vel quatuor perſoluerent horas: immò dum aliqui recitant Pſalmos, alii recitarent Lectiones, quod eſt abſurdum.

37 Probatur tertiò. Hic modus ſatisfaciendi præcepto ex natura rei inſufficiens eſt; ſiquidem illo poſito, ſacro propriè non interes, ſed partibus duorum ſacrorum, ſacrum non componentibus: poſſet tamen eſſe ſufficiens ex permiſſione Eccleſiæ, ſic ſacri auditionem acceptantis: Atqui nullum eſt, nec etiam ante Decretum fuit fundamentum, vt aſſeramus Eccleſiam acceptare ſacri auditionem media ex parte ſimultaneam: Ergo. Neque ratio, qua mouetur *Bonacina*, vrget. Fateor namque vtrique parti ſimul attendere poſſe, ſed quia non eſt attentio ad vnius Sacrificii partes, ſed ad partes ſacrificiorum, ea de cauſa non eſt Miſſæ auditio, neque ex permiſſione Eccleſiæ, cum nullibi conſtet talis permiſſio.

38 Exemplum autem adductum de eo, qui tria ſacra eodem tempore tenetur audire tum ex pœnitentia, tum ex voto, tum ex præcepto eſt diuerſum. Nam ſi illa ſacra ſimul celebrantur, illiſque aſſiſtat, propriè, & in rigore tria ſacra audit, ſecus verò aſſiſtens duplici ſacro media ex parte. Et quam debile eſt argumentum, cui nimis fidit etiam *Diana illa p. 10. tr. 15. reſ. 3.* At nec exemplum admitto; ſed potius exiſtimo cum *Piſano hic num. 6.* & aliis falſam ſententiam *Sanchez*, & aliorum aſſerentium

Digitized by Google

tium, eum, qui duplicem, vel triplicem Miſsam audire tenetur, poſſe eam ſimul audire, dum eę ſimul in duplici, vel triplici Altari celebrantur. Et quidèm *Luiſius De Torres in ſelect. p. 2. d. 13. dub. 7. & Caſalichius tit. c. 1. n. 7.* dicunt, quod quando Confeſſarius iniungit pœnitenti, vt audiat duas, vel tres Miſsas, intentio eius eſt, vt Miſsæ audiantur ſucceſſiuè, iuxta communem ſenſum fidelium.

39 Dicò ſecundò. Hoc Decreto non damnatur opinio docens, adimpleri præceptum ab eo, qui ſucceſſiuè audit duas medietates Miſsę à diuerſis Sacerdotibus dictas. Ita *Ioannes de Cardenas hìc diſſert. 33. c. 6. Corella num. 206. Torrecilla, Hozes, Lumbier*, & alii cum *Piſano num. 5. Reiffenſtuel Theol. mor. to. 10. diſt. 1. q. 1. n. 41* Eſt contra *Felicem à Panormo to. 2. d. 4. num. 876.* putantem eſse virtualiter damnatam.

Probatur. Non manet damnata expreſsè vi huius Decreti, nec virtualiter: nullo ergo modo. Primum eſt certum. Nam hoc Decretum dumtaxat loquitur de opinione, quę admittit ſatisfieri præcepto per auditionem ſimultaneam duarum medietatum Miſsę à duobus Sacerdotibus: non ergo loquitur de auditione ſucceſſiua. Quod nec etiam remaneat abſciſsa virtualiter, conſtat: Ea propoſitio manet virtualiter abacta, quę eſt incompoſſibilis cum damnatione. Et ideò Propoſitio, quæ eſt antecedens, vnde infertur propoſitio damnata, eſt virtualiter damnata: quia benè valet ab oppoſito contradictorio conſequentis ad oppoſitum contradictorium antecedentis; & ideò benè valet à contradictoria propoſitionis damnatæ ad contradictoriam antecedentis, quod infert propoſitionem damnatam. Atqui propoſitio, quæ admittit ſatisfieri præcepto per ſucceſſiuam auditionem duarum medietatum Miſsę, non eſt antecedens, vnde euidenter infertur, quod ſatisfiat etiam per ſimultaneam auditionem, vt mox patebit: Ergo.

40 An autem ſit iſta ſententia probabilis? Variant Auctores. Negant *Suarez, Azorius, Toletus, Coninch*, quos relatos ſequitur *Card. de Lugo cit. d. 22. ſect. 1. num. 8. Paſqualigus de ſacrificio qu. 1290. Thomas à S. Maria cit. ſelect. 9 dub. 2. quæſ. 3.* Contrarięque ita adhęret *Ioannes de Cardenas c. 7.* vt ſtando principiis intrinſecis hanc nonniſi tenuiter probabilem dicat. Probant, quia Eccleſia præcipit audire vnum, & integrum Sacrificium: Sed illa duo ſemiſacrificia, quę quis audit à diuerſis celebrantibus, non faciunt vnum integrum ſacrificium: Ergo, &c. Maior eſt clara. Minor oſtenditur. Vnitas, & integritas ſacrificii deſumitur ab vnitate miniſterii, ſeu actionis ſacrificandi: ſacrificium enim propriè ſumptum eſt ſacrificatio, ſeu actio Sacerdotis, qua Corpus Chriſti ſacrificatur, atqui illa duo ſemiſacrificia non ſunt vnica actio ſacrificādi: nā ſunt diuerſæ actiones præſtitæ à diuerſis Sacerdotibus ſacrificantibus: Ergo non ſunt vnum ſacrificium. Tum etiam quia ſi quis ſatisfaceret audiendo Miſſæ medietatem ab vno, & alteram medietatem ab altero celebrante, etiam ſatisfaceret audiendo Miſſam ſucceſſi-

uè à quinque, vel ſex, aut pluribus Sacerdotibus: ſed hoc nullus concedit: Ergo, &c. Tum denique nam ex oppoſito ſequeretur, illum ſatisfacere præcepto, qui primo mane dimidiam Miſſam audiuit, & poſt quinque, vel ſex horas aliam dimidiam, quod videtur abſurdum. Sequela probatur, quia dum admittatur interpoſitio temporis inter medietates, parui videtur referre maius, vel minus ſpatium interpoſitum. Et hoc magis negant quidam, ſi prius audiatur poſterior pars ab vno Sacerdote, & poſtea prior pars Miſſæ ab altero; nam ex *c. Miſſæ, de conſecr. d.* 1. Fideles debent audire totas Miſſas ſpeciali ordine: non autem ſeruatur ſpecialis ordo Miſſæ, quãdo prius auditur finis, quàm initium: Ergo.

Sed probabilis eſt ſententia affirmatiua, quam docent *Sà, Nauarrus, Laym. Bonac.* quos refert, & ſequitur *Caſtropalaus ſupr. num.* 8. *Maior, Medina, Reginaldus, Henriquez, & Diana,* quos citat, & ſequitur *Dicaſtillus d.* 5. *dub.* 3. *num.* 39. *Sotus, Nugnus, Barthol. ab Angelo, Gaſpar Hurtadus, Franciſcus à Ieſu Maria,* & alii, & poſt hoc Decretum *Piſanus, Corella, Torrecilla, Lumbier, Hozes, Reiffenſtuel,* & alii. Probatur primò, quia in hoc caſu ſeruatur vera ſucceſſio, cum in diuerſo tempore audiat vnam, & alteram medietatem. Nec obſtat diuerſitas celebrantium, quia in eſſe morali conflent illæ medietates vnum ſacrificium, cum etiam vnum reputetur, ſi moriente Sacerdote poſt conſecrationem, alter ſacrificium proſequatur, & qui illi ſacrificio aſſiſtit ſatisfacit præcepto. Quis hoc rectè negare poteſt? Secundò, quia parum refert quid de æquipollentibus fiat. Tertiò, quia vt benè *Caſtropalaus,* quamuis demus, quod illæ partes independentes ſint, neque vnum ſacrificium conſtituere poſſint, ideoque illis aſſiſtens, nequaquam integro ſacrificio propriè, & in rigore aſſiſtat: attamen ex benigna Eccleſiæ interpretatione communi Doctorum iudicio approbata, reputandæ ſunt partes vnum ſacrificium componentes, quoad effectum audiendi ſacrum, & ſatisfaciendi præcepto Eccleſiæ. Et hinc reſpondetur ad primum, & ſecundum argumentum oppoſitum: communis enim conſuetudo Doctorum iudicio approbata eſt de duobus partibus, non de pluribus. Ad tertium reſpondet *Nugnus,* non eſſe certum omninò, quod ſit mortale peccatum, audire Miſſam etiam cum interuallo tot horarum, & certè quoad vnitatem moralem Miſſæ, de qua nos loquimur, admitti poteſt, carere culpa graui, vel prudenter diiudicandum erit, quanta diſtantia temporis tollat, vel non tollat hanc moralem vnitatem. Et etiam ſi inuerſo ordine partes Miſſæ audiantur, culpa tantum venialis erit, ſi ſine iuſta cauſa fiat, vt cum *Nau. Sà, Soto, Henriquez, Barth. ab Angelo,* & aliis, aſſerit *Diana to. 2. tr. 17. reſ. 18. Scortia l. 2. de Sacrif. Miſſæ c. 20. num. 3. Petrus de Ledeſm. c. 27. poſt 5. concluſ. Dicaſtillus, & Piſanus ſupra,* & alii: ſicut enim variatio ordinis in recitatione Horarum non eſt niſi veniale, ſic hic. Nec obſtat *textus in c. Miſſas*; particula enim *Speciali ordine*, non cum verbo audire, ſed cum verbo præcipimus coniungenda eſt, ita vt ſenſus ſit: Speciali

ciali ordine, ſeù lege præcipimus, audire totas Miſſas. Quòd ſi dicas. Si Sacerdos variaret hunc ordinem celebrando, peccaret mortaliter. Ergo pariter audiens, quia tenetur audire eo modo, quo tenetur Sacerdos: cum quo eſt offerens. Reſpondeo cum maiori obligatione teneri Sacerdotem ad ſeruandum ordinem, quàm audiens; ſolus enim Sacerdos legitime ordinatus offert per ſe ſacrificium: & in ordine ad ipſum non ſine graui, & matura diſcuſſione præſcriptus eſt ille ordo ab Eccleſia: omnes verò fideles offerunt hoc ſacrificium, non per ſe ſolos, ſed per Sacerdotem: quid mirum ergo ſi reſpectu ipſorum ordo non ſit cum tanto rigore requiſitus?

Porrò hæc ſententia maiorem probabilitatem obtinet, ſi partes, de quibus ſit controuerſia, an ingrediantur eſſentiam ſacrificii, audiantur ab vno Sacerdote; putà ſi ab vno audiatur à principio vſque ad conſecrationem excluſiuè, & ab hac ad finem ab altero; nam tunc verificatur ſacrificium eſſentialiter, & propriè ſeruare ſuam vnitatem, & ſucceſſionem partium eſſentialium, vt rectè *Franc.de Lugo de Sacram.l.5.c.14.q.7.n.80.*

PROPOSITIO LIV.

Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia maior pars trahit ad ſe minorem.

1 NAuarrus *in c.Quando, de conſecr.diſt.1.cap.ſuo,11.nu.13.* aſſerit eum, qui non poteſt perſoluere maiorem partem Officii Canonici, non teneri ad minorem, quam poteſt, quia maior pars trahit ad ſe minorem. Idem dicit *Leſſius l.2. c.37. dub.9. num.54.* hinc inferens, quod cæcus, qui non poteſt recitare maiorem partem Diuini Officii non tenetur ad minorem, & hanc ſententiam putat probabilem *Diana p.9.tr.9. reſ.28. §.vlt.& Engel in Collegio vniu.iuris Can.l.3.tit.41.§.3.qu.vlt.n.36.*

Rodriquez in ſum.p.1.c.145. & Garzias de beneſ.tr.1.p.3.c.1. num.222. docent, quod qui non poteſt recitare Matutinum cum Laudibus, ad nihil tenetur, quia licèt hæc non ſit maior Officii pars, nihilominus eſt pars illius prima, & præcipua. His accedit etiam *Diana p.2.tr.12.reſ.29.*

Caſtropalaus to.2.tr.7.d.2.pu.6.num.9. quem ſequitur *Diana p.4. tr.4. reſ.225.* hæc habet *Tertiò dico. Mihi probabiliorem eſſe ſententiam Nauarri, Leſſij, & aliorum aſſerentium, te non eſſe obligatum Officium recitare, ſi maiorem illius partem non potes: Tum ob rationem ſuperius dictam, quia maior pars trahit ad ſe minorem: Tum qui ita videtur eſſe conſuetudine receptum, ne infirmi, & debiles, vel aliàs impediti ſcrupulis, & perplexitatibus vexentur, quod ſine dubio contingeret, ſi potens ſine notabili damno recitare quamlibet Horam,*

ad

ad illam teneretur. Quis enim determinare poſſet, quot Horæ tibi nocumentum graue afferrent: aut quis affirmare, vnam ſolam Horam ex minimis graue nocumentum allaturam? Ne igitur perplexus ſis, ab omni hora videris excuſatus, cum maiorem Officij partem recitare non poteſ. V.g. cum non poteſ recitare Matutinum cum Laudibus, quia hæc eſt pars maior, prima, & præcipua Officij. Hæc *Caſtropalaus*, quem iterum ſequitur *Diana p.10.tr.16.reſ.48. §.4. Baſſæus V. Horæ Canonicæ, 6.num.5. Trullench l.1. Decal.c.7.dub.27. nu.5. Hieronymus Garſi in ſum.tr.2.diffic.7. dub.2.num.14. Martinus de S. Ioſeph in monitis Confeſſ.to.1.l.2.n.6. Pellizarius*, & alii, quos ſequitur etiam *Tamburinus l.2. Decal.c.5.§.8. n.3.& 7.*

Thomas Hurtadus to.1.de Reſidentia l.5.reſol.7. ſubreſol.10. num.42. (teſte *Filguer.* in expoſitione huius Propoſitionis) mediam ſubiuit ſemitam, dicens, Beneficiarios, quia ex iuſtitia tenentur reſtituere fructus correſpondentes ſingulis Horis, etſi non poſſint recitare Matutinum, & Laudes, teneri ad reliquas Horas: Regulares verò non teneri; quia eorum obligatio ſolum fundatur in virtute Religionis. Subiungit *Filguera* hæc verba: *Si autem P. Hurtadus differentiam, quam excogitauerat, mordicùs defendiſſet, probabilis forſan alicui videretur poſt damnationem Pontificiam, quod qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, id nihil tenetur, ſi ſolùm ad recitandum obligatur virtute Religionis, non autem ratione beneficij Eccleſiaſtici: Cum in odioſis, vt loquuntur Auctores, debeat fieri reſtrictio, ſicut in fauorabilibus ampliatio, poterat non iniurioſè, ſic non violenter damnatio Pontificia intelligi de obſtricto ad recitandum ex virtute iuſtitiæ, non autem Religionis, quod quidem minus eſt.* Vbi vides inclinare *Filgueram* ad hoc, quòd damnatio Pontificia extendatur ſolùm ad obligationem recitandi ex iuſtitia; quamuis id non abſolutè aſſerat.

Caramuel in reg. D. Benedicti num.1435. cæteris abſurdius dixit, infirmum, qui non poteſt recitare totum Diuinum Officium, non teneri recitare partem. Probat, tùm quia non datur præceptum indicens lectionem vnius Horæ; tùm quia ad impoſſibile nemo tenetur: Ergo quando aliquis non poteſt ſatisfacere præcepto, non tenetur: atqui præceptum eſt de legendo toto Officio, non de parte: Ergo quando aliquis, non poteſt ſatisfacere toti præcepto, non tenetur ſatisfacere parti. Tùm quia datur vnicum ſolùm præceptum de dicendo toto Officio Diuino, non plura. *Caramuelem* ſequitur *Antonius à Spir. Sancto p.3. direct. Confeſ.tr.3.d.3.ſect.3.§.7. num.106.* qui falsò citat pro hac ſententia, *Ioannem Sancium in ſelectis d.15.num.1.* Ibi enim apertè dicit; quod qui non poſſet omnes Horas Canonicas recitare, eſſet conſtrictus ad illas, quas poſſet.

* * * * * * * * *

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Quid ſint Horæ Canonicæ? Et quare dicantur Horæ: cur Canonicæ, & denique Officium Diuinum?*

3 *Vtrum Horæ Canonicæ ſint ſeptem?*

4 *An præceptum de Horis Canonicis recitandis ex genere ſuo ſit grauiter obligans ſacris initiatos, beneficiarios, Religioſos choro deputatos, & moniales etiam choro mancipatas? Et an, qui omittit Officium vnius diei in toto anno peccet grauiter?*

5 *Vtrum qui negligenter omittit notabilem partem Officij vnius diei peccet grauiter? Quæ dicatur pars notabilis, quæ parua? & nu.6.& 7.*

8 *Vtrum omittens vna die omnes ſeptem Horas committat vnum peccatum, an verò ſeptem?*

9 *An qui vno die propoſuit Officium non recitare, & poſtea eodem die pluries recordatus ſuæ obligationis denuò repetit propoſitum non recitandi illud, debeat id in confeſſione exprimere? Et quid ſi tale propoſitum per contrariam voluntatem mutauit, & poſtea denuò habuit propoſitum non recitandi?*

10 *Quando hoc peccatum omiſſionis Diuini Officij conſummatur?*

11 *Vtrum diſpenſatio ſuperioris liberet ab onere recitandi Diuinum Officium? Et quis poſſit diſpenſare cum Clericis in ſacris, ac beneficiatis?*

12 *An impotentia recitandi Diuinum Officium proueniens ex ignorantia obligationis, aut recitationis excuſet à peccato: & quæ ſit obligatio ignorantis recitationem?*

13 *An obliuio, & inaduertentia naturalis excuſet à recitatione Horarum? Ad quid obligetur aduertens frequenter ex obliuione non perſoluere horas? Et quid de dubitante, an Horam perſoluerit?*

14 *Vtrum naturaliter corporaliter impotentes, vt cæci, & muti teneantur Horas perſoluere ſaltem aliam audiendo, aut mentaliter? Quid ſi cæcus memoriter ſciat Horas? Et quid ſi memoriter ſciat Horas, ſed non illius diei?*

15 *An carens Breuiario abſque ſua culpa teneatur Horas perſoluere? Et quot peccata committat qui proiicit Breuiarium?*

16 *An, & quæ infirmitas excuſet à recitatione Horarum? Et an ſi dubitetur etiam à Medico ſit ne recitatio Diuini Officij valde nocitura, teneatur æger ad recitandum?*

17 *Vtrum infirmus ſi poſſit recitare cum ſocio, teneatur cum illo recitare, ſi facile haberi poſſit? Et quid ſi haberi non poſſit, niſi pretio mediante?*

18 *An metus mortis excuſet à recitatione Diuini Officij?*

19 *An grauis occupatio, ſi ſit honeſta, quæ in aliud tempus differri non poſſit abſque ſcandalo, vel graui detrimento ſui, & proximi excuſet à recitatione Officij?*

20 *An*

Digitized by Google

20 *An ſicut grauis occupatio, & honeſta in caſu particulari excuſat à recitatione Horarum; ita poſſit Clericus in ſacris etiam non beneficiatus ſuſcipere aliquam honeſtam occupationem, & diuturnam Incompatibilem cum Officio?*

21 *Aſſignatur duplex materia præcepti, vna diuidua, vt præcepti ieiunij Quadrageſimalis, & Horarum Canonicarum: altera indiuidua, vt communionis Paſchalis, & Confeſſionis. Et quando materia eſt diuidua obligat ad partes: indiuidua verò non.*

22 *Principium illud: Maior pars trahit ad ſe minorem, intelligitur in actionibus, obligationibus, alijſque actibus ciuilibus communitatum.*

§. II.

23 *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes: poteſt autem reliquas Horas, tenetur eas recitare. Et contrarium vt minimum tanquam ſcandaloſum hoc Decreto proijcitur.*

24 *Ex doctrina praiacta num. 21. Scilicet ex natura præcepti diuidui, ſuadetur concluſio nuper poſita.*

25 *Denuo explicatur data doctrina, & probatur aſſertio.*

26 *Oſtenditur, Auctores propoſitionis damnatæ inconſequenter aſſerere materiam præcepti de recitando Officio eſſe indiuiduam.*

27 *Demonſtratur inſuper aſſertio ex eo, quod non excuſatur à peccato omittens Completorium, qui cæteras partes Officij recitauit; neque excuſari poteſt omittens Horas diurnas, quas recitare poteſt.*

28 *Illud principium: Maior pars trahit ad ſe minorem, indebitè applicatur ad deobligandum eum à recitatione reliquarum Horarum, ex eo, quod non potuit recitare Matutinum cum Laudibus.*

29 *Confirmatur aſſertio propter abſurdas conſequentias, quæ ſequerentur ex contraria opinione in materia Religionis.*

30 *Regulariter non verificatur, Matutinum, & Laudes eſſe maiorem partem Officij.*

31 *Opinio* Thomæ Hurtado nu. 1. *relata falſa eſt, & ſcandaloſa.*

32 *Materia huius præcepti eſt diuidua, & vt talis reſpicitur ab ipſo præcepto.*

33 *Damnatio Pontificis eſt vniuerſalis.*

34 *Damnatio ſtat pro omni parte propoſitionis adductæ.*

35 *An dicta proſcriptio vigeat, tàm ſi indubitatum ſit, impotentem recitare maiorem partem poſſe recitare minorem, quàm ſi dubitetur excipiendo caſum infirmitatis?*

36 *In prædicto dubio poſſeſſio ſtat pro præcepto.*

37 *Quando ægrotus dubitat, an poſſit recitare partem Officij, non tenetur ad illam recitandam.*

38 *Notanda eſt doctrina* Suarii, *&* Felicis à Panormo *circa hanc materiam.*

39 *An proſcribatur hoc Decreto ſententia* Suarii *docens, neminem obligari ad dicendam aliquam Horam, qui non poteſt ſaltem eius partem dicere.*

40 *Præ-*

Digitized by Google

40 *Præceptum Officij Canonici prout terminatur ad vnã Horam eſt indiuiduum.*

41 *An licèt non ſit damnata ſententia* Suarii, *defendi tamen poſſit vt probabilior ſententia* Bonacinę *aſſerens, præceptum recitandi ſingulas Horas terminari ad illas diuiſibiliter?*

42 *Vtrum qui non poteſt recitare duos poſtremos nocturnos ex Matutino, poteſt autem primum, teneatur ad illud recitandum?*

43 *Vtrum qui non poteſt recitare Matutinum, poteſt autem Laudes, teneatur ad illas recitandas?*

44 *An qui venit ad Eccleſiam circa Canonem Miſſæ teneatur eam audire? Et an qui non poteſt audire Miſſam, niſi vſque ad Canonem, vel conſecrationem teneatur hanc partem audire? Et quid ſi quis venerit poſt conſecrationem?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò, quòd Horæ Canonicæ ſunt certa *oratio publicè laudandi, precandique Deum mente ſimul ac voce, auctoritate Præſulum Eccleſiæ inſtituta.* Ita *Bellar. lib. 1. de bonis operibus c. 10.* Dicuntur *Horæ*, non quidem ab oro, oras, quia orando, & contemplando perſoluuntur, vt cum *Card. Zabarella*, & aliis, *in Clem. 1. de celebr. m ſſ.* putant *Graffius l. 2. deciſ. aur. c. 50. num. 1. & Molfeſius in ſum. tr. 5. c. 1. num. 1.* cum prima littera verb. *oro* non aſpiretur: prima verò verb. *Hora* ſic: ſed *Hora horæ*: quia iuxta Canones, ac regulas Sanctorum Patrum certis horis nocturnis, ac diurnis recitari, vel decantari debent, à quibus etiam nomina ſumpſere. *Azorius to. 1. l. 10. c. 1. quæſ. 1. Bartol. à S. Fauſto* & alii. Dicuntur autem Canonicæ, ſeu Regulares, à Canone Græcè, quod Latinè idem eſt, quod regula, quia à Sacris Canonibus ſunt inuentæ, & Canonum traditione, & inſtituto à Clericis tanquam proprium penſum perſoluendæ ſunt. Ita *Barth. à S. Fauſto de Horis Canonicis l. 1. in princ.* Et apud Græcos Officium Diuinum *Canon* dicitur. *Antio. benus hom. 105.* ibi: *Pſalmodia noſtra Canon appellatur, & quemadmodum colonus niſi dederit plenam, & bonam menſuram ſuam, in vincula conijcitur, & cruciatus*; *ſic Monachus, qui negligit ſuum Canonem, ſeù menſuram, cui adſtrictus eſt, Deo quotidie perſoluere, à Dei gratia excidit, & traditur inimicis ſuis.* Videatur *Gonzal. in c. 1. num. 14. de celeb. Miſſ.* Dicitur *Officium Diuinum*, quaſi munus, & obſequium, quod Clerici Deo præſtant. Licèt enim omnes homines teneantur laudare Deũ tum ob ſuas infinitas virtutes, & quod ſit Dominus Vniuerſorũ; tum etiam ob beneficia nobis cõceſſa: Attamen ſpiritualiter hoc pertinet ad Eccleſiaſticas perſonas, quæ diuino cultui mancipatæ ſunt. *Molfeſ. ſup. n. 12.* Dicitur

Digitized by Google

verò in definitione: *mente, ac voce*, quia non ſatisfaceret qui ſola mente oraret; eſt enim Officium oratio vocalis, *cap. dolentes, de celebr. Miſſ.* Et magis declaratum eſt in *Conc. Baſileenſi ſeſſ. 21. §. 2.* Vndè licèt *Nauar. de oratione c. 19. num. 88. Leander à Sacram. Thomas Hurtadus*, & alij putent eſſe probabile ſatisfieri præcepto recitandi per orationem merè mentalem: tamen hæc ſententia non eſt tuta, vt rectè dixerunt *Sà V. Horæ Canonicæ num. 11.* & alij, & *Suarez de Horis Canon. Sanchez l. 7. conſil. c. 2. dub. 8. num. 4. Baldellus in Theol. mor. to. 2. l. 3. d. 35. num. 16. Barth. à S. Fauſto de Horis Can. l. 2. q. 120.* & alij inquiunt eſſe practicè improbabilem: & conſtat apertè ex *cit. Conc. Baſileenſi*, vbi dicitur, quod ſiue ſoli, ſiue aſſociati recitent: diurnum, nocturnumque officium reuerenter, verbiſque diſtinctis, debent peragere. Quibus euellitur ſolutio Aduerſariorum, qui iura, & decreta Canonica, verbalem recitationem exigentia expoſuerunt pro choro, vel quando cum ſocijs: ſecus aliter. Hinc qui ſolus recitando Diuinum Officium, oculis illud perſpicit, & percurrit, Eccleſiæ præcepto non ſatisfacit, *Bart à S. Fauſto d. q. 120.* & alij communiter. Ratio eſt; quia tenetur dicere, & pronunciare, quod eſt recitare.

3 Notandum eſt ſecundò, quod quamuis *Nauar. de orat. c. 3. num. 27. & 28.* cum *D. Antonino, & Archidiacono,* octo horas eſſe contendat, videlicèt Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas, & Completorium, cui conſonat *Hugo Victorinus lib. de Eccleſiaſt. offic.* dicens, *Noſtra autem conſuetudo humanæ infirmitati parcens, & labori, officio nocturnali laudes matutinas continuat, & oratione vna duo claudit officia:* Nihilominus communis ſententia habet, ſeptem eſſe dumtaxat Horas Canonicas, iuxta illud *Pſal. 118. Septiès in die laudem dixi tibi*, vbi dies pro naturali die 24. horarum accipitur, qui noctem etiam includit. Cum autem dicit: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi* diſtinguit ipſas Horas in diem artificialem, & noctem. Tum etiam, quia Horæ Canonicæ non ſunt plures, quàm ab Eccleſia inſtitutæ ſunt; ſicut enim ab Eccleſia inſtitutionem habent, ita & numerum: Eccleſia autem Romana inſtituit dumtaxat ſeptem Horas Canonicas, vt patet ex *c. 1. de celeb. miſſar.* ibi: *Septenarius numerus*, ex *Clem. 1. de Reliq. & venerat. Sanct.* & ex *Breuiario Romano*, vbi ſeptem Horæ numerantur. Tum ex *Concilio Cabilon. 2. ſub Carolo can. 59.* ibi: *Horas Canonicas, Matutinum videlicet, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſpertinam, Completorium, pariter celebrent: Aquiſgran. ſub Ludouico à c. 126. vſque ad 130.* Tum denique ex *S. Iſidoro l. 1. de diu. offic. c. 22.* Nec placet ſententia *Turrecr. in c. Presbyter 91. d.* qui vtramque ſententiam conciliare volens, inquit, nunc ſolum eſſe ſeptem, olim tamen, & maximè apud Monachos, fuiſſe octo. Nam ſeptem tantùm enumerant *D. Clemens Alex. l. 8. conſtitut. c. 40. D. Baſilius l. 1. de inſtitut. Monach. Caſſianus l. 3. inſtitut.* vbi ex eodem *pſal. 118.* deducit ſeptem eſſe Horas Canonicas. Nec obſtat, quod olim Laudes per ſe ſeparatim à Matutino canebantur, & no-

Digitized by Google

& noſtris etiam temporibus diuiduntur in Die Natiuitatis Domini: Nam vnitas, & diſtinctio Canonicarum precum non eſt deſumenda à tempore, quo ipſæ recitantur; alioquin ſequeretur Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam numero inter ſe non diſtingui, dum eodem tempore ſucceſſiuè perſoluuntur; ſed ex alio potius capite deſumenda videtur, nempè ex inſtitutione Eccleſiæ: Eccleſia autem Matutinum, & Laudes inſtituit vt vnam horam, licet vtrique aſſignauerit proprios hymnos, & propria initia Horarum, ſcilicet, *Deus in adiutorium, &c.* Hinc infertur contra *Barth. à S. Fauſto d.l.2. q.1.* in die Natalis Domini non octo Horas Canonicas à Romana Eccleſia decantari; quia licet antiquo more Matutinum à Laudibus ſeparetur, & propria concludatur oratione; tamen hæc ſeparatio non ſufficit ad diſtinguendas Horas: nam antiquitus etiam nocturni dicebantur ſeparatim, & modo etiam ex aliqua cauſa dici poſſunt, & terminari debent cum collecta diei, & incipi cum Pater Noſter, & Aue, vt docent *Filliuc.Trullench*, & alij; & tamen non habebantur, vt Horæ diſtinctæ, ſicut nec modo habentur, etiam ſi ex cauſa ſeparentur.

4 Notandum eſt tertiò, quod communis, & vera ſententia tam Theologorum, quàm Canoniſtarum contra *Angelum V.Hora nu.*10. habet, præceptum de recitandis Horis Canonicis obligare ad mortale, ac proinde qui illas etiam abſque contemptu, ſed per ſolam negligentiam ſine iuſta, & debita cauſa omittit, peccat mortaliter; quia agit in materia graui contra peculiare præceptum Concilij Generalis *ſub Innoc.III.* Vbi Eccleſiaſticis diſtrictè præcipitur in virtute ſanctæ obedientiæ, vt Diuinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum Deus eis dederit, ſtudiosè celebrent pariter, & deuotè. Quæ verba pleniſſimè oſtendunt præcepti vim obligantis ſub mortali. Hoc ipſum probant *Trullench l.1.Decal. c.7.dub.23.num.1.Barth.à S.Fauſto cit.l.2.q.55. & Baſſæus V.Hora Canonica in ſupplem.num.4. ex c.Clericus victum d.91.& Clem.1.de celebr. miſſar.* vbi tale peccatum eſt dignum excommunicatione, quæ non imponitur, niſi ob peccatum mortale, ex *c. nemo Epiſcoporum 11. q.3.* & tradit etiam *Nauar.de orat.c.7. nu.5.* Et hoc procedit tam de ſacris initiatis, quàm de Beneficiarijs, vt patet ex *cit.c.dolentes, de celebr.miſſ.* quia obligatio recitandi in eo eſt in materia graui,& inducit grauē pęnam,vt ſuo loco dixi.Ita cum communi *Trullench cit.c.7.dub.23.num.1.Graffius p.1. dec.aur.l.2. c.50. num.6.* Procedit etiam de Religioſo profeſſo choro deputato, qui peccat mortaliter, ſi omittat Diuinum Officium. Et idem eſt de monialibus Choro mancipatis, quia ſiue teneantur ex peculiaribus legibus, ſiue ex conſuetudine, obligatio eſt in materia graui. Ita *Graffius cit.c.50. n.6. & 7.* & alii fere omnes, vt teſtatur *Baſſæus V.Hora Canonica,1.n.5.* Et communis, veraque ſententia docet peccare mortaliter, qui voluntariè, & ſine legitima excuſatione,integrum Officium Canonicum vnius diei dumtaxat omittit. Tum quia, qui violat præceptum in re graui peccat mortaliter, ſed

qui omittit recitationem Diuini Officii vnius diei, violat præceptum in re graui pertinente ad virtutem Religionis, & ad colendum Deum: Ergo peccat mortaliter. Tum quia, qui omittit Miſſam in die feſto, vel vnius diei ieiunii præceptum frangit, mortale peccatum committit, vt conſtat: Ergo & qui omittit integrum Officium vnius diei peccat mortaliter. Tum etiam, quia omittens vnicum Diuinum Officium ſuſpendi poteſt, *c. dolentes, de celeb. Miſſ.* Imò etiam poteſt excommunicari, *Clem.1. eod. in tit.* iſtę autem cenſuræ ſupponunt grauem culpam: Ergo, Quolibet igitur die eſt diſtinctum graue præceptum, & ſic non poteſt conſiderari Officium vnius diei, vt parua materia reſpectu totius anni. Non eſt ergo audiendus *Ioannes Henriquez in compend.c.29.num.3.* dicens licere per annum octo dies Officium Diuinum omittere, vt teſtatur *Leander à Sacram.tr.6.d.13. qu.29.* Et idem dicendum, quoad Religioſos profeſſos. Vnde licèt *Aragonius 2.2.qu.83.ar.12.concl.3.* & quidam alii putauerint non eſſe peccatum mortale, ſi bis priuatim Religioſi omittant; tamen hoc improbant communiter alii, & tanquam voluntariè dictum reiiciunt *Suarez l.4. c.14.n.6. & Molfeſius tr.5.c.5.n.20.*

5 Notandum eſt quarto, quod qui ex negligentia notabilem partem Officii vnius diei omittit, peccat mortaliter. Ita *Barth.à S.Fauſto d.l.2. qu.57. Baſſæus, Trullench,* & alii communiter. Ratio eſt: Tum quia pars notabilis eſt etiam materia grauis iudicio prudentum: Tum quia non ſolum peccat mortaliter, qui in die feſto totam Miſſam negligit, ſed enim, qui notabilem partem eius omittit, vt conſtat ex *c. Miſſas, 2. de conſecr. d. 1.* Ergo etiam mortaliter peccat, qui notabilem officii partem omittit, cum eadem ſit vtriuſque ratio. Tum demum, quia Officia Diuina non ſunt imperfectè relinquenda, *c. illud, & c. nihil, 7. qu. 1.* Ergo, qui ſine iuſta cauſa Diuinum Officium notabiliter mutilat, peccat mortaliter. Notabilis autem pars eſt vna Hora etiam ex paruis; putà Prima, Tertia, Sexta, Nona, & Completorium. Ita cum *Ioanne Molano, Ioanne Vuigers, Leſſio, De Fabris, Vegha, Fernandez, Ledeſma, Bellochio, Bonac. Tobiena, Naldo, Reginaldo, Sylu. Molfeſio, Bonarſio, Macigno, Merolla, D. Antonino, Barthol.à S.Fauſto, Sanchez, Medina, Nau. Palacio, & Squillante, Diana p.6.tr.6.reſ.6. Antonius à Sp.Sanct. p.3. Direct.tr.3.d.3.ſect.3.§.3.num.71. Suarez, Gauantus,* & alii, cum *Lezana,* qui obſeruat iuſſu S. Congregationis Indicis fuiſſe deletam ab opere *Marchini* contrariam ſententiam. Ratio eſt, quia omittere vnam Horam paruam videtur nocere notabiliter fini intento à Legislatore per præceptum de recitando Diuino Officio, qui eſt cultus Dei. Adde cum *Diana, Suarez,* & aliis, quod talis omiſſio eſt notabilis deformitas, & mutilatio Diuini Officii, contingentis in tali parte, quæ ſufficiat ad peccatum mortale, ſi ſola ſub eo reatu præciperetur. Aliqui excipiunt Veſperas in Sabbato Sancto, putantes, quod illæ Veſperæ, etſi ſint integra Hora, habent ſpecialem paruitatem, & non eſt credendum velle Eccleſiam, quod in die

tantæ

tantæ lætitiæ, & indulgentiæ, in quo preces ſunt adeo prolixæ, ob rem adeò paruam eius filios peccare mortaliter. Ita *Tambur. l. 2. Decal. c. 5. §. 2. nu. 11. Antonius à Spir. Sanct. n. 72. Renzi, Reiffenſtuel*, & alii. Sed adhuc talem omiſſionem eſſe peccatum mortale rectiùs cenſuerunt *Tancredus tr. 3. l. 4. d. 11. num. 19. Suarez*, & alii, quia licet ſit materia in ſe parua, tamen non eſt parua ſpectato fine Eccleſiæ. Omittere dimidiam partem Horæ minoris non eſſe peccatum mortale putarunt *Caſtropal. to. 2. tr. 7. d. 2. pu. 5. num. 1. Antonius à Spir. Sanct. num. 71. Leander à Sacram. qu. 52. Gauantus*, & alii, exiſtimantes eſſe materiam leuem: ſed contrarium rectiùs docent *Suarez l. 4. c. 25. num. 6. Fillius. tr. 23. c. 7. quæſ. 10. Barth. à S. Fauſto l. 2. q. 59. Maſtrius, Azorius, Marignus*, & alii communiter: quia media Hora, adhuc eſt materia grauis, ſeù notabilis.

6 An autem omittere tertiam partem vnius horæ minoris ſit peccatum mortale? Affirmant *Nau. c. 25. num. 65. Malderus 2. 2. tr. 10. c. 2. dub. 3. Villal. tr. 24. diffic. 10. nu. 1. Azorius, Marignus*, & alii cum *D. Antonino*. Vnde idem *Nauar. de orat. c. 10. num. 43.* cenſet eſſe peccatum mortale in paruis horis relinquere totum principium vnius horæ cum vno Pſalmo; quia illa eſt (inquit) circiter tertia pars. Secundum iſtorum ſententiam omiſſio vnius Pſalmi eſſet peccatum veniale. Ita *Mendo in Epit. V. Hora Canonica nu. 16.* & alii: quamuis *Ioannes Baptiſta de Fabris in Man. Ordin. tr. de Ordine cap. 9. num. 65.* contrarium putet, ſi Pſalmus ſit ex longioribus. At communior, & verior ſententia docet, omiſſionem tertiæ partis horæ minoris eſſe peccatum veniale in recitatione priuata. Ita *Suarez ſupra, Petrus de Ledeſma in ſumma tom. 2. tr. 9. c. 10. concluſ. 4. Reginaldus l. 18. c. 12. num. 143. Diana de Horis Canon. reſ. 41. Barth. à S. Fauſto l. 2. qu. 60. Fernandez, Bellochius, Trullench, Maſtrius*, & alii putantes non eſſe materiam notabilem, nec eſſe veriſimile, Deum velle perpetuis gehennæ ſuppliciis illum ſubijcere, qui leuiorem dimidia parte minoris horæ omittit. In recitatione verò publica tertiam partem vnius horæ minoris omiſſionem ad peccatum mortale ſatis eſſe, exiſtimo cum *Bartho. à S. Fauſto l. c.* & aliis.

7 In Matutino, & Laudibus, ac Veſperis, *Gauantus in Rubr. Miſſal. tom. 2. ſect. 5. c. 5. tr. 1. num. 4. Suarez l. 4. c. 25. nu. 16. Caſtropalaus cit. d. 2. pu. 5. nu. 1. Trullench ſupra dub. 23. num. 2. Tamburinus l. 2. Decal. c. 5. §. 6. num. 10. Cotonius l. 3. contr. 3. c. 2. nu. 39.* docent, illam eſſe partem notabilem, & grauem; quæ æquiualet minimæ horæ; ſi autem non attingat, non erit peccatum mortale; & hanc ſententiam putat probabilem *Diana cit. reſ. 41.* quia veriſimile non eſt, inquit *Tamburinus*, piam matrem Eccleſiam velle æternis ignibus addicere eum, qui leuiorem partem officii ea, quam diximus, omittat. *Antonius Ragueins in tr. de officio Canonicorum in Choro qu. 13. num. 4.* aſſerit, in iſtis horis maioribus notabilem eſſe quartam partem, & non minorem; quam ſententiam putant etiam probabilem *Trullench, & Diana locis relatis*. Sed prior ſententia magis placet, Hinc non erit peccatum mor-

mortale omiſſio duorum Pſalmorum ex breuibus: ſecùs verò ſi Pſalmi ſint ex longioribus: Vnde omiſſio vnius Pſalmi, *Attendite popule meus*, erit notabilis,& ſic peccatum mortale ; quia talis Pſalmus æquiualet vni paruæ horæ, puta Tertiæ. Ita *Ioannes à S. Thoma in compendio Doctrinæ Chriſtianæ par. 2. c. 12.* aliique. Erit etiam peccatum mortale omiſſio integri vnius Nocturni. Ita cum communi *Reiffenſtuel Theol. mor. tr. 6. diſt. 1. q. 3. nu. 28.* contra *Roſellam, Caramuelem*, & alios. Ratio eſt, tum quia Nocturnum eſt pars æquiualens vni horæ paruæ ; tum quia ex eius omiſſione magna cauſatur deformitas in illa hora : tum denique, quia cum vnum Nocturnum fuerit materia vnius ſtationis in nocte apud Antiquos, notabiliter cēſetur Diuinum Officium detruncaſſe, qui vna ſtatione illud deſtituit, vt rectè obſeruat *Baſſæus ſupra num. 2.* Sed quid ſi omittantur tres Lectiones ? *Sanchez l. 1. ſumma c. 18. num. 8.* ait, quod in matutino feriæ, vel Sancti ſimplicis omiſſio trium Lectionum,& earū Reſponſoriorum ſit materia parua: ſecùs ſi eſſet matutinum feſti duplicis, aut ſemiduplicis, in quo nouem Lectiones,& octo Reſponſoria omittenda eſſent : ſubſcribit etiam *Leander à Sacram. ſupra q. 55.* dicens in officio nouem Lectionum; tres Lectiones eſſe materiam leuem: niſi officium eſſet Reſurrectionis, aut Pentecoſtes. Ego de Lectionibus tribus cuiuslibet officii contrarium puto cum *Ioanne Sancio in ſelectis d. 15. nu. 2.*& aliis, quia Lectiones ſunt pars principalis, & ſubſtantialis officii.

8 Notandum eſt quintò: Quæſtionem eſſe, An omittens vna die omnes ſeptem Horas Canonicas, committat vnum tantum peccatum, an verò tot peccata, quot ſunt horæ ? Non intelligitur quæſtio de eo, qui ſciens,& volens vnius horæ officium omittit, cum tamen decernat cæteras horas recitare,& deinde appropinquante tempore, quo aliam horam dicere deberet, eam quoque tunc temporis ſcienter omittit, hic enim duo peccata committit: loquimur ergo de eo, qui vnico actu voluntatis omnes ſeptem Horas Canonicas ſcienter prætermittit. Item intelligitur quæſtio de peccatis externis,& conſummatis; nam interna poſſunt numero multiplicari, etiam circa vnam,& eandem horam, repetendo ſæpius per diem internam voluntatem non recitandi in temporibus diſtinctis, cum interruptione morali facta per contrariam deliberationem, vt infra explicabitur. Loquendo igitur de omiſſione externa,& conſummata per vnicum actum voluntatis: multorum ſententia docet, ſeptem peccata mortalia committere; quia putant tot eſſe præcepta precandi in die, quot ſunt Horæ Canonicæ, ſicut ſi quis quadragenarium ieiunium frangeret, tot peccata committeret, quot ſunt eius ieiunii dies. Ita *Tabiena V. Hora q. 18. Leſſius l. 2. c. 37. dub. 9. nu. 53. Toletus l. 2. c. 2. Caietanus*, & plerique alii. Quod *Syluester* intelligit de eo, qui diſiunctim eas recitare tenetur, vt Religioſi,& ſeruientes in Choro : qui autem ad hoc non tenentur, omnes omittendo pro vno peccato computantur. At verior,& communior ſententia docet, hunc vnum tantum pec-

Digitized by Google

catum externum omiſſionis conſummatum committere. Ita *Roſella V. Hora num. 7. Nau. de orat c. 7. num. 6. Vaſquez de benef. c. 4. §. 1. ar. 2. dub. 5. Suarez l. 4. c. 25. nu. 18. Barth. à S. Fauſto l. 2. qu. 62. Villalobos tr. 24. diffic. 10. num. 2. Dian. tr. de Horis Canon. reſ. 5. Baſſæus V. Hora Canonicæ 5. num. 4. Ioannes de Alloza eodem Verbo ſect. 2. num. 13. Herinx d. 2. de Horis Can. q. 1. nu. 8. Gobar tr. 5. Theol. experim. nu. 617. Reiffenſtuel nu. 29. Azorius, Val. n. Rodriquez, Reginaldus, Sà, Sanchez, Card. de Lugo, Tambur, Anton. à Spir. San.* & alii communiter. Ratio eſt, tum quia præceptum de toto officio vnius diei vnicum tantum eſt, non autem tot, quot horæ: omnes enim ſunt partes vnius officii eodem die perſoluendi, tanquam vnius actionis moralis integræ: & ideo illius totius vna eſt omiſſio integra, atque ita vnum peccatum, tantò quidem grauius, quanto plures horæ omittuntur: Tum quia volitio, qua quis vult integrum officium vnius diei omittere, eſt vnum numero peccatum, modo actus voluntatis moraliter, ideſt per contrariam deliberationẽ non interrumpatur: Ergo etiam ipſa omiſſio eſt vnum numero peccatum. Conſequentia ſequitur. Antecedens probatur. Illa volitio terminatur ad vnum obiectum ſcilicet officium: Horæ enim Canonicæ propriè officium non faciunt, ſed officii partem, & non dicuntur ſimpliciter Officium Diuinum, niſi prout ad totale officium diriguntur: Ergo, &c. Vnde ſicut ſingularum horarum recitatio eſt impletio partialis præcepti, ita ſingularum omiſſio eſt violatio præcepti in partem. Et quia probabiliſſima eſt ſententia docens, circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciẽ non eſſe neceſſariò in confeſſione aperiendas, tam ſi ſe tenent ex parte ſubiecti, vt ſunt circumſtantiæ intentionis, & durationis actus, quàm ſi ſint ex parte obiecti, vt in caſu noſtro, vt ſuo loco probo: hinc benè *Squillante de obligat. Cleric. par. 1. dub. 33. num. 70. Diana tr. de Horis Canon. reſ. 5. & 23. Card. de Lugo, Gobar*, & alii docent, quod is, qui tres, vel quatuor, vel etiam omnes horas omiſit ſuæ conſcientiæ ſatisfaciat dicendo in confeſſione, commiſi vnum peccatum mortale in non recitando, vel omiſi partem notabilem Diuini Officii. Eſt contra *Gr.ſſium deciſ. aur. par. 1. l. 2. c. 51. num. 15. Suarez, Filliuc. Bonac.* quos refert, & ſequitur *Trullench cit. dub. 23. num. 4. Barth. à S. Fauſto l. 2. qu. 63. Baſſæus ſupra nu. 3.* docentes debere explicare quas horas omiſit.

9 Igitur ſi is, qui vno die Diuinum Officium omiſit, pluries recordatus eodem die huius debiti, propoſuit illud non dicere, non tenetur id exprimere in confeſſione; quia adhuc ſolum eſt vnicum peccatum continuatum in illa externa omiſſione, niſi interruptio facta ſit per contrariam deliberationem: qui enim per ſpatium vnius diei propoſuit firmiter non recitare Diuinum Officium, toties peccauit mortaliter, quoties hoc prauum propoſitum depoſuit, & de nouo illud innouauit. Ita *Nauar. de Horis Canon. c. 7. nu. 8. & 7. Barth. à S. Fauſto q. 62. Baſſæus ſupra nu. 5. Diana p. 4. tr. 4. reſ. 219. Lopez to. 2. c. 105. Philiarchus 2. p. l. 2. c. 22.*

10 Si

Digitized by Google

10 Si autem ſcire velis, quando peccatum hoc omiſſionis conſummatur? Reſpondeo; quoad animum conſummari ſtatim atque voluntariè quis ſtatuit illo die non recitare Officium, quod peccatum poteſt multiplicari per moralem interruptionem,& multiplicationem interiorum actuũ. Voluntas enim omittendi ſæpiùs reperitur moraliter, dum ſæpiùs interrupta per contrariam deliberationem renouatur. At verò quoad rem ipſam non conſummatur niſi in fine diei, nimirum in puncto mediæ noctis,quãdo non eſt amplius tempus illam auferendi. Vnde qui mane non recitauit, V.g. Matutinum animo non dicendi illud eo die, nondum re ipſa omiſit, quia ſi animum mutet,& ante punctum mediæ noctis dicat, verum eſt dicere,reipſa non omiſiſſe. Quare ſi lata eſſet excommunicatio contra non recitantes officium,hæc non incurreretur,niſi in fine diei,quia excommunicatio non incurritur ob peccatum internum,ſed ob peccatum externum completum:peccatum autem externum omiſſionis officii non eſt completum quandiù vacat tempus ad illud perſoluendum:cum intra illud tempus officium recitari,& oneri ſatisfieri poſſit.Ita *Suarez l.4.c.13.num.19. Barth. à S.Fauſto l.2.q.64.*& alii.

11 Notandum eſt ſextò: Cauſas excuſantes à recitatione priuata ſolere à Doctoribus aſſignari ſequentes: Diſpenſationem, Infirmitatem,Occupationem,Impotentiam, Carentiam fructuum, Metum,Ignorantiam,& obliuionem. Verùm diſpenſatio potiùs liberat ab onere recitandi:aliæ vero continentur ſub impotentia naturali, vel morali,vt videbimus. Et quidem poteſt Clericus in ſacris Romani Pontificis auctoritate ab onere recitandi ſimpliciter abſolui, ita vt nihil compenſare teneatur; quia non eſt iuris diuini,ſed Eccleſiaſtici. Ita *Nau.de orat.c.11.nu.31. Suarez l.4.c.28.nu.38.*& alii communiter, contra *Roſellam, & Angelum V.Hora.* Similiter etiam Summi Pontificis auctoritate poteſt Beneficiarius à lege recitandi Horas Canonicas abſolutè liberari,ità vt nihil compenſare teneatur. Ratio eſt,quia quamuis beneficium detur propter officium: tamen hoc ipſum eſt de iure Eccleſiaſtico. Ita *Toletus l.2.c.14.num.6. Leander à Sacram.tr.8. d.5.§.4.nu.64.*& alii communiter,contra *Turrecrem. in c.Eleutherius diſt.91. q.5. Angelum,& Roſellam ſupra.* Et diſpenſatio eſſet valida etiam abſque legitima cauſa conceſſa,quia non excedit limites iuris humani: peccat tamen Diſpenſans,& is, cum quo diſpenſatur & petendo, & vtendo illa,ſi conſcius ſit defectus cauſæ.Ita *Toletus ſupra, Barth.à S.Fauſto d.l.2.qu.207.* & alii communiter. Epiſcopus non poteſt propriè loquendo in præcepto recitandi Horas Canonicas diſpenſare, quia non poteſt in iure communi diſpenſare,niſi in caſibus iure, vel conſuetudine ei permiſſis: Quando tamen Clericus in Sacris,vel Beneficiarius dubius eſt, ſufficieſnè ſit cauſa, quam habet non recitandi, poteſt rationabiliter præceptum Eccleſiaſticum interpretando licentiam ei dare omittendi durante ea cauſa, perinde, ac dat laborandi in die feſto,aut non ieiunandi in die ieiunii,& ſimilibus. Ita

Fil-

Filliuc.tr.23.c.9.nu.304.Trullench.c.7.dub.29.num.1. Barth. à S.Fauſto qu. 209 Ed id poterit etiam facere Prælatus regularis, & Abbatiſſa, quoad ſubditos ſuos, & Moniales. *Nau.cit.c.11.num.25. Barth.à S.Fauſto ſupra*. Hoc non poterit facere Vicarius Generalis, niſi de mandato ſpeciali Epiſcopi *Leander à Sacram.qu.68.* aliique. Quæ autem carentia fructuum excuſet à recitatione, vidimus in *Lapide Lydio Theol.in comment.Propoſ.20.*

12 Si impotentia proueniat ex ignorantia: hæc vel eſt obligationis, & rariſſimè eſt inuincibilis excuſans à peccato, vt notat *Filliuc. cit.c.9. quæſ.2. nu.281.* vel eſt ignorantia recitationis, & hæc etiam poteſt excuſare. Igitur licèt neſciens legere peccauerit mortaliter acceptando beneficiū, eo quod non erat ad illud idoneus, excuſatur tamen ab horis recitandis toto tempore, quo ignorantia durat in modo recitandi. Debet tamen ſtatim diligentia adhibita curare addiſcere latinè, ſi ad addiſcendum fuerit aptus; aut debet beneficium deponere, quia eſt illo indignus, vtpote illiteratus; ſic cum communi *Leander à Sacram.q.21.* Et dum curat addiſcere, ſimul tenetur implere id, ad quod iuxtà *Nauar.n.19. & Reginaldum l.18.n.190.* eſt iure diuino obligatus, nempè ad aliquas preces indeterminatas, quæ ad ſupplendum defectum recitationis ſufficiant, viri prudentis iudicio. Ad quod Doctores citati pertinere iudicant, vt tot ei præſcribantur recitanda, vel iteranda Pater, & Aue, vt in Roſario, quot ſufficient ad implendum tempus, quod ponetur in horis ipſis Canonicis recitandis. Ratio eſſe poteſt, quod cum illa his ſubrogentur, conſentaneum ſit eis adæquari. Hoc autem non probant *Bonac.de Horis Can.d.1.qu.6.pu.3.nu.10. & Trullench cit.dub.29.nu.6.* quia, inquiunt, non eſt præcepta recitatio aliarum precum, ſed Diuini Officii: quare etſi illud ſit conſentaneum, non tamen exiſtimant neceſſarium: ſufficit enim, quod curet addiſcere, & recitet, eo modo quo poſſit.

13 Sub Impotentia naturali continetur etiam obliuio, & inaduertentia naturalis, & inuincibilis; quæ ideo excuſat à recitatione horarum. Ita *Filliuc.tr.23.c.9.quæſ.2.nu.282. Trullench nu.4.* & alii communiter, qui addunt tunc hoc contingere, quando nec obligatio recitandi, nec ipſa recitatio venit in mentem, niſi poſt tempus obligationis. Notant tamen *Herinx cit. d.2.de Horis Canon.nu.46. & Reiffenſtuel ſupra qu.7.num.76.* quòd, ſi quis aduertat id ſibi frequenter contingere, dum ſtatis temporibus non perſoluit, omni culpa non vacet; tenebitur enim poſtmodum meliorem circa hoc attentionem habere: Addunt *Caſtropalaus cit.d.2.pu.6. num.1. Filliuc. & Trullench locis relatis*, & alii, quod expertus ſe immemorem ob negotia, teneretur præuenire, vel ſignum aliquod adhibere ad memoriam iuuandam; alioquin omiſſio imputatur in cauſa: niſi fortè inaduertentia contigerit in appoſitione ſigni, aut in præuentione recitationis, ſicut regulariter contingere ſolet hominibus timoratæ conſcientiæ aliquam horam prætermittentibus. Ita cum *Suarez*, & aliis, *Bonac.de Horis Canon.d.1.q.6.pu.3 nu.9.* Qui verò dubitat an officium, vel aliquam horam integram recitauerit, non

deobligatur á recitatione; quia poſſeſſio ſtat pro præcepto; & recitatio eſt aliquid facti: factum autem in dubio non præſumitur, ex communi Iuriſperitorum Schola: quod limita, niſi dubium deponatur aliqua graui ratione; tunc enim tranſit in opinionem: liberum autem eſt cuilibet probabilē opinionem ſequi. Ita cum *Nauar. c. 2. de orat. nu. 30.* & aliis, *Bonac. ſup. num. 11. Trullench nu. 5. Barth. à S. Fauſto q. 210. Naldus V. Officium.* Si verò recitans officium dubitet, an Pſalmum aliquem, antiphonam, vel ſimile quid omiſèrit, non tenetur repetere illud. Ita *Nau. c. 13. de orat. nu. 29. Sanchez l. 7. conſil. c. 2. nu. 34. Barth. à S. Fauſto q. 211. Caſtropalaus Filliucius, Suarez, Reiffenſtuel,* & alii communiter; quia præſumptio ſtat pro ipſo, qui & propoſitum habuit recitandi, & horam incœpiſſe meminit, &c. Imò timoratus non benè faciet iterum recitando, & Confeſſarius debet ei id prohibere, ad vitandos ſcrupulos: aliter enim via infinitis ſcrupulis aperiretur, & ſemel repetita ſæpius repeterentur, ſicque à capite, ſine vlla conſcientiæ tranquillitate ſæpè incipiendum eſſet. Ita *Homobonus vol. 2. p. 5. reſ. 210. Diana p. 4. tr. 3. reſ. 68. Tambur. l. 2. c. 5. §. 3. nu. 9. Cotonius cit. contr. 3. c. 5. n. 114.*

14 Si impotentia naturalis ſit corporalis, ſeu intrinſeca, putà ſit cæcus, mutus, &c. aſſero, quod qui ob aliquam impotentiam naturalem non poteſt loqui, aut proferre verba officii, excuſatur, nec tenetur recitare interius, aut mentaliter; quia præceptum datur de vocali recitatione: qui ergo non poteſt vocaliter, excuſatur à ſubſtantia præcepti: Ergò non tenetur recitare interius: nec tenetur audire ab alio; quia præceptum eſt de recitando. Ita *Nau. de orat. c. 11. nu. 6. Suar. l. 4. c. 28. nu. 11. Sylu. V. Hora. q. 4. Filliuc. nu. 288. Barth. à S. Fauſto qu. 176. & 189. Trullench cit. c. 7. dub. 28. num. 7. Leander à Sacram. tom. 6. tr. 8. de Horis Canon. d. 5. q. 5.* contra *Palud. in 4. d. 12. q. 6. §. vlt.* dicentem teneri mentaliter perſoluere. Ob eandem rationem excuſatur ab onere recitandi per alium. *Trullench ſupra*, & alii. Similiter cæcus, qui non poteſt dicere Horas, licèt poſſit ab alio audire illas, ad id non tenetur; nec tenetur ad dicendum aliquid loco horarum; quia Eccleſia obligat ad recitationem horarum. Ita cum alijs *Leander à Sacram. q. 8. Diana p. 4. tr. 4. reſ. 11.* contra *Paludan. in 4. d. 15. q. 5.* & alios cum *D. Antonin. 2. p. tit. 13. c. 4. §. 15.* putantes teneri recitare aliquid loco horarum. Si verò cæcus memoriter ſcit horas tenetur recitare; quia is poteſt commodè præceptum implere: neque enim præcipitur legi, ſed recitari, & non requiritur, vt conditio neceſſaria, dicendi poteſtas per librum. In hoc conueniunt Doctores. Dubium eſt. An cæcus, qui memoriter ſcit officium, licèt non ſit illius diei, ſed commune, aut ſpeciale, V. g. Sanctiſſimæ Trinitatis &c. teneatur illud quotidie recitare. In quo *Leander à Sacram. q. 11. cum Nauar.* & aliis affirmat, quia reuera poteſt commodè, ac per ſe implere præceptum recitandi quoad ſubſtantiam, quæ conſiſtit in recitatione ſeptem Horarum Canonicarum. Sed *Eſcobar Theol. mor. tr. 5. exam. 6. c. 2. num. 60. Cotonius ſupra c. 6. num. 130.* & alii, etiam ſatis probabiliter, negant; nam eſtò per hoc laudaretur Deus, qui

eſt

Digitized by Google

eſt præcipuus finis Eccleſiæ,id tamen fieret medio omninò diuerſo à præſcripto. Cæcus verò,qui poteſt recitare horas cum ſocio, tenetur illum adhibere,ſi commodè poteſt habere, ſiue antea ſolitus ſit adhibere ſocium, ſiue non. Ita *Baſſæus V. Hora Canonica 6. nu. 5. Barthol. à S. Fauſto qu. 181.* & alii contra *Doctores*,quos refert,& ſequitur *Leander à Sacram. qu. 8.* Ratio eſt,quia qui tenetur ad finem,tenetur etiam ad media, quando commodè poteſt ſumere: nec recitare cum ſocio eſt priuilegium; & dato quod ſit priuilegium,quandoque priuilegium etiam affert onus. Vnde ſi ſit Beneficiarius,tenetur conducere ſocium, ſi fructus ſufficientes habeat. Ita *Baſſæus*, & alii cum *Bonac.* quorum ſententiam refutat *Eſcobar à Carro de Horis Canon. q. 6. nu. 38.* exiſtimans veriorem oppoſitam: *Barth. à S. Fauſto cit. q. 182.* cum aliis, hanc ſecundam ſententiam amplectitur, ſi Beneficiarius non conſueuerat ſocium adhibere; priorem verò ſi conſueuerat adhibere. Docet etiam *Bonac. ſupra num. 14.* quod cæcus, qui per ſe recitare non poteſt, tenetur ſocium adhibere,ſi commodè poteſt habere, cum eo dicens verſus ad ſe pertinentes, vt paulatim Pſalmos memoriæ mandet: ſequitur *Trullench cit. dub. 28. num. 8.* nam tenetur mediocrem ſaltem diligentiam adhibere,vt oneri ſatisfaciat. Licet contrarium putent *Barth. à S. Fauſto q. 184. Eſcobar cit. q. 6. nu. 38. Leander à Sacram. q. 10.* & alii. Surdus tenetur recitare,quia poteſt legere, & percipere,licèt non poſſit ſe ipſum audire. Quod ſi ſolus dicere non poteſt,non tenetur cum ſocio; quia Surdus non communicat in parte,quæ ab alio dicitur. Ita *Diana p. 5. tr. 6. reſ. 15. & p. 10. tr. 16. reſ 45. Trullench nu. 9. Cotonius num. 131. Roccaful*, & alii idem dicentes de Surdaſtro,qui non poteſt audire ſocium, niſi voce auctoria clamantem; ad hunc enim modum nec ſocius, nec ipſe compellendus eſt; quia eſſet magnum grauamen;ad quod leges humanæ non obligant.

15 Si verò ſit extrinſeca,purà ex carentia Breuiarii, hæc etiam excuſat: quare qui abſque ſua culpa caret Breuiario excuſatur ab Horis: niſi memoriter ſciat illas,quia nemo ad impoſſibile tenetur, *l. impoſſibilium, ff. de reg. iur.* Hinc qui de domo diſceſſit nihil cogitans de Breuiario, aut putans alibi reperturum,non peccat non recitans,nec ad reſtitutionem tenetur, (ſi eſt beneficiarius) ſi poſtea non inuento Breuiario non recitet: quia hic non peccauit in cauſa,cum excuſet inaduertentia,aut bona fides: nec in actuali omiſſione,ob impotentiam: Ergo. Ita *Leander à Sacram. qu. 18. Barth. à S. Fauſto q. 190.* & alii communiter. Caſus tamen poteſt contingere facilius in iter facientè per terras infidelium, & amittente Breuiarium, nec aliud reperiente,vt notant *Abellius*, & alii. Si vero Breuiarij carentia ſit culpabilis,vt quia voluntariè proiecit Breuiarium in mare, vel ignem,vel noluit ſecum,dum perageret iter,afferre,tunc, quia omnes omiſſiones futuræ voluntariæ ſunt,quatenus præuiſæ moraliter fuerunt,conſequenter erunt peccata quoad internam malitiam. Peccat igitur hic & proiiciendo Breuiariũ, & non recitando tempore debito; proiiciendo, quia dat cauſam volunta-

riæ omiſſioni non recitando, quia ex ſua culpa non adimplet præceptum. Nec obſtat, quòd non ſit actu voluntaria, quando currit præceptum. Nam ſufficit quòd ſit in ſua cauſa; quia pollutio nocturna eſt peccatum mortale, ſi præceſſit cauſa. At etſi in his caſibus peccet, non tamen ſunt duo peccata, quia non ſunt nouæ, & diuerſæ voluntates: ſicut actus interior, & exterior occidendi hominem, quamuis ſint peccata, non tamen duo, quia non eſt niſi vnica voluntas, vt docent Doctores cum *D. Thoma 1.2. q.71. ar.5.* agentes de peccato omiſſionis. Et licèt poſtea non recitando non committatur noua culpa, ob impotentiam: poteſt tamen obligari ad reſtitutionem, eo quod omiſſio fuerit voluntaria, & culpabilis, *Filliucius cit. c.9. quæſ.3. nu. 29. Trullench. cit. c.7. dub.28. nu.6.* aliique. Conſulendum igitur eſt huic, vt pœniteat de cauſa omiſſionis, V.g. proiectionis Breuiarii, vt iam omiſſio non ſit ei culpabilis. Quare ſi poſtquam illum pœnitet de culpa omiſſionis Breuiarii, non habet medium recitandi, non peccat non recitando; quia iam eſt ſibi impoſſibile recitare. Ita *Sanchez l.7. conſil. c.2. dub.51. n.2. Barth. à S. Fauſto q.191. Leander à Sacram. q.20.* & alii.

16 Sub impotentia naturali, vel morali eſt infirmitas, quæ, vt excuſet, debet eſſe grauis, quando ſcilicet pronunciatio verborum valdè noceret valetudini corporis. Ita Doctores communiter, & colligitur ex *cap. Clericus victum, d.91.* Leuis verò non excuſat, qualis eſſe poteſt dolor ſtomachi, vel capitis, ſi non ſit vehemens, vel perſonis, aut etiam aliquando febris tertiana, aut quartana, præſertim cum huiuſmodi febris non ſoleat tota die vehementer affligere, ita vt non vacet tempus ad Diuinum Officium recitandum. Ita *Nauar. de Orat. c.11. num.91. Suarez l.4. c.28. nu.11. Leander à Sacram. tom.2. tr.8. d.5. §.3. qu.22. & ſeqq. Reiffenſtuel ſupra qu.7. num.77. & 78.* aliique communiter. Non eſt tamen ſemper neceſſarium ad deobligationem graue damnum abſolutè tale, ſed in hoc tenenda eſt media via, ita quod, qui æger eſt, ſi ex recitatione Horarum veriſimiliter credat ſtomachi aliquam cruditatem, vel capitis grauedinem, vel virium laſſitudinem, vel etiam credit febrim tardiùs remittendam, excuſatur ab horis: quia ita credendum eſt de pia Matre Eccleſia, præſertim, quia huiuſmodi damna, quæ in corpore valido ſunt leuia, in ægroto ſunt grauia mala. *Sanchez l.2. dub.55. num.3. Tambur. l.2. c.5. §.8. num.13.* Et qui graue oculis damnum timet, non tenetur recitare. *Cotonius cit. controu.3. c.6. num. 117.* At ſi dubitatur, ſit ne recitatio Diuini Officii valdè nocitura ſaluti, conſulatur Medicus, ad quem pertinet iudicium grauitatis, vel leuitatis morbi, & ſtetur eius ſententiæ. *Barth. à S. Fauſto qu.172. Alloza V. Horæ Canonicæ ſect.3. num.3.* Nam periti in arte iudicio ſtandum eſt *c. fraternitatis, de frigidis, & maleſic.* Et ideò ſatis eſt, ac ſufficit vnum conſulere Medicum: dummodo, vt monent *Nauar. n.3. & Barth à S. Fauſto*, ſit vir prudens, ac timens Deum, ac peritus in ſua arte exiſtimetur. Quod ſi Medicus dubius ſit, an recitatio ſit grauiter nocitura, non tenetur æger ad reci-

tan-

Digitized by Google

tandum, quia non tenetur periculo grauis damni ſe exponere. *Diana p.2. tr.12.reſ.28. Trullench ſupra, Antonius à Spiritu Sancto ſupra §.7. num.106. Tambur.n.15.*& alii contra *Suarez cit.c.28.n.21.*& alios. *Filliuc.*verò *n.393. Villalobos, & Malderus* putant in tali caſu recurrendum eſſe ad Superiorem pro diſpenſatione: quod tutius eſt. Si verò periculum ſit tantummodo leuis damni, tenetur recitare: quia poſſeſſio ſtat pro præcepto; quod obligat ſaltem cum graui incommodo. *Barth.à S.Fauſto qu.*174. aliique. Non eſt opus Medici iudicio, quando infirmus apertè, & bona fide videt, ſe non poſſe recitare. *Sanchez ſupra dub.45.num.6. Villalobos to.1.tr.24.diffic.16. n.2.Trullench, & Alloza locis relatis.* Si in caſu dubio Medicus abſit, adiri tamen poſſit Superior, hic in dubio diſpenſare poteſt. *Tambur.d.§.8.Coton. num.11.Alloza l.c.* aliique. Quod ſi neuter haberi poſſit, vtendum erit arbitrio prudentis viri; & quoties bona fide proceditur cum probabili iudicio ſuæ excuſationis, non committitur vlla culpa, ſi ſimul, vel bis non recitetur; ad longum autem tempus requireretur licentia Superioris, vt rectè *Suarez num.21. Barth.à S.Fauſto qu.173.* poſtquam febris infirmum deſeruit, dum adhuc vires ſunt imbecilles, dumque homo conualeſcit, poteſt per aliquot dies prudentum arbitrio non recitare: quia illa imbecillitas adhuc cenſetur infirmitas, etiam ſi celebrare Miſſam interim vellet, ac cum amicis conuerſari, & confabulari, vel etiam ſi interim valeret legere aliquos libros fabularum, vel hiſtorias recreandi gratia. Ita *Cotonius n.115. & ſeq.Trullench, & Antonius à Spiritu Sancto locis relatis, Leander à Sacram. qu.26.&* 28. Et licèt in morbis periodicis, qui non impediunt totam diem, ſed partem, vt tertiana, quartana, &c. debeat infirmus horas anticipare, aut poſtponere: vt rectè docent *Toletus l.2.c.14. num.1. Villalobos num.7. Trullench num.5. Barth.à S.Fauſto qu.171.* & alii communiter, contra *Caramuelem in fundam. num.528. Cotonium num.124. Antonium à Spiritu Sancto ſupra;* tamen excuſatur à recitatione, ſi tanta ſit laſſitudo relicta à febri tertiana, vel quartana, vt grauiter ſaluti nocere exiſtimetur attentio neceſſaria in Officii recitatione. *Barth.à S.Fauſto q.170.*

17 Si infirmus poſſit recitare cum Socio, tenetur cum illo recitare, quia recitare cum Socio non eſt priuilegium, immò iuxtà primæuam Horarum inſtitutionem, & diſpoſitionem. Ita communiter Doctores cum *Barth.à S.Fauſto qu.182.* qui dicit hoc certum: Eſt contra *Caram. in Regul. D.Benedicti num.1445.* & alios: dummodò facilè haberi poſſit Socius, ſiue ante cæcus vſus fuerit illo, ſiue non. Ita *Reginaldus l.18.c.13.num.183. Azorius tom.1.l.10.c.13. quæſ.3.& 6. Barth. a S.Fauſto, Valen.* & alii contra *Loiſium Garciam,* & alios contrarium dicentes, quando ante ſolitus non erat vti ſocio; quia obligatus eſt adhibere media ad implendum præceptum, quæ difficilia non ſunt. Et *Caſtropalaus to.2.d.2.pu.6. nu.14.* putat debere eum adhibere, etiam pretio conuentum. Contrarium tamen docet *Suar.num.12.* de clerico in maioribus non beneficiato, & de Religioſo,

ſo. Immò *Diana p.4.tr.4.reſ.22.* probabilem putat ſententiam *Oliuerij Bonartij de Horis Canon.l.2.c.38.num.12.* docentis, non videri obligari diuites clericos, quantumuis etiam amplum,& copioſum beneficium obtineăt, ad ſocium pretio conducendum; quia non debet imponi maius onus infirmis, quàm ſanis: & præterea nulla ratione conuincenti hoc probari poteſt. Certum eſt, quod qui per ſe ipſum recitare non poteſt, non tenetur per alium ſupplere, quia recitatio Diuini Officii eſt onus perſonale: *Barth.à S.Fauſto qu.176.* & alii. Nec tenetur hic loco Officii alias orationes ſubſtituere. Ita *Barth.à S.Fauſto qu.179.* & alii communiter, contra *Paludanum*. Nec tenetur alium recitantem audire. Ita *Suar.l.4.c.24.nu.12. Reiffenſtuel num.*80. & alii communiter; quia hoc ab Eccleſia non præcipitur.

18 Impotentiam moralem cauſat metus mortis: vnde ſi Clericus in ſacris, vel beneficiarius tranſiturus eſt per medium hæreticorum, & ſi Horas Canonicas recitet, & deprehendatur, in certum, & euidens vitæ diſcrimen ſe exponit, non tenetur recitare; quia lex Eccleſiaſtica non obligat cum tanto periculo. Vnde ſicut ſimilis metus excuſat à ieiunio, & ab auditione Miſſæ, ita & à recitatione Diuini Officij. Ita cum communi *Reiffenſtuel num.86*. Per accidens tamen poteſt non excuſare; vt ſi in Religionis Chriſtianæ odium, aut præcepti contemptum talis recitationis violationis fieret, quia fidei confeſſio in tali caſu eſt de præcepto diuino, non obſtante periculo mortis. *Barth.à S.Fauſto q.179.* Quod ſi metus cadens in conſtantem virum incutiatur ſuſcepturo ordinem ſacrum: hic non tenetur recitare; modo metu iſto initiatus non ratificauerit ſpontè ordinationem verbis, aut facto, vt ſemel, vel pluries vtendo liberè ordine ſuſcepto. Ita *Bonac.de matrim.q.3.pu.9.nu.12.* & alij communiter.

19 Cauſat etiam impotentiam moralem occupatio grauis, quæ ideo excuſat, dummodò ſit honeſta, & neceſſaria, quæ in aliud tempus differri non poteſt abſque ſcandalo, vel peccato, vel graui detrimento ſui, vel proximi. Ita cum communi *Trullench ſupra.dub.28. num.1. Reiffenſtuel num. 81.* quia pia Mater Eccleſia non præſumitur cum tanto grauamine velle obligare. Hinc excuſatur primò: Qui per integrum diem publicè defenſurus eſt actum litterarium; quia plurimum ſua intereſt ſe doctum præbere. *Diana* cum alijs *p.10.tr.11.reſ 32.* Secundò: Qui intra certum Horarum numerum facturus eſt lectionem publicam ad Cathedram, vel Doctoris lauream acquirendam, ſi ſimul cum tali actione recitare nequeat. Ita cum *Suarez*, & alijs *Leander à Sacram.q.34.* Tertiò: excuſatur concionator à recitatione, qui repente, & quaſi per occaſionem inuitatur ad concionem, ſi nequeat illam omittere ſine ſcandalo, ſiue magna populi offenſione, aut nota Religionis,vel propriæ perſonæ. *Raphael de la Torre 2.2.to.1.controu. 7. de Horis Canon.num.9. Antonius à Spiritu Sancto*, & alij,quos ſequitur *Leander à Sacram. qu. 36.* Quartò excuſatur,qui per totum diem occupatus ma-

manet in audienda confeſſione exiſtentis in articulo mortis, ſi aliàs non ſuperſit tempus recitandi, aut non valeat ſine magno labore; quia magis vrget obligatio audiendi confeſſionem talis, quàm recitatio Diuini Officij, quæ non debet contra charitatem proximi militare. *Alloza V. Horæ Canonicæ ſect.3.nu.11. Leander à Sacram.q.38. & 39. Antonius à Spir. Sancto, Diana, Reiffenſtuel*, alijque. Sic etiam qui habet curam infirmi alicuius grauiter periclitantis, & non poteſt recitare Officium abſque graui damno infirmi, non tenetur pro tunc illud dicere: *Barth.à S. Fauſto n.194. Diana* ſupra, alijque. Quintò excuſatur qui ſimili modo occupatus eſt in componendis grauibus inimicitijs, vel rixis, vel populi ſeditionibus. *Leander à Sacram.q.4. Anton.à Spir.Sancto, Reiffenſtuel*, aliique. Sextò ſi Confeſſarius bona fide remiſiſſet Officium ad vnam Horam ante mediam noctem, & tunc ad confeſſionem, vel communionem moribundi vocaretur, poſſet omiſſo Officio, ad morientem auolare, immò teneretur, etiam ſi non ſit Parochus; quia hic charitas proximi vrget, cum eius neceſſitas maximè inſtet. Ita *Tambur.d.§.8. num.17. Leander à Sacrm.q.43. Anton.à Spir. Sancto num.*108. aliique. Similiter qui bona fide diſtulit Officium in ſero, & poſtea inuenitur valde laſſus, & grauiter ſomno oppreſſus, excuſabitur, vtcumque id ex illicito labore contingat. *Cotonius ſupra num.*132. Et in his, & ſimilibus caſibus, in quibus excuſatur à recitatione, ſi eſt beneficiatus, excuſatur à reſtitutione fructuum beneficii, non tamen recipit diſtributiones, *ex c.vn.de Cler.non reſid.in* 6. Ita cum *Bonac. Trullench d. dub.28.num.3. & 4. Cotonius, Diana, & Barth.à S.Fauſto*, aliique. Qui verò mane præuidet aliquod impedimentum, ſeù occupationem ſuperuenturam, tenetur Officium præuenire, & totum mane recitare. Ita *Suarez d.l. 4.c.28.num.28. & 36. Bonac.* & alii, quos ſequitur *Tambur.num.*20. *Leander à Sacram.qu.49. Diana reſ.32. Reiffenſtuel ſupra, Bordonus*, & alii communiter, contra *Caram.in Regul. D.Benedicti num.*1442. contrarium putantem probabile. Ratio eſt, quia præceptum de Officio percurrendo non vrget ſolum ſuis correſpondentibus Horis, ſed toto die: eſt enim vnicum præceptum totius diei. Quoniam ergo toto die, atque adeò in qualibet eius parte vrget præceptum, obligaberis mane, ſi ſero non potes, vel ſerò ſi non potes mane. Hinc quamuis *Leander à Sacram.qu.*41. dicat excuſari à recitatione audientes confeſſiones in Septimana Sancta, aut tempore Iubilæi, quando eſt magna pœnitentium copia; tamen meritò *Villalobos*, & alii negant, eo quod poſſit anticipari Officium in his caſibus. Videatur *Tamburinus ſupra num.*16. qui ait: *Rariſſimè hanc ſolam excuſationem admittat, quia ex vna parte facilè poteſt differri in alium diem aliquorum confeſſio (niſi fortè non poſſet in magno Iubilæo, vbi pauci eſſent Confeſſarij) & ex alia parte congrua eſt vnius Horæ vacatio à confeſſionibus, vt, quod orationi debetur, exſoluatur.*

20 Benè monet *Caram.in fundam.nouæ edit.num.*1446. & ex eo *Antonius*

*nius à Spir. Sancto num.*108. vix vllam eſſe occupationem diuturnam , & habitualem, quæ ſecum Horarum recitationem non patiatur: Ea autem data reſpectu alicuius, *Caram.ibidem num.*1448. & 1450. & *in Reg. D.Benedicti num.*1350. & *Antonius à Spiritu Sancto ſupra*, putant poſſe ſuſcipere, & retinere, exemplo ieiunii: excipiunt tamen obligatos ex iuſtitia ad recitandum, ſcilicet Beneficiatos. Sed verior ſententia docet, quod is non poteſt eam ſuſcipere, quamuis vellet ſuſcipere ex fine honeſto, & non in finem eximendi ſe ab obligatione, & ſuſceptum non poſſet retinere. Et diſparitas eſt cum ieiunio; quia præceptum ieiunii eſt generale, paucis diebus occurrens, & non conueniens ex inſtituto: vnde Eccleſia non cenſetur velle, quod propter ipſum omittantur munera illud non admittentia; ſed contenta eſt, quod impleatur ab iis, qui poſſunt; ſi inueniantur poſſe, dum vrget. At pſalmodia eſt opus ſpeciale Clericorum, illis conueniens ratione ſtatus, & veluti illorum munus, quibus proinde Eccleſia ita illud præcipit, vt ſimul velit eos vacare à mundanis negotiis, nè præcipuam illorum occupationem impediant. Ita *Diana cit.reſ.*32. & *p.*11.*tr.*1.*reſ.*25.*Martinus de S.Ioſeph in Monit.Conf.ſſ.to.*1.*l.*2.*tr.*11. *de orat.num.*13.*Baſſæus V.Horæ Canonicæ*, 6. *num.*4 *Cotonius ſupra num.*136. *Barth.à S.Fauſto qu.*194. aliique. Hinc neque ſcribere in Theologia, aut in Iure Canonico cum detrimento Diuini Officii licet: quia hoc intimius eſt Clerico, quàm illud: ſicut ſcripſit S.Franciſcus D.Antonio Patauino, vt prælegeret Fratribus S. Theologiam, ſed dummodo contemplationi non præiudicaretur. Ita *Cotonius ſupra num.*137. contra *Caramuelem*. Et idem dicendum eſt de Concionatoribus ex profeſſione; nam debent, V.g. qui non poſſunt cum exercitio concionandi in Quadrageſima recitare Horas Canonicas, munus concionandi remittere iis, qui poſſunt vtrumque. Ita contra *Bordonum in Conſil. Regular. tom.*2.*reſ.*70.*qu.*6. *num.*18. & *Leandrum à Sacram qu.*37. docent cum *Suarez, Filliucio, Perſico, Hieronymo Garcia, & Raphaele De la Torre, Diana cit.p.*10.*tr.*11.*reſ.*32. & *Cotonius ſupra:* addens præſertim loqui de iis, qui vti more poſitum eſt, concionantur ad pompam cum exiguo fructu, prædicantes ſemetipſos, non Chriſtum Crucifixum; magis enim bonum eſt laudari Deum in Horis Canonicis, quàm ita concionari. Nec poteſt quis ſuſcipere peregrinationem ad loca Sancta voluntariam, aut ſuſceptam non relinquere ſi timeat, quod ex eius labore reſultare poſſit impotentia moralis ad ſoluendum onus Officii. Ita communiter Doctores, à quibus non diſcedo: licet *Leander à Sacram.qu.*46. putet, quod poſſit. Aliud eſt de Clericis in ſacris per Iudicis ſententiam ad triremes damnatis, aut à Turcis captis, & ad triremes coniectis; hi enim non tenentur Diuinum Officium perſoluere. Ita cum *Soto, Diana p.*2. *tr.*12.*reſ.*40. *Barth.à S.Fauſto qu.*14. *Bordonus tom.*2.*Conſil.Regular.reſ.*30.*num.*13. & alii contra *Laymanum, Bonac.* & alios. Ratio eſt; quia ſatis habent afflictionis, nec niſi rarò laborum intermiſſio-

miſſionem, & rariſſimè animi promptitudinem habere poſſunt. Adde cum *Cotonio ſupra num.* 238. quod in loco iam turpi ſuum ſtatum detegere, cederet in Eccleſiaſtici ordinis ignominiam: vnde non eſt paritas cum ſuſpenſis, & interdictis, vt vult *Layman*.

21 Notandum eſt ſeptimò, cum *Io-nne Cardenas hîc diſſert.* 33. *c.* 1. *n.* 4. *Felice à Panormo to.* 2. *d.* 4. *num.* 254. & aliis; duplicem eſſe materiam præcepti, aliam diuiduam, aliam indiuiduam: dicitur diuidua, quando habet plures partes, ad quarum ſingulas ſeorſim ab aliis obligat præceptum. V.g. ieiunium Quadrageſimæ, quæ diuiditur in quadraginta dies, in quorum ſingulis obliget præceptum. Dicitur indiuidua, quæ non habet plures partes, ad quarum ſingulas obliget præceptum, ſeorſim ab aliis: V g. Confeſſionis annuæ, & præceptum communicandi in Paſchate. Itaque materia indiuidua præcepti dicit duo, vel quod non habeat plures partes, vel ſi eas habet, non obligat ad eas ſeorſim ab aliis. Communio Paſchatis eſt materia indiuidua, quia non habet plures partes; & Confeſſio annua, quam præcipit Eccleſia, etſi habet tres partes, cordis contritionem, oris confeſſionem, & operis ſatisfactionem, tamen materia indiuidua eſt præcepti Eccleſiaſtici, quia non præcipit ſingulas earum ſeorſim ab aliis, ſed illas tres partes ſimul, ſiue vt coniungendas ad conficiendum vnum Sacramentum. Hinc fit, quod quando materia eſt indiuidua, ſi quis non poſſit implere totam materiam, & poſſit implere vnā partem materiæ, nō tenetur ad hanc partem implendam: ſecus ſi materia ſit diuidua: ſi quis promitteret integrum Roſarium B. Virginis, quod tribus partibus, in communi exiſtimatione diuiduis, conſtat. Ita *Sanchez l.* 1. *ſummæ c.* 10. *num.* 4. *& Merolla to.* 2. *d.* 4. *c.* 5. *num.* 418. Quod verùm eſſe aiunt, quamuis in ternario illo numero vouens ſpecialem aliquam pietatem, & deuotionem ſpectaret, quæ abſque eo numero non reperitur. Vt, ſi id voueret in Sanctiſſimæ Trinitatis memoriam. Quia, cum illæ partes communiter diuidantur, & in qualibet reperiatur ratio præcepti, quæ in toto datur, quælibet enim Roſarium Virginis appellatur, quamuis in qualibet non ſaluetur ea ratio ſpecialis pietatis, exiſtimant relati Auctores votum eſſe diuiduum, eo vel maximè, vbi de contraria vouentis intentione conſtat, cenſetur votum obligare inſtar præcepti Eccleſiaſtici, de ea re. At præceptùm Eccleſiaſticum, quando eſt de re de ſe diuidua, obligat modo diuiduo, & ad ſingulas partes æquè, ac ad totum. Vt Eccleſia inſtituit ieiunium Quadrageſimæ in memoriam ieiunij Quadragenarii Chriſti, & ſeptem Horas Canonicas, vt Dauidem imitaretur, dicentem *Pſal.* 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Et tamen præcepta hæc diuidua iudicantur. Et ſimiliter diuiduum votum iudicaretur, ſi quis trium dierum ieiunium voueret in reuerentiam Sanctiſſimæ Trinitatis: quia dies illi ieiunij, in ſe, & in communi exiſtimatione, diuidui ſunt. Similiter obligatio eſt diuidua abſtinendi à cibis prohibitis, etiā reſpectu vnius, & vnius diei. Et abſtinentia ab operibus ſer-

uilibus, reſpectu eiuſdem feſti: Huius ſignum eſt; nam, quoties quis eadem die cibis prohibitis veſcitur, aut opera ſeruilia exercet, toties peccat.

22 Notandum eſt vltimò: Principium illud: Maior pars trahit ad ſe minorem, valere in actionibus, obligationibus, alijſque actibus ciuilibus communitatum. Electio enim facta à maiori parte tenet, ita vt minor pars teneatur adhærere; quia maior pars proximè accedit ad rationem totius, atque adeo habetur veluti tota communitas, penes quàm eſt ius eligendi. Et nihilominus in aliquibus electionibus non ſufficit maior pars, vt in electione Summi Pontificis, in qua requiruntur ex tribus partibus duæ. Et generaliter in electionibus Canonicis requiritur exceſsus ſupra medietatem eligentium: & poſſent fieri ſtatuta magis ſtricta ſuper hoc. Numerus etiam eligentium minor, ſed dignior, & ſanior præfertur numero maiori, ſi in modico excedatur, vt habet *Gloſſa in c. dudum de electione*. Similiter in obligationibus: ſi enim maior pars communitatis ſe obligat, aut obligationem acceptat, reliqua pars remanet obligata, eo quia maior pars cenſetur tota, vel repræſentat totam communitatem: *Turpis eſt autem omnis pars ſuo vniuerſo non congruens*, vt ait *Auguſtinus 3. Confeſ. c. 8.* & æquum eſt, vt voluntas minoris partis cedat, vel accedat voluntati maioris; nam aliàs rariſſimè, & difficillimè haberi poſſent electiones, & obligationes communitatum, cum rariſſimè ſinguli quique de communitate in vnam conueniant voluntatem. His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum, & ſimul oſtenditur, principium illud: Maior pars trahit ad ſe minorem male applicari ad propoſitum.

23 Dico primò: Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, tenetur eas recitare: & contrarium aſſerere eſt hoc Decreto vt minimum tanquam ſcandaloſum expunctum.

24 Probatur primò: Licèt admittatur eſſe vnicum præceptum de tota recitatione Officij: tamen materia eius eſt diuiſibilis, ita vt poſſit pars eſſe ſine altera: & non conſiſtit in indiuiſibili morali, vt aut totum, aut nihil debeat poni: vt eſt Sacrificium reſpectu celebrantis: Ergo illud præceptum ita poteſt extendi ad vnam partem, vt non ad aliam: & obligare quoad vnam partem, licèt non quoad aliam. Patet conſequentia. Tum quia hoc eſt rei diuiſibili proportionatum: tum etiam ex eo quod communiter

niter aſſeritur, etiam ab ipſis Aduerſarijs, quòd qui poſſet recitare maiorem partem Officij, ad eam teneretur. Tum ſic: Sed pars minor, dummodo ſecundùm ſe ſit apta cadere ſub præcepto, independenter à maiori poteſt eſſe materia, ad quam præcisè extenditur præceptum, vt patet de omittente ſolùm Completorium: Ergo hanc minorem partem potens recitare, tenetur.

25 Probatur ſecundò: Tunc materia eſt diuidua, quando partes habet, ad quarum ſingulas ſeorſim ab aliis obligat præceptum; ſeu quælibet reſpicitur ratione ſui. At, quamuis partium Officij vna ſit longior, alia breuior, & vna prius recitanda, quàm alia, nulla tamen eſt recitanda ratione alterius. Diſtributum eſt enim Diuinum Officium in plures partes, ſiue Horas; vt pluribus temporibus laudetur Deus, iuxta illud Propheticum: *Septies in Die laudem dixi tibi*, vt dicitur *c. Presbyter d. 91. & c. Presbyter, de celebr. Miſſ.*; aut, ſi quis velit, ſingulam partem eſſe recitandam ratione totius Officij, idem eſt; nam ſingula per ſe ipſam eſt pars Officii, & totum Officium non eſt ſingulæ partes ſimul ſumptæ, quæ ſingulæ etiam habent particularem ſignificationem actionum Chriſti Domini: Ergo, ſi ex impotentia ceſſat obligatio recitandi Matutinum, & Laudes, quæ ſecundùm Aduerſarios ſunt partes longiores Officij, non ceſſat obligatio recitandi reliquas Horas; non enim reliquæ ſunt recitandæ ratione Matutini, & Laudum. Simile eſt in obligatione ieiunij Quadrageſimalis. Si quis enim ex impotentia excuſetur ab obligatione ieiunii per maiorem Quadrageſimæ partem, non eximitur ab obligatione ieiunandi in diebus, qui ſuperſunt, eo quia pars maior trahit minorem; non enim ieiunandum eſt vno die ratione alterius, aut ratione maioris partis, ſed ſingulo die propter ipſum, quia ſingulus per ſe ipſum eſt pars totius temporis Quadrageſimæ, per quam totum eſt ieiunandum.

Confirmatur etiam à ſimili: Quia in eodem ieiunio Quadrageſimali, vel Aduentus Domini, apud Regulares, ſi in aliqua communitate plures, vel etiam maior pars excuſetur ab obligatione ieiunij, non propterea excuſantur cæteri, quia ſingulus tenetur ieiunare non ratione alterius, aut maioris partis, ſed ratione ſui: Ergo in eadem perſona excuſatio à recitatione Matutini, & Laudum non infert excuſationem à recitatione cæterarum Horarum. Probatur conſequentia. Quia, quod ibi præſtat diſtinctio perſonarum, quatenus ſingula tenetur ieiunare ratione ſui, non alterius, hic præſtat diſtinctio Horarum, quatenus ſingula recitanda eſt ratione ſui, non alterius; & ſicut ibi pars maior non trahit ad ſe minorem, ita neque hic.

26 Probatur tertiò: Nam Auctores Propoſitionis inconſequenter loquuntur, & procedunt. Etenim vel dicunt, materiam huius præcepti de recitando Officio Canonico eſſe indiuiduam, vel dicunt eſſe diuiduam. Si primum; perperam dicunt, quando quis non poteſt recitare minorem

partem; poteſt autem maiorem teneri ad hanc recitandam, quia quando materia comparata ad præceptum eſt indiuidua, qui non poteſt ponere totam materiam, ad nihilum tenetur; & ita qui non poſſet recitare Completorium, ad nihil teneretur: quare magis conſequenter procedunt *Caramuel, & Antonius à Spiritu Sancto* initio relati, qui dicunt, eum, qui non poteſt recitare totum Diuinum Officium, putà & Completorium incluſiuè, non teneri ad partem. Sed hoc, quàm ſit abſurdum, & quam alienum à mente Eccleſiæ, quis non videat? Si autem dicunt, eſſe diuiduam; cum hanc reſpiciat præceptum non ſolum ſecundum ſe totum, ſed ſecundum ſingulas ſui partes, perperam aſſerunt, quod qui non poteſt ponere maiorem partem, non tenetur ad minorem, cum præceptum ad ſingulas extendatur.

Confirmatur: non poteſt aſſignari ratio, quare non teneatur recitare minorem partem, quam poteſt: Ergo præceptum obligat ad illam. Probatur antecedens, non poteſt aſſignari impotentia; cum ſupponatur poſſe hanc partem: nec indiuiſibilitas præcepti, quia cadit ſupra materiam diuiſibilem: nec quia maior pars trahit ad ſe minorem, cum non ſint inter ſe connexæ, vt vna pars non poſſit eſſe ſine alia, aut ſit ex alia, aut ratione alterius. Ergo ex nullo capite.

27 Probatur quartò: Quia omittens Completoriũ tantùm, non excuſatur à peccato, eo quia cæteras partes Officii recitauerit: Ergo multò minus omittens Horas diurnas, quas recitare poteſt, excuſari poteſt, eo quia neque Matutinum, & Laudes recitauerit. Conſequentia probatur dupliciter. Primò, quia valdè præpoſterum eſt, vt quis ex omiſſione, etiamſi inculpabili Matutini, & Laudum, lucretur immunitatem ab obligatione recitandi reliquas Horas, quas recitare poteſt: & ille, qui non tantum inculpabiliter, ſed etiam laudabiliter, & meritoriè recitauit reliquas omnes partes Officii, non lucretur, vel ſolam immunitatem ab obligatione recitandi Completorium. Secundò: Quia eadem militat ratio de tractu partis minoris à maiori. Si enim ideò exemptio ab obligatione recitandi Matutinum, & Laudes trahit ſecum exemptionem ab obligatione recitandi reliquas Horas, quia pars maior trahit ad ſe minorem, cur recitatio reliquarum partium Officii, non trahit ſecum recitationem Completorii: ita vt habeatur pro recitato, etiam ſi reuera recitatum non ſit? Magis enim videtur trahere id, quod eſt, quàm id, quod non eſt, poſitiuum ſcilicet, quam carentia. Sed omiſſio eſt carentia, recitatio verò poſitiuum: Ergo, ſi omiſſio maioris partis trahit ad ſe minorem, fortius recitatio. Ergo ſequitur id, quod dicebatur. Ex quo etiam ſequitur, quod ſoluens centum, ſi ſoluat ſexaginta, ad nihil aliud teneatur, immò habeatur, tanquam ſi centum ſoluiſſet, quia pars maior trahit ad ſe minorem.

28 Probatur quintò. Ideo impotens recitare Matutinum, & Laudes, non teneretur ad reliquas Horas, quia maior pars trahit ad ſe minorem,

l. quod

l.quod maior pars, ff. Ad municipalem, & c.1.de his, quæ fiunt à maiori parte. Sed iſtud principium,& textus indebitè applicantur ad deobligandum in præſenti. Ergo non deobligatur. Probatur minor; quia illud principium verificatur in caſibus eligendi aliquem, vel ſtatuendi aliquid in Capitulis, Conuocationibus, Communitatibus, Congregationibus, &c. non autem in caſibus ſoluendi debita.Ergo Textus male extorquentur, & cum ſcandalo trahuntur ad probandum id, pro quo non tenent. Secundæ partis Antecedentis veritas oſtenditur vno, vel altero exemplo. Eſt Petrus debitor Pauli, cui centum ſcuta voluntario, ſeù legali, vel neceſſario debito tenetur perſoluere, ſed tantum triginta dare poteſt; in iſto caſu ſi poſſent ſuffragari Textus dicentes, *Maior pars trahit ad ſe minorem*, conſequenter Petrus non valens ſoluere partem maiorem, non teneretur ſoluere neque minorem, quam poſſet ſoluere, ſcilicèt triginta, quæ ſunt minor pars reſpectu aliorum ſeptuaginta, quæ ſoluere non poteſt pro complendo centum, quod debet. Sit etiam exemplum in fure, qui mille ſcuta ſurripuit, & ſolum 300. valet reſtituere; ſi talis fur veram haberet prædictam propoſitionem, rectè inferret, ſe ad nihil teneri: & ſic fur iſte, vna cum debitore Petro præfato poſſent ſe à ſoluendi obligatione liberos iudicare, argumentando hoc modo: Obligatio recitandi Horas Canonicas eſt quoddam debitum ſoluendum: Sed ſic eſt, quod qui non poteſt maiorem partem talis debiti perſoluere, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad ſe minorem: Ergo & quilibet debitor ad nihil tenebitur, ſi maiorem debiti partem ſoluere minimè poteſt. Sanè paritas conuincit, ac proinde quia conſequentia eſt prorſus falſa, & contra iuſtitiam, nec non contra communem doctrinam, ac praxim Doctorum, vel Confeſſariorum obligantium fures, & debitores, vt ſaltem quam partem ſoluere valent, hanc perſoluant, hinc conſtat quàm ſcandaloſa ſit adducta propoſitio abutens Textibus contra mentem iuris, & in perniciem ſalutis animarum. Nec quia illud eſt in materia iuſtitiæ, & hoc in materia Religionis, eſt ſufficiens diſcrimen: nam hoc peto, quare in materia iuſtitiæ hoc verificatur, non verò in materia Religionis, quando materia ſupra quam cadit vtriuſque præceptum eſt diuiſibilis, & vna pars poteſt ſeparari ab alia, & cadere ſub præcepto ſeorſim ab alia? Hoc eſt aſſignandum diſcrimen.

29 Confirmatur quod ſit ſcandaloſa propoſitio abutens præfatis textibus, propter alias abſurdas conſequentias in materia Religionis, quæ ex tali propoſitione ſequerentur: vt V.g.ſi quis vouiſſet aliquid per integrum annum, & adimplere nunquam potuerit octo primis menſibus, poſſit autem alijs quatuor; tunc talis diceret, ſe ad nihil teneri, à pari de non potente recitare maiorem partem Officij Diuini, quia *Maior pars trahit ad ſe minorem*; & tamen iuxta Doctores communiter votum eſſet adimplendum ſaltem pro ea minima parte. Similiter diſcurrendum eſt in alijs præceptis, quæ pro maiori parte non poſſunt adimpleri, cum tamen falſum

ſit

ſit non eſſe adimplenda ſaltem ſecundùm partem , vt patet in eo, qui ob rationabilem neceſſitatem laboraret in die feſto vltra dimidietatem diei, nimirum maiorem partem diei , nam minorem aliam partem in omnium ſententia teneretur ſeruare, quia ceſſauit cauſa iuſta laborandi; verùm niſi damnata fuiſſet allegata propoſitio, potuiſſet pro antecedenti vero adhiberi ad inferendum quòd *Maior pars trahit ad ſe minorem.* Idem eſſet ſi dicamus præceptum ieiunandi in Quadrageſima eſſe vnicum; quia tunc ab eius obligatione exemptum ſe crederet, qui maiorem Quadrageſimæ partem ieiunare non potuit, licèt poſſit V.g. vltimis quindecim diebus; & nihilominus ex communi,veraque ſententia teneretur ad ieiunium pro ea parte, quam poteſt, licet minor reſpectu alterius, quam ſeruare non potuit.

30 Probatur ſextò contra id, quod in eadem propoſitione aſſeritur de Matutino,& Laudibus,nẽpè eſſe maiorem partẽ Officij,id enim falſiſſimum eſt ſaltem ſub ea generalitate, cum qua loquitur propoſitio. Dato igitur id verificari fortaſsè in Matutino , & Laudibus de Dominica iuxta Breuiarium Romanum tamen non verificatur in alijs, vt clarè conuincitur à praxi durationis temporis exigiti in recitatione Matutini, & Laudum ; & in recitatione alterius partis vſque ad Completorium incluſiue ; maior eſt enim duratio temporis pro hac parte, quàm pro ſolo Matutino, & Laudibus. Errorem igitur continet etiam ex hoc capite Propoſitio damnata. Si autem dicatur ex *Garzia*, & aliis, quod verbis maior pars intelligitur pars præcipua, ſeù dignior; tunc reſpondetur, quod multò magis in ea abutitur textibus *Maior pars trahit ad ſe minorem:* quare nota eſt falſitas illius doctrinæ, ſi vult V.g. quod in Capitulo Generali alicuius Religionis, ſi Generalis, vna cum quatuor Definitoribus Generalibus ſuffragia ferant pro vno decreto, quod à quinquaginta alijs Capitularibus reprobatur cum contrariis ſuffragiis, omnes iſti trahantur à Generali, & Definitoribus, quia ſunt dignior, & præcipua pars totius Congregationis: hoc enim nullus dicet. Igitur maior pars ſignificare tantum debet maiorem quantitatis, non verò dignitatis, ſeù qualitatis, ſicque falſum dicit propoſitio generaliter aſſerens Matutinum, & Laudes eſſe maiorem partem Officii Diuini.

31 Dico ſecundò. Falſa eſt ſententia *Thomæ Hurtado* ſupra relata, & cenſuræ huius Decreti obnoxia. Ita *Ioannes Cardenas ſup. a c. 2. nn. 15. & 6.*

32 Probatur prima pars; quia materia huius præcepti, etiam quà procedit ex ſola virtute Religionis, eſt materia diuidua , & vt talis reſpicitur ab ipſo præcepto, vt patet ex dictis. Videantur dicta in probatione 4. & confirmatione præcedentis aſſertionis.

33 Probatur ſecunda pars. Nam cum Pontifex declaret præceptum recitandi Horas Canonicas extendi ad ſingulas Horas ſeorſim; qui dicit intelligi debere de præcepto, quod oritur ex iuſtitia , & ſolum ex Religione, contradicit declarationi Pontificiæ: Nam damnatio Pontificis eſt vniuerſalis; illa autem interpretatio negat eam vniuerſalitatem.

Id

Digitized by Google

Id autem fundamentum, quo nititur *Filguera* inclinans in eam opinionem *Thomæ Hurtado*, ſcilicèt quod leges odioſæ reſtringendę ſunt, habet locum in dubiis: in iis autem, quæ tam vniuerſaliter, & tam indubitanter damnat Pontifex; quomodo poteſt habere locum eiuſmodi reſtrictiua interpretatio?

34 Dico tertiò. Damnatio ſtat pro omni parte adductæ Propoſitionis; quare falſum eſt, & ſcandaloſum, quod *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur*: ſicut & falſa eſt cauſalis adducta, nimirum, *Quia maior pars trahit ad ſe minorem*. Dixi cauſalis adducta; nam etſi verum ſit, quod maior pars trahit ad ſe minorem in his, quæ fiunt à maiori parte, vt in Capitulis, &c. verum id tamen non eſt in caſu noſtro comparando partem Officii cum alia eiuſdem parte, etiamſi comparatio fieret inter partem verè maiorem, & verè minorem.

Patet aſſertio ex dictis. Igitur eſt omninò falſum, & ſcandaloſum, quod *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur*, quamuis pro ratione non aſſignetur iſta, ſcilicet, *Quia maior pars trahit ad ſe minorem*, ſed alia, quę ab aliis aſſignatur, dicentibus, *Quia licèt Matutinum, & Laudes non ſit maior pars Officij, nihilominus eſt pars illius prima, & principalis*.

35 Dico quartò. Proſcriptio viget tam ſi indubitatum ſit, impotentem recitare maiorem partem, poſſe recitare minorem, quàm ſi dubitetur: excipitur tamen caſus infirmitatis. Ita *Ioannes Cardenas, Lumbier, Filguera, Correzilla, & Corella hìc*.

36 Probatur prima pars; dum præceptum eſt certum, & dubitatur, an in hoc caſu obliget ratione alicuius peculiaris circumſtantiæ, in hoc dubio præceptum obligat; quia poſſeſſio ſtat pro præcepto, vt multis probat *Sanchez l. 1. Summæ c. 10. qu. 34.* citans *Decium, Bernardum, Alciatum, Neuizanum, Surdum, Gloſſam, Francum, Salycetum, Euerardum, Abbatem, Couar. Gonzalez, & Medinam*, contra *Salam to. 2. qu. 21. tr. 8. diſp. vn. ſer. 25. num. 259.* Sed in hoc caſu, dum ſcilicet impotens recitare maiorem partem dubitet an poſſit minorem, præceptum recitandi omnes, & ſingulas Horas Canonicas: eſt certum, & dubitatur de excuſatione ex aliqua circumſtantia: Ergo, &c.

37 Probatur ſecunda pars ſcilicet quoad exceptionem infirmitatis; quia quando præceptum eſt tale, quod non obliget cum graui detrimento, & ea dubitatio inducit, ac conſtituit periculum eius detrimenti; tunc præceptum non obligat, nam idem iudicium fit de detrimento, ac de periculo illius. Atqui in noſtro caſu infirmitatis id ita euenit: nam præceptum recitandi Horas Canonicas non obligat cum graui detrimento valetudinis: cũ ergo dubitatur, an poſſit ægrotus recitare aliquam partem officii Canonici, ea dubitatio eſt, an recitatio eius partis allatura ſit detrimentum ægroto; id

id enim perinde ſe habet, ac timere periculum eiuſmodi detrimenti: & ideo dum dubitatur an poſſit recitare, rationabiliter timetur periculum detrimenti: Ergo ita dubitans liber manet ab obligatione recitationis.

Confirmatur: Quando dubitatur de obligatione præcepti ob talem circumſtantiam, quæ ex vna parte minitatur detrimentum, ex altera verò inducit in perplexitatem, & ſcrupulum; cum homo ex tali circumſtantia verſetur inter duo pericula valetudinis, & conſcientiæ, talis circumſtantia, quæ talem dubitationem producit, omninò excuſat ab obligatione præcepti: Ægrotus ergo excuſatur non ſolùm ab obligatione recitandi eam partem officii, quam pro certo non poteſt; ſed etiam eam partem, de qua dubitatur an poſſit illam recitare ſine graui detrimento.

38 Hæc doctrina conſonat iis, quæ docet *Suarez l.4. de Horis Canonicis c.27. num.26. & ſeq.* qui poſtquam dixit, non eſſe veram generalem regulam negatiuam pro omnibus caſibus, & impedimentis, videlicet, vt qui non poteſt dicere tot horas, vt contineant maiorem ſaltem partem totius officii, nullam dicere teneatur: Addit tamen in caſu infirmitatis, non eſſe hanc excuſationem, vel licentiam tam ſcrupuloſè reſtringendam, vt, quicumque in infirmitate dicere poſſit vnam, vel alteram horam ſine graui incommodo, ad illam dicendam obligetur. Nam hoc eſt nimis oneroſum, & præter ſuauitatem legis humanæ, & præter conſuetudinem, quę eſt optima legum interpres, & ideo reſpiciendum cenſet ad modum infirmitatis impedientis recitationem, nam ſi peculiariter impedit aliquam horam propter difficultatem in ea dicenda, vt V.g. in matutino propter debilitatem viſus, & capitis, & illa difficultas in aliis horis non ſentitur, ſed commode dici poſſunt, non erit legitima excuſatio quoad tales horas, ſiue illæ ſint plures, ſiue pauciores. At verò ſi infirmitas impediat indefinitè diuinum officium, vt eſt febris grauis, vel aliquid ſimile, tunc exiſtimat, non eſſe ſcrupuloſè inquirendum, an poſſit infirmus vnam, vel alteram horam dicere; quia excuſatio illa ex ſe indefinita, æquiualet vniuerſali, ita enim conſuetudo hanc legem interpretatur: & fortaſſe ratio eſt, quia eſt valde difficile in huiuſmodi occaſionibus attingere punctum in iudicando; quid poſſit homo dicere, vel non dicere ſine graui incommodo, & ideo ſatis eſſe creditur, quod officium ipſum dici non poſſit ſine notabili incommodo. Hinc infert, quando infirmitas talis eſt, vt non impediat totum diei tempus, ſed paucas horas, vt ſolet eſſe quartana diuturna, aut leuiſſima tertiana febris, tunc non omninò excuſare, quominus in tempore habili dicantur horæ, quæ commodè dici poſſunt. Hæc *Suarez*, quem ſequuntur *Oliuerius Bonartius de Horis Canon. l.2. c.40. nu.21. & ſeq. & Merolla to.2. d.4. c.3. n.411.*

Ex his reſoluitur cum *Felice à Panormo to.2. d.4. nu.257.* quod quamuis luſcus, & qui oculis laborat, ſi timet legendo viſum paulatim deperdere, non obligetur ad officium legendum, ipſe tamen, ſicut & cæcus, tenetur recitare partem illam, quam memoriter ſcit.

39 Dico

Digitized by Google

39 Dico quintò: Non proſcribitur hoc Decreto ſententia *Suarez ſupra nu.26.Sanchez*,& aliorum,qui dicunt, neminem obligari ad dicendam aliquam horam,qui non poſſit ſaltem maiorem eius partem dicere; *quia, inquiunt,vnaquęque hora præcipitur,vt quædam actio perfecta;& ideo ſi non poſſit ita fieri,vt nomen illud mereatur,non naſcitur obligatio dicendi illam*. Ita *Ioannes Cardenas hìc c.4.nu.29.*

40 Probatur nempe ſententiam hanc neque virtualiter manere proſcriptam;nam vt ſæpè diximus, vt propoſitio maneat virtualiter damnata ex illatione,debet illatio eſſe euidens: Atqui ex hac ſententia non infertur euidenter Propoſitio damnata; quia Auctores eius ſententiæ aſſignant manifeſtum diſcrimen. Nam præceptum officii Canonici, continet materiam diuiduam,quæ diuiditur in ſeptem Horas Canonicas; at verò præceptum, vt terminatur ad vnam horam, V.g.ad Primam, cum terminatur ad Primã vt Primam,præceptum illud continet materiam indiuiduam;& cum vna pars Primæ minor medietate, non fit abſolutè Prima,non cenſetur moraliter ea minor pars. Admiſſo ergo hoc diſcrimine,non infertur euidenter, quod qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, non tenetur ad reliquas horas ex eo,quod ille, qui non poteſt recitare maiorem partem Primæ,non tenetur recitare minorem: Ea ergo ſententia *Suarez, Sanchez*, & aliorum eſt probabilis ſaltem, donec Romana Cathedra non declarauerit oppoſitum.

41 Ipſe tamen *Ioannes Cardenas nu.3.* putat probabiliorem ſententiam *Bonacinæ*,& aliorum aſſerentem, præceptum recitandi ſingulas horas terminari ad illas diuiſibiliter, ita vt teneatur quis recitare partem notabilem horæ,quam poteſt,ſi reliquam partem maiorem non poteſt.

At ego magis adhæreo ſententiæ *Suarez,Sanchez*, & aliorum;quia Eccleſia præcipit tibi, vt recites Primam V.g.& minor pars medietate,immò nec ipſa medietas,poteſt dici abſolutè Prima; dicetur autem Prima, quamuis aliqua minor pars deſit,quia V.g.deeſt aliquod folium in Breuiario,quod ſuppleri non poteſt.

Hinc ſi cæcus E.g. ſciat memoriter partem informem diuini officij, V.g.ſciat Pſalmos,& ignoret Lectiones,Capitula,Antiphonas,& Orationē, ad Matutinum non tenetur;quia hoc ſine lectionibus,&c.non conſtat. Ita *Barth.à S.Fauſto de Horis Can.l.2.q.181.Eſcobar à Carro eodem tr.q.6.nu.27 Hieronymus Garcia in ſumma tr.2.diff.7.dub.2.num.7.*& probabile putat *Diana p.10.tr.16.reſ.47.*Idem docet *Tambur.l.2.c.5.§.8.num.10.*citans *Ioannem Sancium*,additque idem dicendum de horis paruis, ſi ignorentur Capitula, & Orationes. Intellige vt ſupra. Et ſimiliter qui habet Diurnum,& careat Breuiario,non tenetur recitare Pſalmos abſque Lectionibus,& Reſponſoriis,vt dictum eſt de cæco. *Ioannes Garzia ſupra,Sancius d.15.ſelect.num.2. Eſcobar à Carro num.27.*& alii contra *Roccaful,Cotonium*,& alios, quorum ſententiam ſequitur *Ioannes Cardenas,& Piſanus.*Aliqui docēt,quod ſi ſciat

Lectiones Reſponſoria,& Capitula de communi,de B.Virgine,&c. tenetur ex iis ſupplere. Contrarium tamen docent *Martinus de S.Ioſeph in monit. confeſſ.:om.1.d.2.tr.12.de orat.num.3. Diana p.2.tr.12. reſ.30.* & alii,quia,inquiunt, huiuſmodi compoſitum non eſt illud,quod præſcribit Eccleſia.

42 At qui non poteſt recitare duos poſtremos Nocturnos ex Matutino duplici,vel ſemiduplici, poteſt autem primum, tenetur ad illud recitandum; eo quia quilibet Nocturnus conſideratur ad modum vnius horæ integræ. Tum quia vnus Nocturnus conſtituit totum Matutinum Paſchatis,& Pentecoſtes. Tum etiam,quia præceptum Eccleſiæ,vt terminatur ad Nocturnos, continet materiam diuiduam,olim enim diuidebantur in Choro per diuerſas horas noctis: Ergo præceptum obligat ad quemlibet Nocturnum per ſe,etiam independenter ab alio. Ita cum *Suario, Ioannes Cardenas c.5.nu.42.*

43 A fortiori qui non poteſt recitare Matutinum, poteſt autem Laudes,tenetur ad recitandas. Ita *Ioannes Cardenas num.38.*& alii. Tum quia licèt ſint ſeptem Horæ Canonicæ;tamen negari non poteſt,Laudes habere formam vnius horæ.Nam(vt loquitur *Suarez vbi ſupra nu.4.*) *Nocturni,& Laudes habent propriè initia horarum, qualia eſſe ſolent in horis diſtinctis, & hymnos diſtinctos; & Laudes habent ſuam propriam Lectionem,ſeu Capitulum, & alia omnia,quæ ad integritatem horæ in quacumque alia reperitur.* Quare dum diximus iuxta ſententiam *Suarez*,eum,qui non poteſt recitare partem magnam horæ non teneri ad reliquam partem; id non eſt intelligendum de ea reliqua parte,quæ per ſe ſeorſim ſumpta habet formam horæ integræ, quamuis abſolutè dicatur complementum Matutini. Tum etiam quia Matutinum,& Laudes poſſunt dici in Choro ſeorſim abſque peccato, ſaltem ex cauſa iuſta,vt de facto dicuntur in nocte Natiuitatis Domini, & olim ſeparatim dicebantur. Quæ autem ſeparatim in Choro dici poſſunt,habent formam horarum diſtinctarum, quamuis abſolutè non putentur communiter,vt diſtinctæ: præceptum autem Eccleſiaſticum reſpicit tanquam materiam diuiduam orationes illas,quæ poſſunt,aut ſolent diuidi.

44 Cohærenter ad dicta dicimus in caſu auditionis Miſſæ, quod qui venit ad Eccleſiam circa Canonem Miſſæ, tenetur eam audire,dum alia non ſuppetit.Ita *Suarez tom.3.in 3.p.d.88.ſect.2.Card.de Lugo de Euch.d.22. num.6.Sanch.l.1.ſumm.c.19.nu.6.Diana p.3.tr.6.reſ.69. & p.5. tr.13. reſ.61.* & alii communiter. Contra *Sancium in ſelect.d.15.nu.5.* Quia in Miſſa,quæ continentur à conſecratione,vſque ad ſumptionem maximi ponderis ſunt, & in præcepto Miſſam audiendi per ſe principaliter intenduntur, cum in illis ſubſtantia Sacrificii conſiſtat. Quare, qui poteſt his aſſiſtere, tenetur. Conueniunt iſti Doctores, ſi quis non poſſet audire Miſſam, niſi vſque ad Canonem,vel Conſecrationem,non obligari. Quia nequit implere præceptum integrè moraliter quoad ſubſtantiam. Idem eſt a fortiori, ſi venerit poſt conſecrationem,vt exprimunt *Card.de Lugo,& Diana ſupra, Auerſa*

de

de Euch.q.11.ſect.19.§.ſi quis verò,Tambur.l.4.Decal.c.2.§.1.nu.6.Merolla, & alii. Contra *Piſanum hic num.6.*& alios. Nam ideo Feria 6.Maioris Hebdomadæ non tenemur adeſſe officio, quamuis occurrat feſtum, quia deeſt conſecratio; ſed,qui venit poſt conſecrationem, adeſt ſolum ſumptioni,& orationibus,quibus etiam adeſſe poſſumus illa Feria ſexta: Ergo.

PROPOSITIO LV.

Præcepto communionis annuæ ſatisfit per Sacrilegam Domini manducationem.

1 HAnc docuerunt non pauci, nempè *Sotus, Cordubs, Couar.* quos ſequitur *Suarez in 3.p.tom.3.d.70.ſect.2.Fagundez,Azorius, Lopez,Pitigianus*,quos ſequitur *Diana p.3.tr.4.reſ.43.Vaſquez,Ochagania, Filliucius,Coninch,Henriquez, Bonac.* quos ſequitur *Franciſcus de Lugo de Sacram.l.4.de Euch.c.10.q.3.nu 29.Caſtropalaus,Herinx,Vuiger,& Stephanus à S.Paulo*:quos ſequitur *Franciſcus à Ieſu Maria tr.4.c.8.pu.2.nu.25.Reginaldus,Rodriquez,Chamerota*,& alii,quos ſequitur *Dicaſtillus d.10.dub.8.*addens cum *Azorio,Antonio à Spir.Sancto nu.271.*implere hoc præceptum Eccleſiaſticum eum,qui excommunicatus, vel alia cenſura innodatus communicat,quamuis aliàs peccet tum contra ius Diuinum accedendo indignè, tum contra ius Eccleſiaſticum,arcens excommunicatos à communione Sacramentorum. *Auerſa De Euch.q.8.ſect.3.Renzi to.1.l.3.tr.3.c.3.q.1. Maſtrius Theol.mor.d.12.q.2.ar.3.num.56.*

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Vtrum votum ſaltem virtuale, & implicitum Eucharistiæ ſit neceſſarium neceſſitate medij tàm paruulis, quàm adultis ad primam iuſtificationem obtinendam?*

3 *Aſſignantur diſcrimina inter neceſſitatem Baptiſmi,& Euchariſtiæ.*

4 *An Euchariſtia in re,vel in voto ſit medium neceſſarium pro adultis ad conſeruandam diu vitam ſpiritualem?*

5 *Vtrum alia media ad conſeruandam vitam ſpiritualem,vt Ieiunia,Eleemoſynæ,&c.habeant efficaciam à Sacramento Euchariſtiæ ſaltem in voto?*

6 *Euchariſtia quatenus eſt cauſa effectiua gratiæ cibantis,non eſt ſimpliciter neceſſaria,ſed ſolùm ex ſuppoſitione, quod aliquis velit perſeuerare firmus in vita ſpirituali.*

7 *Licet effectus proprius huius Sacramenti ſit robur ſpirituale ad diù conſer-*

uandam gratiam, tamen ex mutabilitate liberi arbitrij contingit illam diu non conſeruari.

8 Quanto tempore poteſt homo conſeruari in gratia ſine Euchariſtia in re, vel in voto ſuſcepta? Et an, qui experiuntur debilitari vires animæ ad opera virtutum peccent, ſi non accedant ad Euchariſtiam?

9 Sufficit ne implicitum votum Euchariſtiæ, an verò requiratur explicitum ad conſeruandam vitam ſpiritualem?

10 An extet præceptum Diuinum communicandi?

11 An ex præcepto Diuino poſitiuo teneantur Fideles non ſolùm ad Sacramentalem, ſed etiam ad dignam communionem?

12 An Infideles non Baptizati per ſe adſtringantur hoc præcepto Diuino communionis?

13 An ſi Catechumenus bona, vel mala fide debito tempore recipiat Euchariſtiã ſatisfaciat præcepto Diuino?

14 An paruuli, & amentes, qui nunquam habuerunt vſum rationis hoc præcepto teneantur?

15 Vtrum hoc præceptum Diuinum obliget Fideles adultos vſu rationis pollentes non ſolùm in articulo mortis, ſed etiam ſæpiùs in vita?

16 Vtrum hoc præceptum comprehendat omne periculum mortis etiam violentæ? Et an ſi Reus noluerit intra tempus à Iudice conceſſum ſe præparare ad confeſſionem, & communionem, & adhuc ſpes eſſet poſt duos, vel tres dies diſponendum, nec immineat periculum ſcandali, fugæ, &c. debeat Iudex dilationem concedere?

17 Vtrum cùm periculoſum prælium ſit committendum, aut periculoſa nauigatio ſubeunda, obliget hoc Diuinum præceptum?

18 An præuidens impedimentum teneatur ante periculum mortis adimplere præceptum de viatico?

19 Vtrum qui non ex contemptu, ſed ex negligentia in articulo mortis non recipit Euchariſtiam, peccet, ſi communicauit in Paſchate?

20 Si communio Paſchalis, vel alia communio non longè ante periculum mortis, V.g. ſex, vel octo diebus facta fuerit, eritnè ſufficiens, vt præcepto Diuino in mortis articulo cenſeatur quis ſatisfacere? Quid ſi eadem die, qua communicauit incidit in mortis periculum?

21 Vtrum incidens in peccatum mortale poſt ſumptum viaticum teneatur iterum ſumere?

22 Quando idem periculum perſeuerat, ſi heri non ieiunus pro viatico quis communicauit, an hodie non ieiunus item pro viatico communicare poſſit?

23 An qui viaticum ſumit tempore, quo vrget præceptum communionis Paſchalis, ſatisfaciat eadem communione vtrique præcepto?

24 An ſi laicus in mortis articulo conſtitutus deglutire non poſſit Particulam Euchariſtiæ, miniſtranda ſit ei ſpecies Sanguinis?

25 An pueris, qui poſt ſeptennium habent rationis vſum, miniſtrandum ſit eis via-

Digitized by Google

viaticum, ſi ſint in mortis articulo?

26 Vtrum viaticum miniſtrari poſſit, & debeat amentibus?

27 An item, mutis, ſurdis, & ſimul etiam cæcis à natiuitate?

28 Tenetur ne recipere viaticum infirmus, qui fuit morſus à cane rabido?

29 An moribundus teneatur ſuſcipere viaticum à miniſtro excommunicato non tolerato, vel Hæretico? Et an Hæreticus, vel Excommunicatus teneantur ſumere viaticum?

30 Vtrum tantum ſemel in anno in Paſchate obliget præceptum Eccleſiaſticum annuæ communionis?

31 Infideles non ligantur præcepto annuæ communionis, ſed tantum Fideles Baptizati, nec amentes, & infantes ante vſum rationis?

32 An Summus Pontifex teneatur ad præceptum annuæ confeſſionis, & communionis?

33 An Hæretici, & Apoſtatæ à Fide teneantur præcepto annuæ communionis?

34 Vtrum Energumeni teneantur hoc præcepto?

35 Vtrum fatui, & amentes, qui aliquando habuerunt vſum rationis teneantur hoc præcepto? Quid verò dicendum ſit de ſemifatuis?

36 Muti, & Surdi ſimul tenentur ne hoc præcepto?

37 Quo tempore pueri incipiant ligari hoc præcepto?

38 Quid de pueris vſum rationis attingentibus?

39 Præciſa conſuetudine, à Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè poteſt quis ſatisfacere præcepto annuæ communionis? Quid verò dicendum ſit, ſi quis ſumeret Euchariſtiam vno, vel altero die antè, vel poſt.

40 An qui non communicauit intra illos quindecim dies, ſit liber ab hoc præcepto?

41 Vtrum computandus ſit annus à principio Ianuarij, vſque ad finem Decembris, an vero à Paſchate ad Paſcha cum extenſione ſupra poſita?

42 An ſi quis non communicet, niſi ad ſequens Paſcha ſatisfaciat vnica communione pro vtroque anno?

43 An qui præuidet fore, vt nequeat in Paſchate communicare, teneatur anticipare communionem?

44 Quid dicendum ſit iuxta computantes annum more communi?

45 An qui propter futurum impedimentum in Paſchate communionem anticipauit bona fide, obligetur poſtea ad cõmunicãdum in Paſchate, ſi ceſſauit impedimentum?

46 An præcepto annuæ communionis teneantur Fideles adimplere tempore interdicti?

47 An Fideles de manu proprij Paſtoris debeant Euchariſtiam recipere, vel ab alio, vel alibi de eius licentia?

48 Quid de communicantibus ſine licentia extra Parochiam, vel Eccleſiam Parochialem? Et qui nam excipiantur ab hac obligatione?

49 Vbi communicare debeant in Paſchate oblati extra clauſtra degentes, & famuli

muli ſæculares in Monaſterijs ſeruientes?

50 *An qui culpabiliter omittit communionem in Paſchate incurrat aliquam censuram?*

51 *Quæ dicatur Sacrilega communio. Quæ intentio requiratur in ſuſcipiente, an requiratur ieiunium?*

§. *II.*

52 *Præcepto communionis annuæ non ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem. Contrarium eſt ſcandaloſum.*

53 *Eccleſia præcipit dignam communionem, & etiam quæ vnit Chriſto.*

54 *Præceptum Eccleſiæ de ſuſcipiendo Eucharistiæ Sacramento, eſt de ſuſcipiendo cum debita diſpoſitione.*

55 *Cibus ſiue corporalis, ſiue ſpiritualis ſumi debet eo modo, quo prodeſt, non quo obeſt.*

56 *Suadetur aſſertio ex eo, quod hoc præceptum Eccleſiaſticum ſit determinatiuum præcepti Diuini.*

57 *Suſceptio huius Sacramenti indigna, non eſt vera ſuſceptio moralis Sacramenti formaliter.*

58 *Propoſitio ſubiacet proſcriptioni, vndequaque proueniat ſacrilega ſuſceptio.*

59 *Suadetur aſſertio, & afferuntur aliquæ illationes contra Renzium.*

60 *Eccleſia præcipit ſubſtantiam ſacræ communionis, & etiam modum, ſiue diſpoſitionem debitam ad ſacram communionem.*

61 *Eccleſia poteſt præcipere actum mixtum.*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò: Votum ſaltem virtuale, & implicitum Euchariſtiæ eſſe neceſſarium neceſſitate medii tam paruulis, quã adultis ad primam iuſtificationem obtinendam. Eſt communis ſententia in Schola *D. Thomæ*, vt teſtatur *Ioannes Gonzalez d. 3. de Euch. ſect. 1.* Et quod hoc Sacramentum ſit neceſſarium neceſſitate medii aliquo modo patet *Ioannis 6.* vbi dicitur: *Niſi manducaueritis carnem Filij Hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Vbi eodem tenore verborum exponit Chriſtus Dominus neceſſitatem Euchariſtiæ, atque *Ioannis 3.* expoſuerat neceſſitatem Baptiſmi dicens: *Niſi renatus fuerit, &c.* Ergo ſicut Baptiſmus eſt neceſſarius neceſſitate medii, ita ſimiliter Euchariſtia. Et hoc etiam patet ex ratione, quam reddit Chriſtus Dominus, ob quam neceſſarium ſit manducare eius Corpus, & Sanguinem bibere; non enim dixit neceſſarium eſſe, quia ego ita præcipio (ſic enim importaretur tantum neceſſitas præcepti, quam ſolam agnoſcunt *Alenſis*, *Durandus*

dus, D. Bonau. Gabriel, Vaſquez, & alii) ſed quia: *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus*, & quia: *Qui manducat me, ipſe viuet propter me.* Quibus verbis ſignificatur carnem Chriſti eſſe medium, quo viuificamur. Quod hæc neceſſitas ſaltem ſit in voto virtuali, & implicito. Probatur cum *D. Thoma 3. p. qu. 79. ar. 1. ad 1.* nam Baptiſmus, vel Pœnitentia, quæ ſunt media neceſſaria ad primam iuſtificationem obtinendam, vt à Chriſto Domino inſtituta ſunt, non conferunt primam gratiam, niſi reſpiciendo ad Euchariſtiam, vt ad finem Sacramentorum, & vt ad id, in quo continetur auctor omnis gratiæ: & ideò *D. Thomas* ſecutus *D. Dionyſium c. 5. de Eccleſ. Hierarch.* vocat hoc Sacramentum *conſummationem ſpiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finem:* Ergo eo ipſo, quod, qui vult baptizari, aut confiteri, cenſetur velle Euchariſtiam, & habere ſaltem virtualiter, & implicitè votum illius, vel voluntate propria, ſi eſt adultus, vel reſpectu Baptiſmi voluntate Eccleſiæ, ſi eſt paruulus: & ex conſequenti huiuſmodi votũ virtuale, & implicitum erit medium neceſſarium ad primam gratiam obtinendam, vt incluſum in voluntate ſuſcipiendi Baptiſmum, aut Pœnitentiam. Et ſi dicas: Hoc Sacramentum Euchariſtiæ non eſſe inſtitutum ad primam gratiam cauſandam: Diſtinguendum eſt: ſi conſideretur in ratione cauſæ efficientis, conceditur; ſi conſideretur in ratione cauſæ finalis, vt eſt finis aliorum Sacramentorum, negatur. Vt ſic enim votum eius concurrit ad cauſandam primam gratiam, & hoc cauſalitatis genus non competit aliis Sacramentis. Vnde Baptiſmus, & Pœnitentia ſe ſolis cauſant quidem primam gratiam in genere cauſæ efficientis, in quo genere à nullo alio Sacramento pendent; tamen eorum cauſalitas pendet ab Euchariſtia in voto in genere cauſæ finalis.

3 Obſeruat autem optimè *D. Thomas q. 73. ar. 3.* non eodem modo Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate medii, ſicut Baptiſmum: etenim Baptiſmus neceſſarius eſt per modum inchoationis vitæ ſpirtualis: Euchariſtia verò per modum conſummationis. Ex quo aliæ duæ oriuntur differentiæ: prima eſt, quòd votum Euchariſtiæ continetur in alio Sacramento priori; at votum Baptiſmi non poteſt in alio priori Sacramento contineri. Et ideo paruuli, qui non ſunt capaces voti per actum proprium, ſaluari non poſſunt ſine reali ſuſceptione Baptiſmi; ſaluari autem poſſunt ſine reali ſuſceptione Euchariſtiæ; quia ſuſceptio Baptiſmi eſt virtuale votũ Euchariſtiæ. Secunda eſt, quod realis ſuſceptio Baptiſmi per ſe loquendo requiritur ad ſalutem: vnde votum Baptiſmi ſolùm requiritur quaſi per accidens, nempè ex defectu copiæ realis ſuſceptionis; at votum iſtud Euchariſtiæ per ſe requiritur. Et ratio eſt: quia Euchariſtia eſt finis omnium aliorum Sacramentorum, finis autem per ſe cauſat media intentione, & deſiderio ſui. Vnde realis ſumptio Euchariſtiæ non habet rationem medij, ſed ſolùm requiritur neceſſitate præcepti.

4 Euchariſtia verò in re, vel in voto eſt medium neceſſarium pro adul-

tis

tis ad conſeruandam diu vitam ſpiritualem. Ita cum *D. Thoma 3. p. q. 80. ar. 11. ad 2.* docent *Corneus de Euch. d. 2. dub. 1. Gabr. à S. V. diſp. 3. q. 2. Labat*, & alij, contra *Durandum, Suarez*, & alios. Probatur primò ex *Conc. Triden. ſeſſ. 21. c. 3.* vbi cum dicat, *Nulla gratia neceſſaria ad ſalutem fraudari eos, qui vnam ſolam ſpeciem accipiunt*, planè ſupponit dari ex vi huius Sacramenti gratiam neceſſariam. Et *c. 4.* vbi placuit Patribus Concilij reddere rationem quare Eucharistia non ſit paruulis neceſſaria: *Quia adeptam iam filiorem Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt.* Per quod in planè inſinuatur, in illa ætate, in qua gratia amitti poteſt, Euchariſtiam eſſe medium neceſſarium ad illam conſeruandam. Sicut *ſeſſ. 18. c. 2.* de hoc Sacramento dixit, fuiſſe à Chriſto inſtitutum, & à nobis eſſe ſumendum, *Tanquam antidotum, quo à peccatis mortalibus præſeruamur.* Secundò ratione: Homo ad ſalutem indiget, non ſolum vt primo iuſtificetur, ſed etiam vt perſeueret in gratia. Non ita, quaſi neceſſe ſit, vt ſemper continuate permaneat in gratia ex quo illam recepit vſque ad finem vitæ: Sed vel vt ſemper hoc modo permaneat, vel ſi ceciderit reſurgat, vt tandem decedat in gratia: ſic enim nullus ſaluatur abſque dono perſeuerantiæ: Sed certe, adulti manent in continuo periculo amittendi gratiam, & incidendi in peccatum, eſtque inſigne Dei beneficium conſeruari, aut reparari in gratia: Ergo fuit prorſus expediens, vt ſicut duplex Sacramentum inſtitutum fuit ad conſequendam primam gratiam, ita aliquod inſtitutum eſſet ad conſeruandam gratiam. Hoc planè competit Sacramento Euchariſtiæ: hic enim eſt proprius effectus eius, per auxilia gratiæ præſeruare à peccatis, & à morte in peccato, vt tradit *S. Thomas 3. p. qu. 79. ar. 6.* & expreſſit Tridentinum vbi ſupra: Ergo, &c. Tertiò: ex ſimilitudine cibi, & alimenti corporalis. Hoc eſt vtique neceſſarium ad conſeruandam vitam corporis: Ergo cenſendum pariter eſt, alimentum ſpirituale, quod ſub ſpecie cibi, & potus inſtitutum eſt, eſſe neceſſarium ad conſeruandam vitam animæ. Et hoc inſinuauit *Trident. ibi ſeſſ. 13. c. 2.* dicens: *Sumi voluit Sacramentum hoc, tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur vita illius, qui dixit: Qui manducat me, viuet propter me.* Et *Concil. Flor.* docuit, hoc Sacramentum præſtare illos effectus animæ per ſimilitudinem, quos cibus corpori. Imò & Chriſtus ipſe cum dixit: *Caro mea verè eſt cibus, Sanguis meus verè eſt potus*, poſtquam dixerat: *Niſi manducaueritis, non habebitis vitam in vobis, qui manducat habet vitam æternam.* Et hac eadem ratione, ac ſimilitudine, ſolent Patres, ac Theologi, & Sacri Doctores, vim huius Sacramenti explicare. Quartò demum. Eo ipſo, quod aliquid eſt inſtitutum à Deo tanquam medium ad certum effectum, & impoſitum eſt præceptum de vſu talis medii; iam id eſt medium neceſſarium, & hæc eſt neceſſitas medii: Sed ſic eſt, quod hoc Sacramentum eſt inſtitutum vt medium ad conſeruandam gratiam, & eſt impoſitum de eius vſu, & ſumptione præceptum de iure ipſo Chriſti, vt ſupponimus: Ergo verè eſt medium neceſſarium,

Si dicas primò: Euchariſtiam per ſe non habere producere aliquem effectum neceſſarium ad conſeruandam diù vitam ſpiritualem, tanquam ſit cauſa vnica huiuſmodi effectus, cum mediante ſuſceptione aliorum ſacramentorum, & per alia etiam media, qualia ſunt ieiunia, eleemoſynæ, remiſſio iniuriarum; præbeat Deus auxilia gratiæ ad conſeruandam diù vitam ſpiritualem:

5 Contra eſt: Alia enim media recenſita, licèt conducant ad illum effectum conſeruandi diu vitam ſpiritualem, non tamen ſunt efficacia, niſi mediante hoc Sacramento ſaltem in voto. Vnde in oratione Dominica, quam pro obtinendo iſto dono fundimus ad Deum, votum & deſiderium Euchariſtiæ declaramus in illis verbis: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, vt interpretantur *D. Auguſtinus epiſt. 22. c. 2. D. Clemens l. 8. Apoſtolic. tradit. c. 24.* & alij Patres. Quando igitur per illa media donum diù perſeſeuerandi in vita ſpirituali obtinetur, hoc mediante Euchariſtia, vel in re ſuſcepta, vel ſaltem in deſiderio recipiendi illam tempore ſtatuto, illud obtinetur: ac proinde mediante Euchariſtia in re, vel in voto habent efficaciam alia media ad hunc effectum. Et in hoc ſenſu dixit *D. Auguſtinus* quòd *veraciter incorruptibilitatem*, diuturnam ſcilicèt vitæ ſpiritualis, *non præſtat, niſi iſte cibus.*

Si dicas ſecundò: *Tridentinum*, quando agit de neceſſitate Euchariſtiæ *ſeſſ. 13. c. 9.* ſolum aſſignare neceſſitatem præcepti, non verò neceſſitatem medii, cum tamen vtramque neceſſitatem explicet idem Concilium in Sacramento Baptiſmi *ſeſſ. 7. can. 5.* & in Sacramento Pœnitentiæ *ſeſſ. 14. can. 6.*

6 Reſpondeo: Concilium Tridentinum loqui de Sacramentis, quatenus ſunt cauſæ effectiuæ gratiæ, & de his, quæ neceſſaria ſunt ſimpliciter: & hoc modo Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt in voto neceſſaria ad ſalutem, ita vt nullus in hac vita, ſiue multo, ſiue paruo tempore viuat, ſine illis, aut eorum votis, poſſit conſequi ſalutem. Neceſſitas verò Euchariſtiæ, quatenus eſt cauſa effectiua gratiæ cibantis, non eſt neceſſitas ſimpliciter; ſed ſolum ex ſuppoſitione, quod aliquis diu duret in hac vita mortali, quemadmodum cibus corporalis non eſt ſimpliciter neceſſarius, vt homo conſeruetur in vita per aliquod tempus, ſed dumtaxat, vt diù conſeruetur in illa. Et hoc eſt, quod *D. Thomas* docuit *in 4. d. 12. qu. 3. ar. 2. quæſtione 1. ad 1.* dicens, Euchariſtiam non eſſe ſimpliciter neceſſariam: ita vt ſine illa ſalus eſſe non poſſit, ſed ex ſuppoſitione finis: Suppoſito ſcilicet, quod quis velit perſeuerare firmus in vita ſpirituali, quia tunc ad reparandas vires animæ, quæ ex diuturna pugna cum fomite, & calore concupiſcentiæ debilitantur, neceſſarius eſt Euchariſtiæ cibus in re, vel in voto.

Si dicas tertiò. Si conſeruare diù vitam ſpirituale eſſet effectus proprius Euchariſtiæ, quicumq; ſumeret dignè Euchariſtiam, reciperet hunc effectũ; nam Sacramentum dignè ſuſceptum infallibiliter cauſat ſuum effectũ in ſu-

ſcipiente:conſeqnens autem eſſe falſum patet in D.Petro,qui dignè recepit Euchariſtiam, & tamen trina negatione non multo poſt Chriſtum negauit.

7 Reſpondeo ex *D.Thoma 3.p.q.79.ar.6.ad* 1.quod ſicut robur ſpeciale ad proteſtandam fidem eſt effectus proprius Confirmationis: & tamen nõ obſtante,cõtingit aliquãdo,quod cõfirmatus,qui dignè illud ſuſcepit,inſtãte occaſione nõ proteſtetur fidem,ob mutabilitatẽ ſui arbitrii: ſic licet robur ſpirituale ad conſeruandũ diù gratiam ſit effectus proprius huius Sacramenti ; tamen ex mutabilitate liberi arbitrii contingit illum diù non conſeruare eum,qui aliquando dignè ſuſcepit Euchariſtiam. Verba *D.Thomæ* ſunt: *Dicendum, quod effectus huius Sacramenti recipitur in homine ſecundum hominis conditionem, ſicut contingit de qualibet cauſa actiua, quod ei is effectus recipitur in materia ſecundum modum materiæ. Homo autem in ſtatu viæ eſt huius conditionis, quod liberum arbitrium eius poteſt flecti in bonum, & malum. Vndè licèt hoc Sacramentum quantum eſt de ſe habeat virtutem præſeruatiuam à peccato, non tamen aufert homini poſſibilitatem peccandi*. Igitur ſemper vi huius Sacramenti dantur auxilia ad perſeuerandum, at non ſemper efficacia. Quo tamen non oſtante, dicendum eſt, quod quicumque adultus diù conſeruat vitam ſpiritualem, virtute huius Sacramenti in re, vel in voto illam diù conſeruat: quia iſte eſt effectus proprius huius Sacramenti. Vnde ſuppoſita eius inſtitutione, & neceſſitate, quam Chriſtus Dominus indicauit, *Ioan.6.* cum dixit: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis? &c.* Nulli adulto præparatur robur ſpeciale ad conſeruandum diù gratiam, niſi cum ordine ad hoc Sacramentum ſuſceptum in re, vel in voto, & deſiderio, & in hoc ſenſu dixit *D.Thomas* hoc Sacramentum pro adultis eſſe Sacramentum neceſſitatis, *3.p.qu.80.ar.11.ad 2.* his verbis: *Dicendum, quod hoc Sacramentum dicitur non eſſe neceſſitatis, ſicut Baptiſmus quantum ad pueros, qui bus poteſt eſſe ſalus ſine hoc Sacramento, non autem ſine Sacramento Baptiſmi; quantum verò ad adultos vtrumque eſt neceſſitatis*.

8 Quanto autem tempore poſſit homo conſeruari in gratia ſine Euchariſtia in re, vel in voto ſuſcepta: non poteſt determinari phyſicè. ſicut neque tempus, in quo poteſt homo durare in vita corporali ſine cibo: nam pro diuerſa ſubiectorum qualitate in quibuſdam erit longius, in aliis breuius: moraliter tamen non excedat annum: propterea Eccleſia impoſuit præceptum de illa ſemel in anno ſumenda; ſed quia non pauci ſentiunt ſpiritualem debilitatem ad opera virtutum, & ad reſiſtendum peccato mortali: ſicut non ſufficit ſumere cibum corporeum ſemel in anno, ſed quoties naturalis virtus debilitatur: ita hoc Sacramentum toties ſumi debet in re, vel in voto, quoties hæc ſpiritualis debilitas ſentitur; quia non minus debilitat vires animæ fomes, & concupiſcentia, quam vires corporis calor naturalis. Vnde peccant, qui hanc debilitatem experiuntur, ſi ad Euchariſtiam non accedant; non tamen contra præceptum Eccleſiæ, ſi ſumpſerunt illam ſemel in anno. Ita *Corneius ſupra*

Digitized by Google

pra, *& Philippus à SS. Trinit. de Euchar. d.1. dub.11.*

Iam ſæpe dictum eſt hoc Sacramentum eſſe medium neceſſarium adultis in re, vel in voto, non in re tantum propter diſcrimen, quod, vt rectè obſeruat *S. Thomas 3.p.qu.73.ar.3.ad 2.* reperitur inter cibum corporalem, & cibum iſtum ſpiritualem, quòd cum cibus corporalis conuertatur in ſubſtantiam aliti, non poteſt prodeſſe ad nutritionem, niſi realiter ſumatur: cibus verò iſte ſpiritualis, qui in ſubſtantiam animæ non conuertitur; ſed potius conuertit animam in ſe ipſum, vt proſit, non ſemper eſt neceſſe vt realiter ſuſcipiatur; ſed eſt interdum ſatis, vt recipiatur voto, & deſiderio, quo amans conuertitur in rem amatam.

9 Hoc autem votum ſufficere implicitum incluſum in actu formali adulti de ſeruandis omnibus præceptis; quorum vnum eſt ſumptio Euchariſtiæ, cenſent *Auerſ. de Euch. qu.1.ſect.5.* & alii. At potius dicendum eſt cum *Coninc. ſupra*, & aliis, quod actualiter conſiderantibus de neceſſitate huius Sacramenti ad diù conſeruandam vitam ſpiritualem, neceſſarium ſit votum explicitum illius: quia, qui explicitè videt, & conſiderat aliquid eſſe ſibi neceſſarium ad ſalutem, & non proponit illud facere, non videtur quomodo non excludat votum, & propoſitum illius. Actualiter verò non conſiderantibus inuincibiliter neceſſitatem huius Sacramenti ad conſeruandam diù gratiam; ſufficiat votum implicitum illius: ſicut ſtante ignorantia inuincibili, ſiue habituali, ſiue ſolum actuali propter inculpabilem inconſiderationem ſufficit ad iuſtificationem impii votum implicitum Sacramenti Pœnitentiæ incluſum in contritione.

10 Notandum eſt ſecundò: extare diuinum præceptum communicandi: & licèt hoc negauerit *D. Thomas in 4.d.9.qu.1.ar.1. quæſtiunc.1. & d.12 q.3.ar.2.quæſt.unc.1. Carthuſ.diſt.9. Alenſis 4.p.qu.51. ex memb.4. D. Bonau. Gabriel, Ferrara,* aliique: tamen *Angelicus Doctor poſtea 3.p. qu.80. ar.11.* affirmauit: *Gabriel* etiam, & ſequuntur *Durandus, Palud. Roffenſis, Ledeſma, Caietanus,* vterque *Sotus,* & alii, quos ſequitur *Vaſquez 3.p. diſt. 213.c.2. Suarez, Coninch, Henriquez, Card. de Lugo, Franciſcus de Lugo, Gabriel à S.V. Franc. à Ieſu Maria, Villalobos, Auerſa,* & alii, ita communiter vt *Valen. to.4.d.6.qu.8.pu.4.* dicat, nullum hoc tempore Catholicum docere contrarium. Patet ex verbis *Ioan.6. Niſi manducaueritis*, quæ Patres vnanimes de Sacramentali manducatione capiunt, & ſaltem neceſſitatem diuini præcepti ſonare, contextus ipſe, modusque loquendi ſatis oſtendunt: non enim poteſt illa conditionalis eſſe vera, niſi talis manducatio ſit ſub diuino præcepto neceſſaria, ſiquidem aliàs non manducans poſſet ſimpliciter vitam habere. Quare nullus eorum, qui *caput 6. Ioannis* de cibo Sacramentali capiunt, hactenus negauit (teſte *Vaſquio*) præceptum huius Sacramenti diuinum eſſe. Confirmatur ex verbis *Lucæ 22. & 1. Corinth.11. Hoc facite in meam commemorationem*. Nam Apoſtoli tunc non ſacrificabant, ſed communicabant dumtaxat; & inde colligit *Tridentinum*

Nnn 2 *ſeſſ.*

ſeſſ. 13. c. 2. præcepiſſe nobis Dominum Euchariſtiæ ſumptionem in ſui memoriam. Denique quia ſuppoſita Euchariſtiæ inſtitutione, efficacia, & neceſſitate, neceſſariò conſequitur hominem teneri ad eius vſum, & quia talis inſtitutio fuit à Chriſto Domino, ab eodem etiam cenſetur orta præcepti neceſſitas, atque adeò erit diuinum.

11 Et ex præcepto hoc diuino poſitiuo non ſolum tenentur Fideles ad Sacramentalem Communionem, ſed etiam ad dignam communionem. Ita *Auerſa de Euch. qu. 8. ſect. 2. §. dicendum tamen videtur*; & alii contra *Suarez*. Probatur: tum ex verbis ipſis Chriſti: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Nam idem valent, ac *Niſi dignè manducaueritis*; vt habeatur, & conſeruetur vita ſpiritualis. Ex præcepto ergo diuino poſitiuo Chriſti tenentur Fideles dignè communicare. Tum etiam hinc ratione ſuadetur: quia Chriſtus præcipere voluit, vt eo modo ſuſcipiamus Sacramentum Euchariſtiæ, quo neceſſe eſt ad percipiendum effectum vitæ ſpiritualis: Ergo obligauit homines ita dignè communicare, ſicut requiritur ad percipiendum hunc effectum. Ita quod ſi quis eo tempore, quo Præcepto Diuino per ſe adſtringitur, indignè communicet, non manebit liber ab obligatione communicandi, ſed tenebitur adhuc dignè communicare. Nec ſemper eſt verum, morales actus præcipi tantum quoad ſubſtantiam: interdum enim præcipitur modus ſimul in actibus, quando nempè modus eſt de ſubſtantia actus per ſe à Legiſlatore intenti: Quo pacto in caſu noſtro modus dignè communicandi, eſt de ſubſtantia talis actus prout per ſe iniuncti à Chriſto. Et hæc eſt diſparitas de Baptiſmo: quia modus dignè ſuſcipiendi Baptiſmum, non eſt ita de ſubſtantia actus præcepti. Quod explicatur magis: quia poſtquam quis indignè ſuſcepit Baptiſmum, poteſt adhuc in virtute illius, remouendo poſtea fictionem, & obicem, percipere effectum neceſſarium gratiæ, nec poteſt denuò baptizari. Non ſic in Sacramento Euchariſtiæ.

12 *Suarez to. 3. in 3. p. d. 69. ſect. 2. Vaſquez d. 214. c. 4. Card. de Lugo de Euch. d. 16. ſect. 1. Coninch.* & alii contendunt etiam infideles, & non baptizatos per ſe adſtringi hoc pręcepto Diuino Communionis. Sed ſatis probabiliter oppoſitum docent *Sotus in 4. d. 18. q. 1. ar. 3. Auerſa ſupra §. Potius tamen, Sanchez, Pitigianus, Nugnus, Bonac.* & alii, quos ſequitur *Leander à Sacram. to. 2. tr. 7. d. 2. q. 2.* Patet, tum ratione generali, quia vſus aliorum Sacramentorum per ſe ſupponit Baptiſmum: Ergo & eorum obligatio nonniſi poſt Baptiſmum poteſt ſingulis conuenire. Tum ratione ſpeciali: quia in Baptiſmo homo naſcitur, in communione nutritur: ſed nullus habet neceſſitatem nutrimenti, niſi iam natus: Ergo nec habet obligationem communicandi, niſi baptizatus. Non abnuo tamen, cum *Franciſco de Lugo d. l. 4. c. 9. qu. 2. num. 6.* potuiſſe Chriſtum obligare non Baptizatos immediatè ad recipiendam Euchariſtiam, cum ſit Dominus omnium: & de facto pro mortis articulo cunctos adultos obligaſſe ad communicandum; ita

Digitized by Google

ita vt teneantur Baptizari tunc temporis : eo quoque titulo, videlicèt, vt ſint Euchariſtię capaces; vt in hoc caſu ſaltem omnibus cenſeatur dixiſſe, *Niſi manducaueritis &c.*

13 Quod ſi Catechumenus bona, vel mala fide debito tempore recipiat Euchariſtiam, non ſatisfacit præcepto Diuino; quia præcipitur à Chriſto communio Sacramentalis, & communio Cathecumeni ſolum eſt materialis : in hoc conueniunt etiam *Suarez, Vaſquez ſupra, Card.de Lugo num.*20. alijque.

14 Paruulos, & amentes, qui nunquam habuerunt rationis vſum hoc præcepto non teneri, definit *Trident.ſeſſ.*21.*c.*4. *& can.*4.

15 Hoc præceptũ Diuinum obligat fideles adultos vſu rationis pollentes non tantùm in articulo mortis per modum viatici:ſed etiam ante illud periculum,& quidem ſæpiùs in vita.Ita cum communi *Reiffenſtuel Theol. mor. tr.*10. *diſt.*3.*q.*3.*n.*26.atq; deſumitur ex ſæpè relatis verbis Chriſti *Io.*6.*Niſi manducaueritis carnem Filij Hominis,& biberitis eius Sanguinẽ,nõ habebitis vitam in vobis*,cum concordantijs.Nec deeſt ratio ſupra etiam inſinuata;quia Euchariſtiæ Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum fuit per modum alimenti ſpiritualis: Ergo non minus atque alimentum corporale, ſæpiùs in vita ſumendum eſt ad reficiendas vires animæ. Verum is,qui in anno ſemel communicat, ſatisfacit huic præcepto Diuino, quo præcipitur ſumptio Euchariſtiæ etiam extra mortis periculum. Ita *Suarez d.*70.*ſect.* 7.*Reginaldus l.*29.*num.*67.*&*.73.*Gaſp.Hurtado d.*10.*diff.*3.*Granadus tr.* 10.*d.* 3.*num.*8.*Dicaſtillus tr.*4.*de Euchar.d.*10.*dub.*4. & alij. Hic enim non dicitur nimium differre communionem. Addunt tamen *Valent.d.*6.*qu.*8. *pu.*4. *Petrus Soto ſect.*9.*de Euchar.Filliuc.tr.*4.*num.*51.*Card.de Lugo d.*10. *num.*25. & alii, per accidens obligari poſſe hominem ex natura rei ad communionem quando iudicat illud medium neceſſarium ad reſiſtendum alicui tentationi graui, vel ad non peccandum mortaliter; de quo non eſt ſpecialis difficultas, cum ſit eadem ratio de hac, & de alijs materijs. Cęterum omninò recolenda ſunt ea, quæ ſupra cum *Corneio, & Philippo à SS.Trinit.* à nobis dicta ſunt, nimirum Sacramentum hoc toties ſumi debere in re, vel in voto, quoties debilitas ſpiritualis ſentitur ad opera virtutum, & ad reſiſtendum peccato. Vnde aſſeruimus peccare eos, qui hanc debilitatem experiuntur, ſi ad Euchariſtiam non accedant; non tamen contra præceptum Eccleſiæ, ſi ſumpſerunt illud ſemel in anno.

16 Hoc præceptum comprehendit omne periculum mortis etiam violentiæ: nam ibi pariter militat ratio, ne moriens ſine neceſſario viatico decedat. *Tambur.opuſc.de communione c.*5.*§.*1.*nu.*2.alijque. Vnde tenetur Iudex reis morte plectendis concedere tempus confeſſionis, & communionis.Et ſic decernitur in *c.Tanta d.*86.*& c.Quæſitum* 13.*q.*2.& in motu proprio *Pij V.edito anno* 1569. quo ſublata fuit in Hiſpania conſuetudo non communicandi damnatos ad mortem. Et in *Clem. Cum ſecundùm, de pænit.*

nit. & remiſſ. Iudices per excommunicationem compelluntur concedere plectendis Pœnitentiæ Sacramentum: ſub Pœnitentia verò morientibus conceſſa Viaticum eſſe ſimul intelligendum, expreſsè decernitur *c. Quod in te, de Pœnit. & Remiſſ. & c. 1. de Furtis,* & notant *Gloſſa* in prædicta *Clement. & Reginaldus l. 29. num 73.* Si Reus noluerit intra tempus ſibi à Iudice conceſſum (puta diem integrum) ſe præparare ad Confeſſionem, & Communionem, & adhuc ſpes eſſet, poſt duos, vel tres dies diſponendum eſſe: nec immineat periculum ſcandali, vel fugæ, vel damni notabilis ex dilatione, deberet Iudex per illud ſpatium executionem differre, quia Charitas obligat ad euitandam proximi ruinam, præſertim irreparabilem, dum adeſt ſalutis ſpes, & aliunde non inſtat puniendi neceſſitas. Ita *Nauarra de Reſtit. l. 2. c. 3. num. 227. Franciſcus de Lugo d. l. 4. c. 9. q. 3. nu. 18.* & alij communiter: Quod ſi Reus nolit omninò Sacramenta recipere, non ideo liberandus eſt, immò debet occidi, quamuis in peccato moriatur. Tunc enim imputabitur reo ſua perditio: magnumque foret Reipublicæ detrimentum, ſi ſontes eluderent ſupplicium nolentes pœnitere. Sic *Nauarra ſupra num. 224. Reginaldus num. 71. Franc. à Ieſu Maria tr. 4. c. 8. pu. 1. num. 11.* Excuſantur Iudices à concedendis reo Sacramentis, quoties inde ſequeretur grauiſſimum damnum: V. g. ſi talis eſſet reus, vt niſi mox occidatur, timeatur proditio Principis, Seditio Populi, traditio Ciuitatis, vel arcis, aut ipſius Iudicis interitus. Tunc enim non tam proceditur condemnato ad pœnam, quàm cum aggreſſore ad defenſionem Reipublicæ, vel Iudicis; & licitum eſt vim vi repellere, ſufficitque tempus contritioni concedere: Quin ſi timeretur inde quoque notabile damnum, ſine notificatione ſententiæ videtur occidendus. Ita *Fagundez Præcepto 3. Eccleſ. l. 1. c. 4. num. 3. Nauarra ſupra num. 226. Franciſc. de Lugo ſupra num. 19. Tamburinus vbi ſupra.*

17 *Ioannes Prapoſitus 3. p. qu. 80. ar. 11. num. 54. Vaſquez qu. 90. ar. 3. dub. 2. Card. de Lugo d. 16. num. 47. & Franciſc. de Lugo num. 17. & Tambur. ſupra num. 2.* dicunt; quod obligat hoc diuinum præceptum, ſi periculoſum prælium ſit committendum, aut periculoſa nauigatio ſubeunda. At *Paſqualigus in tomo poſthumo* Caſuum exiſtentium in periculo mortis *qu. 270. num. 6.* ait, quod ſuſcepturi longam, & periculoſam nauigationem, non tenentur ratione periculi mortis ſumere Euchariſtiam tanquam viaticum, non ſolum quia non vident inſtare vltimũ tempus vitæ, ſed etiam quia, licèt timeant ſuperuenturum periculum mortis, non tamen certi ſunt, nam poteſt non ſuperuenire. In dubio autem non adeſt vſus legis, & præcepti, & proinde nec etiam obligatio. Idemque Auctor *num. 7.* addit, quod inituri prælium, aut aggreſſuri arcem, licèt valdè laudabiliter faciant, ſi ſumant Euchariſtiam, non tamen obligantur præcepto de viatico, quia licèt ſe exponant periculo vitæ, non ſunt tamen in periculo: nam aliud eſt exponere vitam periculo: & aliud eſt vitam periclitari: Siquidem expo-

Digitized by Google

exponi periculo dicitur quando ponitur in tali ſtatu, vt ipſi poſſit ſupervenire periculum: eſſe verò periculo dicit, quod periculum ſit præſens. Nec obſtat, quod hi, ſicut etiam ſuſcepturi longam, & periculoſam nauigationem poſſint à quocumque Sacerdote abſolui, etiam à cenſuris, (dum deficit qui habet facultatem) tanquam conſtituti in periculo mortis. Nam reſpondet *Paſqualigus*, hoc valere ſolùm in fauorabilibus, & quoad priuilegia: non autem in odioſis, & in materia, qualis eſt obligatio præcepti, quod licèt ſit de re valde animæ fauorabili, quatenus tamen obligat, & onus imponit, computatur inter odioſa. Tu cogita: Ego enim potius adhæreo contrariæ ſententiæ communi, quam docet etiam *Maſtrius*.

18 *Auerſa cit. q. 8. ſect. 3. §. Nono, & Prapoſitus ſupra num. 54.* in fine docent, quod præuidens impedimentum, teneatur ante periculum mortis adimplere præceptum de viatico, quia hoc exigunt regulæ prudentiæ. Sed veriùs cenſent oppoſitum *Paſqualigus cit. q. 270. Leander à Sacram. ſupra q. 5.* & alij: dicentes tamen, quod iſte rectè faceret, ſi ſe muniret Euchariſtia. Ratio eſt, quia præceptum de viatico non obligat, niſi pro periculo mortis: vnde eſt affixum tempori, quod eſt propinquum morti: Ergo non obligat, vt anticipate impleatur, quando præuidetur fore impediendam obſeruantiam tempore debito; quia præcepta affixa certo tempori non refundunt ex quacumque cauſa ſuam obligationem in aliud tempus, ſiue antecedens, ſiue ſubſequens, alias non eſſent affixa tempori. Quod autem hoc ſit affixum tempori, ex eo conſtat, quia obligat ad Sumendam Euchariſtiam, quatenus viaticum, atque adeo pro tempore, in quo quis eſt in via, qua tranſit ad aliam vitam: Tum quia obligat ratione neceſſitatis corroborandi vitam ſpiritualem, quæ vrget in vltimo tempore vitæ.

19 Aliqui putant, quod qui non ex contemptu, ſed ex negligentia in articulo mortis non communicat, ſi communicauit in Paſchate, non peccat mortaliter; quia, inquiunt, Eccleſia determinauit præceptum Diuinum pro Paſchate; & conſuetudo, quæ adeſt ſumendi viaticum in articulo mortis non videtur amplius obligare, quàm ſub veniali. Ita *Caietanus in ſumma V. communio, Armilla ibidem num. 4. Sâ V. Euchariſtia num. 1. Ledeſma 1. p. Quarti q. 21. art. 2. dub. 11. Victoria in ſumma tit. de Euchar. num. 86. Rodriquez p. 1. ſumma c. 64. num. 3. Naldus V. Euchariſtia nu. 5. Ioannes Franciſcus Suarez l. 5. Enchir. V. Euchariſtia*, & probabile putat *Tannerus tom. 4. d. 5. q. 8. dub. 5. nu. 109.* Sed omninò dicendum eſt, teneri ſumere viaticum, etiam ſi in Paſchate communicauit. Ita *D. Thomas 3. p. qu. 80. art. 11. Franc. Suarez, Vaſquez, Sotus, Valen. Coninch, Bonac. Laym. Card. de Lugo, Caſtropalaus, Leander à Sacram. Wiggers, Gabr. à S. V. Franciſcus Bonæ Spei, Vrbanus, Stephanus à S. Paulo*, quos refert, & ſequitur *Franc. à Ieſu Maria ſupra nu. 4. Reginaldus, Durandus, Molfeſius, Dicaſtillus, Syluius, Prapoſitus, Granadus, & Gaſp. Hurtadus*, quos refert, & ſequitur *Paſqual. ſupra q. 269.* Et ratio eſt, quia præceptũ Diuinum de viatico erat determinatum, quo ad tempus verò extra pericu-

lum

lum mortis erat indeterminatum: Eccleſia autem hoc potuit determinare, illud vt eſt relinquendo: Et quidem iam ſine temeritate negari non poteſt præceptum communicandi pro mortis articulo diſtinctum ab alio extra mortis articulum, vt aſſerunt *Vaſquez d. 14 c. 3. num. 6. & Ochagauia de Euch. tr. 2. q. 14. nu. 4.* Nam ſæpè Concilia præcipiunt, ne morientes ſine viatico decedant, & præcipuè *Tridentinum ſeſſ. 13. Can. 6.* antiquiſſimum morem cōmunicandi moribundos, quem in multis Conciliis commendatum, & vſu vetuſtiſſimo receptum fuiſſe, teſtatur, retinendum fore decernit: quare etiam ſi non extaret hoc diſtinctum præceptum Diuinum pro articulo mortis, ipſa conſuetudo, quæ vim legis habet, eſtque in materia graui, & ad animæ ſalutem valde conducente, obligatio eius grauis erit; ſed præceptum Diuinum eſt indubitatum; nam ex inſtitutione huius Sacramenti per modum cibi colligitur, vt vidimus, obligatio illius ſumendi, quando neceſſarium putabitur: Nunquam autem poteſt eſſe magis neceſſarius hic cibus, ad firmandum animæ robur, quàm in articulo mortis, in quo maximè periclitatur æterna ſalus, & imminet vltima lucta, qua decernatur mors, aut vita perennis: Ergo ex eadem inſtitutione colligere poſſumus communionis obligationem pro tali tempore, quod ſubinde Diuino præcepto definitum non ſubiaceat Eccleſiæ diſpoſitioni, vt notat *Suarez d. 69. ſect. 3.* quare Eccleſia certè poteſt morientem communione priuare iuſtis de cauſis, non quidem tollendo præceptum Diuinum, ſed morienti tanquam indigno poteſtatem adimendo communicandi. Sicut Iudex prohibendo reo cibum tollit ei poteſtatem conſeruandi vitam, ad quod iure naturæ tenetur: de facto tamen nunquam Eccleſia generaliter tulit talem legem: immò quædam ſtatuta Conciliorum Prouincialium, quæ priuabant communione reos, Eccleſia reuocauit, vt patet *ex c. ſuper eo, de Hæret. in 6.* vbi præcipitur, Hæreticis etiam relapſis dari communionem, ſi pœniteant, & confiteantur.

10 Sed quid ſi communio Paſchalis, vel alia communio non longe ante periculum mortis, V. g. tribus, ſex, vel octo diebus facta fuerit. Erit ne ſufficiens, vt præcepto Diuino in mortis articulo communicandi cenſeatur ſatisfacere?

Affirmant quidam conſulendum ſibi eſſe, vt iterum Euchariſtiam per modum viatici accipiat: ad id tamen non obligari; ſed præcepto de Euchariſtia ante mortem inſtantem ſumenda ſecundum ſubſtantiam ſatisfactum eſſe, *Paludanus, Angelus, Tabiena, Graffius, Barth. ab Angelo, Henriquez, Suarez, Coninch, Filliucius, Molfeſius,* quos refert, & ſequitur *Bonac. de Sacram. d. 4. qu. 7. pu. 1. nu. 2.* cum *Laymano, Diana par. 3. tr. 4. reſ. 40.* cum *Card. de Lugo, Anerſa cit. q. 8. ſect. 3. §. Octauò, Sotus, Toletus, Mercerus, Marchantius, Martinonus, Caſpenſis, Granadus, Tannerus, Hieronymus Garzia, Maſtrius, Dicaſtillus, Gabr. à S. V. Antonius à Spir. San. Tamburinus,* & alii. Mouentur primò, quia in ſubſtantia ſatisfecit præcepto Diuino communicandi in articulo mortis per modum viatici: eſt enim ſenſus huius præcepti, teneri ſe paulò

ante

Digitized by Google

ante mortem communicare; nã finis præcepti videtur eſſe, vt per communionem præparet ſe ad tranſitum ex hac vita; quod ſatis aſſequetur paulò ante mortem communicando: ſicut ſi audiſſet Sacrum in die feſto, ignorans tunc eſſe feſtum, non tenetur eodem die iterum aliud Sacrum audire, poſtquam cognouit eſſe diem feſtum. Secundò: quia aliàs adſtrictus eſſet quis bis eodem die communicare contra receptam conſuetudinem: Nam ponamus ſe ſanum manè communicaſſe ex deuotione, vel Miſſam dixiſſe, & poſtea eodem die in manifeſtum mortis periculum incidiſſe; ſi præcepto Diuino communicandi in mortis articulo non ſatisfacit communione extra periculum facta, tenetur veſpere communicare, atque adeo bis eodē die: neque Eccleſiaſtica lex eam communionem poſſet prohibere. Tertiò: quia re ipſa opus præceptum executus eſt, nam eo ipſo quòd proximè ante periculum mortis communicauerit, cenſetur in ipſo periculo communicaſſe: quod enim paruum diſtat, nihil diſtare videtur.

Sed negatiuam ſententiam veriorem puto, quam tenent *Vaſquez ſupra c. 2. nu. 14. Præpoſitus q. 80. ar. 11. dub. 1. num. 54. verſ. Alij ſentiunt, Chelliſonius eodem artic. notab. 2. Gaſpar Hurtadus de Sacram. d. 10. de Euchar. diffic. 2. Ochagauia de Sacram. tr. 2. de Euchar. qu. 14. nu. 7. Ludouicus à S. Ioanne p. 1. ſummæ q. 7. de Euchar. ar. 4. dub 4. diffic. 4. Caſtropalaus p. 4. tr. 21. d. vn. pun. 14. nu. 7. Franciſcus à Ieſu Maria tr. 4. de Sacram. c. 8. pu. 1. num. 7. Martinus à S. Ioſeph to. 1. moral. l. 1. tr. 8. de Euchar. nu. 16. Quintanaduenas tr 4 de Sacram. ſingul 9. de Euchar. nu. 10. Paſqualigus ſupra q. 271. num. 4. Leander à Sacram.* alios referens *tr. 7. de Euchariſt. d. 2. q. 5. Felix à Panormo tom. 2. d. 4. nu. 909.* Ratio eſt, quia hæc obligatio eſt propria temporis; quo adeſt præceptum, nec orta fuerat, quando periculum mortis non imminebat. Ergo ille ſatisfacere non potuit per communionem tribus, ſex, vel octo diebus prius factam: Sicut è contrà, ſi exiſtente periculo mortis quis peccauit communionem omittendo, & poſtea periculum euaſit, non tenetur priorem obligationem implere, quia iam ceſſauit, vt docent ipſimet *Bonac. Auerſa, Gabriel à S. V. Henriquez*, & alii. Ad primum contrariæ ſententiæ reſpondeo, quod licet finis huius præcepti ſit, vt per ſumptionem Euchariſtiæ ad tranſitum ex hac vita quis præparetur: tamen huic præcepto non fit ſatis, ſi extra periculum mortis Euchariſtia accipiatur: nam ille ſatisfacit præcepto, qui non ſolum efficit id, quod præcipitur, ſed in tempore, quo præcipitur. Nec valet argumentum de audiente Sacrum in die feſto, & ignorante eſſe diē feſtum: Nam in tali caſu quis adimplet ſubſtantiam præcepti in tempore habili, & ſtatuto ad audiendum Sacrum: quod non accidit in caſu noſtro, in quo quis non communicat tempore à præcepto ſtatuto, ſed tribus ſex, vel octo diebus, ante illud tempus. Ad ſecundum non renuunt concedere ſequelam *Marcellus Megalius in Promptuario tom. 2. V. Euchariſtiæ Sacramenti præceptum nu. 6. & V. Euchariſtiæ Sacramenti miniſter nu. 20. Martinus Breſſerus l. 3. de conſcientia probabili c. 8. num. 100. Gaſpar Hurtadus d. 10. de Euchar.*

char.diffic.2. qui teſtatur ſic practicatum cum Patre Claudio Aquauiua Generali Societatis Ieſu, *Diana*(parum ſibi conſtans)*p.5.tr.3.reſ.33.&p.8.tr.1. reſ.87.* qui teſtatur hanc ſententiam deduxiſſe in praxim Patres Societatis Ieſu Domus-Profeſſæ Panormitanæ anno 1638. in perſona Patris Iaſcone, qui cum mane Miſſam celebraſſet, & poſt prandium lethali morbo correptus fuiſſet,iterum in eodemmet die ſacram communionem per modum viatici ei præbuerunt.*Turrianus in ſumma p.2.c.58.dub.2.num.3.Leander à Sacram.qu.6.Ochagauia tr.2.de Euch.q.14.nu.7. Chelliſonius ſupra, Fráciſcus à Ieſu Maria ſupra num.8.Zambellus in Repert.caſuum cõſcientiæ V.Euchariſtia nu.20. Eſcobar Theol.mor.tr.7.exam.6.c.5.num.62.* & alii;quia in articulo mortis tenentur omnes communicare per modum viatici, vt ex hac vita ſecurius migrent: Sed qui mane ſanus ob ſuam deuotionem communicauit,non ſumpſit Euchariſtiam, vt viaticum,hoc enim tantum datur proficiſcentibus ex hac vita,ille autem,qui bene valet,non dicitur proficiſci ex hac vita;& præterea nullus ſatisfacit alicui præcepto, antequam illius obligatio incipiat:Ergo morbo adueniente,& periculo mortis inſtante tenetur iterum Euchariſtiam,vt viaticum ſumere: Nec obſtat præceptum Eccleſiaſticum prohibens eundem bis in die communicare, *c.conſuluiſti de celebr.Miſſ. c.ſufficit de conſecr.diſt.1.* Nam quando concurrunt duo præcepta maius præponderat, & eſt anteponendum; ſed cum in noſtro caſu concurrat præceptum Eccleſiaſticum de non ſumenda Euchariſtia bis in die, & præceptum Diuinum de communicando tempore mortis,hoc poſterius præualere debet, tanquam maioris ponderis. Et ſaltem admittit *Amicus tom.7.d.29.ſect.4.nu.37.* in caſu, quo quis mane communicauit, & veſperi incidit in articulum mortis,& habeat conſcientiam peccati mortalis, nec adſit copia Confeſſarii,cui poſſit illud confiteri,adſit tamen Diaconus, qui poſſit illi Euchariſtiam miniſtrare, vt ſaltem per ſuſceptionem huius Sacramenti fiat de attrito contritus, quod ſequitur etiam *Gobat Theol.experim.tr.4.num.*178.Sed admiſſo, & non conceſſo,incidentem eo die,quo communicauerit,in periculum mortis,non poſſe eo die communicare, vti docent *Layman l.5.Theol.mor.tr.4.c.5.nu.5.Conincbius de Sacram. qu.80.art. 11.num.100.Gonet.d.9.num.35.Wigers,Suarez,*& alii;quos ſequitur *Tamburinus ſupra c.5.§.6.nu.*10.& probabilius putat *Gobat nu.*175.reſponderi poteſt,cum *Caſtropalao num.*8.non inde inferri, præcepto Diuino communicandi in eo periculo non adſtringi: quia adſtringitur per ſe,licet per accidens ab hac obligatione excuſetur ob prohibitionem Eccleſiæ, quæ meritò id prohibere poteſt ob reuerentiam tanto Sacramento debitam: neque hęc prohibitio eſt abrogatio Diuini præcepti, ſed illius vſus debita limitatio. Sed ego,vt dicam,quod ſentio,priorem ſententiam affirmatiuam veriorem puto,quam ſequitur etiam *Felix à Panormo*, nec non multos viros doctos ita ſentire,& facere teſtatur *Dicaſtillus tr.4.de Sacram.Euch.d.10.dub.3.num. 56.& Quintana d.num.6.* ſequitur etiam in eo caſu, quo vnica hora interceſſit

ceſſit inter communionem matutinam ex deuotione, & improuiſum vitæ diſcrimen. Aliud tamen eſſet, ſi quis mane, dũ laboraret periculoſo morbo, pro quo, ſi illud periculũm aduertebatur, poterat ei dari viaticum, ipſe tamen communicauit ex deuotione; hic enim non poteſt iterum eodem die communicare; ſi recrudeſcat tunc morbus, ob quem iudicetur eodem die moriturus, quia illa communione matutina iam ſatisfactum eſt præcepto Diuino viatici. *Tamburinus ſupra*. Ad Tertium dicendum eſt, communionem illam extra periculum mortis factam parum quidem diſtare quoad phyſicam ſubſtantiam à communione, quæ fieret in ipſo periculo: maximè tamen diſtare quoad obligationem, cum ea ſub obligatione non ceciderit; ſed tantum fuerit ex deuotione, & voluntaria.

21 Incidentem in peccatum mortale poſt ſumptum viaticum, teneri rurſus ſumere, tradunt *Sotus in 4. d. 12. q. 1. art. 11. Tabiena V. communicare num. 16. Armilla V. communio num. 12.* Sed communis, & longè verior ſententia tenet, quod non obligetur ſumere rurſus viaticum. Ita *Henriquez l. 8. ſumma c. 5. nu. 3. Suarez d. 69. de Euch. ſect. 3. verſ. ſecundum modum, Coninch cit. ar. 11. dub. 3. nu. 100. Reginaldus l. 29. nu. 65. Filliuc. tr. 4. c. 2. qu. 7. num. 59. Gaſp. Hurtadus ſupra diffic. 2. Chelliſonius ſupra notab. 2. Ochagauia nu. 8. Auerſa ſect. 3. §. Quid ſi infirmus, Paſqualigus qu. 273. Martinus de S. Ioſeph tom. 1. mor. l. 1. tr. 9. de Euch. num. 17. Leander à Sacram. q. 7.* Ratio eſt, quia præceptum de viatico non obligat ratione mortalis, quod afficiat infirmum, ſed ratione periculi mortis. Vnde etiam ſi dum quis incidit in periculum mortis, nullum haberet peccatum mortale, adhuc teneretur ſumere viaticum ad ſe corroborandum pro lucta. Ergo cum ſit idem periculum mortis, nón aderit noua obligatio ad ſumendum viaticum, ſed tantum ad ſumendum Sacramentum Pœnitentiæ, & dum reſurgit per Pœnitentiam recuperat gratiam amiſſam, atque adeo etiam illam, quam accepit in virtute viatici, vt cum communi, & certa ſentẽtia tradit *Paſqualigus in Theol. mor. d. 42. ſect. 9.* Aliud eſt quando interrumpitur periculum mortis, & de nouo aduenit; ſimiliter enim tunc præceptum de viatico de nouo aduenit; quia interrumpitur indigentia, & de nouo aduenit: indigentiam voco, quæ conſequitur periculum mortis. Ita Doctores communiter: & tunc poterit denuo non ieiunus viaticum ſumere, etiam ſi in priori periculo, etiam non ieiunus viaticum ſumpſerit; idque toties, quoties ſimile quid euenerit. *Card. de Lugo de Euch. d. 15. ſect. 3. nu. 62. Tambur. cit. c. 5. §. 11. n. 22.*

22 Quando vero idem periculum perſeuerat; ſi heri non ieiunus pro viatico quis communicauit, *Laym. l. 4. tr. 4. c. 6. num. 20. Gaſp. Hurtad. de Sacram. d. 9. diffic. 1.* & alii, concedunt etiam hodie, ideſt ſequenti die, non ieiunum iterum pro viatico communicare poſſe. Alii vero apud citatos negãt, & quidem communius: licèt vtramque ſententiam putet probabilem *Tãbur. ſupra num. 24.* Cæterum negantium aliqui, cum *Nauarro*, docent poſſe poſt multum tempus: Alii cum *Villalobos* poſt triginta ſolum dies; Alii

cum *Suarez*, & *Nugno* poſt decem, vel octo dies: Alii cum *Syluio* poſt ſeptem: Alii, cum *Armilla, Bonac. Diana, Poſſeuino* poſt ſex: Alii cum *Ludouico de S. Ioanne in ſum. tom. 1. qu. 7. ar. 10. diffic. 4.* tertio quoque die: qui teſtatur dum eſſet Prælatus, ita feciſſe, probantibus multis Complutenſibus. Ratio harum opinionum eſt; quia, cum moribundum, non ieiunum communicare ſit ex pia Eccleſiæ vel conceſſione, ex *Vaſquez de Euch. d. 212. c. 4. nu. 35.* vel conſuetudine, ex *Card. de Lugo ſupra num. 59. in fine*, introductum; alii mitius, alii rigidius, eiuſmodi conceſſionem, vſumue interpretantur.

23 Si quis ſumat viaticum aliquo ex illis diebus, in quibus vrget præceptum de communione Paſchali, non ſatisfacere eadem communione vtrique præcepto, voluit *Quintanaduegnas de Sacram. tr. 4. de Euch. ſing. 11. num. 5. & ſeq.* ſed affirmandum eſt cum *Paſqualigo in prædicto tomo poſthumo qu. 274. nu. 2.* & alijs: & ita tenere etiam debent ii Doctores, qui volunt, quod extra materiam iuſtitiæ poſſint impleri plura præcepta vnico actu: quæ eſt communis ſententia, quam tradit *Sanchez l. 1. Decal. c. 14. num. 5.* Et ii, qui volunt, quod vnica Eleemoſyna impleatur præceptum de ſubueniendo pauperi, & etiam iniunctio pœnitentiæ, vt *Victoria in ſumma tit. de ſatisfactione nu. 205. Sotus l. 1. de iuſtit. & iure q. 6. ar. 8. in fine, alijque.*

24 In articulo mortis, ſi laicus deglutire non poſſit particulam Euchariſtię, miniſtrandam ei eſſe ſpeciem Sanguinis docuerunt *Nugnus 3. p. q. 80. ar. 12. concluſ. 3. & Ochag. tr. 2. de Euchariſtiæ effectibus q. 18. num. 9.* Quia putant, præceptum Diuinum recipiendi viaticum eſſe præferendum etiam tunc humanæ legi prohibenti Laicos vſu Calicis. Negant verò *Suarez to. 3. d. 71. ſect. 3. in fine, Fagundez Præcepto 3. l. 3. c. 4. num. 20. Tambur. cit. c. 5. §. 1. nu. 3. Mercerus 3. p. q. 80. ar. 12. propoſ. 2. Syluius ibi, Pitigianus in 4. d. 8. q. 3. ar. 6.* Ratio eſt, nam Eccleſiaſtica lex prohibens laicos vſu Calicis, videtur ibi præualere, ne detur occaſio notabilis irreuerentiæ, ſi ſub prætextu neceſſitatis ſit ſpecies Sanguinis ad infirmos deferenda: Quare, qui non poteſt ſpeciem panis recipere, ſatis excuſatur à præcepto Diuino communionis.

25 Quamuis pueris, qui poſt ſeptennium habent rationis vſum ad recipiendum pœnitentiæ Sacramentum, *Corduba, Vaſquez, Ochag. Fagundez, Celliſonius, Gaſpar Hurtadus, Præpoſitus, Maratius,* & alii dicant non poſſe miniſtrari ſtatim viaticum, ſi ſint in periculo mortis; idque videatur frequentius in praxim deduci: tamen iſtos pueros, qui ſunt capaces Sacramenti pœnitentiæ, teneri præcepto Diuino communionis in articulo mortis, rectius docent *Suarez d. 70. ſect. 1. in fine, Zambranus de mortis artic. c. 3. dub. 2. Caietanus in ſum. V. communionis Miniſter, Armilla V. communio num. 10. Nugnus 3. p. q. 80. ar. 11. diffic. 2. Tannerus 3. p. d. 5. q. 8. dub. 5. nu. 116. Salas de legibus d. 14. ſect. 13. num. 127. Reginaldus l. 29. nu. 82. Poſſeuinus c. 8. nu. 9. 10. Bonac. d. 4. q. 7. pu. 2. nu. 4. Barth. à S. Fauſto de Euch. l. 1. qu. 262. Card. de Lugo d.*

13.

13.ſect.4.nu.37.Franciſcus de Lugo d.l.4.c.5.q.3.num.22.Diana p.3. tr.6.reſ. 89.& p.5.tr.3.reſ.44.& tr.14.reſ.50.Franc.à Ieſu Maria d.pu.1.nu.13. Maſtrius ſupra num.59.& alii. Ratio eſt, quia Eccleſia ſuo præcepto ſolum determinauit tempus ſumendi Euchariſtiam, quod ex Diuino præcepto indeterminatum erat: cum ergo articulus mortis non eſſet ex Diuino præcepto indeterminatus,non erat, cur Eccleſia aliquid quoad illum determinaret;ſed debuit illum omnino relinquere,prout ex Diuino præcepto habebatur. Vnde licèt quoad communionem annuam Eccleſia non cenſeatur incluſiſſe pueros omnes,ſed cum latitudine arbitrio Confeſſarii; quoad articulum tamen mortis non habemus fundamentum ad eam latitudinem concedendam.Conſonant *Sancius in ſelect.d.27.Layman l.5.tr.8.c.4.num.2. Lodouicus de S.Ioanne,Baldellus,Nugnus,Marchantius,* quos ſequitur *Diana p.3.tr.6.reſ.89.& par.5 tr.3.reſ.85.* docentes, pueris moribundis capacibus Pœnitentiæ, dandam eſſe extremam vnctionem, quoniam eſt Sacramentum conſummatiuum Sacramenti Pœnitentiæ: ſed Euchariſtia eſt Sacramentum perfectiuum Pœnitentiæ, quatenus conducit ad conſeruandam vitam ibi receptam: Ergo quibuſcumque poteſt dari Sacramentum Pœnitentiæ,poteſt pariter, & debet dari viaticum in articulo mortis. Addunt *Poſſeuinus num.10.Leand.d.3.q.8.Franc.à Ieſu Maria num.13.Diana p.5.tr.3. reſ.44.*poſſe pueris dari viaticum in articulo mortis, etiam quando dubitatur,an ſint doli capaces, ſeu ſufficiens rationis lumen illis illuxerit, & diſcernant ſufficienter hoc Sacramentum. Immò addit *Franc.de Lugo nu.25.* tali puero,ſi in articulo mortis non poteſt aliud Sacramentum, etiam ſub conditione recipere,non ſolum poſſe, ſed debere ipſi miniſtrari viaticum, quia forſan peccauerit mortaliter,& ſolum elicuerit attritionem, qui ſimul cum viatico ſaluetur,alioquin periturus.

126 Viaticum miniſtrari poteſt, & debet amentibus, non ſolum illis, qui habent lucida interualla, ſi ſe diſponant per Confeſſionem, ad ipſum congruè ſuſcipiendum; nam tales ſe habent, ac ſi non eſſent amentes; ſed etiam perpetuò amentibus, quando poſt vſum rationis inciderunt in amentiam, ſuppoſito, quod non conſtet fuiſſe in ſtatu peccati mortalis, quando amentes facti ſunt, & quod non adſit periculum expuitionis Sacramenti, aut alterius irreuerentiæ. Deſumitur ex *Conc.Carthagin.IV.can. 74.* & refertur *in c.is, qui, 26. qu 6.* Quia vrget præceptum ſumendi, & poſſunt illud adimplere: & neceſſitas amentis id exigit, dum fieri poteſt, quod quando incidit in amentiam, licèt non fuerit in ſtatu gratiæ, fuerit tamen attritus: & tunc Euchariſtia per accidens confert primam gratiam. Ita *Suarez d.68.ſect.2.Bonac.de Sacram.d.4.qu.6.pu.1.nu.4.* & cum *S.Thoma, D.Antonino,Vaſquez,* & aliis, *Franc.de Lugo ſupra nu.29. Remigius à S.Catharina in extracto morali tr.5. nu.39.* qui *num* 40. benè notat, quod non eſt neceſſe, quod amentes dum habuerunt vſum rationis, expreſsè voluerint ſumere Euchariſtiam, ſed ſufficit, quod habuerint volun-

luntatem virtualem, & interpretatiuam, quæ ſufficienter colligitur ex eo, quod Chriſtianè vixerint,& obſeruauerint præcepta, & proindè ſumpſerint Euchariſtiam, quando ex præcepto erat ſumenda, ſiquidem ſufficit quæcumque voluntas, quæ valeat fundare moralitatem. Et idem de furioſis, & phræneticis docent *Sancius, Suarez, Vaſquez, Ledeſma*, quos ſequitur *Remigius à S. Cathacrina num.41. Franciſc. de Lugo ſupra*. Debet tamen miniſter cautè procedere. Vnde Z *mbranus in deciſ. C. ſuum conſcientiæ tempore mortis c.3.dub.4.num.5.* circa quæſtionem,An poſſit præberi viaticum infirmo deliranti,qui propter febrim in amentiam incidit? Dicit, in tali caſu poſſe fieri experientiam, ita quod detur primò huiuſmodi infirmo aliqua forma non conſecrata, vt appareat quomodo ſe habeat in tali ſumptione;& ſi ſe habuerit decenter, detur illi alia forma conſecrata: ſin autem minimè: quam praxim optimam appellat *Franc.à Ieſu Maria ſupra num.14.* qui ſimiliter cum *Sancio*, ægro in articulo mortis conſtituto patienti vomitum, ait, poſſe paruam particulam dari, quæ ſtomachum alteratura non putetur, aut ſi de hoc ipſo dubium ſit, ſecuritatis cauſa prius dari particulam non conſecratam, quam ſi reiiciat, nullo modo dandam conſecratam; ſecus ſi retineat.

27 Non debet viaticum miniſtrari mutis, & ſurdis, & ſimul etiam cæcis à natiuitate, quia non poſſunt vllo pacto percipere myſteria fidei, neque de ipſis in particulari habere fidem, quamuis implicitam; ſiquidem obtinent tantum ſenſus, nempè tactum, guſtum, & olfactum, qui valdè craſſi ſunt, nec inſeruire poſſunt ad percipiendas res fidei, etiam qualicumque cognitione, *Caſtropalaus p.4.tr.21.d.vn.pu.10.nu.9. Remigius à S. Catharina num.19.* Baptizandi tantum erunt, ſed non communicandi, nec abſoluendi, niſi dederint ſignum pœnitentiæ. Surdis, & mutis ſolum à natiuitate miniſtrandum eſt viaticum, ſi ex ſignis conſtet, quod habuerint vſum rationis, & notitiam aliquam talis myſterii: Non minus enim per viſum percipiuntur obiecta extrinſeca, quam per auditum; imò viſus eſt magis proportionatus ad illuminandum intellectum, cum plura in obiectis percipiat, ex quibus intellectus deducere poteſt ſuam cognitionem, & ſic poſſunt concipere fidem ſaltem implicitam de myſterio Euchariſtiæ ex eo, quod videant à Sacerdote confici,cum tanta reuerentia adorari à populo, & alia huiuſmodi, & credere, quod credunt cæteri, & quod proponitur ab Eccleſia. Ita *Caſtropalaus ſupra, Marchantius in qq.paſtor.tr.4. de Euch. c.3. q.1.caſu 4. Diana p.5.tr.6.reſ.6. Remigius à S.Catharina nu.50. Renzi to.1.l.3. tr.3.c.1.quæſ.5.*

28 Non tenetur recipere viaticum infirmus, qui fuit morſus à cane rabido; nam tali morbo laborans non poteſt aliquid deglutire; niſi maxima difficultate, & præcipuè abhorret omne liquidum, & ſic poterit adeſſe manifeſtum periculum irreuerentiæ, quia poterit Sacramentum adhęrere palato, & ipſe non poſſet ſumere purificationem aquæ, vel vini

Poſſe-

Digitized by Google

Poſſeuin. c. 8. num. 33. Remigius à S. Catharina num. 63. qui *num. 64. cum Poſſeuino ibidem* ſecus, inquit, eſſe, ſi talis poſſet facilè deglutire, & ſumere purificationem: & tum diligenter, & cautè procedendum eſt, ne illius ſaliuam digitis tangat Sacerdos: ideò linteo os infirmi abſtergendum eſt.

29 Moribundus tenetur viaticum ſuſcipere, quamuis Miniſter ſit excommunicatus non toleratus, hæreticus, vel ſchiſmaticus, niſi ſequatur ſcandalum, aut iniuria Religionis Catholicæ: tunc enim hæc excuſant; ſicut excuſat etiam periculum vomitus ob irreuerentiam. *Franc. de Lugo d. l. 4. c. 9. p. 5. num. 38.* Similiter etiam excommunicatus, hæreticus, &c. tenetur tunc ſumere viaticum. Vnde *Præpoſitus, & Corneius,* quos ſequitur *Diana p. 5. tr. 9. reſ. 83.* dicunt, ſi Sacerdos excommunicatus ſit morti proximus, nec habeat, à quo Sacramenta præcipiat, poſſe celebrare, quia præceptum Communionis tunc temporis magis obligat, quàm prohibitio cenſuræ.

30 Notandum eſt tertiò, circa præceptum Eccleſiaſticum Communionis annuæ: præceptum Fabiani Papæ, quod olim obligabat ad ſuſcipiendam Euchariſtiam ter in anno, nempè in Natali Domini, in Paſchate, & Pentecoſte, iam nunc obligare ad ſemel tantum in Paſchate, iuxta Decretum *Innocentij III.* relatum *in c. omnis vtriuſque ſexus de Pœnit. & remiſſ.* cuius hæc ſunt verba: *Omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, ſemel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum: niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus, ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin viuens ab Eccleſia arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura.* Sic & in *Tridentino ſeſſ. 23. can. 9.* Vt de contrarium eſt erroneum. Ita *Leander à Sacram. d. 3. qu. 1.* aliique. E probabilius eſt non obligare pluſquam ſemel in anno perſonas religioſas; quia in *d. c. omnis,* & in *Trident. ſupra cit.* non præceptum, ſed conſilium datur circa alia tempora: quapropter, niſi ſpeciale votum intercedat, aut conſtitutio Religionis obligans ſub mortali, nulla eſt alia obligatio grauis. Sic cum communi *Leander à Sacram.*

31 Hoc præcepto non ligantur infideles, ſed tantũ fideles baptizati; vt conſtat tum ex verbis Canonis vbi nomine Fideliũ intelliguntur, qui Chriſti fidẽ profeſſi ſunt per baptiſmũ: tum etiã nam hoc præceptũ quoad tẽporis determinationem eſt Eccleſiaſticum; & Eccleſia ſolum habet iuriſdictionẽ ſuper baptizatos. Nã *de his, qui foris ſũt, nihil ad nos. 1. Cor. 15.* Nec itẽ tenentur amentes, quia ſunt incapaces obligationis, nec infantes ante rationis vsũ eadem ratione. In his conueniunt Doctores.

32 Summum Pontificem non teneri hac lege, aſſerunt *Ioannes Andreas Felinus, Nau. in c. omnis vtriuſque ſexus, n. 33.* Et ſimiliter *Scotus in 4. d. 17. q. 1. & Ricard. ibidem ar. 2. q. 4. ad 3.* dixerunt non teneri Papam præcepto Confeſſionis annuæ, quoad determinationem temporis ſub mortali, ſed ſolum ſub quadam congruitate. At di-

dicendũ eſt, obligari Papam ſub mortali tam ad communionem, quã ad cõfeſſionem annuam, etiam quoad temporis determinationem, quamuis non quoad vim coactiuam præcepti, ſed ſolum quoad directiuam. Quare, licèt peccet mortaliter Pontifex, pœnas tamen iuris non incurret. Ita docent de Confeſſione *Suarez tom 4. d.36. ſect.2. num.5. Azorius tom.1. l.7. cap. 40. quæſ.11.* aliјque: de Communione *Fagundez Præcep.3. l.1. c.6. num.11. Trullench l.3 Decal.c.5. dub.2. num.10. Diana p.8. tr.1. reſ.26. Leander à Sacram. q.34.* De vtroque præcepto *Franc. de Lugo d.l.4 c.10. q.1. num.4.* & alij: Ratio eſt, quia communis ſententia docet cum *S. Thoma 1.2. q.96. ar.5. ad 3.* obligari Principes ſuis legibus quoad directionem: nam recta ratio poſtulat, vt caput toti copori conformetur. Si ligatus cenſura ſit negligens in abſolutione cenſuræ procuranda, nõ excuſatur ab obligatione Confeſſionis, & Communionis annuæ. Sic *Nauar. c.21. num.3. Auila p.2. c.6. diſp.4. dub. 7. Nugnus 3. p. q.83. ar.6. Conin h d.14. num.56. G ſp. Hurtad de excom. d.5. diffic.2. num.5. Diana p.5. tr.9. reſ.88. Franc. de Lugo num.7 Leander à Sacram. q. 33. Fagundez, Laym.* & alij contra *Henriquez l.13. c.7. num.2. & Paſqualigum.* Ratio eſt, quia hæc præcepta Confeſſionis, & Communionis annuæ ſunt multo grauiora, quàm alia, cum ſint de medijs neceſſarijs ſaluti; nec ſunt purè humana, ſicut præceptum Miſſæ, vel ieiunij, ſed partim ſunt Diuina, ſcilicèt quoad ſubſtantiam actus præcepti: licèt quoad temporis determinationem ſint Eccleſiaſtica; & per conſequens ſtrictius obligant ad tollendum impedimentum impletionis, quam præceptum audiendi Miſſæ, de quo ſupra diximus. Hæretici, & Apoſtatæ à fide hoc præcepto
33 tenentur: quia ſubditi ſunt Eccleſiæ ratione Baptiſmi: & ſub nomine fidelium omnes adulti Baptizati intelliguntur. Ita cum *Trullench, Roccaful, & Tamburino Diana p.10. tr.16. reſ.32. Renzi ſupra c.1. quæſ.2. Card. de Lugo*, & alii communiter contra *Cotonium l.1. controu.5. c.2. num.30. &*
34 *Bernal.* Energumeni quoque tenentur hoc præcepto: quia illa obſeſſio infirmitas eſt corporis, non animæ indiſpoſitio, vt ait *Suarez. 3. p. tom.3. d.69. ſect.2. in fine:* & per Sacram Euchariſtiam quandoque liberantur a Dæmonum vexatione energumeni, vt inquit *Martinus del Rio dſquiſ. magic. l.6. c.2. ſect.3. q.3.* vel ſaltem ratione eius minus vexant. Vnde *Caſſianus collat.7. c.30.* dixit, *Dæmoniacis Communionem Sacroſanctam nunquam meminimus interdictam eſſe à Patribus: quinimò, ſi poſſibile eſſet, etiam quotidiè eis impertiri cenſebant; magis namque, ac magis inſultabit obſeſſo, cum eum à cæleſti medicina viderit ſegregatum.* Notat tamen *Vaſquez de Euchar. d. 212. num.34.* dandam eſſe obſeſſis Euchariſtiam, licèt blaſphement, cum blaſphemiæ illæ peccata non ſint: & *Sancius in ſelect. d.38. num.5.* obſeruat, dandam eſſe illis Euchariſtiam, licèt ſcias, ob aliquod peccatum fuiſſe iſtos à Dæmone abreptos, & probat exemplo puellæ Arabis, quæ in pœnam peccati commiſſi fuit à Dæmone obſeſſa, & ſacra Synaxi liberata de qua
35 *Baronius, & Spondanus* ab eo citati. Fatui, & amentes, qui aliquando habue-

buerunt vſum rationis tantum viaticum percipere debent; non verò communionem annuam. Ita contra *Villalobos in manuali c.4. num.17. & Tamburinum c.4. q.1. num.4.* concedentes aliquoties poſſe dari, docent *Baucius* & alij communiter, quia tanti Sacramenti (ait *Layman l.5. ſumm. tr.4. c.4. num.4.*) dignitas, ac reuerentia poſtulat, vt ſine graui cauſa, ac neceſſitate non detur, niſi ijs, qui cum actuali diſpoſitione, ac deuotione accipere poſſunt: talis autem neceſſitas nonniſi in mortis articulo cernitur. Probat etiam ex *Conc. Arauſicano I. Can.3. & Carth. IV. can.76.* prout refertur *c. is qui 26. q.6.* vbi infirmis in phreneſim incidentibus dicitur dandam eſſe Euchariſtiam ſi continuò credantur morituri, ſi tamen habeant lucida interualla, vt ex *Rituali Romano Pauli V. reg. pen.* docent Doctores communiter: ſemifatuis verò, qui debilem, & imperfectum vſum rationis habent, ſimpliciter danda eſt Euchariſtia, licèt rariùs quàm alijs, nimirum in Paſchate. Ita *Laym. ſupra, Baucius in ſingularibus caſu* 174. *Renzi quæſ.4. Poſſeuinus, & Henriquez.* Per oppoſitum *Sancius d.26 num.5.* cenſet poſſe illis, ſicut cæteris frequenter concedi: Dicas præter tempus Paſchale aliquando non ſemper iſtis dandam Euchariſtiam, ne ex frequentia concipiant irreuerentiam, vt notant *Iannarius p.1. reſ.17. Tamburin opuſc. Communionis c.4. §.1. num.4.* ſeu vt inquit *Franc. de Lugo d.l.4. c.5. q.3. num.31.* iſtis aliqua frequentia concedi poteſt, minor tamen, quàm maturioribus; quia licèt Sacramentum ſit idem, & frequentia ſit vtiliſſima, tamen qui debilioris iudicij ſunt, facilius ex frequentia labentur in contemptum: mutus etiam, & ſurdus ſimul non ſolum in articulo mortis, ſed etiam in vita, præſertim ad ſatisfaciendum præcepto poteſt Euchariſtiam ſuſcipere. Ita *Diana p.5. tr.6. reſ.7.* & alii contra *Marchantium*.

36 Ratio eſt quia, vt obſeruat *Sanch. l.4. d.8. num.12.* muti, & ſurdi, vt plurimum, & patet experientia, ita perſpicacis, & acuti ingenij ſunt, & multa explicatu difficillima facilè ſignis manifeſtent, aliaque ipſis ſignificata intelligant: Ergo per ſigna, & nutus poteſt ei Euchariſtiæ myſterium explicari, & poſtea communicari. Quod quidem confirmatur: nam muti, & ſurdi à natiuitate tenentur confiteri, & ſunt abſoluendi: Ergo tenentur, & poſſunt communicari. Probatur conſequentia; nam vt obſeruant *Sancius Zambranus, Caſtropalaus*, & alii, non minus difficiliora cognoſcere debet Chriſtianus, & conſequenter mutus, & ſurdus à natiuitate, vt validè, & fructuosè confiteatur; quàm ad Euchariſtiam ſuſcipiendam. Vide *Dian. in ſupra*, qui concludit his verbis: *Remittendum igitur puto iudicio, & arbitrio prudentis Confeſſarij, quando, & quoties ſupradictis mutis, & ſurdis à natiuitate ſit Sacroſancta Euchariſtia impertienda.*

37 Hic autem reſoluenda eſt magna illa quæſtio de tempore, quo pueri incipiunt ligari hoc præcepto. Et quidem olim pueri in Africa, & apud Græcos, ſicut etiam in Hiſpania ſolebant, etiam ante vſum rationis communicare, prout de Africa teſtatur *D. Auguſtinus*, & de Græcis *D. Clemens*,

mens, & *D. Dionyſius*; de Hiſpania verò teſtis eſt *Conc. Toletanum*, vt aduertit *Fagundez Præcepto 3. Eccleſ. l. 1. c. 4. num. 7.* Hodiè verò non obligari tales paruulos ante vſum rationis definitum eſt per *Concilium Tridentinum ſeſſ. 21. c. 4.* Et quod fecit antiquitas, non ad neceſſitatem feciſſe, declarat Concilium dicens: *Neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſeruauit: Vt enim Sanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certè eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controuerſia credendum eſt.* Et quamuis etiam nunc in Eccleſia Orientali perſeuerare conſuetudinem communicandi paruulos dicant *Arcudius de Sacr. Eccleſ. Orient. l. 1. c. 13. & l. 3. c. 4. & Card. de Lugo de Euch. d. 13. num. 11.* tamen in Eccleſia Latina non licet paruulis carentibus vſu rationis Euchariſtiam miniſtrare. Quamuis enim *Triden. cit. c. 4. & Can. 4.* ſolùm dicat non eſſe neceſſariam Euchariſtiam paruulis, nec addat, nunc illicitum eſſe dare, nec alibi reperiatur tale præceptum: tamen Eccleſiæ Romanæ conſuetudo tradita iam in Rituali Romano vim habet præcepti prohibentis communione paruulos, & amentes, qui nunquam fuerunt rationis compotes: Iam enim in tanto paruulorum numero frequens eſſet periculum irreuerenter tractandi Euchariſtiam, quam vel expuerent, vel euomerent; & idem timeri poteſt à perpetuò amentibus; qui non magis egent Euchariſtia, quàm paruuli. Confirmatur; nam omninò decet hoc Sacramentum deuotè ſumi, ſaltem deuotione virtuali, vel à præcedente voluntate deriuata, quod illi facere nequeunt, qui nunquam habuerunt vſum rationis. Ita *S. Thomas 3. p. q. 8. ar. 9. Coninch ibidem num. 72. Palud. Caiet. Sotus,* quos ſequitur *Henriquez l. 8. c. 42. Suarez d. 62. ſect. 3. Vaſquez d. 212. c. 2. & 3.* Vnde *Tamburinus cit. c. 4. §. 2. nu. 5.* inquit: *Infantibus, noſtra hac ætate, non eſſe dandam Euchariſtiam, ſaltem ex tacito Eccleſiæ præcepto, certum eſt.*

38 Dubium ergo ſupereſt de pueris vſum rationis iam attingentibus: de quibus ſententia communior eſt dicentium maiorem diſcretionis vſum requiri, vt puer communicet, quàm vt Sacramentaliter confiteatur. Mouetur primò, quia in dicto *Can. Omnis vtriuſque ſexus* confeſſio præcipitur abſolutè; communio verò cum duplici limitatione, ſcilicet reuerenter, & iuxtà Confeſſarij conſilium facienda. Secundò, quia maior reuerentia, veneratio, ſeu cultus debetur huic Sacramento recipiendo, quàm aliis, maior appretiatio tanti doni, maior gratitudo tanti beneficii, quæ ſupponunt maiorem notitiam Diuinæ Maieſtatis ibi præſentis, quam oportet in hoſpitium paratum recipere cum honore, ac deuotione: Sed pueri licèt rationis compotes ad pœnitendum, & confitendum, nec meditationi tanti doni, ſeu tanti Domini ſunt apti, nec per conſequens expendere queunt, quem amoris affectum, quem humilitatis timorem, quem reuerentiæ cultum illi debeant, ad quem recipiendum accedunt. Ergo non ſtatim recipiendi ſunt ad communionem. Ideo Manuale. Romanum *tit. de Euchariſtia §. fin.* ſic ait: *His etiam, qui propter ætatis imbecillitatem nondum huius Sacramenti cogni-*

tio-

Digitized by Google

tionem, & guſtum habent, adminiſtrari non debet. Tertiò, ex Eccleſiæ more communi, quem nefas eſt violare: Sed communis mos habet, vt pueri licèt ſtatim ac ſunt capaces, & peccauerunt mortaliter, obligentur ad confeſſionem, non illicò tamen admittantur ad communionem, ſed expectent, donec myſterium Euchariſtiæ ſufficienter calleant, & ritè capere poſſint: Ergo non licèt pueris omnibus ritè confeſſis Euchariſtiam adminiſtrare, contra morem Eccleſiæ receptum, & in *cit. Can. Omnis* fundatum. Quare requiritur (inquit hæc ſententia) ætas inter decimum, & decimumquartũ, quando ſcilicet, ſecundum iudicium Confeſſariorum, & multo magis parentum, qui melius filios norunt, æſtimantur ſufficienter diſcernere inter cibum, & cibum, &c. Addit *Felix à Panormo ſupra num. 911.* quòd poſſunt, immò debent communicari pueri nouem, aut decem annorum, ſi ſuper myſteriis Fidei, & ſacra communione ſint plenè eruditi, & de reuerentia debita non dubitetur.

Altera ſententia per oppoſitum docet, omnes pueros, qui ſufficientem habent vſum rationis ad peccandum, & recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, poſſe, ac debere (tempore præcepti) communicare. Ita *S. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 12. §. 5. Palud. in 4. d. 12. q. 1. ar. 5. num. 25. Tabiena V. communicare nu. 3. Sancius in ſelect. d. 26. per totam, Caſtropalaus tom. 1. tr. 3. d. 1. pu. 24. §. 2. num. 7. Philippus De la Cruz in Theſauro tr. 1. §. 11. num. 3.* & alii. Mouetur primò, quia non requiritur minor diſcurſus ad præceptum confeſſionis, quàm ad præceptum communionis: debet enim pœnitens perpendere peccati malitiam, vt eius deteſtationem concipiat, & eliciat dolorem cum vero propoſito, nec in eadem peccata relabendi, nec alia committendi. Debet confeſſionis neceſſitatem, & integritatem callere, ſatisfactionem acceptare, reuerentiam, ac deuotionem erga Pœnitentiæ Sacramentum præſeferre. Qui capit hæc omnia, cur etiam Chriſti Domini præſentiam in Euchariſtia, reuerentiam erga tantum hoſpitem, & diſpoſitionem præmittendam non capiat? Secundò; nam alioqui Confeſſarii ſi prætextu reuerentiæ denegent Euchariſtiam pueris ritè confeſſis præbent illis occaſionem citius relabendi, pluraque peccata patrandi, ſiquidem auxilia vi communionis exhibita cohiberent illos, & roborarent aduerſus tentationes, & occaſiones peccandi. Sicut ergo præbetur illis pœnitentiæ Sacramentum in remedium peccatorum commiſſorum, Euchariſtia quoque præberi debet, vt antidotum, & remedium valde neceſſarium, & ferè moraliter requiſitum contra futuros lapſus, & ad ſpiritualis vitæ conſeruationem. Tertiò, ex prædicto *Canone Omnis vtriuſque ſexus*, qui diſcretionis annos pariter exigit ad confeſſionem, & communionem; nec quoad iſtam diſcretionem conſtituit vllum diſcrimen inter vtrumque Sacramentum. Vnde *Gloſſa*, ibi dicit, quando puer eſt doli capax, quia peccare poteſt, ad vtrumque Sacramentum teneri. Quartò, ex praxi Eccleſiæ, quæ tales pueros obligat ad audiendum Sacrum diebus feſtis, vt docent *Suarez, Sanchez*,

Trullen.b, & alii, etiam oppoſitæ ſententiæ: ac ſubindè ſupponit illos cognoſcere quid ſit Miſſa,& quid ibi repræſentetur, & offeratur,alioquin non poſſent humano modo illam audire; nec adorarent illas ſpecies conſecratas,niſi diſcernerent illum cibum ab alio communi, cui talem cultum non exhibent. Sentiendum igitur eſt, regulariter cum vſu rationis ſufficiente ad peccandum adeſſe ſufficiens diſcretionis lumen pueris Catholicis, præſertim diligenter inſtructis,qui nouerint diſcernere cibum iſtum à reliquis, & reuereri latentem in eo Maieſtatem, & per conſequens habeant huius Sacramenti cognitionem,& guſtum,ſiue affectum,quem Manuale Romanum requirit, vt non prohibeantur communione.

Huic ſententiæ probabilitatem detrahere nequeo; quam agnoſcit etiam *Tamburinus ſupra num.6.*& ſimiliter *Diana p.3.tr.6. reſ.70.* qui aſſerit hæc,quæ affert hæc ſententia,multum eſſe conducentia ad tollendos ſcrupulos Confeſſariorum,ſi dediſſent, vel dare vellent pueris communionem, in quo caſu multos anxios,& indeterminatos cognouiſſe teſtatur idem Auctor,ſed ſecundum hanc ſententiam à perplexitate liberi erunt: *Nam ſtatim ac notum erit eis puerum vſum rationis habere,poterunt illi ſacram communionem exhibere*,inquit ipſe;intellige vt ſupra.

39 Præciſa conſuetudine tempus Paſchale includit octo dies antecedentes,& octo ſubſequentes ad diem Reſurrectionis: Vnde à Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè poteſt quis ſatisfacere præcepto annuæ communionis. Patet ex declaratione *Eugenij IV.* quæ incipit *Fide digna*, ſub datum *Romæ die* 8. *Iulij* 1440. *Pontificatus ſui anno* 10.& eam habes in *Bullario tom.*1.& eſt 20.in ordine Bullarum huius Pontificis. Dixi,*præciſa conſuetudine*; nam ſi alia conſuetudo præualeat, iſta eſt attendenda. Sic tempus Paſchale extenditur vſque ad Aſcenſionem incluſiuè in Diœceſi Neapolitana,ex antiqua conſuetudine, facultate etiam facta nuper Eminentiſſimo Cardinali Cantelmo à S. Congregatione Concilij,cuius tenor videri poteſt *in Synodo Neapolitana, anno 1694.* ab eodem Cardinali celebrata,*fol.*85.Sic in Luſitania, & in Hiſpania tempus Paſchale incipit à prima Dominica Quadrageſimæ, & durat vſque ad Dominicam in Albis:& in Diœceſi Bracarenſi durat vſque ad Dominicam Paſtoris-Boni, quæ eſt poſt Dominicam in Albis: immò in aliquo oppido Luſitaniæ quoad Piſcatores durat vſque ad Pentecoſten,de quibus *Fagundez ſupra l.1.c.5.* Quomodo autem conſuetudo potuerit iuri communi derogare? optimè explicant *Fagundez num.4.* dicens, id prouenire ex facultate,quam habent proprii Sacerdotes,& Epiſcopi differendi tale tempus. Vnde ea conſuetudo non eſt derogatoria iuris communis, ſed potius iuxtà illud. Cauſa verò differendi tale tempus eſt multitudo populi,qui non poteſt per quindecim illos dies præcepto ſatisfacere. Si quis ſumeret Euchariſtiam vno,aut altero die ante,vel poſt illos quindecim (vel alios ex conſuetudine) Paſchales deſignatos pro adimpletione præcepti, *Paſqualigus in Curſu*

Theol.

Digitized by Google

Theol.tom.2.d.118.ſect.6.nu.30 cenſet, quod adhuc ſatisfaceret præcepto, quia ait,ſumus in ijs, in quibus terminus præfixus tempori non eſt indiuiſibilis,ſed habet latitudinem, & proinde moraliter tempus deſignatum accipiendum eſt. At ego cum *Diana p.11.tr.7.reſ.14.* magis adhæreo negatiuæ ſententiæ,quam tuetur *Ioannes Præpoſitus in 3.p. D. Thoma qu.80.ar.11.dub.2.num.58.*quia in præceptis affixis tempori tempus debet commenſurari indiuiſibiliter,& non moraliter,vt vult Paſqualigus; & ideo *Præpoſitus vbi ſupra* ſic aſſerit: *Porrò ità neceſſe eſt hoc tempore communicare, vt etiam is,qui pridie Palmarum quacunque ex cauſa communicauit, teneatur rurſum intra illos dies cōmunicare;quod etiā exiſtimo dicendum de eo, qui communicaſſet per modum viatici,quia qui propter inſtans mortis periculum ſumpſit viaticum ante illos dies,non eximitur ab obligatione communionis in Paſchate, & præcedentes dies etiam proximi non ſunt tempus aptum executioni præcepti cōmunionis Paſchalis, cum in illis nondum vrgeat præceptum, vnde per ſumptionem Eucharistiæ proximis diebus Dominicæ Palmarum non ſatisfacit præcepto de Eucharistia ſumenda in Paſchate:ergo cum obligetur communicare in Paſchate,tenetur rurſus intra illos dies Eucharistiam ſumere.*Ita *Præpoſitus*.

40 Non tamen ex his ſtatim inferas, quod qui non communicauit intra illos quindecim dies non teneatur amplius eo anno communicare: vt docent *Sotus in 4.d.18.q.1.ar.4.D.Antoninus p.2.tit.9. c.9.§.3. Sylu. Martinus Ledeſma,Valentia,Granadus,Henriquez, Toletus, Victoria, Herinx, Dicaſtillus,Leander à Sacram.& Præpoſitus,*& quando omiſit culpabiliter,docent etiam *Armilla,Tabiena,& Renzi.* Nam contraria ſententia docens, quod ſiue quis omiſerit communionem in Paſchate ex legitimo impedimento, ſiue ex malitia,teneatur cum primum poſſit communicare eſt verior, & communior,quam docent *Nauarrus, Azorius,Suarez, Layman,Bonac.Fagundez,*quos affert, & ſequitur *Caſtropalaus d.tr.21.d.vn. pu.15.num 7. Vaſquez,Coninch,Nugnus,Pitigianus,Ochagauia, Syluius,Graſſius, Barth.ab Angelo,Chamerota,Hurtadus, Gobet,Wiggens,Gabriel.à S.Vinc.Antonius a Spir. Sancto,*quos relatos ſequitur *Franciſcus à Ieſu Maria ſupra punct.2. num.21. Auerſa q.8.de Euch.ſect.7. §. Affirmandum tamen eſt, Felix à Panormo ſupra num.908.Pitigianus,*& alii,quos ſequitur *Reiffenſtuel Theol.mor. tr.10. diſt.3. qu.4.num.38.*

Patet:Tum quia quando terminus præſcribitur à lege vt terminus, quouſque differri poſſit obſeruantia præcepti, eo elapſo non extinguitur obligatio; quia quod principaliter tunc intenditur eſt ſubſtantia ipſa actus præcepti,& tempus ſolùm præſcribitur vt terminus,vltra quem non liceat differre obſeruantiam actus præcepti,*arg.textus in l.Celſus, §.ſed ipſa,ff.de receptis arbitris*, vbi obligatus certo die pecuniam ſoluere, ſi tunc omittit, obligatus manet,cum primùm poſſit: Hoc autem modo ſe habet præceptum communionis in Paſchate: nam *in cit. Can. Omnis* dicitur,vt ad minus in Paſchate ſuſcipiatur Euchariſtia, Et in *Conc.Trid.* omnes teneri,ſal-

tem

tem in Paſchate communicare; qui modus loquendi planè denotat ſollicitationem, non verò extinctionem obligationis pro eo tempore, ſeu principalem intentionem Eccleſiæ eſſe, ne vltra annum huius Sacramenti ſuſceptio differatur: Tum etiam quia hoc præceptum de ſemel communicando in Paſchate eſt determinatio præcepti Diuini, ne vlterius differatur quàm par ſit. Idem confirmat conſuetudo Prælatorum, ac Parochorum, qui non communicantes in Paſchate excommunicant, vel ſaltem non abſoluunt vſque dum communicent. Neque id faciunt quaſi imponendo nouum præceptum, ſed potiùs inſiſtendo ad obſeruationem communis Eccleſiæ præcepti. Ex hac autem opinione non ſequitur, quod præceptum de communicando tempore Paſchali adimpleri poſſit poſt vnum, vel alterum diem, ſed facto præcepto, & non adimpleto ſuo tempore elapſis quindecim diebus remanet adhuc præceptum communicandi. Itaque licet hoc præceptū ſit affirmatiuum, eſt tamen ſimul virtualiter negatiuum, quatenus includit prohibitionem de non differendo vltra annum hoc Sacramentum.

41 Et hoc à fortiori procedit in eo, qui communionem diſtulit de conſilio Confeſſarij: hic enim tenetur præſcripto per Confeſſarium tempore communicare, ſic enim ipſe textus inſinuat, ſic Doctores communiter fatentur. Nam in hoc caſu Confeſſarius per facultatem ab Eccleſia ſibi conceſſam extendit quodammodo tempus communioni præſcriptum; ità vt præceptum Eccleſiaſticum incipiat talem obligare quamprimum aderit tempus à Confeſſario deſignatum. Ita *Martinon. tom. 4. d. 36. ſect. 2 num. 16. Coninch q. 80. num. 110.* Hucque videtur reducendus, qui legitimè fuit impeditus, ne communicaret in Paſcha, ſubindeque teneri quamprimum poſſit poſtea, communicare. Quoniam & hic cenſetur ex præſumpto Paſtoris conſilio differre communionem, quam Eccleſia non vult prorſus omitti: Ergo ceſſante impedimento, tenetur quamprimum communicare. *Franc. de Lugo d. l. 4. c. 10. q. 2. num. 16.* & negare non potuit *Renzi ſupra c. 2. quæſ. 3.*

42 *Martinonus ſupra, & Card. de Lugo de Euch. d. 16. ſect. 4. num. 66.* qui computant annum, de quo loquitur hic textus, à principio Ianuarii vſque ad finem Decembris, conſequenter aſſerunt, illum qui culpabiliter omiſit communionem in Paſchate, non teneri quamprimum poſt Paſcha communicare, ſed alio quopiam die totius anni vſque ad finem Decembris: quod ſi tunc non communicauerit, peccare deinceps quotidiè, donec communicet. Melius tamen *Azorius, Suarez, Henriquez, Coninch, Reginaldus,* quos ſequitur *Bonac. de Sacram. d. 5. q. 5. ſect. 2. p. 4. num. 19. Filliucius tr. 7. num. 57. Laym. l. 5. tr. 6. c. 5. num. 8.* computant à Paſchate cum extenſione ſupra poſita, ſic enim accepiſſe videtur Eccleſiæ praxis; quamuis aliter computetur annus quoad alios vſus; Vnde fit, ſtatim poſt Paſcha debere communicare illum, qui non communicauit in Paſchate; ita vt vlterior dilatio voluntaria ſemper afferat nouam culpam, quia communio differtur vltra annum ſine

ſuf-

Digitized by Google

ſufficiente excuſatione. Ideo tunc vrgent Paſtores ſubditos ſuos, vt intra tot dies communicent ſub cenſura, quam tranſacto poſtremo termino denuntiant.

43 Si quis veró non communicet, niſi ad ſequens Paſcha, tunc vnica communione ſatisfacit pro vtroque anno; quia iam communio non differtur vlterius; aliàs qui decem annis non communicauit, deberet communicare decies, quod nemo concedet. Ita *Martin. ſupra num.* 20. aliique.

44 Qui præuidet, fore vt nequeat in Paſchate communicare, quod nõ teneatur anticipare communionem, docent *Suarez tom. 3. d. 30. ſect. 2. Coninch q. 80. nu. 108. Azorius tom. 1. l. 7. c. 41. quaſ. 13. Reginaldus l. 29. num. 78. Filliuc. tr. 4. nu. 59. Bonac. d. 4. q. 7. pu. 2. nu. 15. Molfeſius tr. 3. c. 8. num. 28. Leander à Sacram. tr. 7. d. 3. q. 30. Pitigianus in 4. d. 9. qu. 3. ar. 9. Renzi ſupra quaſ. 5. Tambur. c. 4. §. 4. nu. 37.* Oppoſitum docent *Vaſquez 3. p. q. 90. ar. 3. dub. 2. nu. 13. Fagund. Præcept. 3. l. 1. c. 6. num. 3. Syluius 3. p. q. 80. ar. 11. quaſ. 3.* Melius *Franc. à Ieſu Maria ſupra nu. 22. & Fran. de Lugo cit. c. 10. q. 2. nu. 22.* dicunt, quod hoc præceptum, quatenus affirmatiuum eſt, non obligat ad anticipandam communionem, ante tempus lege præſcriptum, & hoc probat fũdamentum primæ ſententiæ, ſcilicet quod nullus obligatur ad anticipandum actum præceptum antequam adueniat obligatio præcepti: fatenturque quoque *Card. de Lugo num. 75. & Mart n. num. 11.* Cæterum quatenus negatiuum eſt, & vetat infrequentiam pluſquam annuam, obligat ad anticipandam communionem, quando præuidetur, niſi modo fiat, non fore poſſibilem per totum annum; ſicut ſi quis intra quindecim dies illos huic communioni deſtinatos præuideat, fore vt non poſſit communicare, niſi primo die, tenetur eo die communicare, vt omnes concedunt; & patet in præcepto audiendi Miſſam in die feſto, nam ſi præuidet ſe non poſſe Miſſam audire in vltima hora, tenetur audire prius, eſtque commune alijs ſimilibus præceptis.

45 Verùm, qui computant hunc annum iuxta morem communem, conſequenter aſſerunt, ſi quis V. g. menſe Ianuarii præuideat, non fore ſibi poſſibilem communionem in Paſchate, fore tamen ante finem Decembris, non teneri anticipare; nam illud præceptum, quatenus negatiuum eſt, ſatis impletur quouis die Decembris. Secùs veró ſi præuideat nec in Paſchate, nec ante finem Decembris fore ſibi communionem poſſibilem; tunc enim tenetur in Ianuario communicare. Nos autem qui computamus annum iſtum à Paſchate ad Paſcha dicimus, ſi quis poſt Paſcha præteritum non communicauerit, & præuideat aliquo die Decembris, aut Ianuarii, niſi tunc communicet, non fore ſibi poſſibilem communionem ante Paſcha, nec ipſo tempore Paſchali, debere tunc communicare. Secùs ſi poſt Paſcha præteritum iterum communicauerit, vel communicare poſſit deinceps ante Paſcha; ſufficit enim ad obſeruantiam huius præcepti negatiui ſemel in quauis anni parte communicare. Sic notat *Layman l. 5. tr. 4. c. 5. n. 9.*

46 Eum

46 Eum qui propter futurum impedimentum in Paſchate, communionem anticipauit bona fide, non obligari poſtmodum ad communicandum in Paſchate, quamuis ceſſauerit impedimentum, docent *Diana p.3. tr.4.reſ.42.& Martin.nu.12.* Quia *Can.Omnis vtriuſque* concedit, vt de cōſilio proprii Sacerdotis differri poſſit communio, qua nihilominus impletur præceptum. Ergo prudenter præſumitur, velle pariter Eccleſiam, vt ſi iuſta de cauſa præueniatur, adhuc præceptum adimpleatur. Contrarium docent *Suarez ſupra ſect.2.in fine,& Card.de Lugo num.78.* quia licèt per anticipatam communionem impleuerit homo præceptum negatiuum non differendi communionem vltra annum; non impleuit præceptum affirmatiuum communicandi tempore Paſchali, quod, impedimento ceſſante, poſtea poteſt, & per conſequens debet impleri. Ego exiſtimo, ſi quis ſine iuſta cauſa præueniat communionem, debere poſtea tempore Paſchatis communicare, ſi poſſit; quia nec impleuit præceptum affirmatiuum, quod eſt alligatum tempori Paſchali, nec habet iuſtam excuſationis cauſam. Si vero prudenter timeat impedimentum, & anticipet communionem, poſteaque non adſit impedimentum: ſuadere debemus, & hortari, vt iterum communicet; nam id melius, & tutius eſt. An autem ſit obligandus? vtraque pars videtur probabilis.

47 Præceptum annuæ communionis tenentur Fideles adimplere tempore interdicti. Ita cum *Nauar.& aliis Leander à Sacram.q.13.* contra *D.Antoninum*, & alios. Ratio eſt, quia iure nouo per *c. Alma Mater* conſtat, non obligare interdictum in quatuor feſtiuitatibus anni: ex quibus vna eſt Paſcha, pro qua ſpecialiter obligat hoc præceptum.

48 Tàm ex verbis huius Canonis, quàm ex officio Paſtorum colligitur, debere Fideles in ſua Parochia de manu proprii Paſtoris Euchariſtiam in Paſcha recipere; niſi de Paſtoris licentia, vel ab alio, vel alibi quoque recipiant. Ita *Suarez d.70.ſect.2.Nau.c.21.nu.52.Fagundez d.l.1.c.5. num.5.&* alii communiter. Probatur; nam adminiſtratio Sacramentorum generaliter pertinet ad Eccleſiæ Paſtores, quorum munus eſt paſcere gregem, præcipuè Sacramentis: Et ſpecialiter in *d.c.Omnis vtriuſque ſexus*, præcipitur, vt omnis Fidelis communionem accipiat à proprio Sacerdote, ſaltem ſemel in anno. Dixi ſupra, *vel ab alio, vel alibi*; nam Parochi poſſunt in alienis Eccleſiis Euchariſtiam ſuis Parochianis miniſtrare, ita vt præcepto cōmunionis ſatisfaciant. Ita cum communi *Leander à Sacram.qu.27.* Sufficit quod communicet in Eccleſia Cathedrali, cùm ſit communis Eccleſia, in qua reſidet communis Paſtor, qui poteſt appellari proprius Sacerdos omnium Fidelium illius Diœceſis. Ita *Gibr.à S.V.de Euch.d.5.qu.7. Bonac.* & alij, quos refert, & ſequitur *Pignat.tom.7.conſult.89 à nu.2.* vbi fuſe *Tambur. c.4.§.4.nu.47.* Si Parochus dicat ſuis Parochianis, vt communicent in Paſchate vbicumque voluerint, poſſunt hoc facere in Eccleſijs Mendicantiū; cum nullam Eccleſiam cenſeatur excludere. Ita cum *Azorio*, & aliis communi-

muniter *Leander à Sacramento q.16.* Non ità facilè præſumitur Parochi licentia ad Paſchalem communionem,ſicut ad alias, ideoque regulariter licentia peti debet expreſse;quia Parochi volunt retinere ius ſuum , vt oues recognoſcant eo tempore ſuum Paſtorem ; & quamuis darent facultatem petenti,nolunt tamen id fieri ſine licentia expreſſa . Cœterum aliquando tales circumſtantiæ concurrere poſſunt , vt prudenter præſumatur Parochi conſenſus,& tunc communicare licebit etiam in Eccleſijs Regularium, vt fatentur *Suarez , Nauarrus , & Fagundez ſupra Diana par.3. tr.2.reſ.12. Franc.de Lugo cit.q.2.n.10.*

49 Qui in Paſchate communicat extra Parochiam ,'vel Eccleſiam Cathedralem,abſque licentia proprij Paſtoris , ſcilicet Papæ, vel Epiſcopi,vel Parochi, peccat mortaliter . Ratio eſt, quia non ſatisfacit huic præcepto in materia graui. S.Congregatio apud *Pignat. tom.1.conſult.298.* Excuſant tameſi aliqui à mortali eum, qui ſemel , aut iterum in tota vita communicat extra Paræciam : eo quia ob paruitatem materiæ non irrogat grauem iniuriam Parocho,niſi id faciat ex contemptu.Ita *Tamburinus cit. c.4.§.4. num. 50. Renzi c.2. quaſ 9.* Et ex eadem ratione citati Doctores excuſant Sacerdotem,qui vnum,vel alterum communicaret in Paſchate .

Excipiuntur ab obligatione communicandi in Parochia,vel de licentia Parochi, Sacerdotes : hi enim vbiuis celebrando ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ,ſeu Paſchali. Ita *Bonac.q.5.pu.2.Leander à Sacram.* alios referens *qu.26.Franc.de Lugo num.11. Reiffenſtuel num.41.* nam vſus interpetratur obligationem communicandi tempore Paſchatis in Parochia, vel alibi de licentia Parochi ſolùm ad illos extendi,qui recipiunt Euchariſtiam ab alio, non verò ad Sacerdotes celebrantes. Tenebuntur tamen in propria Parochia,vel Cathedrali communicare, ſi nec ibi, nec alibi in Paſchate celebrare velint. Ita Doctores citati,& alii communiter. Aliqui excipiunt etiam aduenas,& Peregrinos; dicunt enim, hos poſſe pro libito in quauis Eccleſia communicare ad ſatisfaciendum præcepto Paſchali.Ita *Candidus ar.20. dub.40.Leander à Sacram.q.17. Diana,* & alii. Sed verius alii docent, quod Peregrini teneantur ſuſcipere communionem Paſchalem à Parocho, in cuius Parochia verſantur (niſi ſuſcipiant in Cathedrali).Ita *Paſſerin. tom.2. q.187.num.968.Sylu.*& alii cum *D.Antonino* . Ratio eſt, quia Peregrini quoad Sacramentum communionis acquirunt incolatum vbi inueniuntur, vt declarauit Eugenius IV.Ergo eorum proprius Sacerdos eſt Parochus,in cuius Parochia reperiuntur .

Die Reſurrectionis,aut Iouis Sancti poſſunt Fideles ex deuotione communicare in qualibet Eccleſia , dummodo intra illud tempus vnam communionem faciant in Parochia,aut alibi,de licentia Parochi. Ita *Felix à Panormo ſupr.à num.908.Suarez,& Card.de Lugo* , quos relatos ſequitur *Tambur.ſupra nu.48.*dicens certum. Ratio eſt, quia illa exceptio *extra diem Paſchæ,*probabiliter intelligi poteſt formaliter , pro communione facienda

ex præcepto tempore Paſchali. Idem docet *Renzi c.2.quæſ.7.* Verum ſtandum eſt *Sacræ Congregationi Concilij*, quæ *23. Ian. 1586. & 14. Martij 1615.* declarauit, quod qui ſatisfecit in Paſchate in Parochiali, non tamen poteſt in ipſo die Paſchatis Euchariſtiam ſumere in Eccleſia Regularium non habentium curam animarum; refert *Gauantus in man. V. Euchariſtia nu.23. & Nicolius V. Paſcha nu.6.* apud quem etiam *Sac. Congreg. Epiſc. & Reg. 10. Septembris 1627.* inquit: Prohibeatur Regularibus adminiſtrare Sæcularibus Sacramentum communionis, etiam deuotionis cauſa, ipſo die Paſchatis; in aliis verò diebus temporis Paſchalis declaretur, eos qui ſacram communionem receperint extra Parochiam, præcepto Eccleſiaſtico non ſatisfacere.

50 Oblati extra Clauſtra degentes tenentur in Paſchate communicare in Parochia, *S. Congregatio apud Nicolium ſupra n.7.* Sacra etiam Congregatio Concilii *die 20. Februarij 1576.* declarauit, quod famuli ſæculares in Monaſteriis ſeruientes, in Parochiali in Paſchate communicare debent. Hanc tamen *Bonac. d.4.q.7.pu.2.num.10. Franc. de Lugo c.10. qu.2.num.13. Tambur. nu.48.* intelligunt de famulis, qui non degunt in Monaſteriis, vel aliis locis à cura Parochorum exemptis. Aliqui cum *Bauny in Theol. mor. p.1. tr.5.num.19.* contendunt, propter Mendicantium priuilegia, poſſe Fideles ſatisfacere præcepto communionis Paſchalis in eorum Eccleſiis; in cæteris quidem diebus à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis: at non in ipſo die Dominicæ Reſurrectionis. Sed horum opinio eſt falſa, ex declaratione Sac. Congregationis de Ordine Sanctiſſimi facta ad inſtantiam Parochorum Ciuitatis Neapolis contra Theatinos, & Ieſuitas anno 1638. 20. Martii; quam refert, eique acquieſcit *Diana p.6.tr.7.reſ.58.verſ. Additam:* quam declarationem fruſtra impugnare conatur *Tamburinus num.54.* dicens primò, de ea non conſtare: Secundò illam eſſe directam Archiepiſcopo, non Regularibus: Tertiò illam eſſe declarationem pro Diœceſi Neapolitana tantùm: Quartò eam loqui de Oratoriis priuatis, non de publicis Eccleſiis. Sed benè reſpondet *Renzi ſupra quæſ.8.* ad primum, illam declarationem originariè extare, & ſe vidiſſe in Archiuio Archiepiſcopalis Curiæ Neapolitanæ: ad ſecundum, quod illius declarationis exequutio non ipſis Regularibus intereſſatis, ſed Archiepiſcopo committi debuit: ad tertium, illam declarationem fuiſſe generalem, & non pro Diœceſi Neapolitana tantum, vt conſtat ex verbis ipſius, ibi: *Cumque id minimè ſit permiſſum, ſed Fideles ſacram communionem tempore Paſchali, à proprio, vel ab alio de ipſius Sacerdotis licentia ſuſcipere teneantur.* Vbi loquitur generaliter de omnibus fidelibus. Hinc ad quartū reſpondet, quòd licèt grauamen fuerit expoſitum pro Oratoriis priuatis; declaratio tamen ſubſequens fuit generalis. ibi: *Moneantque ipſos laicos Sacramentum Euchariſtiæ, vt ſuprà, de manu proprij Parochi teneri ſuſcipere, vt Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant.*

51 Qui culpabiliter omittit communionem in Paſchate, cenſuram aliquam

quam ipſo facto non incurrit; quia in *C.Omnis* ſolum præcipitur,vt tranſgreſſor huius præcepti viuus arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ, & mortuus careat Eccleſiaſtica ſepultura. Si ergo non imponitur,non incurritur. Ita cum *Bonac.* & aliis, *Leander à Sacram.q.35.* debent autem imponi pœnæ contra violatorem huius præcepti, etiam ſi præcepto confeſſionis ſatisfecerit,quia lex loquitur generaliter aduerſus illos,qui vtrumque præceptum non adimplent, *Franc.de Lugo c.11.q.3.nu.32.* Solent ex peculiaribus locorum ſtatutis aliæ pœnæ imponi,vel impoſitæ ipſo facto incurri.Ita *Auerſa cit.q.8.ſect.3.§.Tertiò,in fine.*

Notandum eſt vltimo: Sacrilegam communionem eam eſſe, quæ fit aduertenter à carente diſpoſitione animæ, vel corporis grauiter obligante,hæ autem diſpoſitiones ſunt immunitas ſaltem exiſtimata à culpa graui, intentio, ieiunium naturale,carentia cenſuræ, &c. Etenim mortale peccatum committit, qui communicat cum conſcientia peccati mortalis, cuius ſufficiens pœnitentia non præceſſerit,ſaltem exiſtimata,vt clarè conſtat ex Fide, *1.Corinth.11.* & definit *Trident.ſeſſ.13.c.7.* Excedit *Maior in 4.d.9.q.1.* quatenus videtur requirere Metaphyſicam certitudinem ſtatus gratiæ ad communicandum, quia communiter non poſſumus tam certò ſcire nos eſſe in gratia,ſufficit ergo mortalis certitudo,qualem habet,qui poſt diligens examen conſcientiæ nihil lethale reperit,quod non expiarit. Ita cum aliis *Henriquez l.8.c.41.n.1.Conin.h.3.p.q.80.nu.7.* In adulto, vt Sacramentum proſit, requiritur ſaltem implicita voluntas recipiendi Sacramentum formaliter,vt Sacramentum eſt. Quippe dum Sacramentum ignoranter ſumitur ab adulto, non eſt ille moralis, nec Sacramentalis vſus Sacramenti, cum non ſit vſus Sacer, & ordinatus ad eius ſignificationem adhibendam, & gratiam percipiendam. Ita cum communi *Vaſquez 3.p. d.212.nu.8.* qui diſcrimen aſſignat inter ignorantes ſui compotes, & paruulos. Nam illi, qui dum exiſtimant communem panem manducare, volunt illum, vt communem ſumere,ſubindeque voluntatem, & diſpoſitionem habent contrariam manducationi Sacramenti. At paruuli licèt non habeant intentionem recipiendi Sacramentum, non tamen habent contrariam, & alioqui ſunt ipſi capaces fructus Euchariſtiæ. Quidam addunt conſequenter, ſi quis ſui compos comedat Hoſtias, quas putat non eſſe conſecratas, habeat autem intentionem,ſi qua forſan illarum conſecrata fuerit, eam ſumendi Sacramentaliter,tunc ſi qua verè conſecrata ſit, illum recepturum eſſe fructum Sacramenti, dum non ſubeat periculum indignè communicandi. Sic *Salas*,quem refert,& ſequitur *Card. de Lugo de Euch. d.13.ſect.3.nu.31.* Hinc amentes,qui poſt rationis vſum in amentiam inciderunt, ſunt capaces Euchariſtici fructus ſecundum ſe, nempe ſi pro ſe tulerint voluntatem ſaltem implicitam,aut præſumptam communicandi, qualem cenſentur habuiſſe, qui Chriſtianè vixerunt, vt tradit *Catechiſmus Romanus cap.de Euchariſtia S.Thomas 3.p.q.80.ar.9.Martinonus tr.4. d.35.ſect.1.* Si verò ta-

lis amens caſu reperiat Hoſtiam Conſecratam,& eam comedat tanquam cibum communem, non accipiet fructum Sacramenti. Nam illa voluntas præter ita cenſetur fuiſſe recipiendi Sacramenta ritu, ſed modo, quo Chriſtianis dari ſolent; non per caſualem comeſtionem, & ideo non extenditur ad hunc caſum. Si tamen ante amentiam expreſsè voluiſſet acceptare receptionem Euchariſtiæ Sacramentalem, quomodocumque contingerit Euchariſtiæ receptio, recepturum etiam effectum Sacramenti caſuali comeſtione, docet, *Card. de Lugo num.* 31. quia talis intentio videtur ſufficiens. Qui veró aduertenter vult comedere panem, non vt Sacramentalem, ſed vt communem, ſacrilege ſuſcipit Euchariſtiam; & illam ſumeret tantum materialiter, non Sacramentaliter, vt docet *D. Thomas 3. p. q.* 80. *ar.* 3. *ad* 3. & cum eo Doctores omnes. Si non ſit ieiunus, ſacrilegè manducat. Porró cùm duplex ſit ieiunium ex *S. Thoma* 2. 2. *q.* 147. *ar.* 6. vnum naturale, quod omnem cibum, & potum excludit; alterum Eccleſiaſticum, quod omnem potum permittit, & cibum etiam per modum Medicinæ, fuit opinio *Gotfredi, & Ioannis Pariſienſis* apud *Syluestrum V. Euchariſtia* 3. *q.* 6. *& Præpoſiti* apud *Dianam p.* 5. *tr.* 5. *reſ* 12. dicentium, ſufficere ieiunium Eccleſiaſticum, vt quis dignè, & non ſacrilegè communicet, aut celebret. Mouentur, quia cum Eccleſia præſcribat hoc ieiunium, debet illud intelligi, ſicut alia ieiunia per Eccleſiam indicta, quæ non ſoluuntur ſumptione medicinæ, vel potus. At omninó tenendum eſt prærequiri ieiunium naturale, ita vt quicumque cibus, aut potus in quauis minima quantitate, ſub qualibet intentione medicinæ, vel curationis, ſi per modum cibi, vel potus ſumatur, impediat ex præcepto receptionem Euchariſtiæ. Sic *S. Thomas 3. p. qu.* 80. *ar.* 8. *ad* 3. & communiter Doctores. Nam id in quibusdam Concilijs exprimitur, in Bracarenſi 2. *Can.* 2. *Præcipitur, ne quis quocumque cibo præſumpto, celebret: in Toletano* 7. *can.* 2. dicitur. *Nullus poſt cibum, potumque quantum uis minimum ſumptum, Miſſas facere præſumat:* in aliis indicatur, & ita iam Eccleſiaſtica conſuetudine, optima legum interprete receptum eſt, vt oppoſitum ſententiam erroneam appellent *Suarez tom.* 3. *d.* 68. *ſect.* 4. *& Vaſquez* 3. *p. d.* 211. *c.* 3. vtpote communi ſenſui Fidelium contrariam. Vnde ſoluitur fundamentum contrarium, licèt enim Eccleſia præſcripſerit illud ieiuniũ, non illud indixit Eccleſiaſticum, ſed naturale, propter maiorem reuerentiam Euchariſtiæ: Et ſemper communio eſt mortaliter ſacrilega licèt poſt minimum cibum, vel potum communicauerit: nàm hoc præceptum non prohibet per ſe directè cibum, & potum, ſed communionem poſt ieiuniũ ſolutum, ac proinde poſt minimam etiam quantitatem ſumptam per modum cibi, vel potus. communio veró ſemper eſt materia grauis. Ergo ſemper erit mortale peccatum communicare poſt ſolutum ieiunium, quamuis in parua quantitate ſolutum ſit, quia grauiter læditur reuerentia Sacramenti per hoc præceptum indicta, dum Chriſtus ſumitur poſt cibum aut potum corporalem, ſiue magnum, ſiue paruum. Ita *Suarez tom.* 3. *d.* 68. *ſect.* 4.

Vaſ-

Digitized by Google

Vaſquez d. 211. num. 28. Fagundez P. æcep. 3. l. 3. c. 5. nu. 24. Diana p. 5. tr. 5. reſ. 12. & p. 6. tr. 8. reſ. 8. & alii communiter, contra *Paſqual. da ieiun. dec. 335.* dicentem probabilem ſententiam quorundam putantium eſſe veniale propter materiæ leuitatem. His prænotatis ſit -

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum, & elumbantur obiecta.

53 DIco primò: Præcepto Communionis annuæ minimè ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem. Et contrarium aſſertum merito hoc Decreto vt minimum tanquam ſcandaloſum diſpellitur.

54 Probatur primò. Eccleſia ſuo præcepto intendit obligare non ſolum ad ſumendam Euchariſtiam in Paſchate, ſed etiam ad ſumendam eam digne, ſiue cum debita diſpoſitione; ſed ſacrilega Domini manducatio non eſt digna, & cum debita diſpoſitione facta communio, vt patet: Ergo, non ſatisfit præcepto Eccleſiæ communionis annuæ. Probatur maior: Eccleſia præcipit, vt communio fiat reuerenter; vt patet ex illis verbis: *can. Omnis vtriuſque ſexus, Suſcipientes reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum.* Sed illis verbis, reuerenter, exprimere intendit Eccleſia obligationem recipiendi Echariſtiam impoſitam ab ipſa, eſſe recipiendi dignè, & cum debita diſpoſitione: qui enim indignè, & ſine diſpoſitione accipit, irreuerenter accipit: Ergo, &c.

Si dicas, ly *reuerenter* intelligi de reuerentia tantum externa:

Contra eſt: Eccleſia non præcepit communionem, qua quis à Chriſto ſe ſeparat, & iudicium ſibi manducat; ſed qua Chriſto maneat, & vniatur, atque in æternum viuat: ſed tantum Communione facta dignè, & cum debita diſpoſitione, ſeù reuerentia dignitatis, & diſpoſitionis debitæ quis Chriſto manet, & vnitur, atque in æternum viuit; non verò ſacrilega, & facta cum ſola reuerentia externa, & cum indignitate interna. Ergo ly *reuerenter*, ſumitur pro reuerentia, qua dignè, & cum diſpoſitione ſumitur, &c.

55 Probatur ſecundò. Præceptum Eccleſiæ, de percipiendo Euchariſtiæ Sacramento eſt de ſuſcipiendo cum debita diſpoſitione: ſed qui communicat ſacrilege non ſuſcipit cum debita diſpoſitione: Ergo, &c. Probatur maior, ex *Trid. ſeſſ. 13. c. 7.* vbi præcipitur, vt quotieſcumque fidelis ſuſcipit ſacram Euchariſtiam accedat cum debita diſpoſitione, illis verbis: *Cauere ille debet, ne abſque magna reuerentia, & ſanctitate ad id percipiendum accedat*: vbi immediatè declarat, quam probationem adhiberi debeat ſuſcepturus Euchariſtiam, vt accipiat in ſtatu gratiæ: Ergo Eccleſia præcipit

vtrum-

vtrumque;& quod fidelis accipiat Euchariſtiam in Paſchate; & quod numquam accipiat ſine debita diſpoſitione.

56 Probatur tertiò. Hoc Sacramentum eſt cibus animæ: non autem ſatisfaceret præcepto ſuſtentandi vitam corporalem, qui cibum corporalem ſumeret eo modo, quo non prodeſſet ſuſtentationi, ſed obeſſet potius. Ergo nec qui communicat indignè ſatisfacit præcepto Eccleſiæ communionis annuæ, quo præcipitur cibus ſpiritualis pro ſuſtentatione animæ.

54 Probatur quartò. Hoc præceptum Eccleſiaſticum eſt determinatiuum præcepti diuini; ſed diuinum præceptum non ſolum obligat ad ſumptionem Euchariſtiæ, ſed ad dignam ſumptionem, & in ſtatu gratiæ: Ergo ſimiliter Eccleſiaſticum: cum neceſſe ſit, vt id quod determinat aliud debeat participare eadem prædicta cum eo, quod determinatur.

58 Hinc nulla eſt diſparitas, quam Aduerſarii agnoſcunt inter hoc præceptum, & confeſſionis annuæ, dum inquiunt, quod qui facit confeſſionem voluntariè nullam non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, quod eſt de recipiendo Sacramento valido, ſecus vero de eo, qui accedit indignè ad Sacramentum Euchariſtiæ; nam verum Sacramentum ſuſcipit. At non animaduertunt, quod licet verum ſit Sacramentum; non tamen vera eſt ſuſceptio moralis Sacramenti formaliter; & hæc actio præcipitur, non merè phyſica, præcipitur enim digna communio.

56 Dico ſecundò. Propoſitio ſubiacet proſcriptioni, vndecumque proueniat indigna ſeu ſacrilega ſuſceptio. Eſt certum.

60 Patet; quia vndecumque proueniat indignitas communionis, verificatur quod non reuerenter, nec cum debita diſpoſitione, &c. recipiatur Sacramentum, & conſequenter verificatur non ſatisfieri præcepto.

Hinc primò contra *Renzi ſupra c. 3. quæſ. 2. & Franc. de Lugo c. 10. num. 3. Azorium, & Fagundez* non ſatisfecit precepto annuæ communionis, qui in excommunicatione, & interdicto communicat. Ratio patet, quia indignè, & ſine debita diſpoſitione communicat; cenſura enim impedit receptionem Sacramentorũ; etiam ſi cenſuratus acquiſierit ſtatum gratiæ per contritionem.

Secundò, contra *Renzi quæſito* 17. non ſatisfecit huic præcepto, qui non ieiunus ieiunio naturali hoc Sacramentum ſuſcipit; quia irreuerenter ſuſcipit.

Obiicies primò. In præceptis Eccleſiæ diſtinguere eſt inter ſubſtantiam materiæ præceptæ, & modi, taliter quod præcepta ſubſtantia non intelligatur modus præceptus: Atqui Eccleſia præcipit communionem in Paſchate, in quo præcepto ipſa communio eſt ſubſtantia rei præceptæ: quod autem recipiatur dignè, eſt modus. Cum ergo Eccleſia præcipiat ſubſtantiam, & non modum, præcipit, quod fideles communicent, non autem, quod dignè communicent. Peccant ergo grauiſſimè, qui ſacrilegè com-

Digitized by Google

communicant, contra præceptum diuinum, ſed non contra Eccleſiaſticum.

61 Reſpondeo, omittendo, quod quando Eccleſia præcipit præcisè ſubſtantiam actus, non manet præceptus modus; nego tamen, quòd Eccleſia præceperit dumtaxat ſubſtantiam ſacræ Communionis; præcepit enim etiam modum, ſiue diſpoſitionem debitam ad ſacram Communionem, tum in *can. Omnis vtriuſque ſexus*, tum in *Tridentino eo c.7.* vt patet ex ſupradictis: reuera enim non ſolum in *cit.c.* ſed etiam in *can.Omnis vtriuſque ſexus*, præcipitur modus, ſiue diſpoſitio. Nam re vera in eo verbo *reuerenter*, ſatis exprimitur modus, ſeù diſpoſitio, ſub qua accipienda eſt ſacra Hoſtia.

Obiicies ſecundò, & ſimul inſtabis: Eccleſia non poteſt præcipere, nec prohibere actus internos, vt tenent communiter Theologi cum *D. Thoma 2.2.qu.91.ar.4. & qu.100.ar.9.* Sed modus accipiendi indignè Euchariſtiam fit plerumque per actum internum, ſcilicet per internum actum voluntatis tacendi aliquod peccatum lethale in confeſſione. Ergo Eccleſia non poteſt prohibere eum modum recipiendi indignè, ſubindeque nec præcipere modum recipiendi dignè, & cum diſpoſitione.

62 Pro reſolutione, ſuppono ex *tract.de Conſtitutionibus:* quod eſtò Eccleſia non poſſit præcipere actum purè internum, poſſit tamen præcipere actum miſtum ex interno, & externo. Dicuntur autem actus miſti præcipi ab Eccleſia, quando actui externo adiungitur alius actus internus, ſine quo quidem poterat exiſtere externus, vt conducit ad eſſe morale externi: V. g. quando Eccleſia præcipit, quod fiat contractus validus: nam licet contractus externus poſſit phyſice fieri ſine intentione interna ſe obligandi; dum præcipit Eccleſia, quod ille contractus fiat validè, præcipit etiam, quod habeat animum ſe obligandi. Complures Auctores contendunt, in illo modo præcipiendi actum miſtum, præcipi indirectè actum internum. Alii verò volunt tunc præcipi directè. Ita *Ioannes Cardenas hic d.34.c.2.ar.1.* & alii cum *Caramuele in Theol.Fundam. edit. anni 1657.fundam.24. num.700.* vbi contra illos priores Auctores grauiter ſtomachatur in hæc verba: *Lego libros, etiam hominum, qui tenerentur benè loqui, & mirabilia dicunt, cum agunt de præcepto indirecto. Audio etiam homines, qui Doctores dicuntur, & tam ſæpè de rebus, quæ indirectè præcipiuntur, volunt confidenter audiri, & loquuntur non doctè. Iſti, qui tenent, Eccleſiam præcipere lectionem purè externam, & indirectè attentionem, me Iudice, improbabiliter loquuntur; & puto me tam euidenter videre eorum errorem, vt poſſim digito illum oſtendere, & ſincero iuramento firmare. Sic diſcurro. Illa præcipiuntur indirectè, ſine quibus poni non poſſunt, quæ præcipiuntur indirectè: At ſine attentione interna poteſt poni mera, & pura pſalmorum, & lectio externa: Ergo cum mera lectio externa directè præcipitur, non compræcipi-*

tur

tur attentio interna indirectè: Hæc Caramuel. Sed non eſt huius loci hoc determinare. Hoc ſuppoſito, ad argumentum:

Reſpondeo, omittendo, quod non poſſit præcipere actus merè internos, certum eſſe poſſe præcipere actus miſtos ex interno, & externo. Ita enim docent *Angelus, Tabiena, Caietanus, Sotus, Corduba, & Conarruuias*, quos refert, & ſequitur *Suarez de legibus l.4.c.13.* vbi *num.3.* hoc oſtendit ex multis textibus Iuris Canonici, in quibus Eccleſia præcipit, aut prohibet eiuſmodi actus miſtos. Quos textus refert in hæc verba: *Primum ſit cap. omnis vtriuſque, de pœnit. & remiſ. quatenus præcipiendo confeſſionem annuam, præcipit dolorem neceſſarium, & confeſſionem cogitationum merè internarũ: Secundum eſt c. dolentes, de celebr. miſſar. & Clem. 1. eo t. vbi præcipitur Clericis recitatio attenta, & deuota: Tertiũ ex c. Cõmiſſ, §. Cæterũ, de elect. in 6. vbi punitur, qui recipit beneficia abſque intentione ſuſcipiendi debitum ordinem intra annum, niſi mutata voluntate ordinetur. Quarto ex Clem. 1. §. verum de hæreticis, vbi Inquiſitores, qui ex odio, vel intentione turpis lucri omittunt, contra iuſtitiam, & conſcientiam, procedere contra aliquem in cauſa Fidei, excommunicantur. Quintò, ex Clem. 1. de ſtatu Monachorum, vbi Monachus Benedictinus ſine licentia ſe conferens ad Curiam, animo accuſandi Prælatum, excommunicatur, & non ſine tali intentione. Sextò, ex can. ſi quis 8. diſt. 30. vbi excommunicantur, qui ex contemptu, vel interna ſuperſtitione ieiunium Eccleſiaſticum non ſeruauerint, & non alias: cum tamen contemptus interior actus ſit. Et eodem modo ſolent Iura Canonica excommunicare facientes hoc, vel illud ſcienter, aut temerè, &c.* Hæc *Suarez*: qui vlterius hoc probat, quia ex oppoſito ſequeretur, quod ille, qui dumtaxat commiſiſſet peccata mortalia interna, V.g. delectationes moroſæ, eo anno non teneretur ad confeſſionem Sacramentalem. Addit *Ioannes Cardenas* hoc nunc eſſe omninò certum. Primò nam Cathedra Romana damnauit varias propoſitiones, quæ negabant eſſe prohibitas aliquas actiones, quæ reuera ſunt mixtæ ex actu interno, & externo. Ita *Alexander VII.* damnauit tanquam ſcandaloſam propoſitionem aſſerentem, etiam poſt Decretũ *Vrbani VIII.* eum Sacerdotem, qui acciperet duplex ſtipendium; poſſe applicare vnam Miſſam pro vtroque. Atqui applicatio Miſſæ includit duo & celebrationem externam Miſſæ, & actum internum applicationis, ſiue intentionis: vbi id condemnat *Alexander* propter prohibitionem *Vrbani VIII.* Ergo certum eſt, quod *Alexander* potuit prohibere, & prohibuit actum mixtum ex interno, & externo, eadem certitudine, qua reliquæ damnationes, quas facit Romana Cathedra im materia morum; certæ ſunt. Idem *Alexander VII.* damnauit Propoſitionem 14. ſcilicet: *Qui facit confeſſionem voluntariè nullam ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* Ex qua damnatione euidenter infertur, Eccleſiam non præcipere confeſſionem vtcumque, ſed confeſſionem validam: confeſſio autem valida eſt actus mixtus: includit enim confeſſionem externam, & contritionem internam. Secundò nam in gene-

re

Digitized by Google

re Simoniæ iuris Eccleſiaſtici eſt Simonia mentalis prohibita ab Eccleſia; ſed Simonia mentalis iuris Eccleſiaſtici datur, cum quis dat commodum temporale Collatori, ea intentione interna, vt ſibi conferat præbendam, in quo reperitur actus externus, & internus. Ergo Eccleſia poteſt prohibere, & prohibet actum mixtum ex externo, & interno. Communio autem cum diſpoſitione interna debita eſt actus mixtus: atque adeò optimè poteſt ab Eccleſia præcipi.

PROPOSITIO LVI.

Frequens confeſſio, & communio, etiam in his, qui gentiliter viuunt, eſt nota prædeſtinationis.

1 HÆc communiter attribuitur alicui ex illis, qui pertinaciter propugnabant, præbendam eſſe quotidianam communionem omnibus indiſcriminatim, dummodò non habeant conſcientiam peccati lethalis. Illi enim tanta contentione ſuam opinionem propugnabant, vt non ad pauca abſurda deuenerint; ſed quæ iam correcta ſunt per Decretum *Innocentij XI.* anni 1679.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Prædeſtinatio quare ſic dicatur, & quotupliciter accipiatur?*

3 *Prædeſtinatio quomodo deſiniatur ex* D. Auguſtino.

4 *Quænam ſit cauſa efficiens, finalis, formalis, & materialis Prædeſtinationis?*

5 *Cauſa motiua prædeſtinationis non eſt ſola vlla Diuina Bonitas, ſed etiam futurorum meritorum præſcientia.*

6 *Reſpondetur ad locum Apoſtoli ad Romanos 9.*

7 *Reſpondetur ad auctoritates D. Auguſtini.*

8 *Ad rationem fundamentalem in contrarium triplex reſponſio affertur.*

9 *Adultis tribuitur gloria ex præuiſione meritorum in gratia, & ex auxilio gratiæ factorum, & paruuli eliguntur ex præuiſione iuſtificationis.*

10 *An prædeſtinatio quoad primam vocationem ſit in poteſtate, & libertate prædeſtinati?*

11 *Prædeſtinatio quoad aſſecutionem ſuorum effectuum eſt certa, & infallibilis.*

12 *Inter Angelos maior eſt numerus prædeſtinatorum, quàm reproborum: inter homines verò è contra.*

13 *Inter Baptizatos eſt etiam maior numerus reproborum: inter fideles verò in Ec-*

Digitized by Google

Eccleſia Romana Chriſto adhærentes maior eſt numerus prædeſtinatorum.

14 Nemo in hac vita abſque ſpeciali Dei reuelatione poteſt eſſe certus de ſua, vel alterius prædeſtinatione.

§. II.

15 Signa prædeſtinationis alia ſunt naturalia, alia ſupernaturalia.

16 Conſcientia timorata, & horror peccati mortalis, aut etiam venialis eſt ſignum prædeſtinationis.

17 Conſiliorum obſeruatio eſt ſignum prædeſtinationis.

18 Guſtus Diuinorum, & affectus ergo Spiritualia, & præſertim diuini verbi auditionem, illud ſcilicet guſtando ex quadam interiori dulcedine, eſt prædeſtinationis ſignum.

19 Tolerare patienter tribulationes, & aduerſitates in hoc ſæculo frequentes, eſt ſignum prædeſtinationis.

20 Miſericordia, qua ex corde miſerijs aliorum vt proprijs condolent, eaſque ex charitatis affectu quis ſubleuare ſtudet, eſt ſignum prædeſtinationis.

21 Ardentiſſima in Deum charitas, & amor proximi, qua agimur, vt agamus opera virtutum, eſt prædeſtinationis ſignum.

22 Humilitas eſt ſignum prædeſtinationis.

23 Paſſionis Chriſti grata memoria eſt ſignum prædeſtinationis.

24 Frequens, & deuotus vſus Eucharistiæ eſt ſignum prædeſtinationis.

25 Religio erga Deum, & Sanctos, & præſertim B. Virginem, eſt prædeſtinationis ſignum.

26 Referuntur alia ſigna prædeſtinationis.

§. III.

27 Frequens confeſſio, & communio in ijs, qui gentiliter viuunt, non eſt nota prædeſtinationis. Contrarium vt minimum tanquam ſcandaloſum hoc decreto expellitur.

28 In gentiliter viuente non inuenitur fructuoſa pœnitentia.

29 Pœnitentia prædeſtinatorum eſt lachrymoſa, punitiua, & emendatiua: hæc abſunt à pœnitentia gentiliter viuentium.

30 In gentiliter viuente non reperiuntur fructus pœnitentiæ.

31 Lapſus in prædeſtinatis eſt occaſio proficiendi.

32 Frequens confeſſio & communio in ijs, qui gentiliter viuunt ſunt notæ reprobationis.

33 Gentiliter viuens eſt terra reproba, quæ accipiens imbrem profert ſpinas, & tribulos peccatorum.

34 Gentiliter viuentes habent pœnitentiam fictam, & impœnitentiam veram.

35 Superbi habent reprobationis ſignum.

36 Auari, & immiſericordes à Chriſto condemnantur in infernum.

37 Luxurioſis denegatur ſuperna hæreditas.

38 Vendicatiuis negatur venia peccatorum.

39 Guloſi eijciuntur è paradiſo, & primogenituram amittunt.

Vi-

Digitized by Google

40 ***Viuentes ſine conſideratione deuota Chriſti vulnerum non inuenient oſtium gloriæ.***

41 ***Irreligioſi non agnoſcuntur vt ſequaces Chriſti, ſed Diaboli.***

42 ***Gentiliter viuentes indignè ad Sacramentum accedunt.***

43 ***Indignè manducantes Eucbariſtiam iudicium manducant, gladium traijciunt in ſua viſcera, ac venenum accipiunt.***

44 ***Suſcipientes buccellam Eucbariſticam indignè, poſſidentur à Diabolo.***

45 ***Accedentes ad ſacram Synaxim indignè anticipata damnatione præueniuntur.***

46 ***Peccatum ſacrilegè accipientis Eucbariſtiam maximè Cbriſto aduerſatur.***

47 ***Summum bonum, quod eſt Eucbariſtia, cooperatur indignè ſuſcipienti illam in ſummum malum.***

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò. Quod Prædeſtinatio idem eſt ac præuia deſtinatio: quia Deus ab æterno deſtinauit ea, quæ futura erant in tempore. Vt autem omnis tollatur æquiuocatio, animaduertendum eſt, quòd in Concilijs, & Patribus Prædeſtinatio tripliciter ſumitur. Primò latiſſimè, prout reſpicit omnes creaturas, nedum intellectuales, ſed etiam alias inferiores. In hoc ſenſu *D. Auguſtinus tr.68.in Ioannem* ait, *Deus fecit futura, ea prædeſtinando.* Secundò latè & minus propriè, prout reſpicit creaturas intellectuales, ſcilicet Angelos, & homines in ordine ad gloriam, vel ad damnationem æternam. Sic in *Concilio Valentino 3.* dicitur: *Fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem.* Tertiò ſumitur prædeſtinatio ſtrictè, & propriè, prout reſpicit illos Angelos, & homines, quibus decreuit Deus dare de facto gloriam: Sic *Apoſtolus ad Romanos* 8. ait: *Quos præd ſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit; & quos iuſtificauit, illos & glorificauit.* Nomen prædeſtinationis vſurpatur in hoc ſenſu, dum abſolutè profertur. Et de prędeſtinatione ſic ſumpta agimus in præſenti. *Syluester in conflato q.22.ar.15.& q.23. ar.3.* aſſeruit, Prædeſtinationem hanc non eſſe ab æterno in mente Diuina, completè & in ratione prædeſtinationis, ſed in tempore, & in vltimo inſtanti vitæ ipſius viatoris, quod eſt primum inſtans intrinſecum glorificationis illius: ad eum modum, quo docet *D. Thomas 1. p.q.45.ar.3.ad 3.* quod creatio quanquam in ratione actionis, ſit æterna, in ratione tamen creationis non eſt æterna, ſed temporalis. Sed præterquamquod hæc ſententia eſt contra *D.Thomam 1.p.q.23. ar.2. ad 2. & 3.p.q.24.ar.1.in corp. D.Auguſtinum lib.de prædeſt.SS.c.10, & lib.de bono*

Digitized by Google

*perſeu.c.*14. Et cōtra communem ſententiā Scholaſticorū, videtur expreſsè repugnare Sacræ Scripturæ *Rom.9. Antequam nati eſſent, Iacob dilexi*. Et ad *Epheſ.*1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*. Et 2. *ad Timoth.*1. *Secundum propoſitum, & gratiam, quæ data eſt nobis ante tempora ſæcularia*. Nec eſt eadem ratio de creatione, quia creatio vt ſic, in ratione creationis formaliter, dicit reſpectum ad creaturam actu exiſtentem à parte rei: vnde non denominat Deum ab æterno creantem, aut creatorem, nec mundum ab æterno creatum; ſed vtramque denominationem tribuit in tempore: prædeſtinatio verò dicit reſpectum ad creaturas reales exiſtentes obiectiuè in intellectu diuino, atque ita denominat prædeſtinatos eos, qui nondum ſunt nati, & ſimiliter denominat Deum ab æterno prædeſtinantem.

3 Notandum eſt ſecundò. Quod Prædeſtinatio, ex *D. Auguſtino lib. de bono perſeuer.c.*14. *eſt Præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur*. Dicitur *beneficiorum Dei*, hoc eſt, donorum, ſeù bonorum, quæ Deus prædeſtinatis confert, inter quę numeratur non ſolum gratia habitualis, qua iuſtificantur, ſed etiam actualis, qua excitantur, & adiuuantur ad benè operandum: ipſaque bona opera, quibus gloriam promerentur; & præſertim perſeuerantiæ donum, & tandem ipſa gloria æterna, quæ beneficiorum Dei maximum eſt, & vltimus, ac præcipuus diuinæ prædeſtinationis effectus. Ait *D. Thomas 1.p.qu.23. ar.1.* quod *Prædeſtinatio, quantum ad obiecta, eſt quædam pars prouidentiæ*: ſeù Prædeſtinatio non eſt pars ſubiectiua Prouidentiæ: illa enim ſe habet ad totum, ſicut ſpecies ad genus. V.g. homo ad animal: Prouidentia autem vt ſic non eſt quaſi genus, quod diuidatur in plures prouidentias, quaſi in varias ſpecies, ſed eſt vnica in Deo prouidentia. Eſt autem pars obiectiua, quia ſicut tractatus de Cęlo eſt pars obiectiua Phyſicæ, eo quod Phyſica habet pro obiecto totum ens mobile, cuius obiecti pars eſt cęlum: ita Prouidentia diuina habet pro ſuo obiecto totum ens ordinabile in finem, ſicut omnes creaturas, prout ad ſuum finem ordinantur, & illius obiecti pars ſunt prædeſtinati. Porrò prouidentia, quam Deus habet de omnibus creaturis, dicitur generalis, quia eas omnes generaliter reſpicit; prouidentia verò, quam Deus habet de creaturis intellectualibus, ſiue Angelis, & hominibus, dicitur ſpecialis, quia ipſos ſpecialiter ordinat ad vitam æternam, vel efficaciter, vel ſaltem ſufficienter, ad quam non ordinat alias inferiores creaturas. Comparando autem homines, & Angelos ad inuicem, ſiue prædeſtinatos, ſiue reprobos, Deus dicitur habere prouidentiam generalem de omnibus, quia omnes generaliter ordinat ad vitam æternam; ſed habet prouidentiam ſpecialem circa prædeſtinatos, quia ipſos ſpecialiter ordinat ad gloriam efficaciter, reprobos autem ſolummodo ſufficienter: vnde prouidentia, quam Deus habet de reprobis, per comparationem ad creaturas inferiores dicitur ſpecialis, &

per

Digitized by Google

per comparationem ad creaturas inferiores dicitur ſpecialis, & per comparationem ad prædeſtinatos dicitur generalis. Quærit *D. Thomas cit. qu. 23. ar. 2.* Vtrum prædeſtinatio ponat aliquid in prædeſtinato. Et reſpondet negatiuè. Etenim prædeſtinatio eſt in ſolo prædeſtinante: quia eſt ratio ordinis aliquorum in vitam æternam, exiſtens in mente diuina. Ipſius tamen executio eſt in prædeſtinatis, in quantum in eis recipiuntur plures prædeſtinationis effectus.

4 Notandum eſt tertiò, maximam, & intricatiſſimam controuerſiam eſſe de cauſa motiua prædeſtinationis, an illa ſit ſola diuina bonitas, vel futurorum meritorum præſcientia: de aliis enim prædeſtinationis cauſis conſtat quid ſit dicendum: nam Deus eſt cauſa efficiens illius; manifeſtatio diuinarum perfectionum eſt cauſa finalis: actus diuini imperii tranſmittentis creaturam intellectualem in finem vitæ æternæ, ſe habet quaſi cauſa formalis: ipſa autem intellectualis creatura eſt cauſa materialis, ſiue ſubiectum, circa quod verſatur prædeſtinatio. Sententia omnium Thomiſtarum cum *D. Thom. 1. p. qu. 23. ar. 4.* & alibi, & Scotiſtarum ferè omnium cum *Scoto in 1. ſent. d. 14. qu. vn. Durandi, Suarez, Card. Bellarmin.* & aliorum, docentium, abſolutè, & generaliter loquendo, prædeſtinationem eſſe purè gratuitam, nec fuiſſe factam ex vllis præuiſis meritis, nec ea vt motiua reſpicere, ſed vt effectus à ſe cauſatos. Pro qua ſententia inſignis, & præcipuus locus ſumitur *ex c. ad Romanos: Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Ideſt, dilexi Iacob, qui eſt typus, & figura prædeſtinatorum, volendo ipſi efficaciter dare gloriam, non propter bona ipſius opera, ſed ex mea pura miſericordia; odio autem habui Eſau, qui eſt typus, & figura reproborum, volendo ipſi denegare gloriam, non quidem quantum ad ſufficientiam, ſed quantum ad efficaciam; & hoc non propter mala ipſius opera, ſed ex mea iuſtitia. Et quia ex hoc ſtatim naſcitur obiectio, quòd Deus eſſet iniuſtus, ſi inæqualiter ſe haberet erga duos æqualiter ſe habentes, ſubdit Apoſtolus: *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Abſit.* Auget autem vim obiectionis: *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei:* ideſt, quòd aliquis ita velit, & benè agat, vt tandem gloriam obtineat, iuxta illud eiuſdem *Apoſtoli 1. ad Cor. 9. Sic currite, vt comprehendatis.* Hoc non prouenit ex meritis volentis, & currentis, ſed ex pura miſericordia Dei, ipſum omninò gratis ad gloriam prædeſtinantis. Auget iterum difficultatem, dum ſubiungit: *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat,* ideſt, ex puro beneplacito ſuæ diuinæ voluntatis prouenit, quod erga alios ſuam exerceat miſericordiam, nimirum erga prædeſtinatos: erga alios verò, ſcilicet reprobos, ſuam exerceat iuſtitiam, eos indurando non poſitiuè, ſed permiſſiuè. Vltimam denique proponit inſtantiam,

& to-

& totam obiectionem ſoluit his verbis: *Di is itaque mihi: Quid adhuc quæritur? O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa, facere alind quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Quaſi ita loqueretur Apoſtolus. Si mihi dicas, quod Deus conqueri non poſſet de reprobis: quia quod ipſi ſint reprobi, & alii ſint prædeſtinati, hoc non prouenit, niſi ex ſola ipſius voluntate; cui ſicut reſiſtere non poſſunt, ita ſi ei non obtemperent, culpabiles non ſunt. Reſpondebo tibi, quod homo eſt ingenii nimis debilis, vt penetrare valeat diuina myſteria: & quod ſicut figulus abſolutam poteſtatem habet ſupra vaſa, quæ fecit eadem maſſa luti, vt ſicut ipſi placeat, aliqua deſtinet ad vſus nobiles, alia verò ad vſus viles; ita Deus abſolutiſſimum habet dominium ſupra omnes homines, vt ex eadem maſſa naturæ per originale peccatum corruptæ poſſit aliquos facere vaſa honoris, eos prædeſtinando, & alios maſſa contumeliæ, eos reprobando: cum hoc tamen diſcrimine, quòd nunquam ſatis inculcari poteſt, quod Deus omnibus confert auxilia ſaltem ſufficientia, vt fiant vaſa honoris, ſi velint; & ſola eorum culpa ſit, quod fiant vaſa contumeliæ. Exiſtimant auctores huius ſententiæ habere magnum Doctorem, & Magiſtrum *D.Auguſtinum*, qui multis in locis aſſerere videtur electionem ex mera Dei voluntate: *tract.* enim 26. *in Ioannem*, ait: *Cur illum vocat, alium non? Noli quærere, niſi vis errare.* *Epiſt.* etiam 105. *Cur illum potius, quàm iſtum liberet; ſerutetur qui poteſt tam magnum profundum*. Et de *gratia, & lib.arb. c.*19. exponens hæc verba Apoſtoli: *Gratia Dei vita æterna*, ponderat, quod *cum poſſet dicere Apoſtolus, & rectè dicere, ſtipendium iuſtitiæ vita æterna, maluit dicere, gratia autem Dei vita æterna, vt hinc intelligeremus, non pro meritis noſtris nos ad vitam æternam, ſed pro ſua miſeratione perducere*: quod verificari non poteſt de aſſecutione vitæ æternæ in executione, quia hæc in executione ſtipendium iuſtitiæ eſt, & dicere quod datur ſine meritis eſt error. Ergo loquitur de illa in intentione, & de ipſa electione prædeſtinatorum ad gloriam, quæ eſt purè gratuita, quamuis ipſa gloria in executione per merita ſit acquirenda. Ratio autem fundamentalis huius ſententiæ aſſignatur. Qui ordinatè vult, prius vult finem, quam media ad finem. Sed Deus ordinatè vult. Ergo prius vult finem, quàm mediæ ad illum. Atqui gloria eſt finis, & merita ſunt media ac illam conducentia. Ergo prius vult gloriam, quàm merita, & conſequenter electio ad gloriam non poteſt eſſe ex præuiſione meritorum.

5 Contraria ſententia eſt ſatis probabilis, quam tenent *D.Bonau.in* 1. *d.* 41.*q.*2. *Baconus*, *Molina*, *Valentia*, *Leſſius*, *Vaſquez*, *Alarcon*, *Maratius*, vterque *Turrianus Gaſp.Hurtadus*: *Bartholomæus à Caſtro*, verò, & alij, & *Scotus* ipſe licèt primam defendat, tamen relinquit libertatem ſentire cum hac oppoſita, *cit.l.§.*1. iſtorum in fine, vbi dicit: *Ne ſcrutando de profundo, eatur in profundum, ſecundùm dictum Magiſtri, eligatur quæ melior*

cen-

Digitized by Google

cenſebitur, dummodò ſeruetur libertas noſtra ſine aliqua iniuſtitia; ex qua licentia cum hac ſecunda ſententia ſentiunt *Ioannes Poncius*, *Bartholomæus Durandus*, *Saxtus*, *Froſſen*, *Boyuin*, & quidam alij Scotiſtæ. Nec exiſtimat improbabilem *D. Thomas in comm. Epiſt. ad Rom. c. 8.* ideo in Theologia vtramque problematicè propugno. Et quidem pro hac ſententia adducitur auctoritas Sacræ Scripturæ, præſertim *Matthæi 25. Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum vobis præparatum à conſtitutione mundi; eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*. Quibus verbis inſinuatur Regnum Cœlorum ab æterno paratum eſſe ob præuiſa merita; vt patet ex particula cauſali *Enim*: quæ denotat hoc opus miſericordiæ eſſe cauſam, cur Deus Regnum Cœlorum parauerit Iuſtis. Deinde Reprobis ibidem dicit, *Ite maledicti, &c. Eſuriui enim, &c.* Ita ergo ratiocinandum eſt de prædeſtinatis, ac de reprobis: quoniam de vtriſque eodem modo loquitur Chriſtus. Sed reprobi reprobantur ob demerita. Ergo iuſti prædeſtinantur ob merita. *Iſaiæ* etiam 64. habetur: *Oculus non vidit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Vbi per vltima verba cauſam præparationis indicauit, ita quod dilectio ſit cauſa quare Deus gloriam præparauerit: ſicut (inquit *Vaſquez*) ſi quis diceret, Regem paraſſe equum primò aſcendentibus muros ciuitatis; ſanè indicaret, illum dare ſtatuiſſe ex meritis ſtrenuè bellantibus. Et licèt Auctores primæ ſententiæ reſpondeant: Deum in tempore dare gloriam meritis, antecedenter tamen decreuiſſe eam dare ſine illis ab æterno: & hoc eſt, quod dicunt, Prædeſtinationem fieri ex meritis ſecundùm executionē, nō ſecundùm intentionem. Sed contra eam inſurgunt Auctores huius ſecundæ ſententiæ: Res etiā ita eueniunt in tempore, ſicut eas decreuit Deus ab æterno. Si ergo dat gloriam meritis in tempore, ab æterno illam præparauit meritis, alias mutaretur. Scio *Godoy*, & alios præter decretum intentiuum gloriæ ante merita, admittere aliud executiuum circa gloriam, merita præuiſa ſupponens. Sed contradicunt etiam alij Thomiſtæ, nempè *Nazarius*, *Aluarez*, *Salmaticenſes*, & alij. Plures autem SS. Patres poſſunt afferri pro hac ſententia, nempè Chryſoſtomus, qui *hom. 8. in Matthæum.* explicas illud: *Venite benedicti*, ait: *Antequam nati eſſetis, quia præſciebam vos tales futuros, hæc vobis à me parata ſunt. D. Ambroſius l. 5. de fide c. 3.* ad illa verba Apoſtoli, *Quos præſciuit, prædeſtinauit*, ait: *Non ante prædeſtinauit Deus, quàm præſcierit; ſed quorum præſciuit merita, horum prædeſtinauit præmia. Et in comment. ad Epiſt. Pauli ad eundem locum Rom. 8.* ait. *Quos præſciuit futuros ſibi deuotos, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda.* Et idem tradit *Athanaſius* in eundem locum Apoſtoli. *S. Hieronymus epiſt. ad Hedibian q. 20. Vſa miſericordia*, inquit, *qua præparauit in gloriam, non irrationabiliter ſeruat. Auguſtinus l. 1. Quæſtionum ad Simplicianum q. 2. Si non eſſet*, inquit, *electio, non eſſent electi: electio autem non præcedit iuſtificationem, ſed electionem iuſtificatio: nemo enim eligitur, niſi iam diſtans ab eo, qui reijcitur.* Cùm autem dicat, quòd iuſtificatio præcedat electionem, hoc

eſt

eſt dicere, electionem fieri propter iuſtificationem præuiſam: Cùm etiam ait, *Nemo eligitur, niſi iam diſtet ab eo, qui reijcitur*; hoc eſt aſſerere, quòd ille, qui eligitur, eligatur propter præuiſa merita, quia non diſtat ab eo, qui reijcitur, niſi quia Deus præuidet merita in electo, & demerita in reiecto. Nec reſpondeant Thomiſtæ, *Auguſtinum* retractaſſe hanc ſententiam, quàm iunior ſcripſerat. *Libro* enim de *Prædeſtin. SS. c. 4.* diſputans aduerſus Semipelagianos, eos remittit ad hanc quæſtionem, quod eſt ſignum, *Auguſtinum* doctrinam in eo traditam non reuocaſſe. Præterea id iterum approbauit *ſerm. 7. de verbis Domini ſecundum Matthæum* dicens: *Quos voluit Dominus elegit; elegit autem etiam ſecundum ſuam gratiam, & ſecundum illorum iuſtitiàm.* Vbi non ſolum admittit Electionem ad gratiam gratis factam, & abſque præuiſis meritis, ſed etiam admittit electionem ad gloriam ex iuſtitia, ſed ex meritis gratiæ præuiſis. Magiſtro conſonant diſcipuli. *Proſper lib. de vocat. Gent. c. 33. Fruſtra dicitur, ratio operandi non eſt in electis; quoniam ad hoc operantur, vt eligantur.* Ex quo intelligit, opera conferre ad diuinam electionem. *Fulgent.* quoque *l. 1. contra Monim. c. 24.* idem exprimit, dum ait: *Prædeſtinauit illos ad ſupplicium; quos à ſe præſciuit voluntatis malæ vitio diſceſſuros, & prædeſtinauit ad regnum, quos ad ſe præſciuit miſericordiæ præuenientis auxilio redituros, & in ſe miſericordiæ ſubſequentis auxilio eſſe manſuros.* Nec deeſt pro hac ſententia multiplex ratio. Prima, quia aliàs Deus eſſet acceptor perſonarum, quod eſt contra iuſtitiam. Nec dicas, quod non eſt acceptio perſonarum vbi nulli quis debet. Deus autem nulli debet gloriam; imò omnes homines damnationem merentur. Vnde ſi aliquos liberet, hoc eſt ſuæ bonitatis; ſi alios non liberet, hoc eſt ſuæ iuſtitiæ. Nam hæc reſponſio eſſet valida, ſi Chriſtus non eſſet mortuus pro omnibus; quia autem per mortem omnes redemit, & reparauit lapſum noſtræ naturæ, ideò tenetur ex iuſtitia omnibus, & ſingulis ſubuenire; & ſic ſi ante præuiſa merita aliquos prædeſtinaret, & non alios, eſſet acceptor perſonarum. Secunda, quia electio ante præuiſa merita non videtur ſatis cõueniens bonitati diuinæ, quę deſiderat ſalutẽ omniũ. Tertia, quia videtur tollere omnem ſolicitudinem de ſalute. Quarta: ſi Deus ex ſe ipſo, ante præuiſa merita, & ante præuiſum conſenſum noſtrum abſolutum, immediatè, & abſolutè, & efficaciter eligeret prædeſtinatos ad gloriam; non maneret in eis libertas, vt damnari poſſint, & non ſaluari; quamuis liberi manerent circa ſingulas actiones in particulari; induceretur enim neceſſitas antecedens. Quinta: Si Deus prædeſtinaret ante merita, reprobaret etiam ante demerita. Nec dicas, reprobationem tantum negatiuam eſſe ante demerita.; poſitiuam verò ad pœnam eſſe poſt præuiſa demerita: Nam reprobaret etiam poſitiuè ante demerita, quod ſapit Caluiniſmum. Patet hoc exemplo. Electio ſaluandorum ſe habet ſicut electio lapidum, ex quibus domus conſtruitur: ſed architectus, qui ex pluribus lapidibus aliquos tantum accipit ſufficientes ſuo ædificio, & ipſos ſignat;

hoc

hoc faciendo, alios poſitiuè reijcit; quia non poſſunt inſeruire domui fabricandæ, ſi architectus illos non ſeligat: A pari Deus volens certum numerum hominum ſaluare; ſi aliquos tantum accipiet, quos ſignet charactere prædeſtinationis: alios certè quaſi poſitiuè reijcit: quia ſcilicet non poſſunt ſaluari, niſi ſint electi: & ſic non eligi eſt reprobari poſitiuè. Adde, quod non eligendo priuat gloria, tanquam beneficio indebito, vt volunt *Gonetus* & alij. Sed non poteſt priuare gloria, quin deſtinet ad aliquam pœnam, cum priuatio Dei ſit ſumma pœna. Ergo &c. Sexta ex Scriptura: Gloria æterna dicitur præmium, merces, brauium, & corona iuſtitiæ. Atqui nullus vult efficaciter dare hæc omnia, niſi præſuppoſito merito. Ergo nec Deus vult efficaciter gloriam dare antecedenter ad præuiſionem meritorum. Satis ergo probabiliter dicitur, Deum antecedenter velle dare omnibus gloriam ratione ſuæ bonitatis infinitæ, in ſecundo autem ſigno velle, vt homines mereantur illam per bona opera ex gratia facta; in tertio præuidiſſe eos, qui benè, vel malè operaturi ſunt: in quarto tandem decreuiſſe voluntate conſequenti dare gloriam iuſtis tanquam mercedem; & pœnam iniuſtis tanquam punitionem.

6 Auctores huius ſecundæ ſententiæ probabiliter reſpondent teſtimonio illi principali primæ. In primis enim Apoſtolus dicit quidem, quod Deus dilexerit Iacob, antequam quidquam boni feciſſet; non tamen dicit, ipſum dilexiſſe, antequam præuidiſſet Iacob benè acturum. Deinde hoc intelligitur de electione ad gratiam, quæ reuera fit ſine præuiſione meritorum; non verò de electione ad gloriam, quæ fit conſequenter ad præuiſa merita. Quod autem non loquatur de prædeſtinatione ad gloriam, patet; quia ſequeretur quod etiam deſtinaſſet Eſau ad pœnam, ante præuiſa demerita; eodem enim modo de vtroque loquitur. Cum ergo dicit Apoſtolus, quòd Deus dilexerit Iacob, & Eſau odio habuerit, intelligendus eſt de dilectione, quæ tendit ad gratiam, non ad gloriam: non quod Deus voluerit gratiam dare Iacob, & negare illam Eſau, nulli enim Deus denegat gratiam; ſed per hoc verbum *odio habere*, intelligitur minus diligere. Eſt ergo ſenſus: Antequam quidquam boni, vel mali feciſſent, Iacob magis dilexi, conferendo illi maiores gratias, & Eſau minùs dilexi, conferendo illi minores. Porrò quòd per odio habere intelligatur minùs diligere, habetur ex Sacra Scriptura, dicente quòd is qui non habuerit odio Patrem, & Matrem, non poſſit eſſe Chriſti diſcipulus. Vbi non iubet Chriſtus, quòd habeamus, odium pro Patre, imò iubet, vt parentes colamus; ſed præcipit, vt minùs eos diligamus, quàm Deum. Dum dicit Apoſtolus, *Non eſt currentis, neque volentis; ſed Dei miſerentis*; intelligitur ſimiliter de gratia, non de gloria; id eſt, ſi Deus det nobis gratiam, non ideo dat, quia currimus, aut volumus, ſed quia miſeretur noſtri. Hoc tamen non impedit, quin habeamus gloriam, quia currimus, & volumus, non quidem ſine gratia, ſed cum gratia. Hoc idem indicant illa vocabula,

miſereor, miſericordiam præſto, & clemens ero, quæ non connotant de formali introductionem ad gloriam, ſed de conſequenti, benè verò remiſſionem peccatorum, & infuſionem gratiæ, quæ eſt purum donum miſericordiæ, & clementiæ Dei. Igitur non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, ſeù remittentis peccata per infuſionem gratiæ. Deinde præcipuum obiectum miſericordiæ, non eſt gloria conferenda, ſed peccatum remittendum. Ergo verba Apoſtoli non ſunt intelligenda de gloria, ſed de gratia; & dum dicit, *quem vult indurat*, hoc non debet intelligi de ſuſpenſione prædeſtinationis ad gloriam, ſed de ſuſpenſione gratiæ efficacis. Dum denique dicit Apoſtolus: *Nonne habet figulus poteſtatem ex eadem maſſa, facere vaſa in honorem, & vaſa in contumeliam?* Per *vaſa in honorem* parata, loquitur de illis, qui vocantur vocatione ſpeciali, quam nouit congruere, vt vocatus eam non ſpernat; *per vaſa contumeliæ* intelliguntur illi, qui communi vocatione vocantur, cum qua tamen ad gloriam peruenire poſſent, ſi vellent; ſed quia nolunt, fiunt vaſa contumeliæ, ſeù reprobi. Nec per hanc ſententiam arcanum prædeſtinationis non eſſet inſcrutabile; contra Paulum exclamantem: *O altitudo diuitiarum, &c.* Imò hoc potius Auctoribus primæ ſententiæ opponi poteſt, vt benè notat *S. Bon. u. cit. d. 41. q. 2. Si*, inquit, *non eſſet alia ratio, quare iſtum Deus elegit, & non illum, niſi quia ita Deo placet; certè iam non occulta dicerentur diuina iudicia, ſed manifeſta; cum quilibet hanc rationem capiat; nec dicerentur mirabilia, ſed potius voluntaria*. Arcanum ergo prædeſtinationis in gratia vocationis, ſitum eſt; licèt enim omnes vocentur ad gloriam, maiora tamen auxilia nonnulli accipiunt, quàm alii, & Deus interdum vocat alios vocatione tam congrua, quod reſpondeant; vt quando vocauit Paulum, Magdalenam, Latronem, &c. alios vocat vocatione tantum communi, cui poſſunt quidem reſpondere, non tamen reſpondent. Cur autem illos tali modo vocet, & iſtos tali, ſuper hoc iure exclamat Apoſtolus: *O altitudo diuitiarum!*

7 Priora pariter loca *Auguſtini* intelliguntur de electione ad gratiam, non ad gloriam. Cum autem *Auguſtinus lib. de corrept. & gratia*, ait: *Quicumque ex originali damnatione, diuina gratia diſcreti ſunt, procuratur eis audiendum Euangelium; & cum audiunt, credunt, & in fide perſeuerant, & ſic agunt correpti, vt emendentur*. Per hoc *Auguſtinus* non intendit probare prædeſtinationem eſſe cauſam meritorum; ſed intelligendus eſt de effectu temporaneo, reſpectu præuiſionis æternæ; ita vt ſit ſenſus, quicumque ex originali damnatione per præuiſionem meritorum diſcreti ſunt, procuratur eis in tempore audiendum Euangelium, & cætera merita, quæ præuiſa fuerunt ab æterno. Quando idem *Auguſtinus* ait ibidem: *Qui electi ſunt, electi ſunt per electionem gratiæ, non præcedentium ſuorum meritorum*; dicendum eſt, quòd *Auguſtinus* voluit prædeſtinationem non fieri ex præuiſis meritis ſolius liberi arbitrii, benè autem ex præuiſis meritis gra-

gratiæ: *Auguſtinus* enim agebat contra Pelagianos volentes prædeſtinationem fieri ex meritis ſolius arbitrij; quod non vult *Auguſtinus*, nec nos. Et in teſtimonio vltimo *Auguſtini* allegato à prima ſententia, intelligitur *Auguſtinus* de voluntate generali, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri, quæ re vera eſt purè gratuita: non autem de prædeſtinatione efficaci, & abſoluta, quia eſt ſtipendium iuſtitiæ, iuxta eundem Apoſtolum dicentem: *In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*.

8 Ad rationem fundamentalem triplex eſt reſponſio. Primò diſtinguendo maiorem: Dum media conducunt ad finem neceſſariò, & ex ſe ipſis naturaliter, concedo. Dum conducunt ad finem ex pacto, & beneplacito ordinantis, nego. Nam qui vult, V. g. Petrum viuere, vult etiam reſpirationem, & nutritionem Petri, & certò prius vult vitam, quàm reſpirationem, & nutritionem, quia nutritio, & reſpiratio ſunt media ex ſe ipſis ad vitam naturaliter conducentia, & non poſſunt eſſe volita, niſi propter hunc finem, nec poteſt ea efficaciter quis velle, quin velit vitam: At ſi Rex, V. g. vellet efficaciter Petrum eſſe Epiſcopum, vellet etiam ipſum eſſe doctum, & Sacerdotem, quia ſacerdotium, & doctrina ſunt media ad Epiſcopatum, ſed non vellet prius efficaciter, & irreuocabiliter Petrum eſſe Epiſcopum, quam Sacerdotem, & doctum, quia ſacerdotium, & doctrina non ſunt medium ex ſe ipſis naturaliter conducentia ad Epiſcopatum; ſed tantum ex ordinatione Eccleſiæ; ſuntque media, quæ poſſunt eſſe volita, quin finis, ſeu Epiſcopatus ſit efficaciter volitus. Hinc ad ſubſumptum, diſtinguo antecedens. Merita ſunt media ad gloriam conducentia ex ſe ipſis, & naturaliter, nego: quia poſſunt eſſe volita, quin gloria ſit efficaciter volita, vt patet de Iuda proditore, cui Deus dedit gratiam, & merita, & noluit efficaciter dare finem: ſunt media ex pacto Dei ordinantis acceptare merita gratiæ, & propter ipſa efficaciter, & irreuocabiliter dare gloriam, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Sic *Barth. Durandus*, & alii. Secundò, & melius. Ordinatè volens, prius vult finem, quàm media; ſi finis conſideretur in ratione finis, concedo: Pro tunc enim, qui vult finem efficaciter, vult media efficaciter, & ipſum finem vult ante media. Si verò conſideretur in ratione pręmii, nego: Nam pro tunc ordinatè volens non vult efficaciter dare præmium alicui, ſi non præuideat antea meriturum: gloria autem vocatur corona, merces, & retributio: nil mirum ergo eſt ſi Deus præuideat prius, & velit media, quàm gloriam. Tertiò. Quis ordinatè vult prius finem, quàm media, ſi finis comparandus ſit à ſe ipſo, concedo. V. g. prius homo vult ire Romam, quam emere, vel conducere equum ad iter perficiendum: ſi finis ſit comparandus ab alio, maximè ab agente libero, qui poteſt velle conſequi finem, vel non conſequi. Nego: Tunc enim non poteſt quis velle abſolutè finem agenti libero, niſi videat illum ſe determinare ad conſecutionem finis; prædeſtinati autem ſunt agentia libera. Ergo prius debet

præuidere cooperationẽ illorum, quàm deſtinare illos efficaciter ad gloriã.

9 Id quod iuxta hanc ſecundam ſententiam dictum eſt de adultis, quibus tribuitur gloria ob merita, quod ſcilicet nõ ſint efficaciter electi ad gloriã, niſi ex præuiſione meritorũ in gratia, & ex auxilio gratiæ futurorũ, quia in tempore non eis aliter confertur, niſi vt hæreditas, ob gratiam, qua ſunt filii Dei vt merces, eorum meritis correſpondens: idem etiam dicitur de paruulis, quod non eligantur efficaciter ad gloriam, niſi ex præuiſione iuſtificationis, in qua morituri ſunt; quia eis non niſi ob eam iuſtificationem confertur gloria, vt hæreditas tanquam filiis.

Notandum eſt quartò: Prædeſtinationem adultorum, quoad poſteriores effectus, nempè quoad cooperationem, qua vocationi cooperantur, & reſpondent, & quoad iuſtificationem, & quoad perſeuerandum in ea, eſſe in poteſtate prædeſtinatorum: quia eo auxilio præuenti ſunt cauſa libera, & per ſe eorum effectuum.

10 Fit difficultas, An prædeſtinatio quoad primam vocationem (quæ eſt primus effectus prædeſtinationis) ſit in poteſtate, ſeù libertate prædeſtinati. In qua *Vaſquez 1. p. d. 92. c. 2. Ruizius d. 25. Faſolus ar. 2. dub. 2. Maratius d. 38. ſect. 7. Alarcon d. 5. c. 7.* & alii communiter negatiuè reſpondent. Et meritò, quia id tantum eſt in poteſtate prædeſtinati, quod fieri poteſt ſuo libero conſenſu; prima autem vocatio, quæ eſt primus effectus prædeſtinationis, fit in prædeſtinato ante omnem ſuum liberum conſenſum; quia eam Deus in nobis ſine nobis liberè operantibus operatur, (& ex eo gratia operans) Ergo prædeſtinatio, quoad eius primum effectum, non eſt in poteſtate, ſeù libertate prædeſtinati, & conſequenter dicendum eſt, non totam prædeſtinationem, ſeù quoad omnes effectus, eſſe in noſtra poteſtate. Vt autem occurramus Aduerſariorum rationibus, concedimus quidem, quod ea ſola vocatio, quæ fit certa, & effectum habet, ſit effectus prædeſtinationis, & non illa, quæ caret effectu, ea tamen, quæ effectum habet, non tantum eſt effectus prædeſtinationis, quatenus habet effectum (qua ratione dicitur gratia cooperans) ſed etiam quatenus eſt præueniens ipſum effectum, ſeù cooperationem, (qua ratione dicitur gratia cooperans) quia etiam quatenus præueniens procedit à Deo, ex deſiderio gloriæ prędeſtinati, & ad eam radicaliter, ſeù initiatiuè conducit. Imò quatenus eſt præueniens eſt primus effectus, & quatenus cooperans eſt ſecundus, & ideò prædeſtinatio quoad primum effectum, non eſt in poteſtate prædeſtinati: quia vt præueniens præuenit noſtram libertatem, & conſenſum, quamuis quatenus cooperans eſt, & habet effectum, ſit in noſtra poteſtate; quia cum ipſa vocatione ſumus non ſolum conditio, ſed etiam vera cauſa phyſica libera conſẽſus; quia cum ipſa vocatione, vt cooperante operamur conſenſum; & id ſolum ſignificat *Petrus ep. 2. c. 1. Quapropter fratres magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*. Perſeuerantia item, quæ conuertitur cum prædeſtinatio-

ſtinatione eſt in noſtra poteſtate: at hinc non infertur, prædeſtinationem abſolutè eſſe in noſtra poteſtate, quia perſeuerantia, cum qua prædeſtinatio conuertitur, non eſt abſolutè in noſtra poteſtate: ſed ex ſuppoſitione eius, quod non eſt in noſtra poteſtate, nempè ex ſuppoſitione vocationis, quæ ex prædeſtinatione ſupponitur ad perſeuerantiam, & ideò quamuis ſuppoſita vocatione ſit in noſtra poteſtate perſeuerare, non eſt in noſtra poteſtate prædeſtinari.

11. Notandum eſt quintò, prædeſtinationem, quoad aſſecutionem ſuorum effectuum eſſe certam, & infallibilem. Quod ſignificatur *Ioannis* 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea.* Et 1. *Ioan.* 2. *A nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: ſi enim ex nobis fuiſſent, permanſiſſent vtique nobiſcum:* ex quo *Auguſtinus de bono perſeu. c.* 8. certitudinem prædeſtinationis deducit, dum ait: *Non erant ex eis; quia non erant prædeſtinati, ſi hoc eſſent, ex illis eſſent, & cum illis ſine dubitatione manſiſſent.* Quòd etiam ſatis ſignificat *Auguſtinus eodem lib. c.* 14. illis verbis, quibus definit prædeſtinationem: *Eſt præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Nec obſtat locus *Petri Epiſt.* 2. *c.* 1. *Satagite, vt per bona opera certam veſtram electionem faciatis.* Nam illis verbis non ſignificatur prædeſtinationem non eſſe firmam, & ſtabilem, vel quia vox *certam,* idem ſignificat, quod compertam, & notam, vt volunt *S. Thomas, Oecum. & Beda,* ita vt ſenſus ſit, quantum humana coniectura patitur, bonis operibus curent, vel ipſi reddi certiores ſuæ electionis, vt vult *S. Thomas,* vel alios, qui intuentur certiores facere, vt volunt *Oecumenius, & Beda,* vel quia quamuis vox *certam* idem ſignificet, quod vox *firmam, & ſtabilem,* illud tamen verbum *Satagite,* non denotat electionem noſtram, quoad ſuos effectus eſſe inſtabilem, & incertam, ſed ſolam firmitatem, & certitudinem prædeſtinationis pendere à noſtra libertate, & conſenſu, quia omnes effectus, excepta prima vocatione, vt præueniente, pēdent à noſtra libertate. Illud verò *Pauli* 1. *ad Cor.* 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar,* non facit contra nos; quia vox *reprobus* non ſignificat deſtinatum ad pœnam æternam, nec non deſtinatum ad gloriam, ſed improbum, ſeu malum; Paulus enim, vt non fieret improbus, & dignus pœna æterna caſtigabat corpus ſuum. Et pariter prædeſtinatio eſt certa vt applicata ipſis ſubiectis, ſeu perſonis prædeſtinatis, quibus confertur. Deus enim habet certam, & infallibilem notitiam de numero prædeſtinatorum, tum materialiter, ſeu quot ſunt prædeſtinati, tum formaliter ſumpto, ſiue quinam ſint prædeſtinati: *Ioannis* enim 10. ait Chriſtus, *Cognoſco oues meas & cognoſcunt me meæ,* & 2. ad *Timoth.* 2. ait *Apoſtolus. Nouit Deus, qui ſunt eius.*

12 Si autem velis ſcire, an numerus prædeſtinatorum ſit maior, an minor, quam numerus reproborum. In primis *S. Thomas* 1. *par. qu.* 63. *ar.* 9. *Bellarm.*

Iarm. l. 2. de Gratia, & lib. arb c. 15. Aluar. d. 6. c. 2. aliique communiter docent ex Angelis maiorem eſſe numerum prædeſtinatorum, quàm numerum reproborum, quod abſque dubio tradit *Cyrillus Alexandrinus l. 1. in Genes.* & communiter probatur ex illo *Apoc. 12.* vbi dicitur, Draconem traxiſſe tertiam partem ſtellarum in terram. Inter ipſos homines *D. Thomas 1. p. q. 23. ar. 7. ad 3.* docent, plures eſſe reprobos: & conſentiunt alii communiter. Colligitur ex illo *Matthæi 20. Multi ſunt vocati, pauci verò electi*. Et *Lucæ 8.* in parabola de ſemine, quarta tantum pars dedit fructum. Et ex illo Chriſti *Matthæi 7. v. 14. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam.* Et cùm cuidam interroganti: *Domine ſi pauci ſunt, qui ſaluantur?* reſpondit *Lucæ 13. v. 24. Contendite intrare per anguſtam portam.* Quibus verbis, vt docet *D. Auguſtinus ſerm. 32. de verbis Domini, confirmauit Dominus; quod audiuit*, ſcilicet, paucos eſſe, qui ſaluantur. Et ex illo *Iſaiæ 43. Quomodo ſi paucæ oliuæ, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea, & racemi, cum fuerit finita vindemia.* Vbi his paucis oliuis, & racemis remanentibus poſt vindemiam comparat electos per reſpectum ad magnum numerum reproborum. Reddit rationem *S. Thomas*, quoniam beatitudo eſt bonum ſuperexcedens naturæ ſtatum: huiuſmodi autem bonum in paucioribus reperitur: ſicut in ſimili patet de ſcientia, quæ in paucioribus hominibus reperitur. Eoque magis, quod natura humana de facto deprauata eſt, & vitiata per corruptionem originalis peccati, vnde habet maximam propenſionem ad malum, & ideò facilius malum, quàm bonum operatur. Finis quoque huius diuinæ diſpoſitionis ex parte rerum aſſignari poteſt, vt magis ſplenderet magnitudo beneficii Diuini erga prædeſtinatos, quo paucioribus communicatur. Poteſt demum id experientia comprobari: in tota enim collectione hominum multò plures ſunt infideles, quàm fideles; ſine fide autem impoſſibile eſt quemquam ſaluari.

13 Si nomine Fidelium, & Chriſtianorum comprehendamus omnes, qui fidem Chriſti profitentur, etiam ſi ſint Hæretici, & Schiſmatici, ſic additis Catholicis malè morientibus, maior videtur numerus reproborum. Si autem intelligamus perfectè Fideles, qui in Eccleſia Romana Chriſto adhęrent; *ſic maior* videtur numerus prædeſtinatorum. Ita docent *Syluester in Roſa aurea tr. 2. Dominicæ Septuageſimæ, Suarez l. 6. de Prædeſtin. c. 3. Granadus tr. 12. d. 6. Alarcon tr. 4. du. 6. c. 2. Ruiz d. 54. Pallauicinus 1. 2. d. 21. q. 2. ar. 2. nu. 3. Auerſa 1. p. q. 23. ſect. 33. Serra ibidem ar. 7. Gauard. tr. de Prædeſt. qu. 2. ar. 8. num. 9.* & alii, quos ſequitur *Sebaſtianus ab Alexandro in ſua Libra Penſili*, & ego innui *in Lapide Lydio Theol. in comment. ad primam Propoſ.* Eſt contra *Aluarez, Æſtium, Molinam, Franciſcum de Lugo, Harinx, Catheranum, Recupitum*, & alios. Probatur: Tum quia inter inuitatos ad nuptias vnus tantum inuentus eſt ſine veſte nuptiali, ideſt ſine charitate, vt habetur *Matthæi 22.* Sed per inuitatos intelligitur fidelium multitudo, & per eos, qui admiſſi fuerunt ad conuiuium, intelliguntur prædeſtinati, & per reiectum intelli-

gun-

guntur reprobati: Ergo maior eſt numerus prædeſtinatorum, quam numerus reproborum. Tum quia, etſi natura humana ſit infirma, & vulnerata, attamen Fideles habent ſemper prompta Sacramenta, quibus ſanantur, & præſeruantur; & Sacramenta recipiuntur in fine vitæ à maiori parte Fidelium. Ergo maior pars Fidelium ſaluatur. Tum quia mors Chriſti Domini eſt infiniti valoris, & efficacis redemptionis, & quibus applicatur, vt in plurimum efficaciter applicatur ad hoc, vt decentem ſuis meritis obtineat effectum. Sed applicatur omnibus Catholicis fidelibus. Ergo maior pars fidelium ſaluatur. Tum quia videmus in vltima hora vitæ peccatores etiam ſceleſtiſſimos, & omnibus vitiis obnoxios, ingemiſcere, & conteri, & lacrymas emittere in deteſtationem ſuorum peccatorum, quod eſt ſignũ probabile ſalutis eorum. Ergò multò magis ſaluantur homines non adeo vitioſi. Sed maior eſt fidelium multitudo, qui non ſunt adeo ſceleſti. Ergo maior pars ſaluatur. Tum demum, quia homines ſaluandi replere debent ruinas Angelorum. Sed Angeli lapſi ſunt in maximo numero. Ergo homines, qui ſaluantur; debent eſſe in multo numero. Sed ſi maior pars fidelium damnaretur, paruus numerus ſaluaretur. Ergo maior eſt multitudo fidelium, qui ſaluantur, quàm qui damnantur. Solet opponi *S. Chryſoſtomus hom. 40. ad Pop. Antioch.* vbi ait: *Quot putatis eſſe in hac Ciuitate, qui ſalui fiant? Non poſſunt numerari in tot millibus centum, qui ſaluantur: quin & de his dubito: quanta enim eſt in iuuenibus malitia, quantus in ſenibus torpor?* At communiter intelligitur *S. Chryſoſtomus*; quòd loquatur ſecundum ſtatum præſentis iuſtitiæ; inquit enim, eos, qui vel per totam vitam, vel ſaltem per longum tempus iuſte viuunt, eſſe pauciſſimos; & quod fortè in illa magna Ciuitate non perueniebant ad centenarium numerum: non igitur loquitur de numero prædeſtinatorum in ordine ad numerum reproborum, ſed de numero Sanctorum in ordine ad numerum eorum, qui ſæpè delinquunt: Vel meliùs dicas, *S. Chryſoſtomum* loquutum per exaggerationem: ſicuti etiã per exaggerationem loqui videtur *Damaſcenus*, qui in quodam ſerm. de Sanctis tenere videtur, ferè omnes fideles ſaluari. Comparatione demum facta inter fœminas fideles adultæ ętatis ex vna parte, & inter viros adultos fideles ex altera, *Marſilius in 2. ſent. qu. 13. dub. 4.* exiſtimat, vtrumque numerum quoad prædeſtinationem eſſe parem. *Aliqui ſtant pro viris*, *Gaſp. Hurtadus* inclinat, ad iudicandum plures fœminas eſſe prædeſtinatas, quàm viros; quia viri licentioſiùs viuunt, quàm fœminæ, cui accedunt, quod multi viri poſt legem gratiæ moriuntur ſine Sacramentis, & ante legem gratiæ mortui ſunt, minus præparati quàm fœminæ, in bellis, & in naufragiis, & in itineribus maris, & fluminum, & latronum, & in rixis etiam in propria patria.

14 Notandum eſt ſextò, certum de Fide eſſe, neminem in hac vita abſque ſpeciali Dei reuelatione poſſe eſſe certum de ſua, vel alterius prædeſtinatione in particulari: vt habetur expreſsè in Sacra Scriptura; nam *Eccle-*

ſiaſt.

*ſiaſt.9.*dicitur: *Nemo ſcit vtrum odio, an amore dignus habeatur, ſed omnia in futurum reſeruantur incerta*. Quem locum de odio, & amore ſecundum æternam prædeſtinationem, & reprobationem explicant *D. Auguſtinus lib. de ſpiritu, & anima c.59. & Conc. Trid. ſeſſ.6.c.12.* vbi damnat hæreſim Caluini, & aliorum, definiens: *Quod ſine ſpeciali Dei reuelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit: & Can.15.* damnat eum, qui dixerit: *Hominem renatum, & iuſtificatum teneri ex fide credere, ſe eſſe in numero prædeſtinatorum: & Can.16.* Sic definit: *Si quis magnum illud vſque in finem perſeuerantiæ donũ ſe certò habiturum infallibili, & abſoluta certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali reuelatione didicerit, anathema ſit.* Ex aliquibus tamen ſignis, vel indicijs poteſt probabiliter, ſeu coniecturaliter cognoſci, aliquem in particulari eſſe prædeſtinatum, cum dubitatione tamen, & formidine alterius partis. Signa autem prædeſtinationis vocantur illi externi effectus, & notæ, ex quibus venire poteſt electus in cognitionem probabiliſſimam electionis ſuæ a Deo factæ, ac futuræ in Cœlo coronæ, quibus ſcilicet admitti aliquo modo poſſit ad intrandum in Sanctuarium ad cor ipſum Dei introſpiciendum, ad legendum nomen ſuum ſcriptum ab æterno in libro vitæ ſignato ſigillis ſeptem, & ſcripto litteris aureis, ſtylo adamantino in mente, ac memoria Dei, qui ſolus nouit, quos elegit. Hæc eſt communis doctrina Patrum, & Theologi omnes ſtatuunt, videturque ſignificatum *2. Petri 1. Satagite, vt per bona opera certam (ideſt compertam) veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Et ſic exponitur à *D. Bernardo ſerm.5. in dedicatione Eccleſiæ*, & aliis illud *Apoſtoli*, *Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei*, expreſſitque etiam idem *Mellifluus ſerm.2. in Octaua Paſchæ* dicens: *Quãuis Dominus decreuerit beneficium hoc prædeſtinationis eſſe nobis occultum, vt iuxta præceptum Apoſtoli, cum timore, & tremore ſalutem noſtram operemur; non tamen penitùs ſine conſolationis teſtimonio electos ſuos in hac parte dereliquit, ſed quibusdam ſignis eos notauit*. Videtur autem aperta eſſe ratio, quià non poteſt melius innoteſcere nobis ſecreta illa voluntas, & latens in abdito decretum Dei, quàm ex effectibus, qui ab ea nobis aliquo modo manifeſti fiunt, qui dantur ex intentione ſalutis, & cum ea connexionem habẽt. Ergo habentur in hac vita ſigna quædam prædeſtinationis.

§. SECVNDVS.

Signa naturalia, & ſupernaturalia prædeſtinationis recenſentur.

15 Signa illa, ſeu effectus, per quos innoteſcit nobis prædeſtinatio, diuidi commodè poſſunt in ea, quæ ſunt naturalia, & ea, quæ ſunt ſupernatu-

naturalia: Naturalia illa vocat *Georgius de Rhodes d. 5. de Deo qu. 2. ſect. 7. §. 4.* quibus homo diſponitur, vt Diuinæ vocationi facilius obediat, vt melius vitet peccata, & conſtantius perſeueret in gratia: huiuſmodi ſunt indoles bona, & ad virtutem nata, & effecta, corporis temperamentum moderatū, paſſionum tranquilla, & ab omni perturbatione libera quies, optima educatio, ſocii probi, exempla bona: per hæc enim omnia, commodum virtutibus videtur hoſpitium Deus præparare, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ. Inter ſupernaturalia ſigna primarium, & ferè infallibile ſignum eſt iuſtificatio, & conſtans perſeuerantia in cuſtodia mandatorum Dei: quem enim vides abſtinere, diu à peccatis, exercere ſedulò pietatis opera vſque ad finem vitæ; ille haud dubie pignus habet ſpiritus, & hæreditatis in corde ſuo, ratione cuius tutò clamare poteſt, Abba Pater. Conſonat *D. Thomas 2. ad Cor. 13. lect. 2. & D. Auguſtinus lib. de bono perſeu. c. 22.* Vnde ſigna ſunt prædeſtinationis quæcumque ad diuturnam illam conferunt perſeuerantiam, vel certè ſunt eius ſigna.

16 Primum eſt timorata conſcientia, & horror mortalis peccati, aut etiam venialis. Qui enim *ſpernit modica, paulatim decidet.* Promittitur Deū timentibus æterna vita, qui eſt vltimus prædeſtinationis effectus. *Prouerb. 14. Oculi Domini ſuper timentes eum, dans illi vitā, & benedictionem.* Idem repetitur *Prouerb. 19. Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur,* ideſt, vt ibi *Gloſſa, Timor Domini ducit ad vitam; & in plenitudine benedictionis commorabitur.* Hoc ipſum probatur ex aliis locis, *Pſal. 60. Dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum, Domine. Eccleſ. 1. Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die obitus ſui benedicetur. Prou. 28. Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus. S. Ephrem Syrus ſerm. de Timore Dei* ait: *Timor Domini bonam animæ ſpem annunciat, ipſique ſceptrum cæleſtis regni tradet.* Hic autem Dei timor ſi cohibeat vt plurimùm à lethali peccato, magnum eſt prædeſtinationis indicium; quia vt plurimum tollit impeditiua finis: Maius indicium eſt, ſi ſemper; ita vt quis nō ſit conſcius toto vitæ temporæ lethalis peccati, per quod innocentia baptiſmalis ſit amiſſa: Maximum autem, ſi extendat ſe ad peccata etiam leuia, ita vt ea etiam timeantur: neque venialia ſtudioſè patrata, & cum plena deliberatione admittantur, vt eſt mendacium aduertenter prolatum. Ab his abſtinere maximum cenſeo, quod haberi poteſt in hac vita prædeſtinationis pignus. Talibus enim deſtinata eſt gloria. *Apoc. 14. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, &c. Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit, & in ore eorum non eſt inuentum mendacium.* Hoc loco ad ſignificandos eos, qui immaculatos ſe præſtiterunt à peccatis, apponuntur pro exemplo ea peccata, quæ frequentius committi ſolent, vt inter peccata lethalia ſimplex fornicatio, inter venialia ſimplex mendacium; niſi fortè mendacii nomine intelligatur quodlibet peccatum aduertenter prolatum: cum omne peccatum, ex eo quod aliud præferat; nempe bonum delectabile, & aliud abſcondat nempe malitiam, dici poſſit mendacium. Talis fuit

Digitized by Google

S.Thomas Aquinas,de quo Frater Raymundus eius ſocius, in eius morte prædicans dixit. *Ego totius Doctoris vitæ exterioris, & totius conſcientiæ ſuæ teſtis ſum, & frequenter, & nunc in morte ſua generalem eius confeſſionem audiui,quem ita purum ſemper reperi,ſicut puerum quinque annorum.*

17 Secundum ſignum eſt conſiliorum obſeruantia; quia mandata Dei difficilè violat, qui conſilia cuſtodit, præſertim cùm etiam illis regnum Cœlorum promiſſum ſit. Et de paupertate omnibus comperium eſt. *Beati enim pauperes ſpiritu,quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.* Ipſa enim eſt,vt dixit *S.Laurentius Iuſtinianus,manuductrix in via,qua ducit ad Cælum.* De obedientia, prout eſt conſilium Euangelicum,patet, quod ſit ſignum Prædeſtinationis; *quoniam,*(inquit idem *Laur.Iuſtinianus in ligno vitæ tr.6. c.6.*) *in obedientiæ perfectione laudabilis,Dei virtus,& Cæleſtis præmij certitudo donatur.* De Caſtitate verò patet ex *Sapientiæ 4. O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! Immortalis eſt enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota eſt,& apud homines. Et in perpetuum coronata triumphat,incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* Hinc *S.Athanaſ.l.b.de Virgin.* exclamat: *O Virginitas corona, quæ nunquam marceſcit,templum Dei, Sacrarium Spiritus Sancti,gemma pretioſiſſima à paucis inuenta, à multis odio habita, à ſolis dignis optata! O continentia mortem deſtruens, poſſidens immortalitatem!* Et *S. Bern.Epiſt.ad Henricum* inquit, *Quod ſola eſt caſtitas,quæ in hoc mortalitatis loco,& tempore ſtatum quendam immortalis gloriæ repræſentat.*

18 Tertium ſignum eſt guſtus Diuinorum, & affectus erga ſpiritualia, & præſertim diuini verbi auditionem.Sic *Georgius de Rhodes ſupra §.4.* quia inquit, *Per illa mens corroboratur ad bona opera, & ad vincendas tentationes confortatur.* Communius alij,inter quos *Andreas Leo 1.p.q.23.ar.7.diſp.145. Piſanus hìc,*& alij hoc ſignum exprimunt dicendo,eſſe libenter audire verbum Dei,& quadam interiori dulcedine, & ſuauitate guſtare illud. Ita *D. Greg.hom.38.in Euangelia.* Et id colligitur ex illò *Ioannis 8. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Porrò beatitudinis inchoatio eſt tantùm audire verbum Dei libenter,& quadam interiori dulcedine,& ſuauitate guſtare illud; eſtque quoddam præreequiſitum, & bonum etiam ſignum prædeſtinationis (quo carebant illi,quos redarguit Chriſtus *cit.c.8.Ioannis*), ſed non perfectum;perfectiuſ ergo ſignum electorum eſt audire,& opere implere audita;propterea eodem *c.8.* Chriſtus inquit: *Si manſeritis in verbo meo, verè diſcipuli mei eritis,& cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Quid eſt manere in verbo Dei?* inquit *Auguſtinus ſerm.48. de verbis Domini ſecundum Ioannem tom.10.*)*niſi nullis tentationibus cedere?* Et ibidem. *Manere in verbo Dei labor eſt? an non? Si labor non eſt,gratis accipis præmium; ſi labor eſt, attende magnum præmium. Interdum opere non implent,quia non audiunt,* quaſi ſibi ipſis verba dicta. Vnde *Bern.ſerm.1.in Quadrag.* Exponens relata verba: *Qui ex Deo eſt,verba Dei audit,&c. Nonnullos* (inquit) *ſic audientes inuenies,ac ſi nihil ad eos omnino pertineat, quæ dicuntur non intrare cor ſuum, non*

diſcu-

diſcutere mores ſuos,non cogitare,ne forte,quod audiunt, dictum ſit propter eos, magis autem ſi fortè ſermo Dei viuus, & efficax manifeſtè aduerſus vitia illa proceſſerit,quibus ſe ipſos ſentiunt obligatos,diſſimulant, & auertunt oculos cordis ſui,aut qualibet adinuentione palliant vitia, & ſeducunt miſeri ſemetipſos. In his ergo ſalutis ſigna non inuenio;magis autem vereor, ne forte propterea non audiunt verbum Dei,quia ex Deo non ſunt.

19 Quartum ſignum eſt Frequenter in hoc ſæculo aduerſitates,& tribulationes patienter toleratæ. Ita *Leo ſupra*,& alii communiter. Patet *Matthai 5.Beati,qui lugent,quoniam ipſi conſolabuntur:& Luca 6.Beati, qui nunc fletis,quia ridebitis.*Et ſimiliter *Matthai 5. Beati,qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam,quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum.* Super quæ verba *S.Gregorius Nyſſenus* tribulationem huius mundi vocat Florem gloriæ: Flos autem pignus quoddam eſt fructus: ex floribus enim fructum colligimus, & ex multitudine florum multitudinem, & copiam fructuum; vnde vbi nullos in arbore videmus flores,nullos inde fructus ſperamus. Ait igitur *Nyſſenus: Fructuum,quos ſperamus, flos afflictio eſt: propter fructum igitur etiã florem decerpimus.* Conſonat locus *Actorum 14.Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* Vnde infertur, iis, qui tribulationem non patiuntur,claudi aditum ad Regnum Dei. Quæ eſt illatio *Hieronymi epiſt.ad Oceanum de ferendis opprobrijs.* Vbi, *Si,*inquit,*per multas tribulationes quibuſdam aperitur aditus ad Regnum Dei;illis vtique clauditur, qui nolunt ſuſtinere, vel paucas.* Quod ſi oportet in Regnum Dei introire per tribulationes, hę vtique erunt portæ: & ſic, qui ſunt in tribulationibus, ſignum habent prædeſtinationis potiſſimum,nempe introitus in Regnum Dei: quia iam conſtituti ſunt in porta. Ideo *Ioannes Abbas*,vt refertur in vitis Patrũ *l.3.nu.84. Auctore Ruffino: Hæc eſt,* inquit, *Dei porta,per quam Patres noſtri per multas tribulationes,& iniurias gaudentes ingreſſi ſunt in Ciuitatem Dei.*

20 Quintum prædeſtinationis ſignum eſt miſericordia, quæ ex corde miſeriis aliorum,vt propriis condolens,eas affectu charitatis, quis ſubleuare ſtudet. Ita expreſsè *S.Auguſtinus de ſerm.Domini, S.Hieronymus in Epiſt. ad Nep. S.Chryſoſt.ſerm. ſuper Matth.* & alii communiter, quos ſequuntur Theologi vnanimiter. Patet *Tobiæ 12.Eleemoſyna eſt, quæ à morte liberat,& ipſa eſt,quæ purgat peccata,& facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam. Pſalm.40.Beatus,qui intelligit ſuper egenum,& pauperem;in die mala* (in die iudicij,vt explicant,*Auguſtinus, Hugo Card.* & alii)*liberabit eum Dominus. Dominus conſeruet eum,& viuificet eum,&c. Pſalm.111.v.5. Iucundus homo, qui miſeretur,& commodat,diſponet ſermones ſuos in iudicio; quia in æternum non commouebitur. Matthai 25. Venite benedicti, &c. eſuriui enim,& dediſtis mihi manducare,&c.Lucæ 16.Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cum defeceritis,recipiant vos in æterna tabernacula.* Hoc tamen ſignum maximè illi habent,*qui intelligunt ſuper egenum;& pauperem:*ii ſcilicet, qui non ex quadam prodigalitate quibuſdam connaturali,ſed Eleemoſynas largiuntur

tur ex conſideratione,& aduertentia : conſiderando in pauperibus ſiue imaginem Dei,ſiue perſonam Chriſti ; & illos ex corde compatiendo, vt notat ibi *Hugo Cardinalis*,item *intelligit*, hoc eſt, vt interpretantur *S. Auguſtinus,& Gloſſa*,etiam pauperi,& non petenti eleemoſynam offert. Intelligere igitur ſuper egenum , & pauperem eſt, non ſolùm exteriori manu eleemoſynam pauperi elargiri,verum etiam intus de huiuſmodi remedio pauperis cogitare affectu pietatis,eo modo, quo pater curam quandam vehementem,& affectuoſam interius gerit erga filios ſuos, tunc etiam quando ipſi filii nihil à parente requirunt, nec de ſe cogitant ipſi ſic de ſe *Iob. c.29 v.15.*dicit,*Oculus fui caco,& pes claudo: pater eram pauperum*. Hoc autem ſignum adhuc inops habere poteſt,dicitur enim *Prou.19. Fœneratur Domino,qui miſeretur pauperis*. Non dicit, qui eleemoſynam erogat pecuniarium,ſed qui miſeretur. Quia qui eam dare non poteſt, & ex corde elicit actum compaſſionis de miſeria pauperis, paratus ad dandum, ſi haberet: vtique eo modo fœneratur Domino, ac ſi daret. Ideo *Auguſtinus in ſerm. Comm.ſer.7.Fortè aliquis dicit,Ego terrenam ſubſtantiam non habeo,quam poſſim pauperibus erogare; accipe præclarum,& præcipuum Eleemoſynarum genus; ſit in te bona voluntas;omnes homines,ſicut te ipſum dil gas: pro omni ora:hoc illis deſidera,quod tibi velis,&c.* Vnde fit vt à pauperibus, & Religioſis eleemoſyna fieri poſſit oratione,& deſiderio: quemadmodum de *S. Antonio Patauino* tradunt, qui Salutationem Angelicam pro paupere petente eleemoſynam erogabat. Exerceat, qui poteſt opera miſericordiæ ſpiritualis, præſertim præbendo bona conſilia,retrahendo peccatores à peccatis,& reducendo ad ſtatum gratiæ: hæc enim eleemoſyna eſt altioris ordinis, per quam animæ eſurienti, & ſitienti præbetur cibus, & potus ſpiritualis: hoſpes,& exul reducitur ad viam patriæ; nudus veſtitur habitu gratiæ;ægrotus non ſolùm viſitatur,ſed etiam ſanatur:mortuus non ſepelitur, ſed reſuſcitatur: animæ denique eſurienti,erranti,nudæ,ægrotanti,mortuæ ſubuenitur.Quod expendens *Chryſoſt.hom.3.in 1.ad Corinth. Nullius,*inquit, *rei pretium eſt cum anima conferendum: ne totus quidem mundus. Quare etiamſi diuitias innumeras pauperibus dederis, nihil tale efficies,quale is, qui conuertit animam.*

21. Sextum prædeſtinationis ſignum eſt ardentiſſima in Deum charitas,& amor proximi, qua agimur, vt agamus opera virtutum, iuxta illud *Rom.8. Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei, quod ſi filij & hæredes;hæredes quidem Dei,cohæredes autem Chriſti:*ibidem. Sic *Gauardus de Prædeſt.q.6.ar.7.nu.10.Ioannes Maria Verratus tr.de Prædeſt.* & alii. Et de prima patet,tum ex *Apoſtolo eodem c.8.ad Rom.*dicente: *Scimus,quoniam diligentibus Deum,omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti.*Et pauló poſt. *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio? &c.* Si ergo ardenter amans Deum non ſeparatur à termino prædeſtinationis,habet potiſſimum ſignum prædeſtinationis,Tum etiam

quia

quia charitas perfecta,ita diſponit animam ad bonum, vt omni mortifero peccato ingreſſum obſtruat:non quidem phyſice,ſed moraliter loquendo: qui enim perfecte diligit Deum,eum offendere nimis cauet,&c.Et hoc exprimere voluit *Ioannes Epiſt.1.c.3.Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit,quoniam ſemen ipſius in eo manet; & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt:* Natus eſt ex Deo,qui habet charitatem, vt explicat *Auguſtinus tr.5.in Ioannem.*Qui autem non peccat mortaliter,habet ſignum prædeſtinationis,iuxta ſupra dicta. De amore proximi etiam conſtat; quia qui implet legem,ſignum habet prædeſtinationis,qui autem amat proximum, legem implet. *Omnis enim lex in vno ſermone impletur; diliges proximum,ſicut te ipſum.Galat.5.ver.14.*Ergo,&c.Et quidem,vt inquit idem *Apoſtolus 2.Cor.13.Charitas patiens eſt,benigna eſt,charitas non æmulatur,non agit perperam,non inflatur, non eſt ambitioſa,non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum,non gaudet ſuper iniquitate,congaudet autem veritati,omnia ſuffert, omnia credit,omnia ſperat,omnia ſuſtinet. Hæc*(vt ait *D.Zeno Veronenſis Epiſcopus ſerm.de Fide ſpe,& charit.*)*bella præmit,lites tollit,iura euacuat,fora compeſcit: odia eradicat,iras extinguit. Tu vt nudum veſtias, nuda eſſe contenta es. Tibi fames ſaginatio eſt,ſi panem tuum inops eſuriens manducauerit, tuus cenſus eſt, totum in miſericordia habere quod habes.Tu ſola rogari non noſti.Tu oppreſſos vel cum diſpendio tui incunctanter eripis in qualibet anguſtia conſtitutos. Tu cæcorum oculus,tu pes claudorum. Tu ſcutum fideliſſimum viduarum.Tu melior pupillorum plus,quàm vterque parens. Tibi oculos nunquam ſiccos eſſe aut miſericordia permittit,aut gaudium.* At maximum, & potiſſimum ſignum prædeſtinationis eſt dilectio inimicorum,vt cum Verrato citato docent communiter Theologi. Et probatur ex illo *Matth.5. Beati pacifici; quoniam filij Dei vocabuntur. Beati mites, quoniam ipſi hæreditatẽ poſſidebunt terram. Illam,* inquit *Auguſtinus l.1.de ſerm.Dom. credo terram,de qua in Pſalmo dicitur, ſpes mea es tu,portio mea in terra viuentium.*Et infra idem Dominus. *Diligite inimicos veſtros: benefacite his, qui oderunt vos: vt ſitis filij patris veſtri, qui in Cælis eſt:* hoc eſt, ſic indicium eximium præbebitis vos eſſe de numero filiorum Dei:adeoque de numero prædeſtinatorum: quia *ſi filij & hæredes; hæredes quidem Dei,cohæredes autem Chriſti.*Ad *Rom.*8. Tribuitur autem filiatio Dei primariò, & per ſe gratię, quia per gratiam Dei filij efficimur; ſed tamen quoad exercitium, & praxim filiatio Dei ſpecialem locum habet in his,qui diligunt inimicos:talis enim dilectio à charitate interna, quæ propria filiorum Dei eſt,procedit, & à gratia radicaliter,à qua formaliter quis dicitur filius Dei. Vnde is,qui parcit inimico, & benefacit ei, & orat pro eo,& denique diligit,& amat eum,gaudeat, & lætetur vehementer;tã maximum ſignum eſt,quòd ſit filius,& hæres, & cum Patre Cœleſti æternùm regnaturus. Vnde dici poteſt cuilibet inimicis condonanti, quod dictum eſt *Dauid*,vt aduertit *Chryſoſt.Egreſſus eſt de ſpelunca cum capite coronato: eo quòd hoſtem dimiſerit, & nactus occidendi poteſtatem,pepercit. Qui*

enim

Digitized by Google

enim lætus inimico parcit, in gloriæ coronam habet in Cælo.

22 Septimum ſignum prædeſtinationis eſt humilitas. Sic Patres, & Theologi. Patet *Pſal.33. Humiles Spiritu ſaluabit. Pſal.17. Tu populum humilem ſaluum facies. Matthæi 5. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum*: per pauperes ſpiritu intelligit *Auguſtinus l. 1. de ſerm. Dom. in monte humiles, non habentes inflantem ſpiritum. Matthæi 18. Quicumque humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in Regno Cælorum.* Idcirco ſedes altiſſima viſa eſt inter Seraphim, dictumque: hæc ſedes humili ſeruatur Franciſo, vt refert *S. Bonau in eius vita c.6.* & Apoſtolis contendentibus, quis eorum eſſet maior, apprehendit Chriſtus puerum, & in eorum ſtatuit medio, dicens: *Niſi efficiamini ſicut paruulus iſte, non intrabitis in Regum Cælorum*: *Matthæi cit.c.18.* Hanc igitur amemus, hanc petamus cum B. Aloyſio, cuius hæc ad SS. Angelos oratio erat. *Oro vos, Angeli beati, vt auxilio veſtro, quaſi manu dignemini me per regiam humilitatis viam deducere, quam vos primùm inſtituiſtis, vt poſt hanc vitam vnà vobiſcum æterni Patris faciem contemplari merear, & reponi in locum alicuius ſtellæ, olim per ſuperbiam de Cælo lapſæ.*

23 Octauum ſignum Prædeſtinationis eſt Paſſionis Chriſti grata memoria. Sic Theologi cum Patribus, inter quos Bernardus *ſerm.43. in Cant.* ad illa verba: *Faſciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, inquit, *In ea conſtitui diuitias ſalutis: eam tutum præbere iter; per eam conciliari mundi Iudicem.* Et patet probari ex verbis, quæ ſubdit ſponſa ibidem: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*, nempe ex Hebræo, vt aduertit Cornelius à Lapide, *Botrus pulchritudinis in fonte felicitatis.* Secundò ex *Cantic.2. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ; oſtende mihi faciem tuam.* Columba in foraminibus Petræ eſt anima per meditationem deuotam in Chriſti vulneribus. Habet autem ſignum prædeſtinationis, tum quia dicitur columba, quæ eſt Symbolum animæ electæ, ex illo *Cant.6. vna eſt columba mea, perfecta mea, electa genitrici ſuę.* Tum quia, vt inquit *D. Bernad. ſerm.61. in Cant. in his foraminibus ſe columba tutatur, & circumuolantem intrepida intuetur accipitrem; in petra ſecuritas; in petra exaltatus: in petra ſto firmiter.* Quod fit clarius in verſione Vatabli: *Columba in receſſu ſcalarum, vel in abſcondito graduum*: habemus enim per Chriſti vulnera tanquam per ſcalas vſque ad ipſam Dei viſionem aſcendi. Dicit autem in *receſſu, ſiue in abſcondito ſcalarum*: quaſi ſint quędam cochlea, ſiue ſcala occulta, per quam ad faſtigium in turribus ſolet aſcendi compendioſiùs, & tutiùs. Quo ſignificatur, animam ſub hoc tegumento Chriſti vulnerum, tutam eſſe, ac tectam ab hoſtium incurſibus progredi ad culmen æternæ gloriæ. Et quia illa verba: *Oſtendi mihi faciem tuam*, opinatur *Nyſſenus orat.5. in Cant.* eſſe ſponſæ ad ſponſum, rectè inſinuant, quod illa anima, quæ habitat ſicut columba in foraminibus petræ id eſt in Chriſti vulneribus, poteſt meritò poſcere viſionem diuinam, & dicere, *Oſten-*

Oſtende mihi faciem tuam. Nec mirum, quia vt probabiliter docet *Recupitus 1.p.to.1.l.6.q.19.nu.5.* Chriſti vulnera phyſicè, & effectiuè producunt omnes, & ſingulos gradus gratiæ, qui dantur fidelibus tum in ſacramentis, tùm extra: neque ſolam gratiam ſanctificantem, ſed etiam excitantem, & concomitantem: ita vt omnes illuminationes intellectus, & omnes excitationes affectuum erga bonum ſupernaturale phyſicè cauſentur ab his vulneribus: Imò probat quòd ipſummet lumen gloriæ, quod producitur in Beatis, cauſatur phyſicè à Chriſti vulneribus. Adi illum, & non pigebit. At conſideratio debet eſſe deuota, ac affectuoſa, ſeù ex cordis affectu. Quamobrem *Bonau. Si vis* inquit, *homo, de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere, quotidiè quantùm potes deuotione, mediteris Domini paſſionem.*

24 Nonum ſignum prædeſtinationis eſt frequens, & deuotus vſus Euchariſtiæ, vt patet *Ioan.6. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et infrà: *Habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Sed de hoc fusè in *Alexandri Gladio in comment. ad Propoſ.23.* Quod ampliatur ad effectum circa venerationem Euchariſtiæ. Quippè prædeſtinatorum eſt proprium, Eccleſias frequentare, in ijs reuerenter verſari, Euchariſtiam, dum per plateas circumfertur ad ægros, quoad fieri poteſt, religioſè comitari; vt iam incipiant ſequi Agnum quocumque ierit: *Apocal.14.* Nec non prædeſtinationis non leue ſignum eſt, coram Euchariſtia, præſertim cum publicè exponitur, diù, ac libenter orare; atque Orbe illo Euchariſtico tanquam ex nouo Cęlo illapſos in animam benignos quoſdam influxus ſentire: aſſueſcentes iam hinc, ſub accidentium velo, illi eidem Deo, quo ſemper fruituri ſunt ſine velo. Claudam hæc omnia cum *S. Laurentio Iuſtiniano ſerm. de Euchariſtia: Qui Sacroſancta Corporis, & Sanguinis Chriſti myſteria maxima veneratione frequentant, diligentur à Deo, ſublimabuntur à Chriſto, protegentur ab Angelis, venerabuntur à populis, viſitabuntur in ſpiritu, ditabuntur donis complectentur à gratia, ac beatorum agminibus ſociabuntur.*

25 Decimum ſignum prædeſtinationis eſt religio erga Deum, & Sanctos, & præſertim B. Virginem. Etenim omne, quod ſpecialiter coniungit hominem cum Deo tanquam cum primo principio, ſpeciale prædeſtinationis eſt ſignum. Religio verò erga Deum & eſt huiuſmodi: Vnde dicitur à religando iuxta *D. Thomam 2.2.q.81. ar.1.* Præterea honor Deo exhibitus ſignum eſt gloriæ à Deo exhibendæ. Ideo dicitur *1. Reg. 2. Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Nulla autem maior apud Deum ignobilitas, quam reprobatio: ſicut non alij apud Deum nobiles, quàm electi. Adde, quòd in cæleſti patria totum prædeſtinatorum exercitium ſitum eſt in veneratione, & laude Dei: ideo dicuntur *Apocal.5. Viginti quatuor ſeniores cecidiſſe in facies ſuas, & adoraviſſe viuentem in ſæcula ſæculorum:* quod pertinet ad venerationem,

Ergo

Digitized by Google

Ergo ij, qui hic ſe exercent in venerando, & laudando Deum ſpecimen quoddam præferunt cæleſtium ciuium, ac proinde ſpecialem prædeſtinationis notam. Igitur proprium eſt electorum, de Deo reuerenter loqui, res ſacras reuerenter tractare, in templis reuerenter adeſſe, quæ ad Dei cultum pertinent non omittere, ad Deum in anguſtijs confugere. Quod verò pertinet ad religionem erga Sanctos, patet ex *Pſ. l.* 14. vbi ſignum à Propheta ſtatuitur prædeſtinati glorificare timentes Dominum, nondum mortuos: *Timentes autem Dominum glorificat.* Quantò magis erit ſignum glorificare Sanctos in Cæleſti Gloria collocatos? Et quidem Sancti gratia valent apud Deum omnium Principem; habere autem in eius aula patronos pro cauſa ſalutis ſignum eſt, eius impetrationis, & ſic prædeſtinationis. Quamobrem *Gregorius hom.* 32. *in Euang. Hos* (inquit) *Sanctos in cauſa veſtri examinis, quam cum diſtricto Iudice habebitis, patronos facit: hos in die tanti terroris defenſores adhibete.* Quod ſi Sanctus Dumſtanus, vt narrat Baronius anno Chriſti 959. cum adhuc viueret, Eduino Regi defuncto ſuis præcibus impetrauit, ne anima eius ad inferos damnaretur; multò magis impetrare poterunt Sancti, cum iam viuunt in Cęlis potiti Deo. Quippè, vt ait *Nazianz. Nunc tantò magis proficiunt nobis precibus, quantò ſunt Deo propinquiores.* Adde, quod viatores, qui Beatis præbent obſequium, iam habere incipiunt amicabile commercium cum iis, cum quibus conuerſaturi ſunt in Cælis: & ſic ſignum habent, quòd ſint Sanctorum conciues. Nempè, vt notat *S. Maximus ſerm. de Martyribus: Sancti eos, quibus eum familiaritas eſt, & in corpore viuentes cuſtodiunt, & de corpore recedentes excipiunt.* Hoc etiam procedit, quoad Sanctos Angelos, præſertim cuſtodes. *Exodi* enim 23. dicitur: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat ad locum, quem præparaui: obſerua eum, & audi vocem eius.* Signum igitur, quod introductus ſit ad locum, quem Deus præparauit, de quo dicitur electis *Matthæi* 25. *Percipite regnum præparatum, vobis ab origine mundi:* at ſi quis obſeruat eum, nempè venerando, & audiat vocem eius, nempè obediendo internis inſpirationibus per eum immiſſis.

At potiſſimum prædeſtinationis ſignum eſt cultus, & deuotio aſſiduè erga Deiparam. Sic graues Doctores; quos ſequitur *Cornelius à Lapide in Eccleſ. 24. verſ. 13.* Solet probari tum ex *Prouerb. 8. Ego diligentes me diligo: & qui manè vigilauerint ad me, inuenient me.* Quem totum locum cum ſequentibus Deiparæ applicant paſſim Interpretes, vt ſit ſenſus litteralis primarius de Sapientia increata, ſecundarius de Deipara, cui verba eiuſdem capitis aptat Eccleſia in Feſto Conceptionis. Ex quo loco ſic arguitur. Maria diligit diligentes ſe. Ergo dilectio erga Mariam prædeſtinationis eſt ſignum: Diligi enim à Maria prædeſtinationis eſt ſignum: vnde ſubditur: *Vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam:* nempè ſapientiæ, continentiæ, humanæ felicitatis, gratiæ, & gloriæ. Antecedens

patet,

patet; ipſa enim, vt ait *Damianus ſerm.* 1. *de Natiu. Benigniſſima eſt, & omnes amat amore inuincibili, quos in ea, & per eam Filius eius, & Deus ſumma dilectione dilexi*. Tum ex eadem loco *Prouerb.* 8. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino*. Quæ verba, & ab Interpretibus, & ab ipſa Eccleſia in Feſto Conceptionis applicantur Deiparæ: *Inueniet autem vitam gratiæ, & gloriæ*, iuxta *gloſſam Cornelij*. Tum ex *Pſalm.* 83. *Saluum fac filium ancillæ tuæ. Fac mecum ſignum in bonum, vt videant, qui oderunt me, & confundantur*. In quibus verbis Dauid petit à Deo ſaluari, adhibens hoc motiuum, quia eſt filius ancillæ Dei, nempè Mariæ: nam licèt hæc ex ipſis progenie deſcenderit ſecundū carnem, ipſe tamen filius eius erat ſecundùm ſpiritum: ideo dicit: *Saluum fac filium ancillæ tuæ*, nempè illius, quæ dicit: *Ecce Ancilla Domini. Lucæ* 1. Sic *Auguſtinus in eum Pſalmum*. Ex hoc titulo, quo quis eſt per deuotionem, & affectum Mariæ filius, habetur ſalus, & fit cum eo ſignum in bonum, nempè ſignum prædeſtinationis, & eius boni, quod abſolutè eſt bonum, *Vt videant qui oderunt eum*, nempè dæmones, *& confundantur*. At de hoc fuſior erit ſermo in *Alexandri Gladio, in comment ad Propoſ.* 26.

26 Alia plura ſigna referunt quidam alii, præſertim *Verratus ſupra*, nempè, in ſolo Deo confidere, non in propriis viribus; ſalutem valdè in Deo ſperare, & expectare, ex *Pſal.* 15. 33. & 70. Velle mori pro Chriſto, libenterque optare mortem veritatis tuendæ cauſa, vt poſſit dicere cum *Apoſtolo ad Phil.* 1. *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum*: habere magnam munditiam cordis, ex *Matth.* 5. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: ſancta, ac ſaluberrima vigilantia in orationibus, perfectè, ac ingenuè operari propter Chriſtum. Vide ipſum. His prænotatis, & præiactis, ſit,

§. TERTIVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

27 DIco primò: Frequens confeſſio, & communio in iis, qui gentiliter viuunt, non eſt nota Prædeſtinationis: & contrarium aſſertum deliriū ſcandaloſum eſt, vtque tale cenſuræ huius Decreti ſubiicitur.

28 Probatur primò. Pœnitentia vera, & fructuoſa eſt ſignum Prædeſtinationis. At, qui gentiliter viuit, ſeu deprauatis, & corruptis continuò moribus, quamuis frequenter ad ſacra recipienda accedat, vt plurimum pœnitentiam veram non habet, aut ſaltem non fructuoſam. Ergo non habet ſignum prædeſtinationis. Maior patet; nam *S. Chryſoſtomus hom.* 3. *de Pœnit.* illam pœnitentiam ait, quæ *ducit in Paradiſum, & Cœlum aperit*, quæ eſt *delictorum medicina, iniquitatum conſumptio, & diabolum ſuperat*; quæ conueniunt veræ, & fructuoſæ tantum. Minor etiam patet,

quia moraliter loquendo iſte gentiliter viuens accedit indiſpoſitus, & ſic non elicit veram pœnitentiam; ſi enim diſpoſitus accederet, & verè pœniteret, deprauatos mores relinqueret. Narrat quidem D. Amphilochius ſub finem orationis de Pœnitentia; fratrem quemdam eius mutabilitatis fuiſſe, vt per decem annos ſingulis diebus & in libidinem prolaberetur, & facti verè pœniteret. Quod in cauſa fuit vt Diabolus, Chriſtum iniqui iudicii accuſaret, qui ſe propter vnum ſuperbiæ peccatum ad inferna detruſiſſet, fratrem autem illum quotidiè labentem adhuc ſuſtineret. Quæ accuſatio à Chriſto eo reſponſo repulſa fuit, quod in quo inueniat, in eo & iudicet. Quæ audiens frater ille præ multo peccatorum ſuorum dolore expirauit. At ab vno, & fortè ſingulari caſu non eſt æquum iudicare de iis, quæ frequenter, vel vti plurimum accidunt. At demus ex ſuperabundantia poſſe in gentiliter viuente reperiri frequentes cófeſſiones, & communiones legitimas, & puras: non illæ tamen adnectuntur fructuoſæ pœnitentiæ, & ſic non poterunt eſſe notæ prædeſtinationis, ſed ad ſummum ſuſtinent ſpem ſalutis. Etenim cum illa frequenti confeſſione, & communione frequentiora adſunt peccata, & habitus peccandi, dum traducitur vita gentilis; adeſt etiam frequens abuſus gratiæ, & miſericordiæ Dei largientis auxilia ad reſurgendum à peccato: quare magis verendum eſt, ne Deus toties illuſus contineat in ira ſua miſericordias ſuas, & peccatorem tandem derelinquat.

Probatur ſecundò, & ſimul confirmatur. Pœnitentia in gentiliter viuentibus non eſt fructuoſa, etiam ſi frequenter confiteantur, & communionem recipiant. Ergo ea confeſſio, & communio non eſt prædeſtinationis ſignum. Conſequentia patet. Antecedens probatur: *Pœnitentia fructuoſa eſt, quæ reſpuit auaritiam: horret luxuriam: fugat furorem: firmat amorem: calcat ſuperbiam: linguam continet: componit mores: odit malitiam: excludit inuidiam: eſt miſericordiæ mater: magiſtra virtutum*, vt inquit *Chryſoſtom. ſerm. de Pœnit.* Atqui hæc non eſt in gentiliter viuente, licèt confeſſionem, & communionem frequentet. Ergo, &c.

29 Probatur tertiò. Pœnitentia vt ſignum prædeſtinatorum eſt lacrymoſa, punitiua, & emendatiua, vt inquiunt Theologi cum Patribus: eſt tam lacrymoſa per lacrymas ſaltem interiores veræ pœnitudinis, vt prædeſtinati pœnitentes, vel in ipſa beatitudine lacrymas in promptu haberent: niſi Deus eas ex oculis abſtergendo vitaret. Hæc apparuit in Pœnitentium Principe Dauide, qui vt notat *Chryſoſt. l. 2. de compunct. cordis*, poſt peccatum, *ita erat in ſolio regali, tanquam eſſet vinctus in carcere; iacebat in purpura, quaſi in cilicio, cinere conſperſus, corde compunctus. Aula regalis erat ei tanquam eremi vaſtiſſima ſolitudo. Hæc omnia agebat in eo cordis compunctio, quæ facit animam horreſcere purpuram, deſiderare cilicium, amare lacrymas, riſum effugere.* Vnde dicere ſolent aliqui prædeſtinati ex pœnitentibus, nullum ſibi ſupereſſe de omni alio infortunio dolendi locum quan-

quando totum dolorem ſibi abſorbent peccata; & hoc eſt vnum, in quo *Auguſtinus lib. de pœnit.* inquit conſiſtere pœnitentiam, dum ait *per pœnitentiam animam cruciari*: Eſt punitiua, & hoc eſt alterum, quod ſubdit *Auguſtinus ibi*, nempè, *& carnem mortificari*: pœnitentia enim à pœna dicitur: Hoc oſtendit pœnitẽtia Niniuitarum, qui eam egerunt non ſolum in cinere, & ſacco, ſed etiam in ieiunio. *Ionæ 3.* & curare ſolent electi, vt in eodem genere ad minimum totidem actus virtutis eliciant, quot in eo genere peccaminoſos patrauerunt. Sic Petrus, quia peccauerat ter negando, comparauit culpam Chriſto ſui amoris affectum ter declarando, vt habetur Ioannis 21. & aduertit *Auguſtinus tr. 123. in Ioannem.* Hanc præſcribit *Ambroſius* Virgini lapſæ, *in epiſt. ad Virginem lapſam c. 8.* Et hinc emendatio, & vera ac fructuoſa agnoſcitur pœnitẽtia ex definitione eiuſdem *Ambroſij* dicentis; quod ſit *Præterita mala plangere, & plangendo iterum non admittere.* Atqui hæc abſunt à pœnitentia gentiliter viuentium cum frequenti confeſſione, & communione, vt patet, & ſupponitur. Ergo &c.

30 Probatur quartò. Ad pœnitentiã fructuoſã, quæ vt talis prædeſtinationis eſt ſignum, requiruntur fructus digni pœnitentiæ, iuxta illud *Lucæ 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Sed hi fructus digni pœnitentiæ deficiũt in pœnitentia gentiliter viuentium, & tamen ſæpè confitentiũ, & cõmunionem percipientium. Ergo &c. Minor probatur ex *Greg. hom. 20. in Euang.* dicente: *Per hoc ergo quod dicitur, facite fructus dignos pœnitentiæ, vniuſcuiuſque conſcientia conuenitur, vt tantò maiora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò grauiora ſibi intulit damna per culpam. Et Chryſoſt. hom. 10. in Matth. Fructificare*, inquit, *poterimus, ſi peccatis aduerſa faciamus.* Sic non facit gentiliter viuens in caſu noſtro. Ergo, &c. & quidem *Chryſoſtomus* addit ibidem rationem: *Neque enim*, inquiens, *vulnerato ſufficit ad ſalutem tantummodo ſpicula de corpore euellere, ſed debet etiam remedia adhibere vulneribus.* Hæc remedia à gentiliter viuente etiam poſt frequentem confeſſionem, & ſumptionem Euchariſtiæ non applicantur vulneribus; Ergo non habet eam pœnitentiam, quæ eſt ſignum prædeſtinationis.

31 Probatur denique. Quia pœnitentia eorum, qui ſaluandi ſunt vt pœnitentes, vt compleat prædeſtinationis ſignum, nedum debet eſſe vitæ emendatiua, ſed etiam melioratiua. Et ratio eſt, quia Dèus permittit prædeſtinatis peccata, vt eis proficiant ad bonum. Sed non ad bonum æquale illi, quod fuiſſet citra peccatum: nulli enim vſui deſeruiret permiſſio peccati, quod eſt malum maximum, ſi citra hanc permiſſionem haberi potuiſſet æquale bonum. Ergo permiſſio peccati in prædeſtinatis à Deo ordinatur, vt eis cedat ad maius bonum, & iuxta *Paulum ad Rom. 5. Vbi abundauit delictum, ibi ſuperabundet & gratia.* Ergo poſt peccatum tunc inerit prædeſtinationis ſignum, cum lapſus peccati fuerit occaſio proficiendi, & ſic verificetur, quod prædeſtinatis etiam peccata cooperentur in bonum. Hæc eſt expreſſa doctrina *Ambroſij lib. de Apologia Dani-*

Digitized by Google

dis c.2. dicentis quod hi *ſicubi fortè, vt homines corruerint, naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acriùs ad currendum reſurgunt, pudoris ſtimulò maiora reparantes certamina: vt non ſolùm nullum attuliſſe æſtimetur lapſus impedimentum; ſed etiam velocitatis incentiua cumulaſſe.* Atqui hæc verificari nequeunt in gentiliter, ſeù deprauatè viuente, quamuis ad Confeſſionem, & Communionem frequenter accedat. Ergo &c.

Confirmatur: Quia, vt rectè *Greg.l.1. in Euang. hom.20. Idcirco*, inquit, *Deus electos nunc in quibuſdam lapſibus cadere permiſit, vt eis per lamenta pœnitentiæ cæleſtem patriam aperiret.* Sed hæc lamenta pænitentiæ non ſunt confeſſio, & cõmunio frequens in gentiliter viuente. Subdit enim S. Doctor, quæ ſint hæc lamenta pœnitentiæ, dicens: *Exerceamus ergo noſmetipſos in lamentis: extinguentes fletibus, & dignis pœnitentiæ fructibus culpas, quas fecimus.*

Itaque nemo ſibi blandiatur habere ſignum prædeſtinationis, dum frequenter exomologeſi, & ſynaxi ſacra ſe munire contendit ſi peccata, vitiaque per dignos pænitentiæ fructus non exterminet; non quælibet Confeſſio, & Communio; ſed Confeſſio, quæ habeat annexos dignos fructus pœnitentiæ, vt eius pœnitentia verificari poſſit, quod ſit *peccatorum medicina*, & Communio, quæ præſeruat à culpis iuxtà Tridentinum eſt ſignum prædeſtinationis; ei eſt ſignum prædeſtinationis, in quo verificari poteſt moraliter id, quod *3. Reg.19.* dicitur, *Elias* nempè, *comediſſe, & bibiſſe, & ambulaſſe in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb.* Quem locum explicans *S.Thomas opuſc.58.c.27. Comedit*, inquit, *Elias, & ambulauit, Panis Corporis Chriſti confortat nos in bono opere quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, id eſt, toto tempore præſentis pænitentiæ, vſque ad montem Dei, id eſt quouſque veniamus ad altitudinem ſecuritatis, & ſatietatem Cæleſtis Gloriæ.* Si Corpus Chriſti gentiliter viuentem non confortat in bono opere toto tempore præſentis pœnitentiæ, eius Communio cenſetur male facta; & ideò non eſt ſignum prædeſtinationis in eo.

32 Dico ſecundò: Frequens Confeſſio, & Communio in ijs, qui gentiliter viuunt: ſunt notæ reprobationis. Ita Theologi communiter.

33 Probatur primò ex Apoſtolo ad Hebræos 6. *Terra enim ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo; proferens autem ſpinas, ac tribulos reproba eſt, ac maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.* Ergo tantùm abeſt, quòd hi, qui in frequentibus Confeſſionibus, & Communionibus adhuc gentiliter viuunt, id eſt, ducunt vitam in peccatis, quod notam geſtant prædeſtinationis ſuæ: quinimò notam ferant reprobationis, cum ipſi ſint terra reproba, & maledicto proxima, quæ accipiens imbrem, profert ſpinas, & tribulos peccatorum.

34 Probatur ſecundò. Iſti tales, vel habent pœnitentiam fictam, vel infru-

infructuoſam. Sed vtraque hæc eſt ſignum reprobationis. Ergo &c. Probatur minor. Pœnitentia ficta idem eſt ac impœnitentia vera, ſed hæc eſt reprobationis ſignum; vt omnes admittunt. Ergo & pœnitentia ficta. Confirmatur primò: Quia pœnitentia ficta addit ſupra impœnitentiam quendam abuſum pœnitentiæ, & quaſi mutationem medicinæ in venenum. Quoniam, vt notat *Ambroſius l.2.de pœnit.c.11. In ipſa pœnitentia fit, quod poſtea indiget pœnitentia* Ergo &c. Confirmatur ſecundò. Quia pœnitentia ficta, ſeu ſine verò dolore ſupernaturali, & propoſito emendationis vt frequenter eſt in gentiliter viuente, eſt nummus, quo nequit emi Regnum Cœlorum. Sed qui caret eo habet potius ſignum reprobationis. Ergo &c. Vnde ſcitè *Tertullianus lib.de pœnit. c.6. ſi*, inquit, *qui vendit, prius nummum, quo paciſcitur examinat, ne ſcalptus ſit, ne raſus, ne adulter, etiam Dominum credimus pœnitentiæ probationem prius inire, tantam nobis mercedem, perennis ſcilicet vitæ, conceſſurum.* Quaſi dicat, Deus non vendit Regnum Cęlorum exhibenti in pœnitētia ficta pecuniam adulterinam. Confirmatur tertiò. Quia pœnitentia ficta eſt pœnitentia reproborum: *Saul* ſcilicet, Iudæ, & aliorum. Ergo eſt ſignum reprobationis. Quod verò attinet ad pœninentiam infructuoſam, probatur hanc quoque eſſe reprobationis ſignum. Quia Pœnitentia infructuoſa æquiparatur fictæ, ſed illa eſt ſignum reprobationis, vt iam probatum eſt. Ergo &c. Maior probatur ex Patribus non agnoſcentibus veram pœnitentiam, niſi eam, quæ eſt cum fructibus ſupra allatis pœnitentiæ: qui conſiſtunt in præcauendis peccatis futuris, & deflendis præteritis. Ideò *Auguſtinus lib.de Eccleſ. dogmat.c.4. Pœnitentia*, inquit, *eſt pœnitenda non admittere*: Et *ſerm.1. de pœnit.& ieiunio: Si veram pœnitentiam vis agere, iam peccata noli committere; ſed ieiunijs, & orationibus defle*: Et *ſerm.de natiu. Domin.* explicans in quo conſiſtat hæc vera pœnitentia, ait: *Quando fit, vt ſibi amarum ſapiat in anima, quod antea in vita fuerit dulce; vt quod te prius delectabat in corpore, ipſum te cruciet in corde, iam tunc benè ingemiſcis ad Deum.* Et *Ambroſ. l.2. de pœnit.c.5.* inquit: *Qui agit pœnitentiam non ſolum diluere debet lacrymis peccatum ſuum, ſed etiam emendationibus factis tegere, & operire delicta.* Confirmatur. Quia ſicut prædeſtinationis finis promittitur non cuicumque pœnitenti, ſed facienti fructus dignos pœnitentiæ: *Lucæ 3.* Ita reprobationis finem Chriſtus minatur non facientibus hos fructus: *Matth. 3. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Fructus autem ſunt in duplici differentia: Vel enim ſunt fructus innocentiæ: & hi competunt pauciſſimis. Vel fructus pœnitentiæ; & hi competere poſſunt quamplurimis, & omnibus poſt peccatum. Ergo poſt peccatum ſignum eſt reprobationis, ſi pœnitens ſit arbor infructuoſa, non faciens fructus dignos pœnitentiæ: Quod ſignificauit etiam Chriſtus tum in parabola de ficulnea infructuoſa: *Lucæ 13. Ecce tres anni ſunt, ex quo veni quærens fructum in ficulnea hac, & non inueni: Succidam ergo illam, vt*

quid

Digitized by Google

quid etiam terram occupat? Cum in alia ficulnea, ad quam Chriſtus cum veniſſet, *nihil inuenerit, niſi folia tantum, & ait illi, numquam ex ſe fructus naſcatur in ſempiternum, & areſacta eſt continuò ficulnea. Matthæi 21.* Quæ ſine dubio referuntur ad reprobos à Deo maledictos, & areſactos, vt nunquam ex eis naſcantur fructus bonorum operum in æternum. Quia *non inuenit in eis fructus dignos pœnitentiæ: ex Lucæ 3. oſtendens*, vt notat *Auguſtinus lib. de vera, & falſa pœnit. c. 3. Pœnitentiam non ſterilem, ſed dignè fructificantem.*

Probatur tertiò. Qui gentiliter, ſeù deprauatè viuunt ſunt ſuperbi, auari, ſeù immiſericordes, luxurioſi, vindictæ cupidi, viuentes ſecundum deſideria cordis eorum, immemores Chriſti vulnerum, irreligioſi. Atque in his omnibus ſignũ adeſt reprobationis. Ergo, &c. Probatur minor, quoad ſingulos. Et primò de ſuperbis. Nam iis in ſcriptura denegatur ſalus, beatitudo, introitus ad Regnum Cęlorum. *Matth. 18. Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cęlorum.* Cum enim ſcriptum ſit *Matthæi 7. Intrate per anguſtam portam:* hæc, quæ paruos, & humiles capit; tumidos, & elatos non capit. Ideò excluſus à Regno Cęlorum Phariſæus ille Euangelicus, qui dicebat: *Non ſum ſicut cæteri hominum. Lucæ 8.* Introductus verò fuit humilis Publicanus, *qui non audebat oculos nec ad Cęlum leuare*, quia, vt notat *S. Paulinus epiſt. ad Seuerum: Non poterat eo recipi lata iactantia, quo ſe humilitas anguſta collegit; & anguſtia anguſtior contriti cordis exilitate penetrauit.* Confirmatur. Tum quia *Initium omnis peccati eſt ſuperbia. Eccleſ. 10.* Peccatum autem medium eſt vnicum reprobationis. Tum quia, ſicut cum nulla extant ædificii fundamenta, quando iacta eſſe debuerant, nulla tunc ſubeſt ſpes ædificii, ita in ſuperbis, ſi nullum adhuc iactum eſt fundamentum humilitatis, nulla ſpes eſſe poteſt ædificii attollendi vſque ad conſpectum Dei. Proinde in ſuperbis ferè nulla ſpes prædeſtinationis apparet; cum ne prima quidem prædeſtinationis fundamenta ſint iacta. Idcircò *Greg. l. 34. mor. c. 18. Hi*, inquit, *qui humilitatem, quæ virtutum mater eſt, neſciunt, vſum laboris ſui perdunt; etiam ſi quæ bona ſunt, operari videntur. Quia ſurgentis fabricæ robuſta celſitudo non figitur, quæ nunquam per fundamenti fortitudinem in petra ſolidatur. Soli ergo ruinæ creſcit quod ædificant, qui ante molem fabricæ humilitatis fundamenta non procurant.* Tum denique, quia tota prædeſtinatio pendet à conformitate ad Chriſtum: ac proinde reprobatio à difformitate, iuxta illud *Pauli ad Rom. 8. Quos prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.* Ergo illud eſt prædeſtinationis ſignum, per quod conformamur Chriſto, illud reprobationis eſt ſignum, per quod difformamur: ſed per humilitatem maximè conformamur Chriſto; per ſuperbiam maximè difformamur: quia expreſsè Chriſtus hoc vnum voluit, vt eius exemplo diſceremus: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Quæ verba perpendens *Gregorius l. 34. mor. c. 18. Ad hoc*, inquit, *vnigenitus Dei Filius formam noſtræ humilitatis ſuſcepit;*
ad

ad hoc deſpectus apparuit: ad hoc contumeliarum ludibria, irriſionum opprobria, paſſionumq; tormenta tolerauit; vt ſuperbũ nõ eſſe hominem doceret humilis Deus. Quãobrem *Leo ſer. de Natiu. Fruſtra,* inquit, *appellamur Chriſtiani, ſi imitatores non fuerimus Chriſti. Qui ideò viam ſe eſſe dixit, vt conuerſatio Magiſtri fieret forma Diſcipuli; & illam humilitatem eligat ſeruus, quam ſequutus eſt Dominus.*

36 Secundò de auaris, & immiſericordibus in pauperes conſtat, tum ex ſcriptura: *Prou. 21. Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis; & ipſe clamabit, & non exaudietur.* Reproborum autem eſt ad Deum clamare, & non exaudiri, iuxta illud. *Pſal. 17. Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret; ad Dominum nec exaudiuit eos.* Conſonat *Tobias c. 4. Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere; vt nec à te auertatur facies Domini.* Ex oppoſito autem antecedentis ſequitur oppoſitum conſequentis. *Matthæi 25. Ite maledicti, &c. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare, &c.* Eodem igitur modo condemnantur, ac ſi eleemoſynam denegaſſent Chriſto ipſi petenti: quod peccatum grauiſſimum foret, & manifeſtum reprobationis indicium. *Lucæ 16.* inducitur *diues, qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie, ſepultus in inferno.* Sanè indumenta purpurea, & epulum quotidianum non ſunt ex ſuo genere peccata mortifera, quæ cauſare poſſent damnationem; ſed apponuntur hæ circumſtantiæ, vt declaretur habuiſſe talem diuitem de ſuperfluis, de quibus, quia tenebatur facere eleemoſynam Lazaro mendico, & non fecit, ideo ſepultus eſt in inferno: non ex purpura, aut epulis, ſed ex omiſſione eleemoſynæ. Ita expreſsè *Chryſoſtomus hom. 2. de Lazaro,* vbi de Epulone loquens: *Non quia* inquit, *diues fuerat, torquetur; ſed quia miſericors non fuit: Ideo non eſt exauditus ab Abrahamo, quia ille non exaudierat Lazarum.* Tum quia conſtituta eſt à Chriſto omnibus hominibus quaſi lex talionis ijs verbis *Matthæi 7. qua menſura menſi fueritis, remetietur & vobis.* Ergo ille, qui miſericordiam non præſtat inopi, iam præſcribit Deo, vt miſericordiam non præſtet ſibi. Vnde fit, vt certus ſit de modo, quo Deus in iudicio eſt acturus cum illo; ſicut certus eſt de modo, quo ipſe egit cum paupere. Alioqui non eſſet verum, quod *eadem menſura, &c.* Ideo *Auguſtinus hom. 25.* de verbis Domini ſecundum *Lucam: Non mentitur,* inquit, *modus illius menſuræ, ſi qua menſura menſi fueritis, ita remetietur vobis. Ideo negatur in pœnis miſericordia diuiti; quia ipſe dum vixit, noluit miſereri.* Tum denique, quia diuitiæ ſecum ferunt maximam difficultatem ſalutis, cum habeatur ex Chriſto Domino *Matthæi 19. Facilius eſt, camelum per foramen acus, quàm diuitem intrare in Regnum Cælorum.* Ergo ad tollendam hanc quaſi impoſſibilitatem ex ore Chriſti, diuitiæ aut debent relinqui propter Chriſtum, aut debent ſaltem participari cum pauperibus Chriſti. Ergo diues ſine eleemoſyna reprobatur: cum nulla alia via diuiti relinquatur ſalutis, niſi per eleemoſynam. Ideo *Auguſtinus ſerm. 25. de verbis Dom. Via,* inquit, *Cæli pauper eſt: incipe erogare, ſi non vis errare.* Ex-

preſ-

preſsè id docet Beda in natali S. Benedicti, vbi: *Duo ſunt*, inquit, *ordines electorum in iudicio futuri, vnus iudicantium cum Domino; de quibus hoc loco memorat, qui reliquerunt omnia, & ſequuti ſunt illum: alius iudicandorum a Domino; qui non quidem omnia ſua pariter reliquerunt, ſed de his tamen, quæ habebant, ſuas dare eleemoſynas pauperibus curauerunt. Vnde audituri ſunt in iudicio: Venite benedicti: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* Igitur qui neque relinquit ſua, neque dat pauperibus, non eſt inter ordines electorum. Vnde concluditur; diuitem ſine eleemoſyna clariſſimum continere reprobationis indicium. Ideò *Auguſtinus lib. de 12. abuſibus c. 4. Diues*, inquit, *ſine eleemoſyna, qui ſuperflua ſibi, indigentibus nihil habentibus non diſtribuit, dum in terra quæſita, in terra diligenti cura cuſtodit, cœleſtis patriæ patentem theſaurum amittit.*

37 Secundò quoque de luxurioſis manifeſtatur in primis ex Scriptura. *Iob. 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine. Quam enim partem haberet in me Deus deſuper, & hæreditatem Omnipotens de excelſis?* Ergo in eo, qui vel ſimplici carnis incentiuo aſſentitur cogitando de Virgine, Deus neque partem habet, neque hæreditatem: quod eſt adnumerari inter reprobos. Addit infra de adulterio loquens: *Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Si deuorans vſque ad perditionem, vtique vſque ad damnationem. Similiter *1. ad Cor. 6.* dicitur: *Neque molles, neque fornicarij, neque adulteri Regnum Dei poſſidebunt.* Ergo in his conſtituitur ſpeciale ſignum reprobationis. Quod expendens *Auguſtinus in lib. de conflictu vitiorum c. 24. O quam parua*, inquit, *eſt concubitus hora, qua perditur vita futura! Quod autem emolumentum affert id, quod tam citò perducit ad tartara?* Pariter *ad Epheſ. 4. Deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Ergo impudicitia deſperationem parit, deſperatio verò damnationem. Quibus autem gradibus ad hoc barathrum deſcendatur, explicat *Gloſſa in Iob 31. Viſum*, inquit, *ſequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem conſenſus, conſenſum opus, opus conſuetudo, conſuetudinem neceſſitas, neceſſitatem deſperatio, deſperationem damnatio.* Secundò, quia luxurioſi computantur inter hædos, quos ſtatuet à ſiniſtris. *Matthæi 25.* Quippè vt notat *Cornelius à Lapide* in hunc locum, reprobos hædis comparat, *quod animal immundum eſt, petulans, ac laſciuum.* Chriſtus nimirum reprobos potiſſimum hædos vocat, vt oſtendat totum ferè reproborum numerum compleri ex laſciuis, ac proinde ſpecialiſſimum reprobationis ſignum ſubeſſe in laſciuia. Quæſiuit Sanctus quidam à Dæmone, quod nam eſſet maius peccatum? Cui Diabolus: *Duo ſunt inter reliqua maiora peccata, Luxuria, ſcilicet, & Auaritia.* Replicauit Sanctus: *Quid ais? non ne maius peccatum eſt periurium, ac blaſphemia?* Tunc Dæmon: *Quantum ad Theologiam quidem maiora peccata ſunt iſta, ſed quantum ad reditus maiora ſunt illa.* Tertiò, quia luxuria fert ſecum omnia alia vitia, meritò dicta à *D. Ambroſio in tr. de Helia, & Ieiunio:*

nib : Seminarium, & origo vitiorum. Ergo maximum reprobationis eſt ſignum. Conſequentia patet, quia per quodlibet vitium tenditur ad perditionem, & ſic per plura vitia, ad eum multipliciter, & celerius. Antecedens probatur. Quia luxurioſus, dum agitur Zelotypia erga æmulos labitur in ſuperbiam, rixas, homicidia : dum prodigus largitur amaſiæ, appetere incipit aliena ; & ſic incidit in auaritiam, in furta, in iniuſtitias. Et ſic non obſtat, Apoſtolum dixiſſe, auaritiam radicem eſſe omnium vitiorum : *Quoniam* (rectè inquit Ambroſius citatus) *luxuria ipſius eſt mater auaritiæ : etenim cum exhauſerit luxuriando proprias facultates, quærit poſtea auara compendia*. Dum luxurioſus nutrit corpus, indulget gulæ. Nam, vt notat idem *Ambroſius l. 7. in Lucam c. 66. non alia cura eſt luxurioſis, niſi vt ventrem expleant, quorum Deus venter eſt*. Denique dum luxurioſus totus in ſuis amoribus occupatur, peccat circa ſpiritualia peccato accidiæ. Quartò. Quia, vt dicitur *Iob cit. c. 31. Libido eſt ignis omnia eradicans genimina*. Momento enim temporis libido abſumit quidquid virtutum longa ætate collectum eſt; idque eradicando, & tollendo virtutes radicitus, quia ſine vlla ſpe reſurgendi. Tum quia per luxuriam deuenitur aliquando ad amiſſionem ipſius fidei, quæ radix eſt virtutum. De Luxurioſis enim ſpecialiter intelligitur id, quod dicitur *1. ad Thimoth. 1. Quidam repellentes bonam conſcientiam, circa fidem naufragauerunt*. Ideò *Ambroſius epiſt. 1. ad Sabinum : Vbi*, inquit, *cœperit quis luxuriari, incipit deuiare à vera fide*. Quod patet experientia in Luthero, Caluino, Beza, multiſque aliis hæreticis, qui ex luxuria deuenerunt ad hæreſes. Tum quia etiam permanendo in vera fide, ex actibus luxurioſis gignitur habitus vitioſus adeò radicatus, vt penè ſpem tollat reuiuiſcentiæ ad virtutem. Quippè, vt aduertit *Ariſtoteles l. 7. de hiſt. anim. c. 1.* de iis, qui in adoleſcentiæ initio Venereo vſui non temperauerint : *Qui minus cauerint, propenſiores eodem efficiuntur : meatus enim laxantur, redduntque corpus lubricum : & ſimul voluptatis, quæ olim geſtierant, memores, deſiderio mouentur præteritæ contrectationis*. Vnde fit, vt etiam in ſenibus penè extincto calore libidinum deſideria exæſtuent, & ſic deuenitur ad impœnitentiam finalem, ex qua damnatio. Quintò, quia luxuria maximè opponitur fini prædeſtinationis, nempè Deo, qui eſt actus puriſſimus : maximeque difformat hominem à Chriſto, qui Virgo, & Filius Virginis. Imò non ſolum difformat à carne Chriſti virginea, ſed etiam ab ipſamet Chriſti humanitate; cum ex hominibus reddat belluas immundiſſimas, nempe porcos. Ergo maximum reprobationis eſt ſignum. Patet conſequentia; quia tota prædeſtinatio fit per conformitatem ad Chriſtum, vt ſupra viſum eſt. Sextò, quia à *Ioanne Apoc. 4. Viſa eſt iris ſimilis viſioni ſmaragdinæ*. Iris autem vt notat in eum locum *Ambroſius*, diuinam miſericordiam deſignat : ſmaragdus autem, vt refert *Albertus Magnus*, adeò libidini aduerſatur, vt experientia compertum ſit in re Venerea, ſi quis eum attingat, ſponte frangi ; quo innuitur ob luxu-

riam, diuinam miſericordiam ſmaragdo ſimilem, reſcindi, ac penè frangi. Ex quo apparet error exiſtimantium hoc eſſe peccatum fragilitatis,& ſic Dei miſericordiam facilè hoc peccatum condonaturum.

38 Quartò pariter de vindicatiuis conſtat primò ex Scriptura. *Matthæi* enim 6. ait Chriſtus: *Si non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittit vobis peccata veſtra.* Quod expendens *Auguſtinus in Enchir.c.*74. *Si*, inquit, *non dimiſeris, non dimittet. Ad tam magnum tonitruum qui non expergeſcitur, non dormit, ſed mortuus eſt*. Hoc illuſtrat *Matth.*18. parabola ſerui, cui dicitur: *Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit te miſereri conſerui tui?* Et infra: *Tradidit illum tortoribus*, *&c.* Vnde concludit Chriſtus parabolam: *Sic faciet Pater meus cæleſtis, ſi non remiſeritis fratri veſtro de cordibus veſtris*. Quod expendens *Chryſoſt. hom.*27. *in Geneſim*: *Si hoc*, inquit, *non fecerimus, nihil eos* (inimicos) *lædere poterimus: nobis autem ipſis intolerabilem gehennæ pœnam paramus*. Confirmatur ex *Matthæi* 6. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, &c.* Ergo ſi non dimittimus, Deus non dimittet. Ex oppoſita enim antecedentis ſequitur oppoſitum conſequentis. Quamobrem *Auguſtinus ſerm.*61. *de temp. Si inimicos non diligimus, qua fronte dicimus in oratione, Pater noſter? Qua ratione dicere poterimus, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus?* Quod eſt reprobationis ſignum maximum. Qui enim non dimittit, facit contra ſe damnationis ſententiam: dum petit, ita à Deo dimitti ſibi. Sicut ipſe dimittit aliis. Secundò. Per illud peccatum habetur ſpeciale reprobationis indicium, per quod homo ſpecialiter præcludit ſibi aditum veniæ: cum nemo ſit ſine peccato: ac proindead aſſequendum prædeſtinationis finem quilibet egeat venia. Sed per affectum vindictæ ſpecialiter homo ſibi præcludit aditum veniæ. Tum quia ſpecialiter Deus conteſtatur ſe non dimiſurum illi, qui non dimittit, tum quia peccator negando ſuam miſericordiam alteri, ſpecialiter meretur, vt negetur illi à Deo miſericordia: &, ſi minus ſignatè, ſaltem exercitè rogat Deum, vt vlciſcatur iniurias ipſi ab eo illatas: ſicut ipſe vlciſci appetit iniurias illatas ſibi. Ergo ex hoc maximè peccato habetur ſpeciale reprobationis indicium: cum per hoc ſpecialiter præcludatur aditus ad miſericordiam diuinam. Quippe *iudicium ſine miſericordia illi, qui non facit miſericordiam. Iacobi* 2. *Et qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius ſeruans ſeruabit. Eccleſ.*28. Vindicta igitur expetita de inimico, ſignum eſt diuinæ vindictæ expetendæ de vultore. Tertiò. Quia Deo eſt omninò abominabilis homo vltionis cupidus, iuxta id, quod dicitur *Pſal.*5. *Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus*: Adeò vt teſte *Chryſoſtomo hom.*27.*cit.* Nihil Deus æque abominetur. *Nihil*, inquit, *Deus ita odit, & auerſatur, vt hominem vltionis auidum, & in animo ſuo perpetuas inimicitias ſeruantem. Tantum eius peccati damnum eſt, vt miſericordiam Dei retrahat, nec locum habere ſinat*. Secluſa autem Dei miſericordia,

ex

Digitized by Google

ex quo pendet prædeſtinatio; ſtatim ſequitur reprobatio. Quartò. Quia per odium inimicorum amittitur Dei filiatio. Quamobrem *Auguſtinus ſerm. 61. de temp. Aduertite*, inquit, *quòd ſi inimicos non diligimus, filij Dei eſſe non poſſumus*. Si non filii, neque hæredes. Quintò. Per odium inimicorum habetur diſſimilitudo à Deo. Ideò *Gregorius l. 3. mor. c. 32.* inquit, *Dum manſuetudo amittitur, ſupernæ imaginis ſimilitudo vitiatur*. Et quidem nihil magis diformatur à Deo remittente innumerabiles offenſas, quæ contra ipſum patrantur quotidiè in toto Orbe terrarum, quàm animus ferens perpetua odia propter vnam offenſam, vel alteram ſibi irrogatam. Ergo habetur reprobationis indicium. Ideò *Hieronymus l. 2. Comm. in Matth. Si*, inquit, *ob contumeliam ſimus implacabiles, & propter amarius verbum perpetes habeamus diſcordias, nonne videmur rectè in carcerem redigendi?*

39 Quintò de Guloſis, qui frangunt ieiunia, vt alia præcepta transgrediuntur, conſtat. Primò, quia Adam ob gulam è Paradiſo eiectus eſt, & nobis etiam damnum excluſionis promeruit. Secundò, qui Eſaü ob gulam primogenitorum Gloriam amiſit. Vnde *S. Bonau. to. 6. in diſt. tit. 1. c. 8.* inquit. *Sicut Eſau pro cibo lenticulæ vendidit primogenita ſua; ſic guloſi pro gula vendunt præmia æterna; nam dicitur Thren. 1. Dederunt quaque pretioſa pro cibo.* Tertiò quia edacitas vſque ad luxuriam pertrahit, vt ait *Gregor. p. 3. curæ paſtor. admon. 20. Et qui ventrem implens pudicitiæ cultum profitetur, huic ſimilis eſt, qui ſe ignis impetum ſtuppa compreſſurum, aut flammam oleo extincturum pollicetur*, inquit *S. Nilus de octo vitios. affect. Luxuria verò reprobationis eſt ſignum.* Quartò, quia *Gula eſt vitiorum Regina*, vt inquit *S. Climacus gr. 3. num. 7. Et S. Bernardus ſerm. 24. de modo viuendi*, inquit: *Sicut per abſtinentiam omnes virtutes ſpirituales radicantur, atque ædificantur in anima: ita & per ſuauitatem ciborum omnia vitia nutriuntur, & confortantur in corpore.* Vitia verò ſignum reprobationis ingerunt. Vnde *Bellouacenſis Vitium gulæ*, ait, eſt *frænum, & capiſtrum Diaboli, & ponit ad os, & collum guloſi, vt circumducat eum quocumque vult*, ad perditionem, nimirum vſque. Quintò, quia, ſicut *Coturnices in vindemijs, quando ſunt benè pingues, de facili capiuntur ab accipitre; ſic homines dediti gulæ facilè vincuntur ad tentationes*, inquit *S. Bonau.* ſupra: qui autem vincitur, habet reprobationis ſignum; qui verò vicerit, comedet de ligno vitæ. Igitur vera eſt ſententia *S. Baſilij ſerm. de abdicat. rerum. Si gulam in hoc vitio continueris, Paradiſum habebis; ſin minus, hoc tibi perſuade, pabulum te mortis futurum.*

40 Sextò de viuentibus ſine deuota conſideratione Chriſti vulnerum, patet. Quia poteſt meritò dici de Chriſto cruci affixo illud *Pſal. 77. Qui elongant ſe à te, peribunt.* Quippè in ſola Paſſione, ac Chriſti vulneribus oſtium eſt vitæ. Ideò ab Euangeliſta dicitur: *Vnus militum lancea latus eius aperuit. Ioan. 19.* nempè non dixit, vt *Auguſtinus tr. 102. in Ioannem* animaduertit, *vulnerauit, ſed aperuit, vt illic quodammodò vitæ oſtium panderetur.* De hac porta dicitur *Pſal. 117. Hæc porta Domini, Iuſt*

intrabunt in eam. Nempè prædeſtinati, & electi: ij verò, qui incogitantia, & obliuione ſe ab hac porta elongant, vtique excluduntur ab ea, adnumerati inter reprobos. Hæc in ſectam Molinos, & eius ſectarios.

41 Septimò de irreligioſis in Deum, & Sanctos manifeſtum eſt: ij enim, qui, cum de Deo, aut diuinis agitur irreuerenter ſe gerunt, ſe habent, ac ſi non Deum, ſed alium ſibi præeſſe Regem agnoſcerent, nempè Diabolum, ſub cuius tyrannide ſunt per totam æternitatem ſubiiciendi. Similiter verba Dei audire cum tædio, vel non audire reprobationis ſignum eſt. *Ioan.8. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*: de Deo ſimiliter irreuerenter loqui, &c. Specialius blaſphemi ſignum habent reprobationis maximum: & incipiunt modo canticum cum Diabolo tota æternitate acturi. Præterea rectè *Chryſoſt. tom.2. orat.2. de fato, & prouid. Non eſt, inquit, hoc peccato vllum deterius, ſed neque par, nam in eo & accerſio omnium malorum eſt, omniſque confuſio, inexpiabile ſupplicium, & intolerabilis pœna.* Item *hoc ſcelus eſt in Cæleſtem Patrem, & ideo dignum æterna morte*, ait *S. Bernardinus to.1. ſerm.41. ar.1. c.1.* ex illo ſcripturæ. *Qui maledixerit Patri, aut matri morte moriatur. Leuit.c.20. Qui maledixerit Patri, id eſt Chriſto & Deo, vel Matri, id eſt Virgini, vel Eccleſiæ triumphanti, extinguetur lumen eius in medijs tenebris, ideſt, in puncto mortis.* Et loquendo de indeuotione, & irreligioſitate erga B. Virginem; poteſt breuiter probari, tum ex Scriptura: *Prou.8. Qui peccauerit in me lædet animam ſuam: omnes, qui me oderunt, diligunt mortem*; æternam ſcilicet. Ecce ſignum reprobationis. Tum quia, *Gulielmus Pariſienſis apud Binetum in teſſera num.8.* inquit: *Non præſumat aliquis, Deum ſe poſſe habere propitium, qui benedictam Matrem offenſam habuerit.* Quin *Oecolampadius* etiam hæreſiarcha hanc veritatem agnoſcens, *ſerm. de laudibus Virg.* hæc verba habet: *Nunquam de me audiatur quaſi auerſer Mariam, erga quam minus benè affici reprobatæ mentis certum exiſtimem indicium eſſe. Nollem è cultu Mariæ aliquid diminui.* Tum, quia per Mariam conferuntur omnia dona gratiæ perducentia ad ſalutem: Ergo receſſus ab ea eſt receſſus à medio ſalutis, & ſic ſignum reprobationis. Et quemadmodum quando membra inferiora ſeparantur à collo, euidens eſt ſignum interitus; ita &c. Quippè; vt ait *Bernardinus Senenſis ſerm.5.* de gloria Mariæ; *Sicut per collum ſpiritus vitales à capite diffunduntur in Corpus, ſic per Virginem, &c.* Tum denique, quia irreligioſi in Virginem, vt experientia teſtatur, mala morte pereunt. Similes exitus ſortiuntur, qui Sodalitia B. Virginis, quibus antea nomen dederunt, deſerunt.

42 Probatur denique, quia cum moraliter certum ſit, eum, qui gentiliter viuit, & de prauatis moribus vitam continuat, ſi accedat ad Sacramenta, malè & indignè ſe diſponere ad ea recipienda, & conſequenter ſacrilegam in eo eſſe receptionem Sacramentalem; ea propoſitio indicat, eam receptionem Sacramentorum, quamtumuis ſacrilegam, eſſe ſignum

ſiue

ſiue notam prædeſtinationis. Quo quid abſurdius excogitari poteſt à fideli? Sed hîc immoremur oſtendentes quàm magnum ſit reprobationis ſignum vſus, & frequentia ſacrilega Euchariſtiæ. Vnicus, & inſignis locus eſt (omiſſis locis veteris Teſtamenti) ex nouo 1. *ad Corinth. 11.* *Quicumque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini: Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit.* Vnde arguo primò: Omnis Iudæus, qui influxerit ad Crucifixionem, & mortem Chriſti, ſignum habuit maximum reprobationis: cum illud fuerit parricidium occidendo Creatorem, & Patrem; & ex communicatione Idiomatum Deicidium: quod peccatum habuit ſpecialem quandam infinitatem, eo quod effuſus ſit ſanguis infiniti pretij & valoris, ſed, ex Paulo, ſuſcipiens Euchariſtiam indignè reus eſt Corporis, & Sanguinis Domini; ideſt, vt *Chryſoſtomus*, *& Theolophilactus, reus eſt cædis Dominicæ*, ac ſi Dominum occidiſſet, & Chriſti Sanguinem effudiſſet. Ergo &c. Quamobrem idem *Chryſoſtomus hom. 83. in Matthæum. Cogita*, inquit, *quantum contra proditorem indignaris; & eos, qui eum Crucifixerunt. Itaque conſidera, ne tu quoque ſis reus Corporis, & Sanguinis Chriſti: illi Sanctiſſimum Corpus occiderunt: tu verò poſt tot beneficia, polluta ſuſcipis anima.*

Confirmo. Illud ſcelus omni alio maius, quod patrarunt Iudas, & Iudæis ſemel, inueniuntur qui patrant ſæpius non ſemel, ſed multoties rei Corporis, & Sanguinis Domini. Ergo hi potiſſimum habent reprobationis ſignum quàm maximum. Quamobrem *Laur. Iuſtin. ſerm. de Euch. de ipſis*, inquit, *potiſſimũ, qui inſenſibiliter, infideliterque ſacroſancta tractãt myſteria, Apoſtolum dixiſſe arbitror ad Hebræos 6. impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati guſtauerunt etiam donum cæleſte, &c. & prolapſi ſunt, reuocari rurſus ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes ſibimetipſis (quaſi intra ſe ipſos) filium Dei, & oſtentui habentes.* Et licèt Interpretes ly, *impoſſibile*, intelligant *valdè difficile*; ſatis eſt ad reprobationis ſignum maximum: cum horum ſalus ſit ita difficilis, vt habeatur pro ferè impoſſibili.

43 Arguo ſecundò. Indignè manducans Euchariſtiam, iudicium ſibi manducat, & bibit. Non iudicium abſolutionis, quia hæc non eſt promiſſio: ſed comminatio. Ergo iudicium damnationis, quod eſt habere ſignum futuræ damnationis. Quamobrem *Chryſoſtomus* in eum locum: *Manducat*, inquit, *ſibi iudicium, ideſt damnationem*. Quaſi iam ex tunc contra illum feratur iudicium, & ſententia damnationis. Sicut enim Iuſtis in Euchariſtia manna abſconditum, & calculus candidus, ideſt ſuffragium vitæ æternæ, ita impijs datur hoc idem manna cum calculo nigro, ideſt ſuffragio damnationis. Vtrumque Eccleſia comprehendit illo verſiculo, *Mors eſt malis, vita bonis*.

Illuſtratur hoc è Scripturis, & Patribus: Nam Caro Chriſti in Sacramento eſt panis ille, de quo dictum eſt: *Non eſt aliud niſi Gladius Gedeonis.*

Iudic,

Iudic.7. Ille autem ſimul *panis, & gladius ſubuertens Caſtra Madianitarum,* fauet Iuſtis, ſed hoſtes euertit, & ſæuit in impios: panis eſt Iſraelitis, gladius Madianitis. Ideo qui Euchariſtiam indigne ſuſcipiunt traiiciunt in ſua viſcera gladium eos miſere laceraturum, morte non ſolùm animæ, ſed interdum etiam corporis. Quamobrem de fœmina indignè accedente, quæ ſtatim ſemimortua concidit ait *Cyprianus ſerm.5. de lapſis: Non cibum, ſed gladium ſibi ſumens, & velut quædam venena lethalia, palpitans, & trepidans concidit; & quæ fefellerat hominem; Deum ſenſit vltorem.*

Aſſimilat hic quoque *Cyprianus* cibum Euchariſticum indignè acceptum veneno; ſicut enim accidit in humano corpore, idem, quod vni eſt medicamentum, alteri, ratione prauæ diſpoſitionis eſſe venenum: ita Euchariſtia, quæ ex Ignatio iuſtis eſt *medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala,* ratione prauæ diſpoſitionis, accipitur ab impiis, loco veneni. Ideo ſupra *Cyprianus: Non cibum, inquit, ſibi ſumens, ſed velut venena lethalia.*

44 Arguo tertiò Quando cum buccella Euchariſtica indignè ſuſcepta intrat Chriſtus in corpus, intrat ſimul & Diabolus in cor ſuſcipientis. Quod patet ex Iuda, de quo dicitur *Ioannis 13. Poſt buccellam introiuit in eum Satanas.* Per hanc buccellam multi intelligunt Euchariſtiam, vt refert *Cornelius à Lapide in eum locum,* inter quos *Paſchaſius lib. de corpore, & ſanguine c.8. Iudicium,* inquit, *male accipientibus minatur; dum, poſt buccellam de manu Domini perceptam, Diabolus Iudam peruaſit.* Et mox *Cibus iſte quibuſdam vita eſt, quibuſdam pœna, &c.* Obſeruandum autem in hoc eſt, quod ante perceptionem Euchariſtiæ Iudas, proditione concepta, erat in ſtatu peccati, & ſeruus Diaboli: & tamen non dicitur, tunc intraſſe in eum Diabolus, ſed tantùm dicitur, *Cùm Diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas, Ioannis 13.* Et infra: *Poſt buccellam introiuit in eum Satanas.* Proditio Chriſti iam ex pacto promiſſa, & accepto iam infami pretio, mox executioni mandanda, non continebat tantum ſceleris, vt intraret Diabolus, in Iudam; ſed tantũ, *vt mitteret Diabolus in cor Iudæ.* Euchariſtia autem indignè percepta, tanquam ſcelus ipſamet proditione maius, aperuit aditum, vt intraret in eum Satanas: quaſi ad accipiendam eius plenam, & totalem poſſeſſionem. Si enim poſſeſſio, vt volunt Iuriſtæ, fit per pedis poſitionem, & introitum in domum, cuius poſſeſſio capitur ab eo, qui futurus eſt eius Dominus: vtique non ob aliud peccatum, quàm per buccellam Euchariſticam indignè ſuſceptam, *intrauit Satanas in Iudam.* Et ſic Diabolus, qui in Chriſti proditoria venditione tantùm *miſerat in cor eius;* per ſacrilegam Euchariſtiæ ſuſceptionem, plenam eius poſſeſſionem accepit. Vnde in iis, qui Iudam imitati Euchariſtiam ſacrilegè accipiunt, manifeſtè conuincitur per hoc ſacrilegium, etiam ſemel paratum, Satanam intrare cum buccella in os, & cor ſuſcipientis; ſumendo eius plenam poſſeſſionem, tanquam futurum permanenter, & ſtabiliter eius Dominum: Ex quo prognoſticon, & ſignum habetur peſſimum futuræ impœnitentiæ finalis, & ſic reprobationis.

45 Ar-

Digitized by Google

45 Arguo quartò. Quemadmodum in eo, qui dignè ſuſcipit, vnà cum Chriſto ſuſcipitur Paradiſus, & ipſamet æterna vita; adeo vt dicatur de præſenti *Ioannis 6. Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam*; ità in eos, qui indignè ſuſcipiunt, intrante diabolo, vna cum hoc ſuſcipitur infernus, & mors æterna. Et ſic, vt ibi eſt quædam anticipata poſſeſſio æternæ gloriæ: & ideò in vſu deuoto Euchariſtiæ eſt prædeſtinationis pluſquam pignus; ita in ſacrilego eiuſdem vſu eſt quædam anticipata damnationis præuentio: & ſic continetur in hoc reprobationis pluſquam indicium. Et hoc eſt quod dicit *Apoſtolus, Iudicium ſibi manducat, & bibit*: quaſi habeat iam anticipatum iudicium damnationis. Sicuti enim dicit *Auguſtinus de Euchariſtia* dignè accepta *hoc bibere quid eſt niſi viuere? manduca vitam, bibe vitam*: ita dici poteſt de ea ſuſcepta ſacrilege, manducari mortem, ſorberi mortem, vtique ab iis, qui deſtinati per hoc videntur ad æternam mortem. Quippe, vt ait *Paſchaſius*, loco citato, *Cibus iſte vita eſt, quibus Chriſtus eſt vita: illis verò mors, qui ſunt membra diaboli*.

46 Arguo quintò. Omne illud peccatum, quod maximè aduerſatur Chriſto, ſignum eſt maximum reprobationis. Sed huiuſmodi eſt ſacrilegus vſus Euchariſtiæ: Ergo &c. Maior patet, quia tota prædeſtinatio eſt per conformitatem ad Chriſtum, vt ſæpius notatum eſt. Minor probatur, quia per ſacrilegum vſum Euchariſtiæ homo fit *reus corporis, & ſanguinis Chriſti*, vt dictum eſt ex *Paulo 1. ad Corin. 11.*

Confirmo. Quia intrante Chriſto ſimul, & Diabolo intra ſacrilegum, Chriſtus intrat vt hoſtis, Diabolus excipitur, vt hoſpes: Chriſtus intrat in corpus, Diabolus in cor: Chriſtus mox eiſcitur, Diabolus retinetur: quo nihil excogitari poteſt horrendius. Ideo Angeli, qui milleni Chriſtum in Euchariſtia circumſtant, ſacrilegum illicò diſcerperent, atque in tartara obtruderent, niſi immenſa Chriſti patientia prohiberet. Quod aduertens *Paſchaſius lib. de corp. & ſang. c. 8. Certus*, inquit, *ſis, quòd Angeli nec ſemel indignè communicanti parcerent, niſi gladium bonitas Chriſti ſuſpenderet*. Quod maius eſt reprobationis indicium: Quippe, vt idem *Paſchaſius, Sæpè grauius peccantibus diuina patientia parcit ad tempus: Neque ideo ſecuritas ſubrepat: quia theſaurizat ſibi contemptor iram in die iræ*.

47 Arguo denique. Quotieſcumque bonum alicui cooperatur in malum, ſignum habetur reprobationis: ſed in ſacrilego vſu Euchariſtiæ bonũ ſuſcipienti cooperatur in malum. Ergo &c. Maior patet, quia ſicut iis, *qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti, omnia cooperantur in bonum*. Ad *Rom. 8.* id eſt, vt ex *Auguſtino*, & aliis, etiam mala, & peccata, vt oſtendo tract. de Prædeſtinatione: ita præſcitis omnia cooperantur in malum, etiam bona. Ideo de reprobo dicitur *Pſal. 108. Oratio eius fiat in peccatum*. Minor probatur. Quia Euchariſtia maximum eſt bonum, immo omne bonum. Quamobrem *Zacharia 9 Quod eſt bonum eius, & quod eſt pulchrum eius, niſi frumẽtum electorum, &c.* Hoc autem ſummum bonum cooperatur indignè ſuſcipien-

pienti in ſummum malum: dum eo ex propria malitia abutitur in ſacrilegium grauiſſimum. Neque huic ſolùm oratio fit in peccatum. Sed ipſemet Chriſtus, auctor gratiæ, fit in peccatum. Quod expendens *Philo Carpat. in Cantic. 7. Orem*, inquit, *miram! O rem tremendam! Hæc, quæſo, diligenter Sacerdotes attendite: hoc omnes aduertite: hoc timete ſemper, & cauete periculum. Ea eſt enim diuinarum, humanarumque rerum natura, vt quæ pro ſua dignitate, & excellentia optima eſſe debent, ac ſumma, eadem, immutato ordine, peſſima fiant, & infima.* Hoc mox declarans in Euchariſtia: *Licet*, inquit, *videre quoſdam ex hoc Sacratiſſimo Conuiuio fieri quotidie prauiores: & , quod ſine graui dolore commemorare non poſſum, ob hoc ſolùm ad gehennam properare miſerrimos; quod ad tale, tantum, tamque ineffabile, ac Cæleſte Conuiuium, Angelorum Choris optabile, immundo corde audacter accedere, & inſolentiſſimè deuorare præſumunt.* Et quidem experientia conſtat, ſumentem Euchariſtiam indignè ſemper prolabi in deterius. Quod vel ab initio apparuit in Iuda; de quo ſcriptum eſt *Ioannis 13. cùm accepiſſet buccellam, exiuit continuò*. Euchariſtiæ igitur ſuſceptio non retardauit in Iuda tam immane facinus proditionis; ſed feſtinauit is poſt Euchariſtiã deterior. Talis eſt quicumque indignè Euchariſtiam percipit. Quod animaduertens *Laurentius Iuſtinianus ſerm. cit. de Euchariſtia: Iudam*, inquit, *imitantur huiuſmodi, qui præcepta panis buccella, ſceleratior factus à conſpectu luminis ſe abſentando fugit ad tenebras, vt conceptũ perageret facinus. Hinc eſt, quod ſumentes indignè præ cæteris grauiora delicta committunt, & pertinaciores in malo, atque ad emendationem vitæ ſunt tardiores.* Cum igitur hoc ſacrilegium tribuat *pertinaciam in malo*, ſignum eſt reprobationis potiſſimum; quæ addita eſt pertinaciæ finali.

PROPOSITIO LVII.

Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem modò honeſtam.

1 HÆc Propoſitio cuiuſdam recentioris videtur deſumpta ex *Cano* qui in *Prælect. de Pœnit. 5. par.* concedit attritionem viribus naturæ elicitam, eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ. Item ex *Molfeſio*; qui *tr. 7. c. 9. nu. 40.* putat quidem requiri attritionem ſupernaturalem ad hoc Sacramentum validè ſuſcipiendum: at pium eſſe credere, Deum ſupplere per Sacramentum defectum illum, cum pœnitens, qui confitetur, putat ſufficientem attritionem habere: citatque *Durandum*, & *Vaſquez*. Non deſunt etiam alij Doctores defendentes attritionem viribus naturæ elicitam, licèt non ſit diſpoſitio ſufficiens ad gratiam in Sacramento obtinendam; ſufficere tamen ad valorem Sacramenti. Ita *Palud*, *Capreolus*, *Durandus*, *Sylueſter*, *Victoria*, *Mantius*, & alij apud *Hen-*

Henriquez l.1. de Pœnit. c.26. num.2. & in *Gloſſa lit. D.* Quibus adhæret *Lopez.1.p. Inſtru. c.8.§.ſed ego*, & alij, quos citatos ſequitur *Thomas Hurtadus to.2.var.reſ.mor.tr.vlt.nu.504.& ſeq.* Exemplum adhibens, *Vt quando quis*, inquit, *dolet de peccato propter motiuum naturale, quia eſt contra rationem naturalem, ob turpitudinem naturalem peccati, aut quia ex ipſo contraxit infirmitatem, aut infamiam. Filliucius* quoque, *Bonac.* & alij admittunt hoc Sacramentum validum & informe ex defectu doloris ſupernaturalis inuincibiliter ignorati.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Contritio quare ſic dicatur? quomodo definiatur? in quo conſiſtat eius eſſentia? Et quod propoſitum non peccandi de cætero requiratur?*

3 *Contritio alia eſt perfecta, alia imperfecta. Quid ſit perfecta, & ex quibus virtutibus procedat?*

4 *An adſit vera contritio, & ſi non adſit formale, & expreſſum motiuum charitatis?*

5 *Quomodo definiatur contritio imperfecta, ſeù attritio?*

6 *Aſſignantur differentiæ inter attritionem ſupernaturalem, & contritionem?*

7 *Vtrum ad Sacramentum Pœnitentiæ ſufficiat attritio ſupernaturalis?*

8 *Quid ſi ſit cognita talis?*

9 *Sententia docens ſufficere attritionem ſupernaturalem ad Sacramentum Pœnitentiæ non ſubiacet damnationi primæ propoſitionis per Decretum Innocentij XI.*

10 *Vtrum ex eo, quod hæc attritio requiratur pro Sacramento prorſus ſupernaturalis, hæc ſupernaturalitas ſit ab auxilio Dei ſupernaturali tantùm, vel etiam à fide?*

11 *An attritio debeat eſſe formalis, & expreſſa deteſtatio de peccatis, ita vt non ſufficiat virtualis?*

12 *Vtrum attritio debeat eſſe efficax ad Sacramenti valorem, vt excludat omnem voluntatem peccandi, ita quod non ſufficiat bona fides pœnitentis, qui putet inuincibiliter habere dolorem, quem non habet?*

13 *Poteſt ſtare propoſitum requiſitum ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, etiam ſi quis probabiliter timeat futurum, vt aliquando ratione ſuæ infirmitatis mortaliter delinquat.*

14 *Attritio debet eſſe vniuerſalis ſe extendens ad ſingula peccata, vel ſaltem ad omnia generaliter; hinc non admitto dari Sacramentum validum, ſed informe ex defectu huius attritionis, ſeù doloris extenſiui.*

§. II.

15 *Omninò improbabile eſt, ſufficere attritionē naturalem quocumque modo ho-*

Digitized by Google

neſtam ad obtinendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Et contrarium vt minimum tanquam ſcandaloſum hoc Decreto abigitur.

16 Concilia definiunt, per naturæ vigorem nos non poſſe aliquod bonum cogitare ad ſalutem vitæ æternæ, abſque illuminatione, & ſpiratione Spiritus Sancti.

17 Diſpoſitio debet eſſe eiuſdem ordinis cum forma.

18 Attritio ex motiuo turpitudinis moralis peccati, vel contra iuſtitiæ virtutem &c. non eſt ſufficiens diſpoſitio ad Sacramentum Pœnitentiæ; ſed debet eſſe propter eam turpitudinem peccati, quæ opponitur alicui perfectioni diuinæ ſupernaturaliter cognitæ.

19 Dolor habitus de peccato, ob infamiam, vel pœnam corporalem infligendam à Iudice humano non eſt ſufficiens diſpoſitio ad Sacramentum Pœnitentiæ; benè verò elicitus ex motiuo quidem pœnæ temporalis; ſed à Deo in peccati vindictam inflictæ, vel infligendæ.

20 Attritio, quæ oritur ex motiuo pœnarum temporalium alterius vitæ, ſcilicet, Purgatorij, eſt ſufficiens diſpoſitio ad Sacramentum Pœnitentiæ, etiam ſi materia Sacramenti ſint peccata mortalia.

21 Hiſtoria illa, quæ refertur, fœminam in extremis Confeſſam eſſe ex adulterio habuiſſe Petrum Lombardum, Comeſtorem, & Gratianum, & quia tot inſignes filij ex ipſo concubitu progeniti, non potuiſſe habere dolorem, eſt fabuloſa.

22 Sententia docens ſufficere attritionem naturalem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, eſt falſa, & ſubijcitur damnationi.

23 Dolor ſupernaturalis eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ.

24 Verbum ſufficit æqualiter ſignificat ſufficientiam attritionis naturalis ad valorem, ac ad fructum.

25 Attritio naturalis exiſtimata ſupernaturalis non ſufficit ad faciendum Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe.

26 Sententia docens ſufficere ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ attritionem exiſtimatam, non poteſt ſubſiſtere.

27 Opinio, quæ defendebat, attritionem exiſtimatam ſufficere ad valorem Sacramenti includitur in damnatione.

28 Exiſtimatio non tribuit, quod non habet.

29 Damnatur ſententia docens ſufficere ad remiſſionem mortalium accedere cum bona fide ad Sacramentum Pœnitentiæ cum animo ipſum recipiendi, & ita recipere abſolutionem.

30 Pro remiſſione peccatorum venialium in Sacramento Pœnitentiæ pro ſolis venialibus requiritur dolor formalis, & efficax, qui ſit attritio ſupernaturalis?

31 Sacramentum Pœnitẽtiæ non eſt ſubſtantialiter diuerſum ex eo quod materia remota ſint mortalia, aut venialia: licèt non officiat Sacramento, ſi de aliquibus tantum, & non de omnibus habeatur efficax propoſitum.

32 Nec

32 *Nec quoad ſupernaturalitatem doloris eſt differentia inter Confeſſionem mortalium, & venialium ſecundùm Tridentinum.*

33 *An autem peccata venialia remitti poſſint per attritionem extra Sacramentum? eſt controuerſum inter Doctores.*

34 *Quando in homine iuſto ſupponuntur ablata venialia ante abſolutionem, accidentarium eſt ad virtutem clauium, & non tollit virtutem formæ.*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò. Quod inter actus pœnitentis, qui ſunt quaſi materia Sacramenti Pœnitentiæ, primo loco à *Trident. ſeſſ. 14. c. 3.* ponitur Contritio, translato nomine à rebus materialibus ad ſpiritualia. Et hoc optimè: nam *initium omnis peccati eſt ſuperbia*, quæ fecit hominem fixè proprio ſenſui adhærere. Quod igitur habet deſtruere peccatum, debet tali vocabulo ſignificari, quo denotetur, hominem à proprio ſenſu diſcedere. Quo pacto autem in materialibus per duplex vocabulum ſignificatur deſtructio integritatis rerum, ſcilicet, *Fractio*, quæ ſignificat deſtructionem integritatis in magnas tamen partes, & inde pauciores: & *Contritio*, ſeù *comminutio*, quæ tunc dicitur, quando integritas in minimas partes reducitur: pariter retractatio ab adhæſione proprii ſenſus poteſt vtroque illo nomine ſignificari. Verùm, vt tollatur peccatum, debet homo omninò ab affectu illius ſuperari; actus quo homo remouet à ſe peccatum, non dicitur *Fractio*, ſed Contritio. Ita *D. Thom. in ſupplem. qu. 1. ar. 1.* & cum eo communiter Theologi. Definitur autem Contritio prout abſtrahit à perfecta, & imperfecta, ſeù in genere, quod ſit, Animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo; cum propoſito non peccandi de cætero. Ita *Trident. ſeſſ. 14. c. 4.* Dolorem primo loco ponit Concilium, tanquam quod notius, cum tamen naturæ ordine *deteſtatio* prior ſit *dolore* tanquam cauſa ſuo effectu. Ideò namque dolemus, & triſtamur de peccato commiſſo, quia illud deteſtamur, abominamur, adeſſe nolumus, non factum vellemus, &c. Contritio verò eſſentialiter, nunc conſiſtit in ſolo dolore, vel triſtitia, vt volunt *Petrus de Tarantaſia*, aliàs *Innoc. IV. in 4. ar. 1. qu. 1. Alenſis, Paludanus, Gonetus, Bertagna*, & alii, nec in ſola deteſtatione peccati: vt voluit *Caietanus*; ſed in vtroque ſimul. Ita *Henriquez, Coninck, Card. de Lugo, Sporer, Madernus, Briſacenſis*, & alii. Et apertè ſignificat *Tridentinum* in definitione tradita. Ratio ſumitur ex natura ipſius contritionis. Contritio enim dicit actum, qui & affligat, & veluti conterat cor pœnitentis, & hunc à peccato auertit: ſed hunc actum neceſſariò oportet eſſe compoſitum ex duobus illis actibus: *Dolor* enim af-

Digitized by Google

fligit; *deteſtatio* à peccato auertit; ergo contritio eſſentialiter includit vtrũque. Et in particulari, quod deteſtatio peccati ſit de eſſentia contritionis, oſtenditur; quia contritio debet formaliter opponi peccato, & , vt loquitur *Tridentinum*, *voluntatem peccandi excludere*: Atqui deteſtatio peccati formaliter opponitur peccato, & peccandi voluntatem directe excludit: non ſic dolor ex ſe, niſi quatenus ex tali deteſtatione procedit, vt manifeſtum eſt: vnde idem Concilium in altera definitione *ſeſſ. 14. c. 1.* deteſtationem in recto ponit, dicens: *Eſt pœnitentia, qua offenſam Dei, cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtamur*. Quod etiam de eſſentia contritionis ſit dolor etiam demonſtratur: Nam ſecundùm communiſſimam ſententiam cum *D. Thoma 3. p. q. 87. ar 1. ſuppl.* Pœnitentia actualis, adeoque cõtritio non habet locum in Beatis, vtique ob defectum alicuius eſſentialis requiſiti ad pœnitentiam, ſeù contritionem, quia ſcilicet non ſunt capaces doloris, vel triſtitiæ, quippè abſorpti gaudio beatifico. Atqui Beati ſine dubio habent deteſtationem perfectiſſimam peccatorum præteritorum. Ergo, &c. Dicas igitur cum *Sporer, Briſacenſi*, & aliis, quod contritio primariò conſiſtit in deteſtatione, ex qua neceſſariò ſequitur dolor in viatoribus: quia tamen dolor eſt notior, quippè ſępè in corpus influens, ideò paſſim Sacra Scriptura, & SS. Patres pœnitentiam, vel contritionem per dolorem, planctum, pœnaſque definiunt. Et quia in homine viatore hi actus ita coniuncti ſunt, vt per modum vnius reputentur, in praxi non oportet multum anxium eſſe; ſatis enim eſt, ſi quis ſciat ſe alterutrum elicuiſſe, vt notant *Sporer, & Briſacenſis*. Propoſitum verò non peccandi de cætero debet eſſe explicitum, ac formale, per ſe loquendo: Concilia enim Florentinum, & Tridentinum explicando naturam contritionis, dicunt formalibus verbis, eam debere eſſe cum propoſito non peccandi de cætero. Et licèt *Tamburinus*, & quidam alii contrarium doceant, tamen, excepto caſu inconſiderationis, obliuionis, aut deficientiæ temporis, vbi ſufficit propoſitum virtuale, & implicitum, incluſum in ipſo dolore requiri formale, & explicitum verius, ſecurius, & communius eſt apud Doctores *Maſtrium, Card. de Lugo, Auerſam, Sporer*, & alios. Sumitur ex Scriptura, & SS. Patribus paſſim ad pœnitentiam requirentibus nouam vitam, nimirum in voto, & propoſito, adeò vt Doctores *Gregorius*, & *Ambroſius* definiant pœnitentiam eſſe *peccata præterita plangere, & plangendo non committere*, vtique in propoſito. Et quidem *Tridentinum* poſt ſupra relata verba ſubdit: *Declarat Sancta Synodus, hanc contritionem non ſolum continere ceſſationem à peccato, ſed & vitæ nouæ propoſitum, & inchoationem.* Vnde *Vega l. 15. in Conc. Trid. c. 2.* docet, pingendam eſſe pœnitentiam ità, vt ei duæ facies, veluti alteri Iano tribuantur; altera, quæ prę teritum reſpiciat, & doleat de vita anteacta, & altera, quę futurum reſpiciat, proponendo vitare omnem Dei offenſam. Vnde miror, quod *Laurentius-Maria Piſanus, Felix à Panormo to. 2. d. 4. num. 964. & Pratelius de Sacram.*

Digitized by Google

cram. c.6.§.2. num.645. per hoc Decretum doceant, non requiri per ſe formale propoſitum, ſed ſufficere virtuale, & implicitum. Licet in praxi ipſemet *Pratelius* docet exigendum eſſe formale à pœnitentibus ſaltem rudioribus.

3 Notandum eſt ſecundò. Quòd contritio duplex eſt, perfecta, & imperfecta. Perfecta, quæ per antonomaſiam, & excellentiam venit nomine contritionis, definitur rectè à *Franciſco à Ieſu Maria de Sacram. tr. 6.c.1.pu.4. num.10.* ibi: *Eſt deteſtatio, & dolor ſuper omnia de peccato commiſſo, quatenus eſt offenſa, & iniuria Dei, & propter Deum ſummè dilectum, intentione abolendi, & reſarciendi illam, cum propoſito non peccandi de cætero.* Pro cuius explicatione animaduertendum cum *Ioanne à S. Thoma de Sacram.d.34.ar.1.* & aliis ex *D.Thom.3.p.q.85. ar 2.ad* 1. quod contritio non eſt actus elicitus à charitate, ſed à pœnitentia infuſa, licet imperetur à charitate. Contritio enim eſt dolor de peccatis propter Deum ſummè dilectum; at non ſiſtendo in ipſa diſplicentia peccati, & dilectione Dei ſecundum ſe; ſed in dolore, & dilectione modificata per modum expiationis, & vindicationis peccati; & ſic eſt propter Deum ſummè dilectum, tanquã propter finem imperantem, & dirigentem, non tamen propter rationem formalem ſpecificam: ſi dilectio Dei conſideretur ſolum abſolute, & ſecundum ſe. Vt autem pertinet eſſentialiter ad pœnitentiam, non ſumitur ſumma illa dilectio ſolùm ſecundùm ſe, ſed vt modificata, & determinata ad dolorem de peccatis per modum ſatisfactionis, & recompenſationis. Hoc idem net *Ioannes à S.Thoma* explanat his verbis: *Charitas autem elicitiuè non elicit ipſum diligere niſi diligendo Deum abſolutè, & in ſe, & eodem modo dolet, atque deteſtatur peccatum ſibi oppoſitum; ſed dolere de illo ſub tali modo, ſcilicet, vt cui eſt ſatisfaciendum, vel cuius vindicanda iniuria, ſic pertinet ad ſpeciale motiuum; atque ita dilectio Dei abſolutè conſiderata eſt diuerſæ ſpeciei à Pœnitentia, & imperat illam. Vt autem modificata, & determinata ad eliciendum dolorem per modum expiationis, & ſatisfactionis, conſtituit eſſentialiter aliam ſpeciem virtutis, ſcilicet, Pœnitentiam.* Et per hæc patet intelligentia *Tridentini*, quod *ſeſſ.14.c.4.* poſtquam docuit, Contritionem eſſe actum Pœnitentiæ valentem ad iuſtificationem extra Sacramentũ, addit, hoc ipſam habere, in quantum eſt *charitate perfecta*. Itaque contritio elicitur à Pœnitentia, & imperatur à Charitate, vt docent etiam *D.Bonauen. 4.d.14.par.1.ar.2.qu.2.& 3.* & alii. Non ignoro tamen *Suarium*, & alios velle, elici à Charitate, & imperari à Pœnitentia. *Sporer* verò *de Sacram. par 3.c.2.ſect.2.num.123.* non improbabiliter putat, vtrumque practicè poſſe eſſe verum, prout contritio diuerſo actu, vel diuerſis vicibus incipit à motiuo modò vnius, modò alterius virtutis ſeſe inuicem imperantis. Nam charitas ſuo motiuo incipiens, & deteſtans peccatum vt malum contrarium Deo ſummo bono, imperat eius vindictam, & abolitionem: & ſic contritio primo reſpectu eſt actus elicitus Charitatis: Secundò autem reſpectu eſt

actus

actus elicitus Pœnitentiæ virtutis, & imperatus Charitatis: ideò enim vis abolere peccatum, quia Deo ſuper omnia dilecto eſt contrarium. Contra, alio actu, vel alia vice, Pœnitentia virtus ſuo motiuo incipiens, & volens vindicare peccatum, & abolere, & ſatisfacere Deo iniurato, offenſoque imperat velut excellentiſſimum medium abolendi peccatum, ac ſatisfaciendi Deo, deteſtationem peccati ſuper omnia, quatenus eſt malum contrarium Deo ſummo bono ſuper omnia dilecto (imò & ipſum formalem amorem Dei ſuper omnia) & ſic contritio primo actu eſt actus elicitus pœnitentiæ; ſecundò verò actu, vel reſpectu, eſt actus elicitus charitatis, & imperatus pœnitentiæ virtutis.

4 Quidam, quorum ſententiam vt probabilem defendit *Maſtrius*, docuerunt, quòd adſit vera contritio, etſi non adſit formale, & expreſſum motiuum charitatis; putà ſi doleo, & deteſtor peccatum propter ipſum Deum maximè, ſeù quatenus eſt offenſa Dei; ſed vel primò ex motiuo Religionis, quatenus continet inhonorationem Dei, contra cultum debitum Deo ſupremo Domino vitæ, ac mortis; vel ſecundò ex motiuo obedientiæ, quatenus continet inobedientiam erga Deum ſupremum legiſlatorem noſtrum: vel tertiò ex motiuo gratitudinis, quatenus continet horrendam ingratitudinem contra Deum ſupremum Benefactorem noſtrum: vel quartò denique ex motiuo proprio virtutis pœnitentiæ, ac iuſtitiæ erga Deum, quatenus continet offenſam, ac iniuriam contra Deum ſupremum Dominum actionum noſtrarum: atque ſic apprehendo peccatum, vt ſummum malum, & maius omni alio malo, cum aliquali ſaltem virtuali, & implicito amore Dei: non enim deteſtarer, & cuperem abeſſe illud malum Deo, niſi aliquo modo de eius bono complacerem, eoque ipſe Deum amarem. Sed cum *Card.de Lugo* cenſeo, nullo modo eſſe recedendum à communiſſima ſententia Doctorum poſt *Concilium Tridentinum* requirens contritionem eſſe *charitate perfectam*. Atqui contritio iſta tua, ex quocumque dictorum, vel ſimili motiuo, non eſt charitate perfecta, cum non procedat ex motiuo proprio charitatis: Doles quidem, vt inquis, & deteſtaris peccata ſuper omnia alia mala, quæ non ſunt peccata: at non deteſtaris illud, inquantum ſummè eſt deteſtabile. Longè enim deteſtabilius eſt peccatum, in quantum eſt contra Deum ſummum bonum ſimpliciter, ac ſupremam charitatis virtutem, quam inquantum eſt contra Deum particulariter, vt ſupremum Dominum, Legiſlatorem, Benefactorem, &c. ac ſolum contrariatur inferioribus virtutibus Religionis, Obedientiæ, Gratitudinis, ac Iuſtitiæ. Vnde propè errorem exiſtimat *Bertagna* contrariam ſententiam. Verum licèt non ſufficiant iſti dolores ad veram, perfectamque contritionem, quatenus præciſè ſunt actus eliciti earum virtutum, ſiſtentes in earum propriis motiuis Religionis, Obedientiæ, Gratitudinis, Pœnitentiæ, &c. ſufficiunt tamen illi dolores, quatenus aliquo modo procedunt ex motiuo, & imperio charitatis. Atque adeò

cum

Digitized by Google

cum *Patritio Sporer*, & aliis, dico vniuerſaliter; quod adeſt vera contritio perfecta, quoties ex actuali, & virtuali, implicito ſaltem imperio, & motiuo charitatis doles, & deteſtaris peccatum vt offenſam Dei, & ſub quocumque particulari motiuo, vel malitia ipſum peccatum,& offenſam Dei: & ſub quacumque particulari perfectione, ratione, vel reſpectu ipſum Deum offenſum hîc & nunc apprehendas, & tibi proponas: atque ex huiuſmodi virtuali,& implicito ſaltem imperio, & motiuo charitatis doles, & deteſtaris peccatum, quoties deteſtaris vt ſimpliciter ſummum malum ſuper omnia alia mala: ſic enim neceſſariò deteſtaris peccatum vt malum Dei oppoſitum ſummo bono, quod vtique eſt proprium charitatis. Habes ergo perfectam contritionem,quando ex actuali, vel virtuali affectu amoris Dei ſuper omnia deteſtaris tuas per peccata Deo ſummo bono irrogatas inhonorationes, inobedientias, ingratitudines, iniurias, &c. Nam licet eiuſmodi deteſtationes elicitiuè ſint actus Religionis, Obedientiæ, Gratitudinis, Pœnitentiæ, &c. imperatiuè tamen ſunt actus amoris Dei ſuper omnia. Hinc licèt ſpeculatiuè, & in abſtracto, ſpectando ſenſum grammaticalem verborum, fatendum ſit, hac formula: *Ex toto corde*, vel *ſummè doleo, quod Dominum Deum meum offenderim*, non exprimi dolorem ex motiuo charitatis erga Deum ſummum bonum, aut vllum clarum affectum amoris diuini in corde proferentis, ſed tantum dolorem ob offenſam, vel iniuriam Dei ſupremi Domini noſtri ex motiuo Religionis, ac pœnitentiæ ad ſummum, ideoque ſecundum communiſſimam ſententiam, nec perfectam contritionem: At verò practicè, & in concreto ſpectando illa verba ſecundum affectum feriò, & feruidè illa proferentis, omninò formula iſta regulariter, & vt plurimum continet veram contritionem ex motiuo charitatis, & motu veri amoris diuini, adeò vt inter centum, imò fortè inter mille vix vnus reperiatur, qui ſine verò motu amoris Dei, veraque contritione, piè, ſeriò, & ardenter proferat hæc verba ex corde: *Summè doleo, quòd te Dominum Deum meum tam grauiter offenderim*, & maximè, ſi addit epitheton *dilecti*. Ita *Sporer de Sacram.p.3.c.2.ſect.2.num.131.* & alii, adeò vt doctiſſimus *Leſſius auctar.V.Confeſſio caſu* 1. veram contritionem æſtimet hunc actum: *Maledicta peccata mea, quibus Dominum Deum meum offendi*. Sicut etiam *Tambur.opuſc.exped.confeſſ.l.1. c.1. §.6.num.13.* hunc actum verè contritionis cenſet: *De peccato, quia eſt offenſa Dei, & iniuria, ſuper omne id, quod me pœnitere poteſt, pœnitet*. Ratio autem eſt, quia ſic ſeriò loquentes boni Chriſtiani non ſolent in peccatis apprehendere, vel conſiderare offenſam Dei, vt formalem iniuriam, ſeu læſionem iuris Diuini ſupremi Domini, ſed conſiderant in peccatis offenſam Dei tanquam moleſtiam, exacerbationem,ac velut amaritudinem, grauemque diſplicentiam, quam peccato quodammodo attulerant animo diuino, optimo Deo, ac Domino noſtro meritò ſemper amando,omnique obſequio ad placitum, & guſtum proſequendo, ac velut oblectando.

5 Im,

Digitized by Google

5 Imperfecta verò, quæ attritio dicitur, & de qua hic maximè loquimur, definitur in genere, eſt Deteſtatio, animique dolor imperfectus de peccato commiſſo ex motiuo infra Deum, ſeù non procedens ex dilectione Dei ſuper omnia modificata, determinataque per modum expiationis, & vindicationis peccati. Et duplex eſt; naturalis, & ſupernaturalis. Naturalis eſt ex motiuo naturali, ſupernaturalis ex motiuo ſupernaturali. Naturalis adhuc duplex eſt. Prima ex motiuo turpi; qua ſcilicet deteſtatur, & dolet de peccato; quatenus propter ipſum amiſit vires ad alia turpia perpetranda. Et hæc eſt pernicioſa, peccaminoſa, & contraria gratiæ. *Suarez de Pœnit. d. 9. ſect. 2.* Secunda eſt ex motiuo naturali honeſto, vt eſt dolor ex timore pœnarum, infamiæ, priuationis officii, morbi, & ſimilium. Supernaturalis verò eſt deteſtatio, ac dolor ortus ex motiuo ſupernaturali, vt eſt ex motiuo gehennæ, & pœnarum, ac ex turpitudinis peccati conſideratione. *Trident. cit. ſeſſ. 14. c. 4.* Et hæc vocatur pia, & Chriſtiana *Barberius de Pœnit. qu. 6. num. 300.* Hæc autem motiua, & actus contritionis imperfectæ, ſeù attritionis vtiliſſimè eleuabis in contritionem perfectam, ſi ex actuali, vel virtuali amore Dei doles, te tuis peccatis meruiſſe infernum, vbi æternùm Dei amore, & fruitione carens, Dei odio, & execrationes pluſquam ipſis inferni ignibus arſurus eſſes; ſicut etiam ſi amoris affectu doleas, te adeò offendiſſe ſummam bonitatem, ſeù benignitatem diuinam, vt irritatus Iudex iuſtus, etiam pœnis temporalibus te caſtigare poſſit, aut de facto caſtiget. *Sporer n. 130.* & alii.

6 Differt verò hæc ſupernaturalis attritio à contritione, ex parte originis, ex parte cauſæ, ex parte obiecti, & ex parte effectus. Ita cum *Soto, & Cano, Bertagna in ſupplem. q. 1. ar. 3. concluſ. 4.* Patet. Quia contritio oritur ex motiuo amoris Dei ſuper omnia, modificati, vt ſupra: cauſatur à virtute pœnitentiæ: habet pro obiecto peccatum, vt eſt offenſa Dei ſummè dilecti: & eius effectus eſt remiſſio peccati, etiam Sacramento non ſuſcepto: eſt enim vltima, & proxima, atque infallibilis diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem vt docent communiter Theologi, atque pro certo ſupponunt: & aliqui oppoſitam ſententiam *Franciſci Syluij*, & aliorum docentium, non ſemper, imò raró contritionem, etiam ſi perfecta ſit, & cum amore Dei ſuper omnia coniûcta, habere annexam remiſſionem mortalis ante realem ſuſceptionem Sacramenti, vocant periculoſam, vel temerariam, aut ſcandaloſam, vel etiam erroneam. Et patet ex *Conc. Trident. pluribus in locis. Nam ſeſſ. 14 c. 4.* docet: *Et ſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priùs quàm hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Vbi cùm dicit, *aliquando*, ſolùm intendit, quod aliquando habetur contritio perfecta, cum omnibus conditionibus requiſitis. Sed quando habetur talis contritio, ſemper afferat reconciliationem cum Deo, ſemper tamen inclu-

cludat votum Sacramenti ſuo tempore ſuſcipiendi. Et ſimiliter *ſeſſ. 6. c. 4.* dicebat, *Tranſlatio in ſtatum gratiæ poſt Euangelium promulgatum, ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt.* Vbi etiam ſupponit, cum ſolo voto baptiſmi, mediante ſcilicet perfecta contritione, ſeù ad Deum conuerſione, poſſe impium iuſtificari. Et *ſeſſ. 13. c. 7.* permittit Sacerdotibus, vt etiam ſi habeant conſcientiam peccati mortalis, vrgente tamen neceſſitate, abſque præuia confeſſione celebrare poſſint; ita vtique, vt ſe per contritionem diſponant non quaſi in ſolo caſu neceſſitatis contritio habeat vim iuſtificandi; ſed quia tunc ſolùm excuſatur Sacerdos ab obligatione præmittendi confeſſionem ante Sacrificium. Vnde *Arriaga de Pœnit. d. 12. ſect. 2. num. 11.* & alij putant *Syluij* opinionem videri omninò damnatam in *Concilio Tridentino*. Attritio verò ſupernaturalis habet pro origine ſeù motiuo aliquid creatũ, nõ eſt à pœnitentia, vt expreſse docet *D. Thomas in ſupplem. q. 1. ar. 2.* nec à virtute ſpei, &c. vt voluit *Corella Baſſæus*, & alij: ſed cũ ſit actus imperfectus, non eſt actus virtutis, ſeù non procedit à virtute, ſed à motione, & auxilio Spiritus Sancti. Nec enim attritio eſt diſpoſitio perfecti ad optimum, ſed imperfecta diſpoſitio: contritio autem eſt perfecta diſpoſitio; & ideo elicitur à virtute, nempè infuſa pœnitentiæ, &c. Ita *Nugnus in ſupplem. q. 1. ar. 2. Ioannes à S. Thoma de Sacram. d. 24. ar. 1. dub. 3. §. ſi quæratur, Franciſcus à Ieſu Maria cit. pu. 4. num. 17.* & alij. Habet pro obiecto peccatum, vt eſt malum peccantis; & eius effectus eſt ſolum diſponere pro iuſtificatione, eo modo, quo mox.

7 Notandum eſt tertiò: non requiri ad Sacramentum pœnitentiæ contritionem perfectam, nec neceſſitate medij, ſeù Sacramenti, neque obligatione præcepti; ſed ſufficere attritionem ſupernaturalem etiam cognitam, ad recipiendam abſolutionem, & gratiam Sacramenti. Ita *D. Thomas 3. p. q. 80. ar. 4. ad 2. & alibi, Scotus in 4. d. 14. q. 2. ar. 3. D. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 19. §. 5.* & alij communiſſimè, præſertim poſt *Concilium Tridentinum.* Vnde *Suarez de Pœnit. d. 20. ſect. 1. concluſ. 1. n. 10.* ſic ſcribit: *Hanc concluſionẽ exiſtimo hoc tempore adeò certã, vt non poſſit abſq; errore negari.* Citatur ab aliquibus pro contraria ſententia *S. Bonauentura.* Sed immeritò. Vndè *Barberius, Bontempus,* & alij Bonauenturiſtæ ſunt cũ hac noſtra ſententia communi. Eſt tamen contra *Gabrielem, Maiorem, Adrianum, Ioannem Medinam, & Petrum Soto,* exiſtimantes requiri contritionem perfectam, vt medium neceſſarium ad fructum, & effectum huius Sacramenti: Et contra *Dominicum Sotum, Ledeſmam, Vegam, Cordubam, Victoriam,* & alios putantes cõtritionẽ perfectã eſſe neceſſariam ad effectum huius Sacramenti neceſſitate præcepti, non medij ita vt ſi quis bona fide accedat, putans ſe eſſe contritum, cum tamen reuera ſit tantum attritus, adhuc recipiat gratiam Sacramenti, ideò dicunt requiri, ac ſufficere contritionem exiſtimatam. Probatur autem contra iſtas noſtra communis ſententia. Primò, quia *Concilium Trid. cit. ſeſſ. 4. c. 4.* ait, attritionem ad Dei gratiam in Sa-

cramento Pœnitentiæ impetrandam diſponere: Ergo hęc ſufficit, & non requiritur contritio vera, aut exiſtimata. Nec dicas Concilium loqui de diſpoſitione remota, & inſufficiente. Nam contra eſt primò, quia *Tridentinum* eodem modo dicit eſſe diſpoſitionem attritionem in Sacramento, quomodo eſt contritio diſpoſitio extra Sacramentum: ſed contritio extra Sacramentum eſt diſpoſitio proxima: Ergo etiã attritio in Sacramento. Secundò, quia diuerſo modo attritio diſponit ad gratiam in Sacramento, & extra; ſed extra diſponit remotè: Ergo in Sacramento proximè. Probatur ſecundò, ſi requireretur contritio peccata remitterentur, non vi clauium, ſed vi contritionis. Sed hoc dici nequit. Nam ipſummet *Concilium cit. ſeſſ.* 14. *c.* 1. dicit hoc Sacramentum inſtitutum eſſe ad reconciliandos Deo fideles poſt baptiſmum lapſos. Nec hoc Sacramentum diceretur mortuorum, ſed viuorum; nec eſſet ſecunda tabula poſt naufragium: Ergo &c. Probatur tertiò, quia Chriſtus *Io.* 20. illis verbis: *Quorum remiſeritis peccata, &c.* tribuit Sacerdotibus poteſtatem remittendi peccata abſolutè loquendo, ſcilicet, non ſolum quantum ad pœnam, ſed præcipuè quantum ad culpam (peccatum enim per ſe, & principaliter denotat culpam.) Atqui ſi requireretur contritio perfecta, iam Sacerdotes numquam remitterent culpam: nam hanc remitteret contritio, quæ abſolutioni præcedere debet: Ergo &c. Probatur denique, quia Lex noua, eſt lex gratiæ, & Chriſti, cuius iugum ſuaue eſt; ſed ſi requireretur contritio perfecta, iugum Chriſti in hoc eſſet durius: nam in lege Moyſi requirebatur quidem contritio, ſed non confeſſio: Ergo &c.

8 Itaque quis etiam ſi accedat cum attritione cognita tali, rectè accedit, & conſequitur fructum Sacramenti: nec ad aliud tenetur ratione pręcepti diuini; quod non apparet, nec eſt præſumendum in lege Chriſti; aliàs iugum Chriſti non eſſet ſuaue. Quod ſi requiratur conuerſio ad Deum ex toto corde, intelligitur illa, quæ exigitur ab ipſo Deo, vt peccata remittat. Quæ quidem non eſt in lege gratiæ perfecta contritio, ſeu peccati deteſtatio ex ſupremo motiuo propter Deum ſummè dilectum, vt vindicatiua offenſæ; ſed etiam confeſſio tacta cum attritione, & peccati deteſtatione ob aliud inferius motiuum.

9 Id enim conceſſum nobis eſt ex ſpeciali beneficio Chriſti, per inſtitutionem huius Sacramenti, ſicut etiam Baptiſmi. Nec quia ſententia docens, requiri contritionem perfectam, ſaltem exiſtimatam, eſt ſecurior; ideò neceſſariò ad praxim deducenda, & noſtra pro praxi ſubiacet damnationi primæ Propoſitionis huius Decreti. Tum quia Decretum loquitur in adminiſtratione Sacramentorum. Tum etiam, quia loquitur de opinionibus probabilibus: hæc autem doctrina non eſt merè probabilis, ſed omninò certa, & indubitabilis propter definitionem *Concilij Tridentini* relatam, vt ait *Ioannes de Cardenas in Criſi Theol. diſſert.* 2. *c.* 6. *ar.* 2. *q.* 1. *Piſanus*, & alij: quam etiam exiſtimauit tutam *Auerſa de Pœnit. q.* 11. *ſect.* 4. & adeò

cer-

certam cenſuit facultas Pariſienſis, vt propoſitionem contrariam cuiuſdam Theologi, tam die prima Iunij, quam prima Iulij anno 1638. exiſtimauerit eſſe quietis animarum perturbatiuam, communi, & omninò tutæ praxi Eccleſiæ contrariam, efficaciæ Sacramenti Pœnitentiæ imminutiuam, & inſuper temerariam, & erroneam. Ita refert *Iſambertus d.14. de Sacram. Pœnit.ar.6.* qui eidem cenſuræ interfuit, & ſubſcripſit. Ego cenſuras remitto Sedi Apoſtolicæ, & tantum aſſero, ſententiam noſtram eſſe certam ab intrinſeco, & tutam in praxi, vt exiſtimant etiam tutam, & admittunt pro praxi poſt hoc Decretum ſcribentes, nedum *Ioannes de Cardenas*, & *Piſanus*, ſed & *Gonetus in ſuo Manuali Theologico*, *Bartholomæus Durandus*, *Felix à Panormo*, *Laurentius à S.Thereſia*, *Corella*, *Torrecilla*, *Sporer*, & alij, qui etiam nullam dilectionem Dei requirunt; ſed de hoc plene dicemus in *Alexandri Gladio in comment.ad Propoſ.15.*

10 Notandum tamen quartò, nos loqui de attritione ſuis requiſitis vallata conditionibus; quorum prima eſt, quod ſit verè ſupernaturalis, vt plenius dicetur, §.ſequenti, abigendo propoſitionem hanc iuxta Decretum. Porro *Arriaga de Pœnit.d.11.ſect.5.nu.25.* *Madernus*, *Maſtrius*, & alij putant, potiùs ex auxilio ſupernaturali diuino ſupernaturalitatem habere, quam à fide; ſed verius eſt, quod etiam à Fide. *Prætelius de Sacram. c.6.§.2.num.637.* & alij, non tamen à ſola fide, vt putauit *Card.Ioſeph de Aguirre to.3.in Monologium S. Anſelmi tr.7.d.118. ſect.4. num.39.* qui ſic explicat verba ſuprarelata *Tridentini ſeſſ.14.c.4.* ſcilicet *Motum attritionis ex timore gehennæ, & pœnarum; eſſe donum Dei, & impulſum Spiritus Sancti; nimirum eſt motus timoris innitentis obſcuræ Dei reuelationi, atque adeo fidei Theologicæ de acerbitate pœnarum tum damni, tum ſenſus, infligenda à Deo auctore ſupernaturali. Id verò motiuum planè eſt ſupernaturale, extrinſecè ſaltem, ſiue ex parte obiecti, prout exigitur, & ſufficit ad ſupernaturalitatem attritionis.* Hæc ille.

11 Secundò. Attritio debet eſſe formalis, & expreſſa deteſtatio, ſiue dolor de peccatis, & non ſufficit virtualis. Ita *Vaſquez*, *Hurtadus*, *Caſpenſis*, & alii, quos refert, & ſequitur *Maſtrius to.4.d.5.qu 6.ar.3.num.173.* *Sporer*, & alii communiter. Et quidem actus implicitus, & virtualis eſſet voluntas confitendi, & recipiendi abſolutionem: hæc enim voluntas eſt virtualis pœnitentia, & diſplicentia; ſed hanc non ſufficere ſine expreſſo, & formali actu doloris nec ad effectum, nec ad valorem Sacramenti; manifeſtum eſt ex *Tridentino ſeſſ.14.c.3. & can.4.* Ergo ſine errore in Fide aſſeri nequit formalem, & expreſſum dolorem de lethalibus, neceſſarium non eſſe ad iuſtificationem virtute abſolutionis obtinendam. Hinc ſoluitur primò difficultas de dolore de non dolere; an ſcilicet ſufficiat actus, quo quis dolet, quod non habeat dolorem. In qua, affirmant *Nauar. in Man.c.10.n.4.* *Sà V.Contritio num.5.* *Machadus to.1.l.3.par.1.tr.5. docum.5. num.5.* citans *Syluestrum, & Paludanum:* & alii diceſſites, quod ſi quis ac-

Zzz 2 ce-

Digitized by Google

cedat ad confeſſionem non ſentiens in ſe verum dolorem ſuorum peccatorum, nec ad illum concipiendum induci poſſit, deberet induci, vt ſaltem habeat diſplicentiam de hoc ipſo, quod non habeat illum dolorem, ſiue vt habeat deſiderium habendi illum. Et citans *Laymanum* docet idem pro conſcientiis timoratis *Tamburinus in meth. confeſſ. l. 1. c. 2. §. 1. n. 1.* Sed vera eſt ſententia negatiua, quam cum *Vaſquez, Henriquez*, & aliis docet *Leander à Sacram. de Pœnit. d. 7. q. 11. Caſpenſis tr. 24. d. 4. ſect. 1. nu. 89. Torrecilla in ſumma to. 2. tr. 1. d. 2. c. 4. num. 384. Maſtrius cit. d. 5. qu. 15. ar. 1. num. 409. Boyuinus de Sacram. c. 6. qu. 3. Felix à Panormo to. 2. d. 4. num. 960. Laur. Maria Piſanus in Gladio Gedeonis in comm. ad hanc Propoſitionem nu. 9. Corella*, & alii communiter. Ratio eſt, quia *Trident. cit. ſeſſ. 14. c. 3. & 4.* requirit animi dolorem, ac deteſtationem peccatorum. Qui enim dolet ſe non dolere, non habet deteſtationem doloroſam; non enim dolere de carentia doloris eſt dolor de peccatis; ſicuti ſi doles, quia non amas aliquem, non ideò illum amas. Confirmatur, quia accuſatio ſacramentalis eſt de ipſis peccatis: Ergo & eorumdem deteſtatio debet eſſe; & pœnitentia, quæ in Scripturis requiritur, & toties peccatoribus inculcatur, planè intelligitur de ipſis peccatis. Si dicas, quod dolor de non habere dolorem peccati reſpiciat cum deteſtatione etiam ipſum peccatum. Diſtinguo: cum deteſtatione formali, nego: cum deteſtatione remota; aut, vt melius dicam, cum deſiderio deteſtationis, concedo. Itaque dolor de non habere dolorem peccati, non eſt formalis deteſtatio peccati; cum eo enim actu eſt compatibilis affectus ad peccatum. Docent tamen *Felix à Panormo, Gobat, Briſacenſis*, & alii, cum hoc non dolere ſolere regulariter eſſe coniunctum dolorem de peccatis, quamuis pœnitens eum non cognoſcat, & tunc non eſſe ſufficientem. Et hoc veriſimile etiam dicit *Boyuinus*, ſi dolor ſit verus, & ſupernaturalis. Aſſentitur etiam *Piſanus*, dicens, quod hic dolor in aliquibus eſt indicium veri doloris, & deſiderium intentionis doloris. Secundò à fortiori reſoluitur, an ſufficiat ad valorem Sacramenti actus, quo quis dicit: *Domine Deus, cupio confiteri eo modo, quo Beatus Franciſcus, Antonius, & Dominicus confeſſi ſunt*: reſoluitur, inquam, negatiuè cum *Petro Maria Moretto in Tribunali conſcientiæ congreg. 1. caſu 1.* & aliis; quia ex *Tridentino cit. c. 3.* quaſi materia huius Sacramenti ſunt actus ipſius pœnitentis: dolor ergo, & deteſtatio ipſius pœnitentis, & non B. Franciſci, &c. requiritur neceſſariò ad valorem. Et in *can. Scindite, de pœnit. d. 1.* dicitur: *Scindite corda veſtra: veſtra*, inquam, non aliena. Præterea, cum iſte præcisè dicit ſe cupere confiteri eo modo, quo Beati illi Franciſcus, Dominicus, & Antonius confeſſi ſunt; dumtaxat indicat in ſe eſſe, & reperiri deſiderium, & voluntatem habendi conditiones illas, & circumſtantias tunc temporis ab illis Sanctis habitas actui cordis ſui: ſed tali deſiderio, & voluntati nullo modo iungitur neceſſariò, & inſeparabiliter aliquis actus doloris, & propoſiti in proprio corde. Cupit enim dolere ad inſtar illo-

rum

Digitized by Google

rum Sanctorum. At cupere, ſeù confiteri, ſeù dolere, non eſt nec confiteri, nec dolere, quia deſiderium actus non eſt actus. Ergo, &c. Denique, ad validitatem Sacramenti requiritur formalis dolor: hic autem in præſenti deeſt.

12 Tertiò. Attritio debet eſſe efficax, quia continere debet & deteſtationem peccati commiſſi, & propoſitum de cætero non peccandi. *Trid. cit. ſeſſ.14.c.4.* Eſt quidem ſecundum communiorem ſententiam deteſtatio peccati præteriti actus non abſolutus, ſed conditionatus, quia explicatur per has voces: *Vellem non peccaſſe, ſi id fieri poſſet*. Vel *ſi poſſem facere, vt peccatum non fuiſſet patratum, id facerem*: hoc eſt, ita ſum affectus contra peccatum, vt ſi res eſſet integra, non committeretur à me tale peccatum. Ratioque eſt, quia voluntas abſoluta velle non poteſt, quod eſt impoſſibile: quod enim factum, infectum fieri nequit. Ergo, &c. Et quamuis hic actus ſit conditionatus ex parte obiecti, debet tamen dici efficax ex parte voluntatis, vt benè docent *de Rhodes, Coninch, Briſacenſis, Sporer*, & alii, cum *D.Thoma 3.p. qu.60.ar.4.* Et hoc ex triplici cauſa. Primò, prout diſtinguitur à ſimplici, ſeù inefficaci odio, ac velleitate, quæ ſtare poteſt cum actuali affectu ad peccatum: quia per odium inefficax ſolum dicimus: *Vellem non peccaſſe, nec peccare, ſi inde mihi non ſequerentur alia incommoda, quæ nolo ſubire*. At per odium efficax, ſiue per actum iſtum deteſtationis dicimus: *Vellem, quantum eſt ex me, non peccaſſe, ſi id eſſet in mea poteſtate*, indicando, quo minus id efficiatur, virium noſtrarum, defectum eſſe, non voluntatis. Et hoc efficax requiritur ex *Tridentino cit. c.4.* vbi attritio ſupernaturalis ſufficiens ad iuſtificationem debet excludere omnem voluntatem peccandi. Secundò, dicitur efficax, quoad effectum, non quidem phyſicè, ſed moraliter, & quantum ad peccatum habituale: nam licèt pœnitentia reuera non poſſit facere, quod peccatum non fuerit, eius tamen deteſtatio ſaltem ex acceptione Dei habet valorem, & vires ad tollendum peccatum proinde ac ſi nunquam fuiſſet. Tertiò, dicitur efficax quoad affectum, & actum voluntatis, quia ita deſtruitur affectus prior peccaminoſus, vt homo non dicatur permanere habitualiter in priore voluntate peccandi, cum iſte actus omnem omninò actualem effectum ad peccatum excludat. Et licèt *Ioannes à S.Thoma, Bertagna, Auerſa*, & alii putent, pœnitentem putantem inuincibiliter ſe habere efficacem retractationem de præmiſſis culpis, & efficax propoſitum de futuro, & tamen non habentem, niſi ſolam velleitatem, recipere validum Sacramentum; informe tamen: hanc tamen ſententiam meritò reiiciunt *Maſtrius cit.d.5.q.14.ar.2.num.402. Piſanus in Append. num.59. Corelli, Sporer, Gonetus, Philippus à SS. Trinit.* & alii. Ratio eſt, quia Sacramentum nequit eſſe validum, ſi deſit aliqua ex partibus eſſentialibus ad eius conſtitutionem requiſitis. Sed attritio vt excludens omnem affectum peccati mortalis, & ſic efficax, eſt pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ, & talis, quæ voluntatem

tatem

tatem peccandi excludat cum ſpe veniæ. Et cum latet aliqua occulta peccandi voluntas, non excludit omnem affectum peccati mortalis, vt manifeſtum eſt. Ergo, &c. Nec iuuat bona fides ad valorem, ſed tantum ad euitandum nouum peccatum, vt arguit *Maſtrius*, neceſſitas huius diſpoſitionis ex parte pœnitentis, non eſt tantum præcepti oriens ex obligatione, ſed etiam medii ex ratione ipſius inſtitutionis Sacramenti Pœnitentiæ: quia ſcilicet Deus pro materia neceſſaria huius Sacramenti, actus ipſius pœnitentis inſtituit, non inefficaces, ſed efficaces: ſed in his, quæ ad Sacramentorum valorem ſunt neceſſaria ex ipſorum inſtitutione, non ſufficit exiſtimatio, ſi reuera non exhibeantur. Quid enim prodeſt validitati Sacramenti, quod quis bona fide exiſtimet ſe abſolui à Sacerdote, ſi re vera ille non ſit Sacerdos? Ergo ad valorem huius Sacramenti nil prodeſt exiſtimatio attritionis efficacis, ſi in re talis non exiſtat. Eſt autem propoſitum efficax, & abſolutum, quando ita ſit deteſtatio, & propoſitum ſaltem virtuale, vt ſi occurrant cogitationi maiores, & maiores difficultates: ſit pœnitens diſpoſitus ad vincendum omnes potius, quàm committere peccatum mortale. Verum non eſt neceſſarium; imò poſſit eſſe damnoſum, quod pœnitens procedat diſcurrendo in particulari occaſiones, & difficultates, nimirum: *Si eſſem in tali caſu quid facerem? Si ob terrorem iſtius crudelis cruciatus negarem fidem, caderem in iſtam vilitatem*; quia iſti diſcurſus poſſent debilitare voluntatem, & infirmare cor: & ita ſufficit, quod pœnitens habeat propoſitum cum Dei potenti aſſiſtentia non committendi culpam grauem in nullo caſu. Ita aduertunt cum *Thyrſo Gonzalez*, *Manuel à Conceptione de Pœnit. d. 2. q. 20. n. 70. Corella, Auerſa*, & alij cum *D. Thoma*.

13. Eſt etiam hic aduertendum, rectè ſtare poſſe propoſitum requiſitum ad valorem, & effectum Sacramenti; licèt quis probabiliter timeat futurum, vt aliquando ratione ſuæ infirmitatis, mortaliter delinquat. Ita *Coninch, Sylu. Victoria, Henriquez, Nauarrus, Suarez, Præpoſitus, Card. de Lugo*, & alii, quos referunt, & ſequuntur *Diana p. 3. tr. 4. reſ. 117. & p. 5. tr. 14. reſ. 66. Leander à Sacram. ſupra qu. 56. Sporer, Briſicenſis*, & alii. Huius ratio cum *Sylueſtro* communiter aſſignatur; quia proponere emendationem, & cogitare pœnitens, id, quod proponitur non adimpleturum ob ſuam infirmitatem, ſunt actus compatibiles, qui pertinent ad diuerſas potentias, primus ad voluntatem, ſecundus ad intellectum. Ergo poteſt multò benè verificari in pœnitente propoſitum firmum de emendatione cum timore orto ex exiſtimatione, quod reincidet. Et licèt verum ſit, quod nihil volitum, quin præcognitum, ac propoſitum ab intellectu voluntati: verùm non omne, quod intellectus ei proponit, amplectitur voluntas, ſed illud deteſtatur, & abhorret multa, quæ ei proponit: proponit peccatum, & non conſentit: offert cogitationes moroſas, & non amplectitur, ſed deteſtatur. Ergò licèt ei proponat intellectus reincidentiam in pec-

peccata præterita, poteſt voluntas abhorrere, & proponere firmiter non reincidere in illa.

24 Quarto. Attritio debet eſſe vniuerſalis ſe extendens ad ſingula peccata, vel ſaltem ad omnia generaliter: non enim diſponitur peccator ad gratiam, ſi non habeat diſpoſitionem de omnibus peccatis. Ita *Boyuinus* ſupra, & alii communiter. Non tamen requiritur ad valorem, & fructum huius Sacramenti, quod dolor formalis, & expreſſus cadat ſupra ſingula peccata in particulari; ſed ſufficit dolor generalis, qui extenditur ad omnia, aut expreſsè, aut virtualiter, habendo de vno expreſſum, ex motiuo communi ad omnia. Ita cum *S. Bonau. Caietano, Nauar. Soto, Henriquez, Suarez*, & aliis *Layman l.5. tr.14. c.4. num.3. Gaſp. Hurtadus de Pœnit. d.6. diff.7.* & alii communiter. Quod talis generalis ſufficit ad valorem, patet, quia in eo dolore ſaluatur ratio vera, & formalis attritionis. Ergo, &c. Quod ſufficiat quoque ad fructum, ſimiliter probatur, quia in illo dolore generali, & communi aliis, remanent omnia ſufficienter retractata, & voluntas auerſa ab illis, & conuerſa ad Deum. Ergo eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, & ſic, vt ſit formatum, & fructuoſum Sacramentum. Et hinc patet, nec poſſe dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, informe verò ex defectu doloris extenſiuè: licèt admittat *Candidus*, *Gabriel à S.V. Philippus à SS.Trinit. Ioannes à S.Thoma*, *Gonetus*, *Suarez*, *Auerſa*, *Dicaſtillus*, *Card. de Lugo*, & alij; qui ſic explicant ſuam ſententiam. Poteſt dari caſus, quod quis habens tantum duo peccata mortalia, diſparata, V.g. furti, & odij, inuincibiliter oblitus odij, eliciat actum doloris tantum de peccato furti, ex ſpeciali motiuo, & turpitudine illius peccati in ſpecie; illudque confiteatur: In hoc autem caſu putant, quòd Sacramentum ſit validum, & informe. Validum quidem, quia iam adſunt omnes partes eſſentiales: adeſt namque ſufficiens dolor; quia ex *Tridentino* non tenetur quis confiteri, niſi peccata, quæ memoriæ occurrunt; nec tenetur elicere dolorem, niſi de peccatis, quæ pariter memoriæ occurrunt. Eſſet autem informe, nempe ſine effectu gratiæ: quia in caſu peccatum odij oblitum non eſſet remiſſum; non quidem directè, vt eſt certum; neque indirectè, ex vi abſolutionis peccati furti confeſſi; quia nullum peccatum remitti poteſt ſine vllo dolore formali, ſaltem virtualiter ſuper ipſum cadente In caſu autem nullo pacto caderet ſupra illud dolor ille formalis; quoniam dolor ille peccati furti, cum ſupponatur habitus ex motiuo ſpeciali, & ſpeciali turpitudine peccati furti, non poteſt virtualiter extendi ad peccatum odij diuerſæ rationis, & ſpeciei. Ex quo fit, quod neque eſſet remiſſum, peccatum furti commiſſum; nam (vt eſt certum) vnum peccatum non poteſt remitti ſine alio; & conſequenter dari poteſt ex hoc capite Sacramentum validum, & informe. Et citant pro hac ſententia *D.Thomam in 4.ſent.* Sed ego cum *Scoto, Maſtrio, Boyuino, Sporer, Briſacenſi* & alijs, preſertim Scotiſtis, ac *Laurentio à S.Thereſia*, & *Contenſono*

Tho-

Thomiſtis nego, etiam ex hoc capite dari Sacramentum validum, & informe: nec nobis repugnare *D. Thomam, vt in Theologia tr. de Pœnitentia,* fusè oſtendo. Vnde ad caſum dico, quod iſte talis vel ità doleret de peccato furti, vt dolor eſſet reconciliatiuus cum Deo: vt ſcilicet iſte talis intenderet ſe reconciliare cum Deo medio Sacramento, vel non. Si ſecundum, Sacramentum eſſet informe, & inualidum, ob defectum materiæ proximæ neceſſariæ. Si primum, Sacramentum non eſſet ſolum validum, ſed formatum gratia; quia talis dolor reconciliatiuus cum Deo continet implicitè, & virtualiter deteſtationem omnium mortalium; ſicut liquet de actu perfectæ charitatis; qui virtualiter continet deteſtationem omnium mortalium peccatorum, quamuis homo eorum non recordetur; quia actus ille cum affectu ad mortale peccatum ſtare non poteſt; & ita vniuerſaliter omnis amor efficax alicuius boni continet virtualiter, & implicitè deteſtationem mali contrarij. Sic pariter eſt de dolore reconciliatiuo cum Deo dicendum: Licèt enim motiuum formale furti ſit ipſius turpitudo in ſpecie; hoc tamen non impedit, quin etiam dolor poſſit ad aliud peccatum oblitum virtualiter extendi, ſaltem ratione turpitudinis genericę, quatenus peccatum eſt, & offenſa Dei; quam rationem attingit dolor, quando eſt reconciliatiuus cũ Deo; eo ipſo enim, quod dolet de ſpecifica, dolet virtualiter de generica ratione; cum exiſtat in promptitudine deteſtandi formaliter & eliciendi etiam dolorem circa peccatum odij, ſi menti occurreret; ſecùs verò ſi talis non ſit reconciliatiuus; tunc enim deficit iſta virtualis extenſio, & Sacramentum non ſolum eſt informe, ſed etiam inualidum. His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum, & eneruantur obiecta.

15 DIco primò. Omninò improbabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, quocumque modo honeſtam ad obtinendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Et contraria aſſertio eſt hoc Decreto ſaltem vt ſcandaloſa reiecta; & meretur nigriori lapillo notari; nam Pelagianam vocat *Thomas Hurtadus*, vbi ſupra, & alij ex *D. Thoma quodlib. 1. ar. 7.* vbi agens de diſpoſitione ad gratiam per ſolam naturalem arbitrij facultatem, poſt Pelagij errorem relatum, ait: *Vnde ad errorem Pelagianum pertinet dicere, quod homo poſſit ſe ad gratiam præparare abſque auxilio diuinæ gratiæ; & eſt contra Apoſtolum ad Phippenſes 1.* Et noſtram aſſertionem eſſe de Fide, docent *Corradus 2. par. q. 56. Curiel, & Valentia*, quos relatos ſequitur *Ioannes Martinez de Ripalda to. 2. de ente ſupernat. l. 6. d. vlt. n. 437.* & abſque erro-

errore negari non poſſe ait *Zumel*, apud citatum *Ripaldam.*

16 Probatur primò ex *Concilijs*. Et imprimis ex *Concilio Arauſicano II. can. 6.* vbi habetur: *Hæretico falli ſpiritu eum, qui dicit, per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare, vt expedit, aut elicere poſſe abſque illuminatione, & ſpiratione Spiritus Sancti.* Sed illa attritio naturalis quocumque modo honeſta, non eſt ex illuminatione, & ſpiratione Spiritus Sancti, prout Concilium loquebatur, ſcilicet ex gratia Chriſti propriè dicta; de qua erat controuerſia cum Semipelagianis, quos ibi damnat; ſed poteſt haberi per naturæ vigorem, vt patet ex dicto Senecæ: *Etiam ſi ſcirem, homines neſcituros, Deum ignoſciturum, non peccarem.* Ergo illa attritio naturalis non poteſt ſufficere ad gratiam obtinendam, quod eſſet pertinere ad ſalutem vitæ æternæ. Idem conſtat ex *Concilio Mileuitano II. can. 4. & 5. Concilio Africano ſub Cæleſtino I. c. 80.* & denique ex *Concilio Tridentino ſeſſ. 14. c. 4.* vbi de attritione loquens ait: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, declarat, donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem habitantis, ſed tantum mouentis, quò pœnitens adiutus viam ſibi ad iuſtificationem parat. Et quamuis ſine Sacramento Pœnitentiæ, per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit.* Concilium itaque illam attritionem, quæ diſponit peccatorem ad gratiam impetrandam in Sacramento Pœnitentiæ appellat donum Dei, & Spiritus Sancti impulſum, quod non conuenit attritioni naturali.

Probatur ſecundò ex SS. Patribus, qui cum *D. Auguſtino* hanc regulam ſtatuunt: illum actum, qui non fit ex gratia, ſed ex mera natura, per ſe nihil conferre ad gratiam.

17 Probatur tertiò. Duplici ratione. Prima eſt: Diſpoſitio debet eſſe proportionata formæ, & ſi non arithmeticè, ſaltem geometricè, vt ſcilicet ſit eiuſdem ordinis. Sed ille dolor debet eſſe diſpoſitio ad gratiam, quæ eſt ordinis ſupernaturalis. Ergo debet eſſe ſupernaturalis. Secunda eſt. Quia peccatum in ſtatu naturæ eleuatæ ad ordinem ſupernaturalem, non ſolum eſt contra Deum auctorem naturæ, ſed etiam contra Deum auctorem ſupernaturalem; & eius turpitudo auertit non ſolum à bono naturali virtutis; ſed etiam à bono ſupernaturali. Ergo dolor debet eſſe non ſolum ex motiuo naturali; ſed ex motiuo ſupernaturali. Probatur conſequentia, tū quia aliàs non eſſet proportionatus cum obiecto, tum etiam, quia peccator per dolorem debet retractare omnem auerſionem, quam per peccatum contraxit. Ergo ſi contraxit auerſionem à fine ſupernaturali, hanc debet retractare; & conſequenter dolere ex motiuo ſupernaturali; ac proindè non ſufficit attritio naturalis.

Contra hanc aſſertionē arguitur tripliciter. Primò, attritio elicita ob tur-

pitudinem peccati eſt ſufficiens ad iuſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ, vt declarat *Trident. cit. c. 4.* ſe hæc attritio eſt naturalis. Ergo &c.

Secundò. Quia *Tridentinum eodem c. 4.* diſtinctè nominauit vt ſufficientem ad iuſtificationem in Sacramento attritionem ex gehennę, & pœnarum metu. Et infra. *Hoc timore vtiliter concuſſi Niniuitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt.* Vbi innuitur, Niniuitas veram attritionem habuiſſe ex metu ſubuerſionis ciuitatis. Sed hæc eſt naturalis. Ergo &c.

Tertiò. Si quis dolet ſe non dolere, elicit attritionem ſufficientem ad iuſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ. Sed hæc vt ſummum eſt naturalis. Ergo, &c. Maior patet ex eo, quod *D. Antoninus 3. parte hiſtor. tit. 18. c. 6. in principio* per hæc verba refert: *Circa iſta tempora*, nimirum circa annum Chriſti 1200. *fuerunt tres ſolemnes viri valdè ſtudioſi, qui compoſuerunt libros multum vtiles Eccleſiæ Dei, ſcilicet Gratianus Monachus Claſſenſis, qui compoſuit Decretum, & Magiſter Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, qui compilauit librum Sententiarum: & Petrus, qui dictus eſt Comeſtor; qui fecit Hiſtoriam Scholaſticam. Et à quibuſdam prædicatur in Populis, quod fuerunt Germani ex adulterio nati. Quorum Mater cum in extremis peccatum ſuum confiteretur, & Confeſſor redargueret crimen perpetratum adulterij, quia valdè graue eſſet, & ideò multum deberet dolere, & pœnitentiam agere, reſpondit illa: Pater, ſcio, quòd adulterium, peccatum magnum eſt: ſed conſiderans, quantum bonum ſecutum eſt, cum iſti filij ſint lumina magna in Eccleſia, ego non valeo pœnitere. Et Confeſſor ad eam: Quòd tui filij ſint notabiles viri, & opera vtilia fecerunt Eccleſiæ Dei, non ex te, ſed ex dono Dei eſt: ex te autem adulterij crimen magnum, & de hoc doleas; & ſi non habeas illum dolorem, quantum exigit tantum peccatum; de hoc tamen doleas, quod non potes dolere.* Eamque hiſtoriam ſupponunt etiam *Tiraquellus lib. de Nobilitate c. 15. n. 32. Ioannes Caniſius tr. de Beneficijs p. 3. c. 2. & Auctor vitæ Gratiani.*

Reſpondeo ad primum, Concilium loqui de attritione ſupernaturali habita ex tali turpitudine peccati, quæ efficiat dolorem ſupernaturalem. In hoc tamen aſſignando variant Theologi. Nonnulli enim docent: quamlibet turpitudinem moralem peccati, dummodo ſit ſupernaturaliter, ideſt, per fidem nota, ſufficere vt ſit motiuum attritionis Chriſtianæ, ſeù ſupernaturalis proximè diſponentis ad iuſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ, ſi eliciatur deteſtatio doloroſa ex ſuperiori auxilio gratiæ, vt ſupponitur. Ita *Suarez d. 5. de Pœnit. ſect. 3. Auerſa qu. 2. ſect. 14. Card. Brancatus d. 9. ar. 3. §. 11. Maſtrius to. 4. Theol. d. 6. ar. 1. num. 143. Banulus to. 7. tr. de Pœnitentia qu. 3. ar. 2. in reſponſione ad 8. Pratelius de Sacram. c. 6 §. 2. nu. 637. Arriaga*, & alii.

18 Sed dicendum puto, attritionem ex motiuo ſolius honeſtatis naturalis, ſeù ex motiuo turpitudinis moralis peccati, quatenus præcisè eſt con-

Digitized by Google

tra rationem, vel contra virtutem iuſtitiæ, &c. non eſſe ſufficientem diſpoſitionem ſimul cum Sacramento Pœnitentiæ ad iuſtificationem, ſed talem eſſe eam dumtaxat peccati turpitudinem, quæ opponitur alicui perfectioni diuinæ ſupernaturaliter cognitæ, quam Theologicam vocamus. Ita *Card.de Lugo d.5.de Pœnit.ſect.5. Amicus d.3.ſect.2. Caſpenſis d.3. ſect.17. Card.de Aguirre to.3.tr.7.d.118.ſect.4.num.39.* & alii, quos ſequitur *Perez d.14 ſect.3.* Et ratio eſt, quia attritione elicita ex conſideratione peccati, prout præcisè opponitur regulæ rationis, aut particulari virtuti in ordine ad conuictum humanum, illud motiuum non hominem conuertit ad Deum, ſed ad regulam rationis, & ad conuictum humanum. Ergo per hunc dolorem nullo modo tollitur auerſio à Deo poſita per peccatum. Oportet ergo in peccato conſiderare aliquam oppoſitionem cum Deo, V.g. cum reuerentia, vel cum obedientia debita Deo, aut aliud ſimile vt illa attritio ſufficiat cum Sacramento. Et de iſta turpitudine loquitur *Tridentinum* ſupra. Nam loquitur de turpitudine peccati, quatenus peccatum eſt: peccatum autem, vt peccatum eſt, dicit oppoſitionem cum Deo. Et licet eo ipſo quod peccatum eſt contra naturam rationalem, ſit etiam contra Deum, qui eſt creator naturæ, tamen hæc oppoſitio eſt implicita, & ſic non ſufficiens: vt patet à pari; nam qui deteſtatur peccatum ob pœnas ab humano Iudice dependentes, non elicit attritionem ſufficientem, vt ſupra oſtenſum eſt, & amplius in reſponſione ad ſecundùm demonſtrabitur, & tamen hic etiam interuenit conuerſio implicita ad Deum, per quem Iudices decernunt iuſtum, & pœnas. Vnde ſicut *Tridentinum* aſſignans attritionem ex timore pœnarum, licèt non addat, vt à Deo inflictarum, hoc intelligendum eſt. Sic & in caſu noſtro. Igitur hæc noſtra ſententia tanquam tutior, immò & verior, in praxi nullatenus eſt relinquenda. Concedo tamen cum *Maſtrio d.6.ar.1.num.144.* & *Tamburino*, eſſe ſufficientem diſpoſitionem, ſi conſideretur turpitudo peccati, quatenus animam ad Dei imaginem, ac ſimilitudinem factam, maculat, & deformat, & inhabilem reddit ad opera vitæ, & meritoria, & alia huiuſmodi. Et *Auerſa de Pœnit.qu.2.ſect.14. Candidus diſquiſ.24.ar.11. dub.2. concluſ.4.* & alii habent pro attritione ſufficienti deteſtationem doloroſam habitam ex diſplicentia ſpiritualis damni præſentis, quod homo peccando incurrit, videlicet, quia amiſit gratiam, & alia dona Dei, quia obnoxius factus eſt iræ, & indignationi diuinæ, alioque ſimili modo. Fatetur etiam *Card.de Aguirre* ſupra, motiuũ turpitudinis communiter concipi à fidelibus ſupernaturale, & ſufficiens: poſtquam enim dicit, attritionem diſponentem ad gratiam, ſeu iuſtitiam, non eſſe qualemcumque dolorem, ſeu deteſtationem peccati, per eius turpitudinem, ſed dolorem innitentem fidei, ſeu cognitioni ſupernaturali eiuſdem turpitudinis, quatenus oppoſita fini naturali, & virtutibus eiuſdem ordinis, addit: *Quod motiuum communiter concipitur à fidelibus, quamquam non ità expreſsè ab*

 omni-

omnibus. Concipiunt enim turpitudinem peccati, veluti contrariam diuinæ legi cognitæ per fidem, quæ certè eſt hoc auctoris ſupernaturalis, ſeù præceptis ſuis hominem dirigentis in ſupernaturalem beatitudinem. Quare non eſt dolor ille philoſophicus, qualis in quibuſdam Ethnicorum fuit, aut in hæreticis eſſe poteſt, ex motiuo ſolius honeſtatis naturalis, ſed ex præuia notitia fidei, ac ſupernaturali motiuo. Hucuſque doctiſſimus Cardinalis.

19 Ad ſecundum reſpondeo, dolorem præcisè habitum de peccato, ob infirmitatem, infamiam, vel pœnam corporalem, aut pecuniariam, vt infligenda eſt à Iudice humano, & eſt velut malum purè temporale non eſſe ſufficientem, vt ſupra diximus; quia hoc motiuum humanum eſt, & non facit hominem conuerti ad Deum, ſed ad Iudicem, quem timet, & per ſe auertit voluntatem ſolùm à facto externo, ſeù quatenus notum eſt hominibus, non verò à peccato, quatenus moraliter malum eſt, ſed quatenus cauſaliter incommodum, & moleſtum; & ſic conſtituit attritionem naturalem; quam non intelligit *Tridentinum* per elicitam ex timore pœnarum, ſed intelligit attritionem elicitam ex motiuo pœnæ quidem temporalis, ſed vt à Deo in peccati vindictam inflictæ, vel infligendæ; hæc enim eſt ſupernaturalis ſufficiens; quia hic dolor ſequitur ex fine prouidentiæ, & iuſtitiæ diuinæ, & ex timore Dei tanquam vltoris peccatorum: vnde auertit hominem ab omni peccato, vt moraliter malum eſt, & aliunde cum ex timore Dei procedat, eſt conuerſio quædam ad Deum, licèt non amore, ſed timore concepti: & hanc habuerunt Niniuitæ. Ita *Vega l.13. ſuper Concilium c.14. Card. de Lugo de Pœnit. d.5. num.137. Leſſius in 3. p. D. Thomæ qu.1. dub.1. num.18. Gaſpar Hurtadus*, quem ſequitur *Eſcobar in ſumma tr.7. exam.4. c.7. num.2. Granadus, Leander à Sacram. Coninch, Ochagauia, Llamas, Tamburinus, Reginaldus, Ioſeph Auguſtinus*, & alii, quos citatos ſequitur *Diana p.4. tr.4. reſ.193. & p.9. tr.9. reſ.51. & p.11. tr.8. reſ.43. §. notandum. Anacletus Reiffenſtuel in Theol. mor. tr.14. diſt.6. qu.4. num.42. Auerſa, Candidus*, & alii, quos citatos ſequitur *Ioannes Martinez à Prado to. de Pœnit. qu.1. de contrit. dub.8. num.48. Suarez de Pœnit. d.5. ſect.2. num.15. Felix à Panormo to.2. num.959. Caſalicchius l.1. reſol. mor. c.22. n.40. Maſtrius, Corella, Bertagna*, & alii. Vnde malè *Eſcobar* citat *Suarium* pro contraria ſententia, quam ita certam putauit *Piſanus hìc num.8.* vt noſtram tam communem dixerit improbabilem: at immeritò, vt patet ex dictis.

20 Hinc à fortiori eſt vera, & ſupernaturalis attritio, quæ oritur ex motiuo pœnarum temporalium alterius vitæ: ſcilicet Purgatorij: quia etiam reſpiciuntur hæ pœnæ, vt infligendæ à Deo in vindictam peccati, & ſic motiuum eſt ſupernaturale, ex eo etiam quia mouent lumine fidei. Ita *Felix à Panormo, Auerſa, Card. de Lugo*, & alii communiter. Et quidem ſi pœnitens habeat tantum peccata venialia, vel mortalia iam remiſſa, & ſubiecta clauibus: certè hic poteſt accedere ad Sacramentum: ſunt enim materia ſufficiens; ſed talis non poteſt habere attritionem ob pœnas æter-

nas

nas inferni. Ergo ſufficit, quod attritionem habeat ex metu pœnarum temporalium Purgatorii. At dico etiam, quod dolor conceptus ex illo motiuo eſt ſufficiens ad valorem, & fructum Sacramenti, licet ſua materia ſint peccata mortalia nondum confeſſa,& remiſſa. Ita cum *Coninch, Ochagauia, & Hurtado, Diana p.4.tr.4.reſ.193.& p.9.tr.9.reſ.51. Baſſaus V. Attritio num.3. §. Tamen, Leander à Sacram.de Pœnit.d.7.qu.13 Card.de Lugo d.5.ſect.9.num.137.* & alii. Et probatur ex *Tridentino cit.ſeſſ.14.c.4.* dicente, eſſe ſufficientem ad valorem, & fructum Sacramenti attritionem, quam pœnitens habet ex gehennæ, & pœnarum metu. Et nomine pœnarum intelligitur tam pœna damni, quæ eſt carentia viſionis Dei, quàm pœna ſenſus, ſcilicèt ignis, &c. at dicunt *Suarez d.5.ſect.2. Card. de Lugo cit.ſect.9. Arriaga d.11. Diana p.4.tr.4.reſ.193. Madernus, Bertagn.* & alii communiter. Vnde idem *Concilium eadem ſeſſ.14. can.5.* ſimul nominauit amiſſionem beatitudinis, & damnationis incurſum. Atqui in Purgatorio habetur pœna damni, quæ eſt carentia viſionis Dei ad tempus, & pœna ſenſus, quæ eſt ignis idem inferni, ſecundùm ſententiam *D.Gregorij: Eodem igne cruciatur damnatus, & purgatur electus.* Ergo attritio, quæ concipitur ex timore purgatorii eſt comprehenſa in illa, quam requirit Concilium ad valorem, & iuſtificationem in Sacramento. Ergo, &c. Confirmatur, quia attritio concepta ex motiuo pœnarum huius vitæ, vt à Deo infligendarum, eſt ſufficiens ad iuſtificationem. Ergo à fortiori, ex timore pœnarum temporalium alterius vitæ.

31 Ad tertium reſpondeo, illam hiſtoriam fabuloſam eſſe, vt benè iudicant idem *S. Antoninus*, qui poſt relata verba, inquit: *Sed de hoc poteſt dici id: Exempla ponimus (ex Ariſtotele l.1. Priorum c.39) non quod ita ſint, ſed vt ſentiant addiſcentes. Card. Bellarm.tom.6. de ſcript. Eccleſ. in Petrum Lombardum. Baronius to.2. Annal.Chriſti 1164. in fine, Theophilus Raynaudus in to.12. Hoplotheca contra ictum calumniæ, ſeries 3. ſect.2.c.1.§.Tres pij, Gobat,* & alii. Et quidem Gratianus fuit Etruſcus Lombardus, Nouarinus, & Comeſtor Trecenſis Gallus: nec eodem tempore fuerunt: & non eſt veriſimile, quod mater duos filios eodem nomine Petri vocari voluerit. Quod ſi caſus accidat ſimilis *Riccius hic*, & alii, non excuſant imperitiæ talem Sacerdotem, niſi videat, quod ſimul cum tali dolore habeat verum dolorem attritionis ſupernaturalem, & ſolum carentia ſit intenſioris, & ſenſibilioris doloris: quem pœnitens vellet habere. Vt enim ſupra notatum eſt: & aduertit etiam *Reiffenſtuel n.56.* plerumque in tali actu interuenit verus dolor, etſi pœnitens eum non cognoſcat. *Neque enim* (addit) *ad confeſſionem requiritur dolor ſenſibilis, ſufficit quippè voluntas, eiuſque auerſio, & dolor de peccato commiſſo; quæ cum ſit potentia ſpiritualis, ac interna, ſcrupuloſi tam facile angi non debent, quaſi ſine dolore accedant ad Sacramentum, eo quod exterius nullum ſentiunt.*

22 Dico ſecundò. Falſa eſt, & damnationi huius Propoſitionis ſubiicitur

citur ſententia docens, ſufficere attritionem naturalem ad valorem huius Sacramenti.

33 Quod ſit falſa docuerunt etiam Auctores ante hoc Decretum, pręſertim *Vaſquez 3.p.qu.92.ar.2.num.9. Fagundez in 2.præcepto Eccleſ.l.2.c.5. num.6. Manuel à Concept.d.2.qu.23.à num.287.* & alii cum *D. Thoma in 4. d.17.qu.3.ar.3. gl.2.ad* 1. vbi dolorem ſupernaturalem requirit vt partem, & ſic ad valorem. Verba eius ſunt: *Ad primum ergo dicendum, quod in Sacramento Pœnitentiæ non ſolum eſt aliquid ex parte Miniſtri, ſcilicet abſolutio, & ſatisfactionis iniunctio, ſed etiam aliquid ex parte ipſius, qui ſuſcipit Sacramentum, quod eſt etiam de eſſentia Sacramenti, ſicut contritio, & confeſſio.* Et iterum *quæſtiunc.4.in corp.* inquit: *Dicendum, quòd alia Sacramenta non conſiſtunt in hoc, quòd ad Sacramentum accedens aliquid agat, ſed ſolùm vt recipiat: ſicut patet in Baptiſmo, & huiuſmodi: ſed actus recipientis requiritur ad percipiendam vtilitatem Sacramenti in eo, qui eſt ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus, quaſi remouens prohibens, ſcilicet fictionem: ſed in Pœnitentia actus accedentis ad Sacramentum eſt de ſubſtantia Sacramenti, eo quòd contritio, confeſſio, & ſatisfactio ſunt Pœnitentiæ partes, quæ ſunt actus pœnitentis*. In quibus verbis aſſignat diſcrimen Pœnitentiæ à reliquis Sacramentis; quod in aliis actus, qui requiruntur ad vtilitatem, & fructum Sacramentorum; non requiruntur vt partes etiam Sacramenti, at in Pœnitentia requiruntur vt partes, & non tantum vt diſpoſitiones ad vtilitatem Sacramenti, ſed ad vtilitatem requiruntur vt donum Dei ſunt, & impulſus Spiritus Sancti: ergo etiam ad valorem. Probatur autem claré ex *Concilio Tridentino ſeſſ.14.c.3.* Vbi actus pœnitentiæ: *Quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenariam, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur*. Ex quibus verbis conſtat, quod attritio, (vel contritio) quatenus requiritur ad iuſtificationem, eſt donum Dei, & impulſus Spiritus Sancti. Ergo vt pars Sacramenti, eſt donum Dei, & impulſus Spiritus Sancti. Sed attritio naturalis non eſt donum Dei, nec impulſus Spiritus Sancti. Ergo attritio naturalis nequit eſſe pars eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ; atque adeò tale Sacramentum erit inualidum.

24 Quod veró contraria ſententia etiam ſubijciatur damnationi huius Propoſitionis, docent hic *Hozes, Corelli num.76. Ioannes Cardenas diſſert.36.num.3. Riccius, Piſanus,* & alij: quamuis *Torrecilla in ſumma to.2.tr.1.d.2.c.4.§.6.num.*309. cum *Filguera, & Ioanne ab Aſſumptione* dicat, quod non damnetur opinio docens, ſufficere ad valorem Sacramenti attritionem naturalem, ſed quæ docet ſufficere ad fructum Sacramenti. Ratio noſtræ aſſertionis eſt, quia verbum *ſufficit*, æqualiter ſignificat ſufficientiam attritionis naturalis ad valorem, ac ad fructum. Ergo non eſt maior ratio ad dicendum, quod damnetur aſſerere, quod ſufficiat ad fructum, quàm affirmare ſufficere ad valorem.

25 Hinc

25 Hinc primò nequit ſubſiſtere ſententia *Bonacinæ*; *Filliucij*, & aliorum, quod attritio naturalis exiſtimata ſupernaturalis ſufficiat ad valorem Sacramenti; & ex hoc capite detur Sacramentum Pœnitentiæ validum,& informe. Etenim dum requiruntur attritio ad valorem, requiritur ea, quæ eſt donum Dei, & Spiritus Sancti impulſus: ſed attritio naturalis exiſtimata ſupernaturalis non eſt donum Dei, & Spiritus Sancti impulſus. Ergo &c. Vnde exiſtimatio inuincibilis ſolum poteſt excuſare à peccato ſacrilegij, non verò poteſt reddere Sacramentum validum. Sic *Piſanus in appendice a num.47.* rectè notans nunquam *D.Thomam* ex hoc capite conceſſiſſe hoc Sacramentum validum, & informe. Sic etiam docent alij.

26 A fortiori nequit ſubſiſtere ſententia docens ſufficere ad valorem Sacramenti pœnitentiæ attritionem exiſtimatam. Ita cum alijs *Franciſcus à Ieſu Maria d.tr.6.c.5.num.27.Torrecilla num.396.Pratelius num.635.Card.de Lugo*, & alii, contra *Paludanum*, *Durandum*, & alios. Patet, tum quia hæc exiſtimata attritio non eſt donum Spiritus Sancti. Ergo non eſt ſufficiens ad valorem. Tum quia Baptiſmus non eſſet validus, ſi miniſter credens abluere, non ablueret; nec etiam in aliis Sacramentis ſufficit ad valorem materia proxima exiſtimata. Ergo nec etiam erit ſufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ. Tum quia attritio exiſtimata non eſt attritio: ſicut homo pictus, & imaginarius, non eſt homo. Sed Sacramentum Pœnitentiæ ſine attritione eſt nullum. Ergo &c. Tum denique: quia Sacramentum eſt quid reale, & verum. Ergo debet componi ex partibus realibus, & veris. Atqui attritio exiſtimata non eſt quid reale, & verum. Ergo &c.

27 Dico tertiò: Opinio, quæ defendebat attritionem exiſtimatam ſufficere ad valorem Sacramenti, includitur in damnatione huius propoſitionis. Ita *Corelli*, & alii cum *Manuele à Conceptione*, contra *Torrecillam ſupra nu.400.*

28 Probatur tum primò, qua hoc Decreto reiectum eſt dicere,quod ſufficiat attritio naturalis. Atqui attritio naturalis eſt maior, quàm attritio exiſtimata. Ergo ſi illa eſt proſcripta, potiori iure iſta. Tum ſecundò, quia, vt minimum erit damnatum dicere,quod ſufficiat attritio exiſtimata ad fructum Sacramenti. Ergo etiam erit damnatum dicere, quod ſufficiat ad eius valorem. Probatur conſequentia. Non poteſt habere attritio exiſtimata maiorem influxum ad valorem, quàm ad fructum: cùm in realitate nihil, ſeu nulla ſit: licèt exiſtimetur eſſe aliquid. Sed exiſtimatio non tribuit, quod non habet. Ergo non habens influxum ad effectum Sacramenti, nec etiam habet ad valorem. Ergo ſi damnatur dicere, quod attritio exiſtimata ſufficiat ad fructum Sacramenti, etiam damnatur affirmare, quod ſufficiat ad valorem.

29 Et idem dicit, ſeu damnari exiſtimat *Corella* ſententiam *Angeli*, *Roſellæ*, *& Albanini*, docentem, ad remiſſionem mortalium ſufficere accedere cum bona fide ad Sacramentum Pœnitentiæ cum animo ipſum recipien-

cipiendi, & ita recipere abſolutionem; quam ſententiam dixerat erroneam *Vaſquez de Pœnit. q. 92. ar. 1. dub. 1.* & temerariam, ac videri apertè damnatam in *Tridentino* dixerat *Suarez d. 20. ſect. 1. num. 1.* Et ſic qui ſcienter ſine attritione abſoluitur, ſacrilegium committit, & tenetur confeſſionem repetere ex defectu materiæ proximæ: *Felix à Panormo ſupra nu. 961.* & alij communiter. Si verò inuincibiliter hoc faciat, licèt nullum recipiat fructum, nouam colpam non committit. *Maſtrius to. 4. d. 5. q. 6. ar. 3. num. 173.* & alii communiter.

30 Dico quartò. Etiam pro remiſſione peccatorum venialium in Sacramento Pœnitentiæ pro ſolis venialibus requiritur dolor formalis, & efficax qui ſit attritio ſupernaturalis.

Quod requiratur aliquis dolor; ita vt accedere ſine dolore ad Pœnitentiæ Sacramentum ſit pecccatum mortale ſacrilegii, docent cum communi *Caſalicchius l. 1. reſ. moral. c. 22. num. 42. Corella*, & alii. Et ratio eſt, quia eſt peccatum mortale ſacrilegii efficere nullum Sacramentum. Sed qui accedit ad Pœnitentiæ Sacramentum ſine vllo dolore, etiam ſi confeſſio ſit pro ſolis venialibus, efficit nullum Sacramentum: cum ſine dolore non poſſit eſſe validum Sacramentum. Ergo &c.

Quod dolor debeat eſſe formalis, & expreſſus, & non ſufficiat virtualis, & implicitus, quem habet ille, qui accedit ſine actuali complacentia peccati venialis, & cum voluntate, & deſiderio recipiendi Sacramentum, & eius fructum, etiam conſtat: quia *Concilium Tridentinum* abſolutè, & ſimpliciter loquitur de hoc Sacramento Pœnitentiæ, & de partibus eius. Ergo quotieſcumque ſit, requirit eſſentiales partes, quorum vna eſt attritio, ſeu dolor formalis, non virtualis tantum, vt apertè conſtat ex doctrina Concilii. Ita *Granadus to. 5. in 3. p. controu. 7. tract. 4. d. 1. num. 7. Caſtropalaus to. 4. tr. 23. d. vn. pu. 7. num. 13.* & alii communiter, contra *Trullench l. 4. praxis Sacramen. c. 2. dub. 1. num. 3. Bonac. Zanardum, Tamburinum*, & alios. Verùm in confeſſione venialium ſufficit dolor expreſſus, & formalis de vno, & implicitus, ſeù virtualis de aliis, incluſus in deſiderio conſequendi effectum Sacramenti, ſeù faciendi confeſſionem fructuoſam de omnibus. Ita *Corella* & alii. Quod ſi aliorum venialium nullum dolorem haberet pœnitens, vel etiam haberet complacentiam, efficeret Sacramentum validum, & fructuoſum quoad illud veniale ſuper quod cadit dolor: & alia venialia non ſunt obex: at peccaret venialiter. Ita *Hurtadus, Diana*, aliique.

31 Quod dolor debeat eſſe efficax, & non ſufficiat ſimplex diſplicentia docent *Card. de Lugo de Pœnit. d. 14. ſect. 7. num. 106. Caſalicchius* ſupra, & alii communiter, quos ſequitur *Leander à Sacramento de Pœnit. d. 7. q. 35.* contra *Granadum* ſupra *num. 5. & 9.* & alios. Et ratio eſt; quia Sacramentum Pœnitentiæ non eſt ſubſtantialiter diuerſum ex eo, quod eius materia remota ſunt mortalia, vel venialia. Ergo neceſſaria requiſita eſſentia-

lia

lia ad ſui valorem, quando eſt de mortalibus, ſunt eadem, ac quando de venialibus. Atqui quando eſt de mortalibus requiritur dolor efficax, & non ſufficit inefficax, aut ſimplex diſplicentia de illis, vt ſupra probatum eſt. Ergo nec etiam ſufficit quando confeſſio fit de ſolis venialibus. Si verò propoſitum deinceps non peccandi ſit efficax reſpectu aliquorum, & non omnium venialium, reſpectu illorum, quorum eſt efficax habetur remiſſio. Ita *Coninch*, & alii.

32 Quod verò dolor debeat eſſe ſupernaturalis, & non ſufficiat naturalis etiam manifeſtum eſt; nam ad formam ſupernaturalem requiritur diſpoſitio ſupernaturalis. Nec *Tridentinum* in hoc facit differentiam inter dolorem mortalium, & venialium, ſed abſolutè dicit *ſeſſi.* 14.*c.*3. quòd dolor ex Spiritus Sancti dono eſt pars eſſentialis huius Sacramenti. Ita *Caſtropalaus ſupra num.* 13. *Gabriel à S.V. de Pœnit.d.*2.*q.*9.& alii, quos refert, & ſequitur *Franciſcus à Ieſu Maria tr.*6.*c.*3.*pu.*3.*num.*36. *Baſſæus V. Attritio in ſupplemen.nu.*11. Immò nec ſufficit attritio exiſtimata, vt dictum eſt de attritione mortalium. Et ex horum defectu nullum eſt Sacramentum, non verò validum, & informe.

Dices. Per attritionem extra Sacramentum remittuntur peccata venialia. Ergo talis dolor non eſt neceſſarius pro Sacramento Pœnitentiæ: nam ſemper inueniret remiſsa per attritionem, quæ debet antecedere abſolutionem Sacramentalem.

33 Reſpondeo primò: non eſſe certum antecedens; nam plures probabiliter docent, non ſufficere attritionem in homine iuſto ad remiſſionem venialium, de quibus habetur, extra Sacramentum. Ita docent *Vaſquez in* 3.*par.to* 4.*d.*87.*ar.*1.*dub.*1.*nu.*6. *Layman.l.*5.*tr* 6.*c.*4.*nu.*14. *Bonac.de Sacram.d.* 5.*q.*6. *ſect.*2. *pu.*3. referens *Petrum Soto de Pœnit.lect.*18.& alios. *Araujus* 3.*p.q.*87.*ar.*2.*dub.*2. *Becanus c.*32.*q.*1. *Lorca* 1.2.*d.*41. *de Gratia*, *Auerſa de Pœnit.q.*4.*ſect.*5. *Boyuinus de Pœnit.c.*5.*q.*9. & alii: qui oppoſito modo arguentes, ſequeretur, inquiunt, nunquam venialia per ſe remitti in Sacramento Pœnitentiæ: nec dari caſum, in quo accedat quis ad hoc Sacramentum cum ſolis venialibus, quia Sacramentum prærequirit ſaltem attritionem: & ita iam per ipſam attritionem deleta erunt talia peccata.

Sed quia ſatis probabilis eſt ſententia docens, veram attritionem ſupernaturalem, & efficacem in iuſtis ſufficere, etiam ſine Sacramento ad remiſſionem venialis, de quo talis attritio habetur: quam docent *Suarez de Pœnit.d.*11.*ſect.*3.*num.*11. adiunctis his, quæ dixerat *num.*2.referens *D. Bonau. & Paludanum*. Item *Gabriel*, *Henriquez*, *Azorius*, *Coninchius*, *Maior*, *Medina*, & alij, quos refert, & ſequitur *Dicaſtillus d.*2. *dub.*17.*nu.* 401.*&* 402.*Villalobos in ſumma to.*1.*tr.*9. *diffic.*16.*num.*5. *Filliucius tr* 9.*c.*5. *num.*116. *Gabriel.à S.V.de Sacram.Pœnit.d.*2.*q.*9.*Caſtropalaus tr.*23.*d.vn.pu.* 2. *num.*9. *Card. Brancatus de Pœnit.d.*15. *ar.*10. & alij, quorum auctoritas huius partis probabilitatem ſatis probat, cui etiam opitulantur probabiles

Digitized by Google

rationes, quibus prædicti Doctores præcipuè innituntur. Nimirum, Tum quia hæc venialia ſunt leues offenſiones, & ſæpè ſunt imperfectè voluntariæ; & aliunde gratia, quæ in perſona ſupponitur, dat magnum valorem his actibus, qui etiam aliquo modo mutant voluntatem, & auertunt illam à priori defectu. Ergo veriſimile eſt, hoc ſatis eſſe ad conſequendam huiuſmodi remiſſionem. Tum etiam quia ille actus attritionis in homine iuſto eſt opus bonum ſupernaturale, & ſecundum rationem attritionis eſt eſſentialiter retractatio peccati venialis, de quo talis attritio habetur: & meretur augmentum gratiæ, quæ augetur ſaltem in eſſe gratiæ, atq; eo ipſo habet reſpectũ ad peccatũ veniale retractatũ, ſeu retractationẽ illius, & cõſequẽter oppoſitionẽ, quodãmodo cũ tali peccato. Ideo iuxta hanc ſentẽtiã.

34 Reſpondeo ſecundò ad conſequens argumenti: peccata venialia virtute Sacramenti Pœnitentiæ remitti, cum ſit confeſſio eorum ſimul cum aliquo mortali, & tantum adeſt vera attritio; quando verò homo eſt iuſtus, ſatis eſſe, quod conferatur per Sacramentum noua gratia remiſſiua peccati ſi eſſet de ſe præſeruatiua à peccatis. Ita *Suarez vbi ſupra ſect. 3. num. 18. Filliuc. num. 117. Dicaſtillus num. 408 Caſtropalaus num. 8.* Quia tolli peccata venialia per abſolutionem, quando tolluntur ſimul cum aliquo mortali in homine tantum attrito, eſt effectus ſatis oſtendens, claues per ſe habere vim ad tollenda peccata venialia, quando diſpoſitio pœnitentis per ſe ſola non ſufficit. Vnde quod in homine iuſto ſemper ſupponuntur ablata ante abſolutionem per condignam ſatisfactionem, eſt accidentarium ad virtutem clauium, & non tollit virtutem formæ. Neque verò inde fit, vt ſit ſuperflua; quia licèt non conferat ad maiorem certitudinem de remiſſione ipſorum; ſicut confert in mortalibus, & in venialibus, quæ cum aliquo mortali ſimul remittuntur; confert tamen ad pleniorem remiſſionem quoad pœnam, & quod præcipuum eſt, ad ſpecialem gratiam remiſſiuam, immò & de ſe præſeruatiuam obtinendam.

PROPOSITIO LVIII.

Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem.

1 HAnc ſententiam non pauci Doctores docuerunt, poſt *Ioannem Sancium in ſelectis d. 9. num. 6.* vbi totus eſt in probando, confeſſarium ius non habere ad interrogandum de conſuetudine peccandi; ac proinde, nec pœnitentem interrogatum teneri illam manifeſtare. Inter alios eſt *Leander à Sacramento to. 1. de Pœnit. tr. 5. d. 8. §. 7. qu. 21.* vbi ſic. *Sed probabiliter reſpondeo, adhuc in hoc caſu non teneri, ſi aliàs pœnitens verè ſit diſpoſitus; quia pœnitens non tenetur, vt vidimus, talem conſuetudinem confiteri.*

teri. Ergo nec confeſſarius habet ius ad hoc interrogandum. Leandro conſentit *Ioannes Poncius, in curſu Theologico d.45.concluſ.2.num.32.* ibi: *Quari ſolet, An pœnitens teneatur Confeſſario interroganti, an habuerit conſuetudinem committendi peccatum, quod confitetur, reſpondere, quod ſic, ſi eam habuerit? Ioannes Sãchez negat, Cardinalis de Lugo affirmat, &c. Exiſtimo non teneri quem confiteri lapſus antecedentes, quamuis vtiliter poſſet, ſi vellet. Sed non placet modus eludendi interrogationem per æquiuocationem (vt Ioannes Sanchez putat) meliùs eſſet abſolutè dicere: Pater non ſpectat ad rem; quidquid ſit de hoc, iam ſpero cum gratia Dei cauere lapſum in poſterum.* Sic *Poncius.* Eãdem ſententiam tenet *Tancredi in quæſt.moral.d.3.q.23.fol.62.*dicens cum *Ioanne Sancio*, poſſe pœnitentem vtendo æquiuocatione dicere, ſe non habere conſuetudinem talis peccati.

Temperat *Sancij* ſententiam *Gaſp.Hurtadus de Pœnit.d.9. diffic.4.* vbi de circumſtantia Quid, dicens: *Nec pœnitens tenetur reſpondere de conſuetudine peccandi, ſi ipſi conſtet, non indigere directione Confeſſarij ad cautionem in futurum; nec Confeſſarius poterit illi negare abſolutionem quia non reſpondet, ſi aliàs reddatur de eo moraliter ſecurus.* Quem ſequitur *Baunius in Theol.mor. p.1.tr.4.de Pœnit.q.15.dub.12.* vbi ait, in hoc ſenſu probabiliorem eſſe opinionem *Sancij*, & in praxi ſequendam: *Quia Confeſſarius*, inquit, *ius non habet interrogandi pœnitentem de conſuetudine peccandi, niſi eius rei cauſam grauem habeat, quæ rarò accidit.*

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Confeſſarius obſtringitur interrogare pœnitentes, ſi examen conſcientiæ præmiſerint, & aliquando debet illos circa hoc adiuuare.*

3 *Interrogationes ſuperfluæ omittendæ ſunt à Confeſſario; ſed circa ea ſola, quæ ad conditionem Pœnitentis pertinent, fieri debent: nec facilè Confeſſarius debet credere pœnitentem ex ignorantia non confiteri fraudes ſuæ artis: & circa carnalia debet eſſe parcus, modeſtè tantum interrogando.*

4 *Confeſſarius licèt aduertat pœnitentem præmiſiſſe ſufficientem diligentiam in conſcientiæ examine, adhuc tenetur quoad fieri poteſt illum interrogare de peccatis, ſeù circumſtantijs, quæ probabiliter credit commiſiſſe.*

5 *An caſus, quo Confeſſarius ſcit pœnitentem commiſiſſe aliquod peccatum mortale, quod nec interrogatus confitetur, debeat illum abſoluere.*

§. II.

6 *Tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem. Et contrarium, vt pernicioſum damnatur.*

7 *Debet vt reus, & infirmus Confeſſario tanquam Iudici, & Medico ſuum delictum, & infirmitatem manifeſtare.*

8 *Confeſſarius tanquam Medicus debet ſcire non ſolum ſubſtantiam morbi, ſed*

etiam conditiones antiquati, & recentis.

9 *Conſuetudo eſt talis conditio peccati, & infirmitatis, quæ indiget ſpeciali remedio diſtincto ab eo, quod exigit infirmitas, & peccatum.*

10 *In Tribunali forenſi interrogatur reus circa aſſuetudinem.*

11 *Etiam ſi pœnitens credat ſe non indigere directione confeſſarij, adhuc tenetur confeſſario interroganti de conſuetudine reſpondere.*

12 *Confeſſarius habet ius, vt certioretur de diſpoſitione pœnitentis.*

13 *Nemo eſt peritus Medicus in propria graui infirmitate.*

14 *Si conſuetudo peccati iam ceſſauit, nec perſeuerat, non tenetur pœnitens interrogatus eam fateri.*

15 *Conſuetudo, quæ ceſſauit, remedio non indiget.*

§. III

16 *Pœnitens etiam non interrogatus tenetur fateri ſuam conſuetudinem peccandi.*

17 *Probabile eſt etiam contrarium, exceptis aliquibus caſibus.*

18 *Secundò reſpondet Auctor ad obiectionem in contrarium, & ſuam manifeſtat intentionem.*

19 *Etiam ſi circumſtantiæ notabiliter aggrauantes non debeant in confeſſione explicari; adhuc circumſtantia conſuetudinis debet explicari, ob directionem pœnitentis.*

20 *Licèt per ſe loquendo non teneatur pœnitens bis confiteri idem peccatum; per accidens tamen tenetur aliquando.*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò. Confeſſarium, ſiue Ordinarium, ſiue Delegatum habere obligationem interrogandi pœnitentes. Et quidem in primis quando Confeſſarius aduertit pœnitentem non præmiſiſſe ſufficiens ſuæ conſcientiæ examen tenetur ſuis interrogationibus adiuuare; ſi enim defectus ſit culpabilis, & ex negligentia, planè delinqueret Confeſſarius abſoluendo indiſpoſitum, vt rectè docet *Caſtropalaus par.4.tr.23.d.vn.pu.19.§.2.* Si autem pœnitens non ſe ſufficienter examinauit, quia ſperabat, & cupiebat ſe interrogationibus Confeſſarii adiuuandum, vt ſanè frequenter accidit in confeſſionibus ſimplicium, & ruſticorum, tunc planè etiam tenetur Confeſſarius illum coadiuuare, & ſuis interrogationibus ſupplere defectum. Sic bene tradunt *Coninch d.8. qu.17.num.130. Auerſa de Pœnit.qu.16.ſect.11.* & alii. Animaduertunt etiam cum *Vaſquio, Perez d.53.ſect.2.num.3.* & cum *Card.de Lugo, Dicaſtillus d.10.num.498.* ruſticos, licèt reperiantur negligenter examinati, non eſſe communiter dimittendos, vt ſe examinent, & redeant, nam hi, licèt millies ſe

ſe examinent, nunquam redduntur magis apti, quam ſi à principio à Confeſſario examinentur; imò dari poteſt pœnitens admodum rudis, vt ad nullum examen teneatur, & tunc illud ſupplet diligentia Confeſſarii; vt ipſi Doctores pariter notant. E contra, ſi conſiderata conditione pœnitentis, moribus, ſcientia, & longitudine, aut breuitate temporis, & aliis circumſtantiis probabiliter, aut prudenter iudicet Confeſſarius, pœnitentem integrè confeſſum, ac rite diſpoſitum eſſe, non tenetur ad interrogandum aliquid: quia nulla eſt talis obligatio, cum in his rebus non ſit maior euidentia requirenda, ſed ea probabilitas, quæ ad alia negotia humana grauia exiſtimari ſolet ſufficiens; imò neque expedit tunc interrogare: quia iudicari poſſet interrogatio otioſa, curioſa, & onerosa pœnitenti, quæ omnia vitanda ſunt. Ita cum *Nauarro, Graffio, & Petro Soto, Layman de Pœnit.c.13.q.5.concluſ.1.Suarez de Pœnit.d.32.ſect.3.n.3. Caſtropalaus d.pu.19.§.2.*

3 Notandum eſt ſecundò. Non oportere de omnibus rebus, quæ in mentem venire poſſunt perquirere, ſed de his, quæ conſiderata conditione pœnitentis, & notitia, quam pœnitens de ſeipſo præbet probabiliter poſſunt in ipſum conuenire, ſeù in probabile dubium venire, vt rectè aduertit *Suarez cit.ſect.3.* Quapropter omnes aduertunt, interrogationes faciendas à Confeſſario, non debere eſſe nimis moleſtas, & longas; neque ſi pœnitens ſit artifex, opus eſt interrogare omnes fraudes, quæ in arte committi poſſunt; hæ namque magis notæ ſunt, & peccata, quæ in ea committuntur ipſis artificibus, quàm Confeſſariis. Vndè non eſt credendum, quod aliquis artifex non confiteatur ex ignorantia fraudem artis. Quare ſatis erit propter obliuionem interrogare: an in ſua arte vſus fuerit aliqua fraude, aliudue peccatum commiſerit. Ita cum *Vaſquez Dicaſtillus num* 497. & 498. Expedit, vt parcus, & velox ſit circa peccata carnalia, modeſte tantum interrogando, quæ præcisè neceſſaria ſunt, nec ſuperfluas, aut curioſas interrogationes multiplicando, ne vel ignorantem doceat, vel ſcandalizet, aut ſe; vel illum periculo prauæ delectationis exponat. Ita *Suarez, Caſtropalaus, & Auerſa locis relatis*, & alii paſſim. Vt autem cordatè procedat: expectare debet Confeſſarius: quid pœnitens dicat, & ex eius dictis colliget, quid ſibi neceſſariò, vel conuenienter interrogandum, vti latius tradunt *Nauarrus, Vaſquez, Layman, & Coninch* apud *Caſtropalaum vbi ſupra*, qui etiam aduertit; nullum peccatum à Confeſſario ante finitam confeſſionem grauiter ponderandum, aut obiurgandum, ne pœnitens deterritus, alia fortè grauiora manifeſtare omittat. Facilius tamen, & ſalubrius eſt, ſtatim examinare ſingula, quæ pœnitens confusè, & indiſtinctè dixit, præſertim ſi confeſſio breuis non ſit. Quare ſi aduertatur obligatio reſtituendi, ſi ignorantia culpabilis, atque etiam conſcientia erronea circa aliqua, vel quid ſimile, ſatius erit ſuauiter ſucceſſiuè adiuuare; quod idem magis expedit circa numerum, ſpecies, circumſtan-

tias peccatorum, quæ dicit; quæ omnia ſi in finem referuentur, confuſionem, & obliuionem plerumque afferunt Confeſſario. Ita *Card. de Lugo de Pœnit. d. 22. n. 15. Dicaſtillus n.* 496.

4 Notandum eſt tertiò: Omni pobabilitate carere ſententiam *Ioannis de Medina cod. de Confeſſione, quæſt. de Confeſſione dimidiata iteranda*, dicentis, in caſu, quo Confeſſarius videt, pœnitentem iuxta ſuum captum, & poſſibilitatem præmiſiſſe ſufficientem diligentiam in ſuæ conſcientiæ examinatione, non teneri interrogari; ſed aſſerendum eſt cum communi, & vera ſententia Confeſſarium adhuc in iſto caſu teneri, quoad prudenter fieri poteſt, illum interrogare de peccatis, ſeu circumſtantiis neceſſariis, quæ videt, vel probabiliter credit commiſiſſe, & vel ob ignorantiam, vel inaduertentiam inculpabilem non fatetur. Ita *Nauarrus, Graffius, Toletus, Henriquez, Layman, Coninchbius*, quos relatos ſequitur *Caſtropalaus num. 3. Magiſter in 4. d. 19. D. Thomas ibidem in fine lect. Sylu. D. Antoninus, Angelus, Canus*, quos refert, & ſectatur *Suarez n. 7. Goffredus, Ochagauia, & Card. de Lugo*, quos adducit, & ſequitur *Dicaſtillus num.* 488. *Antonius à Spiritu Sancto par. 1. Direct. Confeſſ. tr. 5. d. 18. ſect. 2. num.* 1418. Et ſufficienter indicatur in *c. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ.* vbi dicitur: *Sit Sacerdos diſcretus, & cautus more periti medici, diligenter inquirens peccatorum circumſtantias, &c.* Et ratio eſt, quia Confeſſarius eſt ſimul medicus, & Iudex; ac proindè tenetur, quoad prudenter fieri poteſt, procurare vt omne crimen deferendum ad ſuum tribunal, & in eo iudicandum ritè, & rectè deferatur, & iudicetur; & tenetur præcauere defectum ipſius pœnitentis: non ſolum quantum pertinet ad formalem integritatem ex parte ipſius pœnitentis, ſed etiam ad præcauendum defectum materialem, quando nihil obeſt, quominus id præcedenter fiat, vt cauſam ipſam totam ſicuti reuera eſt, cognoſcat.

5 Porrò in caſu, quo Confeſſarius ſcit pœnitentem commiſiſſe aliquod peccatum, quod neque ex ſe, neque etiam interrogatus confitetur; cõmuniter Doctores docent, quod quando Cõfeſſarius id euidenter ſciret, & ſciret etiã euidenter, quod non fuerit prius alteri id peccatum confeſſus, ſed ſacrilegè negare peccatum, non poſſe illum abſoluere; cum non conſtet de defectu integritatis formalis; poſſe verò abſoluere, ſi hoc non ſciat. Ita cum *Suarez, Henriquez, & Fagundez, Card. de Lugo ſupra nu. 21. Auerſa cit. ſect. 11. Antonius à Spiritu Sancto num.* 1420. *Gabr. a S. V. qu. 8.* Contra arguit *Megala l. 1. c. 2. num. 12.* quia cum plures ſint rationes, quæ poſſunt excuſare pœnitentem à confeſſione alicuius peccati, deberet adhuc Confeſſarius præſumere illum ex aliqua iuſta cauſa, & excuſatione negare. Et verè quidem quandocumque Confeſſarius id præſumere poteſt, debebit illum abſoluere, & hoc non eſt contra mentem aliorum Doctorum, vt benè aduertunt *Auerſa, & Card. de Lugo*. Si tamen nec hoc præſumere poteſt, debet illum dimittere, vt moraliter non videtur poſſe præſume-

Digitized by Google

ſumere, dum ſeruatis prudentiæ regulis admonet pœnitentem de eo peccato tam ſibi euidenter cognito, & quod tunc ceſſent rationes tacendi, quę forte aliàs excuſare potuiſſent. Quando verò ex aliorum relatione, vel ſuſpicione id habet, ſtandum eſt pœnitentis confeſſioni, cui in hoc foro tam pro, quam contra ſe, fides habetur. *Suarez cit. ſect. 3. Fagundez pracep. 2. l. 6. c. 4. n. 38.* & alii. His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

6 DIco primò. Tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem. Et contraria aſſertio Decreto, vt minimum tanquam pernicioſa emouetur, quippe ante à Sacra Congregatione Indicis iuſſa fuit deleri ab operibus *Sancij*. Et *Card. de Lugo de Pœnit. d. 14. ſect. 10 num. 172.* contra ipſum dixerat: *Hoc eſt contra omnes Theologos, contra praxim Eccleſiæ; & contra fidem huius Sacramenti:* & intra falſas, & periculoſas, & ſcandaloſas numerauerat *Fagnanus in c. Ne innitaris n. 336.*

7 Probatur primò. Confeſſor tenetur qua Iudex, & qua Medicus pœnitentem de peccati conſuetudine inquirere. Ergo & pœnitens tenetur interroganti eam fateri. Conſequentia ſequitur. Quia peccator pœnitens eſt, & reus, & infirmus: reus ex offenſa Dei, infirmus ex læſione animæ, ſiue conſcientiæ: de eius ſalute, ac ſanitate agitur, quæ pendet ex directione, & curatione Confeſſarii: hæc autem fieri non poteſt, niſi ſciatur periculum infirmitatis: ſcitur verò per reſponſionem ad interrogationem. Ergo ſi Confeſſarius, quia Iudex, & Medicus tenetur interrogare de conſuetudine, à fortiori pœnitens tenetur interroganti reſpondere, aſſerendo adeſſe, quando adeſt. Antecedens autem primi argumenti ſuadetur; quia Confeſſarius, qua Iudex tenetur indagare, An dolor peccati conſuetudinis ſit ne verus, vel fictus: & an propoſitum de cætero non peccandi ſit ſtabile, ac firmum, ratione cuius difficilis redditur venia; difficile enim expeditur voluntas à conſuetudine, qua ligatur. Ergo Confeſſarius, qua Iudex de peccati conſuetudine pœnitentem inquirere tenetur. Et etiam, qua Medicus obligatus eſt interrogare de vitiorum conſuetudine, vt poſſit remedium adhibere infirmitati, & acriores pœnitentias iniungere; alio enim indiget remedio inueteratum peccatum, ac ſemel, aut iterum commiſſum: *Vulneri vetuſto, & neglecto callus obducitur, & eò inſanabile, quò inſenſibile fit,* ait *D. Bernardus in floribus c. 49. de conſuetudine*. Porro dicitur inſanabile, quia difficile curatur; ipſe enim hoc artificio vſus eſt cum quodam nobili in finibus Franciæ, qui taliter deditus luxuriæ vitio erat, vt quotidie eodem ſe inquinaret: & nihil proficiente reprehenſione, quia

nullo

nullo modo abſtinere ſe poſſe aſſerebat: Quæſo, aiebat ipſe Sanctus, ſaltem aliquales cum Deo inducias facito, vt minus ad triduum. Annuit ille: & ecce triduo expleto, Nunc in honorem Deiparæ, ait Sanctus, tantumdem præſta: obediuit: Tunc tertiò *D. Bernardus*: Semel adhuc, has inducias poſco in honorem Omnium Sanctorum, & ille paret; donec ſpōtè *D. Bernardo* ſe inſinuans, ait: *Nolo amplius diurnas, ſed perennes cum Deo inire inducias*. Sic in eius vita.

7 Alii hoc referunt ad ſolum munus Medici, & hi arguunt ex *D. Thoma in add. ad 3.p.qu.9.ar.2.* Confeſſarius eſt non ſolum Iudex in Sacramento Pœnitentiæ, qui debet iudicare de pertinentibus ad præſens iudicium; ſed etiam ſe habet inſtar Medici, qui debet dare medicinam ægroto ſalutarem, vt paſſim loquuntur Patres, & Doctores. Atqui ad hoc requiritur cognitio integra morbi non ſolum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad conditiones, & præcipuè quoad conſuetudinem. Ergo de hac poteſt legitimè Confeſſarius interrogare, & pœnitens, qui ſalutem quærit, tenetur reſpondere. Minor probatur exemplo Medici corporalis; nam iſte, & ſi cognoſcat morbi præſentis qualitates, ſi neſciat morbi antiquationem, non poteſt ægroto conueniens adhibere remedium; nam alia remedia efficaciora, & magis eradicantia eidem morbo inueterato conueniunt, quàm recenti; Ergo ſimiliter & Medicus ſpiritualis animæ. Huc videtur reſpicere *Innocentius in c. omnis vtriuſque ſexus*, iis verbis: *Sacerdos ſit diſcretus, & cautus, vt more periti Medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati: diligenter inquirens peccata, & circumſtantias peccatorum, quibus prudenter inquiſitis, intelligat, quale ei debeat præbere conſilium; & cuiuſmodi remedium adhibere, diuerſis experimentis vtendo ad ſanandum ægrotum*. Vbi obſerua illa verba, *& cuiuſmodi remedium adhibere*; quæ non referuntur ad remedium abſolutè, ſed ad modum eius, ad quod pertinet reſpicere non ſolùm morbum, ſed etiam conditiones morbi, antiquati, vel recentis.

Reſpondet *Sancius num. 17.* concedendo munus Confeſſarij eſſe munus Medici, & pœnitentem debere ab infirmitate curare, ſed à præſenti, non à iam ſanata, ſcilicet ex peccatis iam confeſſis orta. Conſuetudo igitur, vel importat peccata iam confeſſa, vel procliuitatem ad peccandum, quæ eſt effectus peccati, non peccatum: Ad Confeſſarium autem in rigore non pertinet curare effectus peccati, ſed ſolùm peccata.

9 Sed contra eſt. Licèt conſuetudo non ſit peccatum, & infirmitas, eſt tamen talis conditio peccati, & infirmitatis, quæ indiget ſpeciali remedio diſtincto ab eo, quod exigit infirmitas hac conditione carens: & quamuis ipſe non debeat curare, niſi infirmitatem præſentem, illa conſuetudo, quæ adhuc perſeuerat, eſt præſens, & eſt infirmitatis præſentis conditio cognita neceſſaria, vt neceſſarium remedium applicetur, vt patet exemplo Medici corporalis. Nec importat præcisè peccata iam confeſſa,

ſed

ſed habitum ex illis relictum, qui viget, ex quo prouenit prolixitas ad peccandum, cui medetur Confeſſarius, non vt eſt effectus peccati, ſed vt eſt cauſa, quam prudens Medicus extirpare debet. Pro quo non dat duplicem pœnitentiam, vnam pro peccato, aliam pro conſuetudine, ſed vnam tantum validiorem, nempè ſalutarem; non purè ſatisfactoriam.

10 Probatur ſecundò: Tribunal Sacramenti Pœnitentiæ deterioris conditionis non eſt, ac forenſe. Atqui in forenſi inter alios articulos interrogatorij, vnus eſt, reum interrogare: An aſſuetudinem habeat in ſimilibus, quod conteſtat Practica, & videre inſuper eſt, apud *Megalam in praxi Criminali Canonica*, *Tranquillum Ambroſino Proceſſus informatiuus*, & quamplures alios. Ergo & in Tribunali Sacramentali. Sed proſcriptæ Propoſitionis Auctores noluerunt ad hæc reflectere, ſicut & ad quamplurimas pœnitentis interrogationes, à Confeſſario faciendas, quas ordinatim firmat *S. Burchardus l. 19. de Pœnit. à c. 4. vſque ad 7. incluſiuè.*

11 Dico ſecundò. Etiam ſi pœnitens credat ſe non indigere directione Confeſſarij, adhuc tenetur Confeſſario interroganti de conſuetudine, reſpondere. Ita *Candidus, & Riccius* hîc, & alij communiter, contra Auctores initio relatos, contra quos cum communi ſtat *Ioannes Cardenas hîc diſſert. 37. c. 5. num. 3.*

12 Probatur primò verbis *Vaſquij to. 4. in 3. p. q. 91. ar. 1. dub. 3. nu. 4. Si Confeſſarius interroget, tenetur reſpondere, etiam ſi ipſe alias benè dipoſitus accedat ad Sacramentum; quia non ſatis eſt ita benè diſpoſitum accedere, ſed oportet, vt Confeſſario conſtet. Vnde ſi ipſe, vt ſciat hanc diſpoſitionem, interroget conſuetudinem; tenetur pœnitens reſpondere: quia tenetur ipſum Confeſſarium certiorem facere ſuæ diſpoſitionis; & cum ille ſit humanus Iudex, vt ex ijs circumſtantijs cognoſcat hanc cauſam, habet ius.*

13 Probatur ſecundò: Quia tollere conſuetudinem eſt periti medici; conſuetudo enim inducit quandam neceſſitatem. Vndè *Antiſthenes* rogatus, quæ maximè neceſſaria eſſet diſciplina? *Ea*, inquit, *quæ dediſcendi mala, tollit neceſſitatem*, apud *Diogenem Laertium de vitis Philoſophorum.* Non autem eſt peritus, & aptus Medicus in propria graui infirmitate; & quo magis putat ſe aptiorem ad curam ſui ipſius, eo magis timetur de ineptitudine. Vnde nullus quantumuis doctiſſimus, & expertiſſimus, dum grauiter ægrotat, ſuæ curæ relinquitur. Morbi autem ſpiritualis cura non eſt facilior, ſed difficilior; pœnitens autem conſuetudine ipſa veluti debilitatus lumine intellectus, aptus non eſt ad medicamenta pro morbo inueniendà congruentia; ſuæ curæ in morbo conſuetudinario relinquendus non eſt. Malè ergo *Leander à Sacramento ſupra citatus*, dixit quod prohibitio Sacræ Congregationis Indicis reſpectu operis *Sancij* intelligenda ſit, *caſu, quo pœnitenti conſtet, indigere directione Confeſſarij ad præcauendum peccatum in futurum, aut quando fortè eius explicat o neceſſaria ſit*, vt ex pec-

cati iteratione ſumat argumentum Confeſſarius, pœnitentem non accedere animo contrito. Sed dicendum eſt, quod prohibitio S. Congregationis procedat ſine modificatione, ſicut & damnatio Innocentij reſpectu huius prohibitionis.

14 Dico tamen tertiò. Si conſuetudo alicuius peccati iam ceſſauit; putà ſi quis per menſem, vel diuturnius tempus antequam accederet ad Confeſſionem extirpandæ conſuetudini operam nauauit; vel occaſionem reincidentiæ abſtulit; ità vt conſuetudo iam non perſeueret; non tenetur pœnitens interrogatus eam fateri. Ita *Laurentius Maria Piſani hìc un.5.* qui ita intelligendam putat hanc Propoſitionem: *Quia* (inquit) *conſuetudo, quæ non exiſtit, conſuetudo non eſt, licèt fuerit.*

15 Probatur breuiter; quia hæc conſuetudo, quæ iam ceſſauit, non pertinet ad conditionem morbi præſentis, nec remedio indiget; eamque negando non mentitur pœnitens; quia re vera eam actu non habet, de eaque, quæ perſeuerat, legitime interrogat Confeſſarius.

§. TERTIVS.

Diluuntur argumenta oppoſitæ ſententiæ.

Obijcies primò. Pœnitens non interrogatus non tenetur fateri conſuetudinem peccandi. Ergo nec etiam interrogatus eam aperire tenetur. Antecedens communiter à Doctoribus admittitur, & putat certum *Piſani hìc num.1.* Conſequentia ſequitur; quia, vt *Suarez to.4.in 2.p.d.22. ſect.3.num.10.* ait: *In hoc iudicio quidquid pœnitens tenetur dicere interrogatus à Iudice, tenetur ipſe ſua ſponte confiteri; quia hoc iudicium non eſt coactum, ſed voluntarium, & interrogatio Confeſſoris non addit obligationem, ſed illam potiùs ſupponit; ideò enim Confeſſor iuſtè interrogat, quia pœnitens habet obligationem confitendi.*

16 Reſpondeo primò, negando antecedens; puto enim quod regulariter tenetur pœnitens etiam non interrogatus fateri ſuam conſuetudinem peccandi. Ita *Riccius* hìc in fine dicens: *Ex dictis patet non ſolum teneri pœnitentem ad aperiendam Confeſſario interroganti conſuetudinem peccandi, ſed etiamſi ille non interroget, modo ea conſuetudo ex ipſa multitudine peccatorum, de quibus ſe accuſat, non innoteſcat.* Sic ille, & *Reuerendiſſimus Candidus to.2.diſq.24.ar.23.dub.48.* qui probat: *Tum quia conſuetudo peccandi conſtituit hominem ſecundùm præſentem ſtatum in quodam morali periculo, & facilitate peccandi, & neceſſarium eſt, vt confeſſor hanc conſuetudinem ſciat, vt de diſpoſitione, & obligatione pœnitentis certus reddatur; tum quia Confeſſarius, qui Medici, & Iudicis vices gerit in Sacramento Pœnitentiæ, non cognita conſuetudine peccandi, non poſſet pœnitenti congrua remedia pro eius ſalute exhibere.*

Vnde

Digitized by Google

Vnde contra obijcientem ſic arguitur ex eadem Doctrina *Suarij*. In hoc iudicio quidquid pœnitens tenetur dicere interrogatus à Iudice, tenetur ipſe ſua ſponte confiteri; quia hoc iudicium non eſt coactum, ſed voluntarium. Sed interrogatus à Iudice tenetur fateri conſuetudinem. Ergo etiam ipſe pœnitens non interrogatus tenetur eam aperire. Exceſſit ergo *Piſanus* vocans contrariam ſententiam certam. Et quod pœnitens teneatur non interrogatus aperire in Confeſſione conſuetudinem peccandi, docent etiam *Henriquez l. 5. cap.8. num.2. & in Gloſſa litt.A* citat pro hac ſententia *D. Antoninum, Tabienam, Roſellan, Syluestrum, & Sotum, Fagundez de pracept. Decal.pracepto 2.l.4.c.4.num.7.*

17 Sed quia contraria ſententia eſt ſatis probabilis, quam cum *Suario, Reginaldo, & Zerola* docet *Bonac.de Sacram.d 5.q.5.ſect.2. pu.2.§.3.diffic.3. num.22.*& cum *Vaſquez, & Caſtropalaus pu.9. num.11.Dicaſtiallus dub.8. num.409.Gabr.à S.V.d.8.q.6. diffic.11. Antonius à Spir.Sancto nu.424. Franciſcus à Ieſu Maria tr.6.c.8.pu.4.num.67.& 68.Baſſæus V.circumſtantia §.4.n. 12.Diana p.1.tr.7.reſ.15.& p.11.tr.7.reſ.37.Auerſa de pœnit.q.10.ſect.10.in fine, Geſualdus in Theol.mor.to.1.tr.19.c.3.nu.14.* & alij, qui tamen addunt, quod per accidens obligari poteſt pœnitens explicare conſuetudinem, vel diuturnitatem alicuius peccati, vel occaſionis eius. Primò, ſi neceſſarium ſit confeſſario, vt pœnitentis diſpoſitionem, & obligationem perſpectam habeat.Secundò, pœnitens conſuetudinem V.g.peierandi explicare tenetur, quando aduertit ante illam acquiſitam,quod per ſequẽtia periuria conſtituatur in proxima occaſione peccandi: & poteſt præcauere, vel poſtquã iam illam acquiſiuit,non eſt conatus expellere,adhibendo ad id media,& diligentiam; quia peccat, tum dum in eam ſe conijcit, tum, dum eam non tollit, & tale peccatum debet explicare, & conſuetudinem fateri, vt explicet periculum morale, cui ſe expoſuit. Ideò iuxtà hanc ſententiam.

18 Reſpondeo ſecundò, admiſſo antecedente, negando conſequentiam, & diſparitas eſt; quia dum interrogat vtitur iure ſuo: reus verò tenetur reſpondere iudici iuridicè interroganti; non verò non interroganti: vel melius, quia pœnitens non interrogatus de conſuetudine, ea celata, ſpeciem, & numerum peccatorum exprimit cum debita diſpoſitione, vt ſuppono: tamen poſita interrogatione confeſſarij, qua cognoſcit illum dubitantem de acquiſitis ad licitam,validamque abſolutionem tenetur certiorem reddere veritatem aperiendo, & ſic directè confitendo conſuetudinem, vt Confeſſarius ſuam dubitationem de diſpoſitione pœnitentis, relinquat. Hæc in fauorem huius ſententiæ communis. Sed ego contrarię, vt probabiliori magis adhæreo.

Obijcies ſecundò. Pœnitens etiam interrogatus non tenetur confiteri circumſtantias notabiliter aggrauantes. Ergo nec conſuetudinem peccandi. Antecedens docet *Diana p.1. tr.14. reſ.100.* vbi probans

Cccc 2 cir-

Digitized by Google

circumſtantiam copulæ cum Confeſſario, vel pœnitente, non eſſe neceſſariò in confeſſione aperiendam, ait: *Eſt enim circumſtantia aggrauans, quæ quidem non eſt neceſſariò confitenda, etiam ſi de illa pænitens interrogetur à Confeſſario: non enim habet ius Confeſſarius ad interrogandum de circumſtantijs aggrauantibus, vnde nulla ei irrogatur iniuria, ſi occultentur.* Quem ſequitur *Leander à Sacramento* plures citans *to. 1. de Pænit. tr. 5. d. 8. §. 8. q. 26.* *Quia Confeſſarius,* inquit, *non poteſt pænitentem obligare ad id, quod non eſt neceſſarium ad confeſſionem. Vnde optimè poterit ille reſpondere Confeſſori, ſe iam declaraſſe, quod ſufficit: quia ex Doctoribus, & ratione nouit, ſed ad nil amplius teneri; & tunc Cōfeſſarius ei ſe debet accomodare.* Sic *Henriquez, Granado, Nauarrus, Sylueſter, Hurtado* & poſtea *Baunius.* Quibus adde *Ioannē Poncium in curſu Theologico d. 45. qu. 7. concl. 2.* vbi loquens de quantitate furto ſublata, ſic ait: *Si Confeſſarius petat quantitatem, ipſe poteſt dicere: non teneor ad hanc confitendum.* Conſentit *Dicaſtillus de Pænit. d. 9. num. 147.* vbi ait: *Pænitentem etiam interrogatum à Confeſſario de circumſtantijs aggrauantibus, poſſe illas non fateri, licèt non neget, & reſpondere Confeſſario, ſe non obligari ad declarandum. Ioannes Martinez de Prado tr. de Pænit. qu. 2. de integr. Confeſſ. dub. 2. de circumſtant. §. 3. §. Ad ſecundam confirmationem,* ibi: *Si autem ſit caſus, quo circumſtantia nullo modo ſit ſub præcepto (nempè nec directè, nec indirectè) de neceſſitate confeſſionis, etiam interrogatus poteſt veritatem occultare, ſicut ſi interrogaretur de venialibus.*

19 Hoc argumentum non vrget contra *Suarez* ſupra, & alios; qui ex illo principio ſupra adducto: In hoc iudicio quidquid pœnitens tenetur fateri interrogatus à Iudice, tenetur ipſe ſua ſponte fateri: cū doceant circumſtantias notabiliter aggrauantes teneri pœnitentem interrogatum neceſſariò fateri, conſequenter etiam docent, etiam non interrogatum teneri aperire. Nec contra nos argumentum vires habet: licèt enim fateamur valdè probabilem eſſe ſententiam *D. Thomæ*; & aliorum docentium circumſtantias notabiliter aggrauantes inter eandem ſpeciem non eſſe neceſſariò confitendas; tamen hoc intelligimus currere, per ſe loquendo: nam per accidens, ratione ſcilicet reſeruationis: neceſſariæ directionis, &c. tenetur etiam non interrogatus aperire. In hoc tamen eſt differentia à conſuetudinem habente: nam qui conſuetudinem habet, E g. ſe polluendi, aut mæchandi, aut iurandi falsò, aut detrahendi in materia graui, etiam ſi ſit vir doctus, & credat ſe non indigere directione, tenetur etiam non interrogatus conſuetudinem fateri, quia iſte abſque dubio habet conſcientiam laxam, & facilè ſibi perſuadebit, ſe habere euidentiam de recta ſua diſpoſitione; cum in eo vt plurimum decipiatur: & eo ipſo, quod habeat tam deprauatam conſuetudinem debet timere, ne philautia eum decipiat, quæ iudicium hominis obnubilat iuncta illi deprauatæ conſuetudini. In circumſtantiis verò aggrauantibus intra eandem ſpeciem non ſolet eſſe neceſſaria directio peculiaris Confeſſarii.

Obij-

Digitized by Google

Obiicies tertiò. Nemo tenetur confiteri bis idem peccatum, ſed quis poſt multa peccata, V.g. adulteria diuturno tempore perpetrata, & iam confeſſioni expoſita, reincidit ter, vel quater, ſi hæc tria, vel quatuor peccata confitetur de præſenti, & cogitur confiteri conſuetudinem antecedentem; cogitur vtique ad confitenda peccata in tali conſuetudine incluſa. Ergo nullo modo tenetur ad talem conſuetudinem confitendam.

10 Reſpondeo. Quod licèt per ſe loquendo pœnitens non teneatur confiteri bis idem peccatum: ſunt tamen multi caſus, in quibus tenetur iterum confiteri, quæ iam confeſſus eſt. V.g. Petrus ſuaſit ſociis, vt omnes ſimul concurrerunt ad tale furtum; poſtea Petrus confitetur furtum, & obliuiſcitur confiteri ſuaſionem, ſeù ſcandalum datum ſociis; vt illam cofiteatur, tenetur neceſſariò confiteri iterum furtum, nempè ſuaſionem ad furtum. Item Titius carnaliter cognouerit ſororem vxoris ſuæ; & deinde confeſſus hoc peccatum admonitus fuit, quod non poſſet petere debitum à ſua vxore; deinde violauit hanc legem petendo debitum, hoc peccatum nequit aperire, niſi ſimul aperiat prius confeſſum; & ad hoc tenetur. Similiter ergo, quamuis pœnitens non teneatur directè ad confitendam conſuetudinem peccatorum, quæ iam confeſſus eſt, tenetur tamen indirectè; tam vt Confeſſarius ſibi ſatisfaciat de recta pœnitentis diſpoſitione, præcipuè de propoſito non peccandi de cætero; tum vt adhibeat opportuna remedia ad emendationem vitæ.

PROPOSITIO LIX.

Licèt Sacramentaliter abſoluere dimidiatè tantùm confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis, V.g. poteſt contingere in die magnæ alicuius feſtiuitatis, vel indulgentiæ.

1 HAnc Propoſitionem innominatis Auctoribus tradit *Coninch de Sacram d.7. de Pœnit. dub.9. num.93.* Attribuitur etiam *Petro Marchantio in ſuo Tribunali Sacrament. to. 1. tr.2. tit.7. qu.2. in fine*; licèt enim, vt formaliter iacet, ibi non reperitur, tamen ex ibi dictis infertur: cum doctrina ibi tradita coincidat cum præſente Propoſitione. Malè tamen tribuitur *Chriſtophoro de Vega in libello: Caſi, & auuenimenti rari della Confeſſione c.2.* ibi enim nihil reperitur huius Propoſitionis. Sed eius verba ſunt: *Il ſecondo auuiſo è, che li Confeſſori habbiano già ſtudiato preſſo gli Autori, in quali caſi poſſa non farſi intera la confeſſione, cioè à dire, quando ſi teme naufragio, ò comincia battaglia, ò ſi fà la confeſſione per interprete, ò ſi odano le confeſſioni di due infermi, che ſtanno nello ſteſſo letto, e non poſſono ſepararſi,*

E quin-

E quindi ſi raccoglie ancora ciò, che dee farſi quando il Curato ſtà per amminiſtrare il Viatico, e l'Infermo vuole riconciliarſi, e vien fuori con vn peccato tacciuto fin dalla fanciullezza, e reca ſcandalo il trattenerſi. Il ſimile è, quando interuiene nota, ò ſcandalo, come parlan alcuni, ſe non ſi communica il Giouedì Santo, ò la moglie teme del ſuo marito, ò la figliuola la madre, ò la fante la ſua padrona.

SVMMARIVM.

§. I.

2 Omnia, & ſingula peccata mortalia quilibet confiteri tenetur: aliàs ſi abſque legitima cauſa aliquod quis ſcienter reticeat, ſacrilegam facit confeſſionem.

3 Qui in confeſſione omittit aliquod graue peccatum non aliàs confeſſum, violat præceptum à Chriſto Domino datum in inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ.

4 Qui culpabiliter omittit inquiſitionem facere de peccatis mortalibus commiſſis, facit confeſſionem ſacrilegam. Quam autem diligentiam præſtare quis debeat, arbitrio prudentis eſt remittendum.

5 Mendacium in confeſſione commiſſum in materia neceſſaria obeſt confeſſionis integritati.

6 An ſatisfaciat integritati confeſſionis, qui vnum indiuiduum phyſicum peccati pro alio ſubrogaret.

7 An grauiter peccet pœnitens, ſi peccatum mortale, quod præſenti confeſſioni abſoluendum ſubijcit, indicet eſſe iam alia vice abſolutum?

8 An ſit ſimulatio, quæ grauiter confeſſioni obeſt, leuia peccata Confeſſario ordinario manifeſtare, alijs verò grauiora?

9 Integritas conſiſtens in manifeſtatione omnium mortalium vni eidemque Confeſſario, non eſt de Sacramenti ſubſtantia: ſed ſolùm ex præcepto diuino.

10 Ob phyſicam impotentiam pœnitens excuſatur ab integritate materiali confeſſionis; quæ phyſica impotentia multipliciter contingit.

11. Impotentia moralis (quæ etiam multipliciter contingere poteſt) excuſat pœnitentem ab integritate materiali confeſſionis.

12 Cum pœnitens communicare, aut celebrare cogitur, & indiget facere confeſſionem nimis prolixam, tunc licitum eſt facere confeſſionem dimidiatam, quantum tunc fieri in ea anguſtia poſſit.

13 Vtrum quando pœnitens habet caſum reſeruatum, & alia non reſeruata, poſſit Superior auditis ſolis reſeruatis abſoluere, illumque remittere pro non reſeruatis ad inferiorem confeſſarium.

14 Quæ ſint obſeruanda, quando pœnitens habet iuſtam cauſam tacendi Confeſſario aliquod peccatum?

§. II.

§. *II.*

15 *Non licèt ſacramentaliter abſoluere dimidiatè tantum confeſſos ratione magni concurſus pœnitentium, putà in die alicuius magnæ feſtiuitatis, vel indulgentiæ. Et contrarium vt minimum tanquam ſcandaloſum reijcitur.*

16 *Quando non eſt impoſſibile phyſicè, vel moraliter confiteri omnia peccata, ſemper præceptum diuinum de integritate confeſſionis eſt ſeruandum.*

17 *Supradicta concluſio probatur ex abſurdis, quæ ſequuntur ex repulſa ſententia.*

18 *Damnationi huius Propoſitionis ſubijcitur ſententia* Lumbier, *dicens, eſſe probabile, non ob ſolam rationem concurſus pœnitentium, ſed etiam ob adiunctum periculum non redeundi ad confeſſionem poſſe abſolui dimidiata confeſſione hominem ruſticum.*

19 *Nemo vnquam admiſit, quod poteſt quis dimidiare confeſſionem propter ſuam deprauatam voluntatem.*

20 *Deprauata voluntas pœnitentis non affert impoſſibilitatem aliquam, vel phyſicam, aut moralem, vt poſſit dimidiari confeſſio.*

21 *Circumſtantia addita, vel variata variatur caſus, quando circumſtantia conducit, vt variet caſum, ſecus non.*

22 *Dum poſſibile eſt phyſicè, & moraliter facere confeſſionem integram, inſtat obligatio iuris diuini.*

23 *Iudicio Confeſſarij prudentiſſimi grauitas infamiæ, aut ſcandali penſanda eſt.*

24 *Refertur alius caſus excogitatus ab eodem* Lumbier, *qui ab hac damnatione eximi non poteſt.*

25 *Circumſtantia ſuperaddita à dicto* Lumbier *non affert impoſſibilitatem aliquam faciendi confeſſionem integram materialiter.*

26 Ioannes de Cardenas *conatur explicare* Laymanum, & Buſſembaum, *ſed an facilè, & benè?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

3 PRænotandum eſt primò. Ex *Concilio Tridentino ſeſſ. 14. c. 5. & can. 7.* quemlibet teneri Iure Diuino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quæ poſt diligentem ſui diſcuſſionem memoriæ occurrunt. *Qui verò*, ait Concilium, *ſecus faciunt, & ſcienter aliqua reticent, nil diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Ex quibus omnes Theologi tanquam dogma fidei defendunt illicitam, & ſacrilegam eſſe confeſſionem, in qua pœnitens, abſque legitima cauſa, ſcienter tacet in confeſſione peccatum aliquod mortale. Etiamſi purè interna ſint, ad hæc exprimenda,

Digitized by Google

da, ex præcepto diuino, tempore ab Eccleſia determinato, omnes tenentur, & omninò exterminanda contraria ſententia. Quam olim tenuit *Dominicus Baltanas in Margarita Confeſſorum fol.44. in edit. Compluten. anno* 1554. quam pluſquam temerariam eſſe dixit *Suarez to.4. in 3. p. d.36. ſect.2. num.2.* & poſtea *Thomas Hurtadus to.1. de Reſidentia ſacra reſol.8.*

3 Notandum eſt ſecundò, plures eſſe caſus, qui ſecundum communem ſententiam integritati cõfeſſionis culpabiliter obſtant. Primus caſus & omninò certus integritati confeſſionis culpabiliter obſtans, eſt iam relatus, nimirum, ſi nulla legitima cauſa intercedente, omittas fateri aliquod peccatum mortale commiſſum, & non confeſſum; violas enim præceptum à Chriſto datum in inſtitutione huius Sacramenti Pœnitentiæ confitendi omnia mortalia, quæ poſt diligentem inquiſitionem memoriæ occurrerint, fuiſſe commiſſa, vt declarauit *Tridentinum* nuper relatum.

4 Secundus eſt, ſi culpabiliter omittas inquiſitionem facere de peccatis mortalibus commiſſis. Cum enim ex dicto præcepto obligatus ſis omnia peccata mortalia confiteri, conſequenter obligaris ea in memoriam reuocare, vt iudicio Confeſſoris ſiſtere poſſis, vt ſuppoſuit *Concilium d.c.5.* illis verbis: *Poſt diligentem inquiſitionem.* Et illis: *Poſtquam quis diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras explorauerit, &c.* & tradunt communiter Doctores. Sed quam diligentiam præſtare debeas, nè tibi peccatorum obliuio culpæ tribuatur, certa regula definiri non poteſt, ſed arbitrio prudentis remittendum eſt, ſpectata qualitate perſonæ, diuturnitate temporis, & conſuetudine peccandi, & aliis circumſtantiis. Generaliter enim minori examine indigent qui frequẽter, quàm qui rarò confitentur: maiori verò qui multis negotiis, aut commercijs cum peccandi occaſione iunctis impliciti ſunt, quam hi, qui vitam quietam agunt. Denique homines rudes non ſunt cogendi ad tam exactum examen, quàm alii ingenioſiores, quia illi nõ ſunt illius capaces, & quantamquamque adhiberent operam, non poſſent id exactè perficere. Quare Confeſſarii examine, & induſtria adiuuare debent, eorumque defectus ſupplere, vt benè obſeruant *Henriquez l.5.c.5. Layman, Antonius à Spiritu Sancto*, & alii. Semper tamen præmittenda eſt aliqua diligentia moralis, quæ ſi non ſufficiat, tunc adhibenda eſt induſtria, & labor Confeſſarii, vt rectè notat *Fillincius tr.7.c.4.num.*115. Generaliter etiam dici poteſt, eam diligentiam, & inquiſitionem ab vnoquoque adhibendam eſſe, quam faceret circa negotium arduum, quod ipſi multum cordi eſſet, vt explicuit *Scotus in 4.d.17.qu.vn.ar.2.* vel quam adhiberet in aliis rebus magni momenti diſcutiendis. Ita *Coninchius diſp.7. de integritate confeſſionis dub.9.num.*71. vel quæ viro prudenti humano modo rem exiſtimanti neceſſaria videbitur, vt cum *Nauarro, Vaſquio, Henriquez, Granado, & Card. de Lugo* tradit *Leander de Sacram. de Pœnit. d.7.qu.*63. Non requiritur tamen ſumma diligentia, vt tradit cum *Nauarro, Reginaldo, & alijs, Bonac. de Sacram. d.5.q.5.pu.2.§.1. num.3.*

Digitized by Google

num.3. qui hinc cum aliis infert, eum, qui mediocrem,& prudentem præſtitit diligentiam, in indagandis, & inquirendis propriis peccatis, non teneri maiorem inquiſitionem adhibere, etiam ſi probabiliter coniiciet fore, vt facta prolixiſſima inquiſitione, occurrerent alia peccata eiuſdem rationis cum his, quæ in mentem venerunt. Hac diligentia appoſita, ſi numerum peccatorum explicare non potes, explica plus, minuſue. Item ſi ſpeciem peccati non recorderis, ſed ſolum genus explica tantum in genere te mortaliter peccaſſe: V.g. in prauam cogitationem conſenſiſſe, noxium aliquid loquutum fuiſſe, hoc enim ſufficiens eſt, imò neceſſaria materia Sacramentalis Confeſſionis. Ita *D. Thomas in 4.d.21. qu.2. ar.1. ad 1. & ar.2. Suarez d.23. ſec.1. num.8. Layman l.5. ſummæ tr.6.c. 8.n.7.* aliique.

5 Tertius eſt, mendacium in confeſſione commiſſum, quod in materia neceſſaria omnes Doctores docent, integritati confeſſionis obeſſe; quia iudicium confeſſionis grauiter illuditur. Contingit hoc mendacium primo, ſi peccatum mortale commiſſum abſque legitima cauſa deneges. Secundò, ſi non commiſſum fatearis, (niſi fortè ignorantia te excuſet, ſicut excuſat rudes, & ignaros, exiſtimantes, nullius peccati reos eſſe ſi numerum peccatorum augeant) Tertiò, ſi peccatum mortale ita extenues, vt veniale concipiatur; vel è contra veniale ita aggraues, vt mortale eſſe credatur, quia mortale peccatum à veniali in eſſe moris pluſquam genere differunt. Verum ſi mendacium circa materiam voluntariam, nempè peccata venialia verſetur: communior ſententia docet, integritati confeſſionis non obſtare, dummodo alia materia legitima ſubiiciatur. Quia leuiter tantum iudicium confeſſionis læditur ob mendacium commiſſum circa materiam, cuius nullam pœnitens habet obligationem confeſſioni ſubiiciendi. Ita *Sylueſter V. Confeſſio 1.q.8. Sotus in 4.d.18. qu.2. ar.4. concl.3 Nau. c.21. num.37. Sà V. Confeſſio num.12. Suarez d.22. ſect.10. num.7. Vaſquez qu.91. ar.1. dub.7. num.4. Coninch de Pœnit. d.6. dub.3. Layman cit. c.8. in fine, Diana, Maſtrius,* & alii contra *Paludanum, Caietanum*, & alios. Notanter dixi: *Dummodò alia materia confeſſionis legitima ſubiiciatur*: ſi enim tantum peccatum fictum ſubiiceretur: nemini dubium eſſe poteſt, confeſſionem irritam reddi, quia nequit effici Sacramentum abſque materia, quale non eſt peccatum à pœnitente non commiſſum.

6 Hic difficultas agitatur. An ſatisfaciat integritati confeſſionis, qui vnum indiuiduum phyſicum peccati pro alio ſubrogaret. Habuit quis V.g. pollutionem, vel ſodomiam cum puero, ſatisfaciet nè integritati, ac confeſſionis præcepto (etſi leui aliàs mendacio) confiteatur habuiſſe cum fœmina? ſiquidem circumſtantia maris, vel fœmina in peccatis contra naturam, nec mutat ſpeciem ſecundum quoſdam, quos ſequitur *Diana p.7. tr.12. reſ.23.* nec notabiliter aggrauat, ſed æquè graue peccatum eſt, vt nonnulli exiſtimant. Similiter habuit quis rem cum Maria, ſatisfaciet ne ſi dicat, habuiſſe cum Ioanna? Occidit Petrum, ſatisfaciet,

Digitized by Google

ſi confiteatur occidiſſe Ioannem.

In qua videntur ſupponere communiter Theologi non ſatisfacere integritati, adeoque confeſſionem eſſe nullam, qui vnum indiuiduum phyſicum pro alio ſubrogaret. Vnde *Card. de Lugo de Pœnit. d. 16. ſect. 2. nu. 53. Si ille*, inquit, *qui occidit Petrum fratrem Confeſſarij, dicat ſe occidiſſe alium, nempè Ioannem, nè Confeſſarius ſuſpicetur; non videtur ſufficienter confiteri: quia non confitetur peccatum, quod fecit, ſed aliud, quod non fecit.* Quem ſequuntur *Tamburinus in methodo expeditæ confeſſionis l. 2. c. 10. §. 2. num. 45. & Leander d. Sacram. tom. de Pœnit. to. 5. d. 5. qu. 24.* Ratio huius ſententiæ eſt, quia ex præcepto confeſſionis, tenetur quiſque confiteri illa numero peccata, quæ commiſit, qui autem aliquo ex prædictis modis confiteretur, non explicaret peccatum commiſſum, ſed aliud numero diſtinctum. Quapropter, ſi aliam materiam abſolutionis non adhibuiſſet, faceret Sacramentum irritum ex defectu materiæ; Ergo vnum indiuiduum phyſicum peccati nequit in confeſſione pro alio ſubrogari.

Alij verò pro contraria ſtant ſententia. Ita *Arriaga to. 8. tr. 8. d. 34 nu. 10. & d. 35. nu. 29. Marcus Vidal. in Area ſalutari tr. de Sacram. Pœnit. Inquiſ. 7. num. 36.* dicens rationem huius concluſionis eſſe claram. Ea autem deſumitur ex his, quæ docet *Suarez cit. d. 22. ſect. 2 num. 2.* vbi ſic ſcribit: *Cum Concilia, & Patres in hac materia de peccatis loquuntur, formaliter de eis loquuntur, vt peccata ſunt, atque adeò, vt ad mores pertinent.* Vnde infert *nu. 6. Diſtinctionem phyſicam actuum non referre ad confeſſionem, ſed moralem.* Cuius ſententiam defendunt communiter Theologi, vt eos laudans, teſtatur *Texeda to. 1. l. 2. tr. 3. controu. 10. num. 97. Addo*, inquit, *cum Soto, Caietano, & Ludouico Lopez, & communi, non eſſe neceſſariò confitendam diuerſitatem phyſicam, peccatorum, ſed moralem.* Ex quibus ſic arguitur. In caſibus ſupra enumeratis, licèt indiuiduum phyſicum peccati, quod pœnitens confitetur, ſit phyſicè diuerſum ab illo, quod commiſit, non tamen eſt diuerſum numero in eſſe moris, quia non differt moraliter in ordine ad malitiam, nec iudicium humanum variat. Quod enim occiderit Petrum, vel Ioannem, vel quod cum Maria, vel Ioanna rem habuerit, eadem eſt malitia in eſſe moris, ſicut & quod quantitas ſubrepta ſit à Petro, vel à Ioanne, aut quod argentum, vel aurum fuerit. Hæc enim tantum eſt circumſtantia pertinens ad eſſe phyſicum actus, quæ proindè phyſicè tantum poteſt indiuiduum peccati variare, non verò moraliter, cum neque augeat, neque minuat eius malitiam. Ergo in eſſe moris idem peccatum ſemper ſubijcitur, ſiue vnum, ſiue aliud obiectum phyſicum habuerit, ſiue vnam, ſiue alteram actionem phyſicam exprimat. Ergo cum peccatum ſit totum quoddam morale, & obligatio tantum ſit confitendi idem indiuiduum moraliter non idem phyſicè, verè ſatisfaciet præcepto confeſſionis, qui vnum indiuiduum phyſicum pro alio in confeſſione ſubijciat: in qua ad ſummum leue mendacium ſolummodò interueniet. Vrgetur magis.

Sub-

Subrogata vna ſpecie phyſica pro alia ſatisfit præcepto integritatis, vt tradunt communiter Doctores, ſed quoties hæc ſubrogatio fit, ſufficitur à fortiori vnum indiuiduum phyſicum pro alio; quia indiuidua diuerſæ ſpeciei phyſicæ non poſſunt indiuidualiter ſpecie diſtingui, ſicut indiuiduum hominis ab indiuiduo equi. Ergo ſi vna ſpecies phyſica poteſt pro alia ſubrogari, etiam poterit vnum indiuiduum phyſicum, pro alio. Præterea, ex oppoſita ſententia, ſequeretur, debere iterari confeſſionem, quoties pœnitens ex obliuione, aut inaduertentia, aut etiam à conſilio, iudicans parum ad rem facere, vnum indiuiduum phyſicum pro alio ſubrogaſſet; ac proindè iterandam in caſibus ſequentibus. Primò, ſi quis furatus fuiſſet à Petro centum aureos, & in confeſſione dixiſſet, ſubripuiſſe à Paulo. Secundò, ſi cum fuiſſet argentum, dixiſſet aurum. Tertiò, ſi commiſiſſet beſtialitatem cum mula, & dixiſſet cum equa. Quartò, ſi cum percuſſiſſet hominem ſiniſtra; dixiſſet cum dextra, vel cum occidiſſet gladio, dixiſſet globulo; & in ſimilibus, quæ riſum mouent. Quod autem teneretur iterare confeſſionem, ſi contraria opinio eſſe tenenda, patet; quia non confeſſus eſſet peccatum, quod fecit, ſed alıud in eſſe phyſico diuerſum, quia diuerſa actio phyſica eſt, quæ ad diuerſa obiecta, & quæ cum diuerſo inſtrumento fit, vt in exemplis poſitis contingit, ac proinde cum peccata reuera commiſſa, non fuiſſent clauibus ſubiecta, teneretur iterum confiteri. Quam quidem obligationem nemo, ni fallor, quantumuis ſcrupuloſus pœnitenti imponere ſomniauit. Et ipſemet *Card. de Lugo*, qui defendit actiones à tempore indiuiduari, mihi perſuadere non poſſum, quod ſi quis mane peccaſſet, & in confeſſione diceret, peccaſſe veſpere, eum obligaret ad iterandam confeſſionem illius peccati. Caueant verò, ne iſta ſententia abutantur. Nam quoties maior malitia datur in vno indiuiduo, quam in alio, cum iam ſit moralis diſtinctio, non poteſt vnum indiuiduum phyſicum pro alio ſubrogari. Vt ſi furatus eſt centum, non ſatisfaciet dicens, furatus ſum quinquaginta, & ſic de alijs.

7 Quartus caſus eſſe poteſt ſimulatio à mendacio diſtincta, quam dupliciter exiſtimo poſſe contingere. Primò iudicando peccatum mortale, quod præſenti confeſſioni abſoluendum ſubijcis, eſſe iam alia vice abſolutum. Secundò, ſi confeſſario ordinario indices tantummodo peccata leuia, cum tamen grauia committás, quę alteri manifeſtas. Quoad primam ſimulationem graues Doctores tenent, pœnitentem non habere obligationem ita explicandi ſuum peccatum, vt Confeſſarius percipiat, fuiſſe poſt vltimam confeſſionem commiſſum, ſeu non fuiſſe in alia ab illo abſolutum, ſed tantum ad integrè confitendum eo modo, quo omnem peccati malitiam ſpecificam manifeſtet, & ſi Confeſſarius decipiatur, cenſens in alia confeſſione fuiſſe ab illo abſolutum. Ita *Bon c.ſupra ſect.2.pu.2 §.3.diffic.4.num.5. Diana 3.p.tr.4.reſ.162.& 4.p.tr.3.reſ.65.* & apud illum *Longus*,

Paſqualigus, Martinus de S. Ioſeph, Amicus, & alij, quos citatos ſequitur *p.11. tr.6. reſ.22.* & tenentur *Criſtophorus Delgadillo to. de Pœnit. c.17. dub. 42. Homobonus in conſult. caſuum vol.2. p.5. reſ.132. Leander à Sacram. ſupra q.23. Card. de Lugo cit. d.16. ſect.2. nu.47. Tamburinus in Methodo expeditæ confeſſ. l.2. cap.1. Dicaſtillus to. de Pœnit. d.9. dub.2. §.6. à num.144. & dub.7. num.294. Doctor Garſi cent.2. cap.16. Antonius à Spiritu Sancto p.1. Direct. tr.5. d.5. ſect.5. num.309.* & alij. Quorum fundamentum eſt, quia peccatum idem eſt, ſiue antea fuerit clauibus ſubiectum, ſiue non, nec diuerſa malitia explicatur declarando non fuiſſe antea confeſſum: illa enim circumſtantia non ſe tenet ex parte peccati, atque adeò nec materię confitendæ, ſed ex parte pœnitentis: & ea non explicata totum peccatum ſecundùm ſuam ſpeciem, & ſecundùm totam grauitatem intra eandem ſpeciem poteſt explicari. Sed quid, ſi dicat ſe anno præterito illud commiſiſſe; cum heri illud commiſerit? Peccare mortaliter docet *Tamburinus ſupra c.1. num.6.* Et adhuc non peccare mortaliter tenent *Tancredus de Pœnit. to.1. d.6. q.1. & Anton. à Spir. Sancto num. 312. & Dicaſtillus d.9. dub.2. num.6.* & inclinat *Card. de Lugo num.50.52. & 54.* Sed dicendum eſt oppoſitum cum *Perez d.31. ſect.8. nu.4.* & alijs, quorum ſententiam veram exiſtimat *Caſtropalaus p.4. tr.23. d. vn. pu.10. num.8.* & adeò veram putat *Turrianus in opuſc. Theol. cent.4. dub.7.* vt dicat oppoſitam non eſſe probabilem, nec tutam in praxi, ſed potius pernicioſam bonis moribus. Et fateor cum *Caſtropalao*, me contrariæ ſententiæ nunquam acquieſcere potuiſſe. *Nam eſtò* (verba ſunt huius Auctoris) *eſſe confeſſum, vel non confeſſum, reputetur peccato, quoad ſuam eſſentiam circumſtantia extrinſeca, non tamen quoad iudicium confeſſionis: ſiquidem ea circumſtantia præſtat peccato eſſe materiam voluntariam; cum tamen ea circumſtantia ſecluſa neceſſaria materia erat. At iudicium de materia neceſſaria, vel libera diuerſiſſimum eſt, vt probari poteſt in iudicio de peccatis mortalibus, vel venialibus. Ergo &c. Deinde eſtò pœnitens ſe diſponere poſſit, vt nulla medicinæ applicatione indigeat, nullaque graui pœnitentiæ applicatione; quia accedere poteſt curatus, & ſatisfactione de peccatis exhibita, vel cum intentione lucrandi Iubilæum. At ex vi confeſſionis impedire non poteſt Confeſſario, ne Medici, & Iudicis officium exerceat, prout oportet. Si autem liceret peccata recentia, & nunquam confeſſa ſimulare eſſe vetera, & confeſſa, ex vi confeſſionis impediretur Confeſſario officium Medici, & Iudicis, cum neceſſariò deberet exiſtimare pœnitentem nulla medicina etiam præſeruatiua indigere, nullaue graui ſatisfactione, vtpote qui medicinam, & ſatisfactionem conuenientem executus ſit. Præterea ex oppoſita ſententia non leuia inconuenientia inferuntur. Primum: poſſe pœnitentē eadē peccata mortalia repetentem, toto vitæ decurſu tranſire, quin Confeſſarius ſtatum ſuæ conſcientiæ agnoſcat. Qua enim ratione ſemel licet peccata recentia, & nō cōfeſſa ſimulare, eſſe vetera, & confeſſa: eadē licet ſæpe imò ſemper ſimulare. Secundum hac ſimulatione tollitur frænum confeſſionis, & verecundiæ, quæ ex peccatis* gra-

grauibus legitimè confeſſis oriri ſolent; quæque pœnitentem detinent, ne iterum prolabatur. Tertium: poſſet Confeſſarius abſolutionem pœnitenti præſtare; tametſi ſciret, aliquorum peccatorum mortalium expreſſum dolorem non habere, modò alicuius peccati dolorem habeat: quia cum ea peccata confiteantur tanquam materia voluntaria; ſicuti poterant ex confeſſarij iudicio abſque graui culpa taceri, ſic manifeſtari ſine expreſſo dolore poterunt. Quæ omnia falſa, & abſurda ſunt, & nullatenus admittenda. Hæc ibi. Quibus adde, quod ex oppoſita ſententia rueret fundamentum *Tridentini ſeſſ. 14. c. 5.* ad definiendam confeſſionis integritatem: *Si enim erubeſcat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat medicina non curat.* Quis autem non videat ignorari vulnus a Medico, qui neque illius quidem cicatricem permanere iudicat? Denique quomodo doctrina Aduerſariorum cohærere poteſt cum definitione eiuſdem *Tridentini* ibidem. *Neceſſum eſt omnium mortalium veniam cum aperta, & verecunda confeſſione à Deo quærere.* Nam quomodo erit aperta cōfeſſio, quæ ita eſt palliata, vt Confeſſarius iudicet nihil ſibi virtute clauium remittendum proponi? Et quomodo verecunda, in qua pœnitens implicitè, vel explicitè proteſtatur, ſe non iam peccatorum veniam à Deo quærere, ſed nouum gratiæ augmentum ad maiorem vitæ ſpiritualis augmentum? Stent itaque ſemper præ oculis verba *D. Auguſtini* relati *in conſideret, de Pœnit. d. 5.* loquentis de peccatis: *Hæc omnia ſi taceantur, vel dicta callidè pallientur, animam iugulant.*

Porrò malè adducitur pro contraria ſententia *Suarez d. 22. ſect. 9. & Coninch d. 17. dub. 8. num. 69.* Quia ipſi tantum aſſerunt, illum, qui ſe accuſat de peccato confeſſo, non teneri explicare iam iterum confeſſum fuiſſe quod nos libenter fatemur; nam aliud eſt confiteri peccatum antiquum, iam remiſſum quaſi nouum, aliud confiteri peccatum nouum, quaſi antiquum, & iam remiſſum: in hoc enim deficit pœnitens integritati, ſecus in illo; nam ex eo nullum ſequitur abſurdum contra bonos mores, nec contra finem, & integritatem huius Sacramenti. Inſuper malè adducitur *Sanchez l. 1. ſum. c. 10. num. 71.* quia ipſe tantum aſſerit, eum qui dubitat, fuerit ne confeſſus peccatum aliquod, ſatisfacere; explicando totam malitiam illius peccati, quin explicet tempus, quo commiſit, nimirum, an poſt vltimam confeſſionem, vel ante illam, & approbat opinionem *Suarez*, vt iam relatam.

Fateor quidem caſum à *Tamburino, Dicaſtillo, Card. de Lugo, Antonio à Spiritu Sancto, Garſi*, & alijs admiſſum de eo, qui in confeſſione generali omnia ſua peccata permixtim confiteretur, non explicans, fuerint ne aliqua poſt vltimam confeſſionem commiſſa, longe minus diſſonantiæ habere; quia pœnitens in ea confeſſione generali, non magis indicat in alia fuiſſe peccata, quæ verè de nouo confitetur, quàm de nouo eſſe commiſſa, quæ verè in alia confeſſione ſubiecerat, ac proinde confeſſarius, ex qualitate peccatorum, & pœnitentis ſtatu, ſatis percipere poſſe videtur:

Digitized by Google

tur, plura ex iſtis fuiſſe iam abſoluta; alia verò de nouo ſubijci. Cæterum, quia Confeſſarius non percipit quæ, & quot hæc fuerint, adhuc exiſtimo non ſatis fieri integritati, quin ea declarentur. Et ita tradit *Martinonus de Sacram. to. 3. d. 50. ſect. 1. num. 17.* (licet contrarium ſatis tutum dixerit) & *Ludouicus à Concept. to. 1. examinis veritatis tr. 5. de Pœnit. fol. 440. num. 19. &* 21. in ſecundi caſus reſolutione. *V*bi ait, contrariam ſententiam: *A principio intrinſeco eſſe improbabilem.* Eadem enim abſurda repetendo confeſſionem generalem ſequi poſſunt, quæ ſi palliatę in confeſſionibus particularibus, noua peccata vt antiqua ſubijcerentur.

8 Quoad ſecundam ſimulationem, quæ eſt leuia peccata Confeſſario ordinario manifeſtare alijs grauiora dicendum eſt, id licitum eſſe vna, vel altera vice, vt probat vſus deſignandi, ſtatis temporibus, Confeſſarios extraordinarios Religioſis, & proinde *Tridentinum* ſtatuit, vt Monialium Prælati debeant alijs aliquoties in anno extraordinarium Confeſſarium mittere, ad quem illæ omnes accedant, vel vt confiteantur, vel vt ſaltem coram eo ſe præſentent. Etenim contingere poteſt, pœnitentem, præcipuè fœminam, caſu in peccatum carnis labentem, graui pudore, & verecundia detineri, ne ſuum peccatum Confeſſori ordinario manifeſtet. Certè eò caſu conſulendum eſt, extraordinarium adiri, vt liberius, & apertius confiteretur, & ne periculo exponeretur ſubticendi grauitatem peccati, aliquamque illius circumſtantiam. Quapropter reprehenſione digni à Doctoribus exiſtimantur Confeſſarii, qui ſuos ordinarios pœnitentes aliena confeſſionalia aliquando adeuntes obiurgant, vel minus gratè poſtea excipiunt. At, ſi non ſemel, ſed ſæpè peccata mortalia, in quæ frequenter incidis, alteri ab Ordinario fatearis, affirmat *Victoria de Confeſſ. num. 196.* & inclinat *Syluester V. Confeſſio 1. num 8.* illicitum eſſe, & integritati confeſſionis obeſſe, ob hypocriſim, & impedimentum quod correctioni præſtatur. Cæterum exiſtimo, nullum eſſe peccatum, ſi peccata mortalia legitimo Confeſſori, & cum vero dolore, rectaque diſpoſitione fateatis. Nam cum ille ſit legitimus Confeſſarius, ad quem non es prohibitus accedere, nulla apparet in hoc acceſſu turpitudo. Quod verò poſtea ad Confeſſarium ordinarium accedas pro peccatorum venialium abſolutione, ne bonam famam, & opinionem apud illum amittas, in cauſa eſſe non poteſt alicuius grauis culpæ: ſiquidem non fictione virtutum, ſed occultatione defectuum, quos manifeſtare non teneris, bonam famam, & opinionem retinere procuras. Timendum verò tibi eſt, ne humanum honorem quærens Confeſſarios incognitos adeundo, ſalutem animæ tuæ amittas: vel quia ipſi neſciunt tibi mederi, vel quia ſic ad illos accedis abſque vero propoſito emendationis. Atque ita ſuſtinent *Nauar. c. 21. nu. 40. Suar. d. 12. ſect. 1. num. 13. Coninch d. 6. de Pœnit. dub. 4. Laym. l. 5. ſum. tr. 6. c. 8. num. 14* Subſcribunt etiam *Diana p. 3. tr. 4. reſ. 132. & Auerſa de Pœnit. q. 10. ſect. 6. §. Intelligitur verò:* Qui ſimiliter addunt, quod peccaret qui hac via de-

cli-

clinaret opportunum remedium relinquendi occaſionem, aut conſuetudinem peccati.

9 Notandum eſt tertiò, integritatem confeſſionis conſiſtentẽ in manifeſtatione omnium mortalium vni, eidemque Confeſſario, non eſſe de Sacramenti ſubſtantia; ſed ſolum ex præcepto diuino, cuius obligatio ceſſat, cum ſeruari non poteſt: aliàs Sacramentum Pœnitentiæ rectè inſtitutum non eſſet; ſiquidem ſæpè ob impotentiam pœnitentis, non ſolum moralem, ſed phyſicam, impoſſibilis eſt omnium peccatorum declaratio: ideoque *Tridentinum ſeſſ. 14. c. 5.* ſolum dixit, peccata, quæ poſt diligentem inquiſitionem memorię occurrerint, eſſe Confeſſario manifeſtanda, quaſi ſupponens, plurium obliuionem eſſe poſſe. Atque ita Doctores duplicem in confeſſione integritatem diſtinguunt; aliam materialem, in qua omnia peccata commiſſa ab vltima confeſſione manifeſtantur: aliam formalem; in qua manifeſtantur peccata, quæ memoriæ occurrunt, quæue abſque graui incommodo manifeſtari poſſunt, ſeù quæ ex obligatione præcepti diuini manifeſtanda ſunt: & integram formaliter Doctores vocant, id eſt quantum ad intentionem, & moralem poſſibilitatem, atque obligationem pœnitentis, vt rectè explicat *Aueſa q. 10. ſect. 15.* initio. Hæc formalis integritas, tum Sacramenti effectui, tum eius valori ſemper neceſſaria eſt, ſiquidem illam omittens committit peccatum mortale, quo cum Sacramenti valor, & effectus conſiſtere non poteſt. Integritas verò materialis neceſſaria non eſt, neque ad valorem Sacramenti, neque ad eius effectum: quippè ſanctè, & iuſtè multoties omittitur. Et in his conueniunt Doctores, vt videre eſt apud *Suarez de Pœnit. d. 23. in principio, Vaſquez q. 91. ar. 2. dub. 2. Coninch d. 7. de Pœnit. dub. 1. Layman cit. c. 8. num. 2.* Difficultas ergo eſt in enumerandis caſibus, in quibus abſque integritate materiali facere poſſis confeſſionem materialiter integram, & effectum Sacramenti recipere.

10 Primus eſt ob phyſicam impotentiam, quæ multipliciter contingit. Primò, ſi diligenti examine præmiſſo, ſeù ſufficienti, vt ſupra, recordari non potes peccatorum omnium, quæ commiſiſti. Etenim eo caſu ſatisfacis declarando, quæ tibi memoriæ occurrerint, vt ex *Tridentino* vbi ſupra colligunt *Suarez, Coninchus, Nauarrus, Layman, Bonac.* quos relatos ſequitur *Leander à Sacr. tr. 5. de Pœnit. d. 5. q. 55.* Quinimò, ſi in horum obliuione venialiter tantum culpabilis exiſtis, non ob inde integritas formalis confeſſionis læditur. Non enim ex veniali negligentia tranſgreſſio mortalis oriri poteſt. Ita *Coninch cit. d. 7 dub. 9. num. 70. Laym. num. 5. Leander à Sacram.* ſupra, alijque. Nec teneris propria peccata ſcribere, ſi lubricam habes memoriam, vt ſuo tempore confitearis, tametſi probabiliter credas te obliturum aliquorum; quia hæc eſt extraordinaria diligentia, & non leuibus periculis expoſita, vt tradunt *Vaſquez, Suarez, Coninchus*; quos adducit, & ſequitur *Caſtropalaus cit. tr. 23. d. vn. pu. 10. nu.*

3. Fil-

3. *Filltuc. Reginaldus*, & alij. Sicut neque teneris ſtatim confiteri, etiam ſi præuideas fore, vt niſi ſtatim confitearis, peccatorum obliturus ſis, vt cum multis tradit *Bonac.d.5.de Sacram.q.5.pu.2.§.1.num.4.* Qui etiam addit, quod ſi confeſſarius aduertat, pœnitentem notabiliter defeciſſe circa examen conſcientiæ, & ipſe Confeſſarius non poſſit defectum examinis per interrogationes ſupplere, remittat pœnitentem, eique imperet, vt debitam præſtet diligentiam, eaque præſtita, redeat: modo non adſit periculum, vel articulus mortis: in tali enim periculo debet Confeſſarius eam diligentiam adhibere; quam ipſe pro circumſtantia temporis, & qualitate perſonæ iudicauerit expedire, eaque adhibita, beneficium abſolutionis impendere. Secundò contingit, ſi ob impotentiam linguæ, vel quia mutus es, vel balbutiens, vel alterius idiomatis, nequis omnia peccata explicare, potes abſolui, explicatis ijs, quæ commodè potes. Ita *Granadus tr. 9.d.5.num.20. Leander d. Sacram.q.56.* & alij communiter cum *Diana p. 3.tr.4.reſ.131.* Tertiò, ſi periculum adſit è vita diſcedendi abſque abſolutione, ſi velis omnia peccata fateri; poteris aliquo, vel aliquibus explicatis, abſolui, poſtmodum, ſi ſuperuixeris, reliqua manifeſtaturus. *Suar. cit. d.23.ſect.1.num.2. Coninch d.7.num.74. Diana cit.reſ.131.* Vel ſi morbo, aut vulnere, aut alio periculo preſſus non poſſis plura exprimere. *Auerſa q.10.ſect.15.§.ſecundus caſus.* Quartò, ſi Sacerdos non poſſit & ſuam, & aliorum eodem periculo laborantium confeſſionem integram excipere, poterit & tibi, & alijs, audito vno, vel altero peccato abſolutionem impendere. *Toletus l.3.c.20. nu.5. Coninch d.7.dub.9.num.74.* Vnde in procella, vel prælio, vel tempore peſtis, ſufficeret quod multos alta voce vnum peccatum, quod maluerint, confitentes ſimul abſoluat Sacerdos, dicens. Egò vos abſoluo à peccatis veſtris. Ita *Medina*, *Angelus*, *Henriquez*, *Coninchius*, & alij, quos refert, & ſequitur *Diana 2. p.tr.2. Miſcell.reſ.43.* & ſequuntur *Vaſquez*, *Villalobos*, *Card. de Lugo* & alij, quibus ſubſcribit *Leander d. Sacramento q.34. Anacl. tus Reiffenſtuel Theol.mor.tr.14. diſt.7.q.2.nu. 40.* Imò ſecundùm quoſdam (inquit *Hermannus Buſembaum dub.2. de confeſſ.c.2.*) Si aliter fieri non poſſet, ſufficeret in tali caſu dicere in genere, Se eſſe peccatorem: aut etiam (ſubdunt *Ferdinandus Hunghius V. Abſolutio num.22. & Reiffenſtuel loco cit.*) ſigno aliquo, vt genuflexione, ſignificare ſe peccaſſe, vt ſi Confeſſarius dicat, omnes, qui volunt confiteri, & abſolui, percutiant pectus, vel genufleċtant; & tunc imminente tam graui periculo poſſunt omnes abſolui à Confeſſario dicente: Ego vos abſoluo. Vbi verò talis non eſt neceſſitas, ſed poteſt quilibet ſecretò aliqua fateri; volunt aliqui, debere pœnitentem, qui ſcit ſe non habere tempus dicendi omnia, incipere à grauioribus. Sed debet quidem incipere à mortalibus; inter mortalia tamen optimè faciet incipiendo à grauioribus, ſed non ad id de rigore tenetur, vt notant *Auerſa* ſupra & alii. Sæpè etiam contingit, moribundum ita eſſe ſenſibus deſtitutum, vt nullum peccatum in particulari

lari

lari explicare poſſit; ſigna tamen contritionis adhibet, vel adhibuit; & tunc dubitatur, an hęc doloris ſignificatio cenſeatur legitima confeſſio, vt poſſit ei abſolutio impendi: & quamuis negent *Canus*, *Sotus*, *Nauar*, & alii: nihilominus contraria ſententia, ſcilicet, prædictum pœnitentem ſigna contritionis præſente Sacerdote, imò eo abſente exhibentem in ordine ad abſolutionem obtinendam ſufficienter diſpoſitum eſſe, vt abſolutionis beneficium in præſentia conferatur, probabilior eſt, quam docent *Suarez d.23. ſect.1. num.5. Vaſquez q.91. ar.1. dub.1. num.3. Conin. h d.7. dub. 10. concluſ.1. & 2. Laym. cit. c.8. num.4.* & alii communiter Et deciditur expreſsè in *Cōc. Carth.* 1 1 *can.34. & Conc. Carthag. IV. can.76. & Conc. Arauſicano 1. c.12. & à Leone I. epiſt.9. ad Theod.* quæ refertur in *can. is qui pœnitentium 26 q.6. &c. Agnouimus, eadem cauſa, & quaſt. & c. Multiplex, de Pœnit. d.1.* ſed de hoc fusè dico in Hieroclerologia.

11 Secundus caſus eſt, ob impotentiam moralem. Hæc autem cenſetur adeſſe quoties abſque graui damno proprio, vel alieno, nequit quis integram omnium peccatorum facere confeſſionem; præceptum enim integræ confeſſionis faciendæ non obligat cum tanto incommodo. Ita Doctores communiter. Hinc fit primò: quando infirmus laborat morbo contagioſo, & Confeſſarius non poteſt eum eminùs abſque periculo contagionis audire, diutius immorando in peccatis audiendis, Confeſſarius poteſt, auditis aliquibus peccatis, abſolutionem ſtatim impendere. Ita cum *Vaſquez, & Coninchc Bonac. cit. q.5. ſect.2. num.13. Antonius à Spiritu Sancto num.671. Reiffenſtuel ſupra num.43.* & alii. Secundò, ſi pœnitens prudenter, & cum fundamento timeat, Sacerdotem reuelaturum peccatum aliquod ſuæ confeſſionis. Cum enim confeſſio ità inſtituta ſit à Chriſto, vt obliget confeſſarium ad arctiſſimum ſecretum, & ſigillum, poterit pœnitens iuſtè & licitè tacere illud peccatum, quod rationabiliter putat, vel dubitat à Confeſſario reuelandum: vtpotè ſi ſciat illum aliàs ſimilia reuelaſse. Ita *Auerſa ſupra §. Quartus caſus eſt.* Sed in praxi vix, vel ſine grauibus de cauſis non eſt præſumendum, vt notat *Reiffenſtuel* ſupra. Excipit tamen ab hoc caſu *Coninch d.9. nu.33.* & ſequitur *Card. de Lugo de Pœnit. d.16. num.526.* quando tale eſset peccatum, quod pœnitens ipſe ad ſubueniendum Reipublicę teneretur aut per ſe reuelare, aut permittere Confeſſario, vt reuelet. Sed hanc exceptionem non admittit *Auerſa* ſupra: quia adhuc in tali caſu non liceret Confeſſario reuelare peccatum, inuito confitente. Quare hic peccaret quidem contra Rempublicam, nolens reuelare, vel permittere reuelationem, quando ad id tenetur: non tamen peccaret propriè contra integritatem confeſſionis, tacens illud peccatum, quod ſciret ſe inuito reuelandum à Confeſſario. Tertiò, ſi pœnitens ex confeſſione alicuius peccati prudenter timeat graue odium, & perſequutionem Confeſſarij contra ſe excitare: vt ſi fortè occidit, vel percuſſit illius fratrem, loco & tempore, quo non alius occiſus, vel percuſsus eſt, & ita Confeſſa-

Digitized by Google

rius rem deprehenderet, *Auerſa ſupra §. Quintus caſus eſt.* Quartò, ſi timeat, ſe ſollicitandum, ſeu inducendum ad turpia, vel aliud flagitium ſi Confeſſario ſimilia à ſe commiſſa detegat. Ita *Toletus, Syluius*, & alij, quos refert, & ſequitur *Baſſæus V. confeſſio 5. num. 4. Dian. p. 3. tr. 4. reſ. 131.* Ex quo capite notat etiam *Coninchus d. 7. num. 57.* cum *Angles*, ſi pœnitens ex ſe timeat turpia deſideria in ſe excitare, diutius hærendo in examine carnalium peccatorum, poſſe & debere ea leuius examinare. Quintò, ſi timeatur damnum alteri tertiò. Vt ſi pœnitens prudenter timeat Confeſſarium excitandum ad odio habendum, vel ad peruertendum alterum tertium. Si pœnitens ipſe ſit Confeſſarius, & commiſit grauem defectum in audienda confeſſione alterius tertij hic, & nunc, & ſi confiteatur talem defectum, reuelabit aliquo modo confeſſionem illius tertij, cum eius præiudicio, ſiue cum quacumque reuelatione ſigilli, ſiue alio modo timeat graue damnum tertij. Ita *Auerſa ſupra §. ſeptimus caſus*, & alij communiter, qui exiſtimant omninò reijciendum *Sotum in 4. d. 18. ar. 5. §. occurrit*, aſſerentem præceptum de integritate materiali confeſſionis ſtrictius obligare, quàm præceptum de ſigillo, atque adeò Sacerdotem, non ſolum poſſe, ſed teneri violare confeſſionis ſigillum, quando neceſſarium fuerit, ne integritati materiali confeſſionis deficiât. Aliqui volunt, quod ſi non poſſit peccatum manifeſtari ſine manifeſtatione complicis, poſſit pœnitens, & deberet tacere illud, Ita *Scotus in 4. d. 18. q. 2. ar. 5. ad 4. Marſilius, Faber, Pitigianus, Valent. Petrus Fay, Bannez, Nauar. Lopez, Ioannes à Cruce, Villalobos*, & alij, quibus ſubſcribit *Dian. 1 p. 1. tr. 7. reſ. 48. & p. 3. tr. 4. reſ. 64. ſub* arbitrio relinquens etiam oppoſitam ſententiam. Et excepio mortis articulo *Victoria de Sacram §. 174. Canus, & Petrus Soto.* Sed verior ſententia docet, poſſe ac debere pœnitentem, quando neceſſe eſt, ob integritatem confeſſionis manifeſtare quoque perſonam complicis; neque hanc ſolam manifeſtationem eſſe tale damnum tertij, vel talem cauſam, ob quam dimidianda ſit confeſſio. Ita docent *D. Thomas in 4. d. 16. q. 3. ar. 2. quæſt. 5. & opuſc. 12. q. 6. D. Bonau. in 4. d. 21. par. 2. ar. 1. q. 3. & opuſc. de modo confitendi c. 1. Durandus in 4. d. 16. q. 4. Gabriel 17. q. 1. ar. 2. Almainus, & Maior. q. 2. Adrianus q. 1. de confeſſ. D. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 19. §. 11. Alenſis 4. p. qu. 18. memb. 4. ar. 2. §. 4. Gerſon, Richardus, Carthuſianus, Suarez, Vaſquez, Nugnus, Dominicus Sotus, Medina, Coninch, Card. de Lugo, Corduba, Caiet. Sylu. S. Bonau. Leſſius, Fagundez, Reginaldus, Laym. Malderus, Auerſa, Fagundez, Pontius, Sancius*, & alii, cum *D. Bernardo in Formul. honeſtæ vitæ.* Oſtenditur. Vel quia in vniuerſum non videatur graue damnum, & grauis infamia, manifeſtare defectum proximi, apud vnum virum cordatum, & pium, vt aliqui volunt; & præſertim ſi id fiat ob vtilitatem ſpiritualem vel propriam, vel illiuſmet, vt etiam ad petendum conſilium, vel orationis auxilium, de qua re ſuo loco tracto: Vel quia ſpecialiter eo ipſo, quod quis conſentit in peccatum veluti ius fecit, & conceſſit alteri, vt ipſum

ipſum quoque manifeſtare valeat Sacerdoti, quando opus ſit ad integritatem confeſſionis. Vel quia Chriſtus ipſe inſtituendo hoc Sacramentum cum obligatione integritatis, eo ipſo conſtituit, vt ſubiri debeat talis iactura famæ apud Confeſſarium, non ſolum pro eodem pœnitente, qui confitetur, ſed etiam pro complice, vel etiam pro quocumque, circa quem commiſſum fuit peccatum abſque eius cooperatione,& conſenſu, quod tamen integrè aperiri non poſſit, niſi manifeſtando aliquam eius conditionem, quæ denigret eius famam apud Confeſſarium; ſi V.g. pœnitens occidit, vel percuſſit, quempiam, qui publicè reputabatur laicus, ſed ipſe cognoſcebat eum eſſe Religioſum Apoſtatam: Iuxta hanc tamen rationem non erit licitum, poſt ſemel factam integram confeſſionem, iterum alteri ex deuotione cõfiteri idem peccatum cum ſua circumſtantia manifeſtando perſonam complicis, vel defectum tertij. Nec etiam licebit manifeſtare ad integram confeſſionem faciendam de aliqua circumſtantia ſui peccati venialis, vel alioqui non neceſſariam ſub obligatione. Et hoc eſt verum etiam ſi non vrgeat neceſſitas præcepti confeſſionis, ſed ſolum vtilitas noſtra, vt gratia augeatur. Ita *Alenſis*, *D. Antoninus*, *D. Bonau. Richardus*, *Adrianus*, *Angelus*, *Sylu. Sotus*, & alii, quos ſequitur *Petrus Nauarrus l.2. de reſtit.c.4. num.279.& Fauſtus de reſtit.d.3.q.70.*

Non excuſatur verò pœnitens ab exponendo aliquo peccato, nec eſt graue damnum, ſi ſolum timet acrem obiurgationem à Confeſſario, vel patiatur maximum pudorem in eo confitendo, vel perdat optimam exiſtimationem, quam antea apud eum Confeſſarium habebat: quia nimirum hæc ſunt per ſe connexa cum ipſa confeſſione. Ita Doctores communiter. Admittunt verò aliqui excuſari infirmum, qui ob difficultatem loquendi, vel ob debilitatem capitis, non poſſet ſine magno labore, & damno ſermonem, vel examen protrahere, & ſic de ſimilibus.

12 Tertius caſus eſt, ſi cogatur pœnitens communicare, aut celebrare, & indigeat facere confeſſionem nimis prolixam, vt fortaſſe generalem de pluribus annis, ob inualiditatem priorum confeſſionum,tunc fortè detectam, nec tunc adſit commodum tempus: tunc inquam licitum erit facere confeſſionem dimidiatam, quantum tunc fieri in ea anguſtia poſſit. Ita *Doctores communiter* qui non exiſtimant neceſſariam limitationem, ſub qua id concedit *Granadus controu.7. d.5. ſect.3. num.20.* nempè ſi pœnitens timeat ſe non habere perfectam contritionem.

13 Quartus caſus ponitur à quibuſdam, quando pœnitens habet aliquem caſum reſeruatum & alia non reſeruata; ſuperior enim, cui ſunt caſus reſeruati, auditis ſolis reſeruatis, poteſt pœnitentem abſoluere, & illùm remittere ad inferiorem Confeſſarium pro abſolutione non reſeruatorum, ſecundum *Nauarrum*, *Caietanum*, *Paludanum Sotum*, & alios apud *Dicaſtillum d.11. dub.18. num.315.* & probabile putant *Petrus de Ledeſma to.1.de pœnit.c.20.concluſ.3.dub.4.* qui teſtatur de conſuetudine Ro-

Digitized by Google

manæ Curiæ; & *Petrus Sotus, Henriquez, Sà apud Caſtropalaum pu.15.§.5. num.2.* nec diſſentiunt *D. Antoninus. Ricardus, Gerſon*, & alii relati à *Vaſquez, de Pœnit.q.91. ar.3. dub.10.* Plures ex his Doctoribus affirmant fieri debere ex rationabili cauſa, quam iudicare videntur eſſe continuam Prælatorum occupationem. Verum hæc ſententia neceſſariò limitanda, vel explicanda eſt, & ſolum probanda venit, quando ſuperior grauiſſimo negotio occupatus, neque valens ſe ab illo expedire, non poſſit totam pœnitentis audire confeſſionem, & aliunde iudicat inconueniens eſſe, quod peccatum reſeruatum ad inferiorem remittatur, nec non ſubditus ob neceſſitatem communicandi commodum tempus expectare non poſſit: quia hic caſus perquàm rarus ſufficientem cauſam præbet dimidiandi confeſſionem, vti docent relati Doctores, & approbant *Caſtropalaus cit. pu.15. §.5. num.3. Gabr. à S.V. de Pœnit. d.6. q.4. Antonius à Spiritu Sancto num.1263. Franciſcus Bonæ Spei d.10. num.85.* & alii. Præciſa itaque graui cauſa, omitti non poteſt confeſſionis integritas, vtpotè iure diuino præcepta: grauis autem cauſa, & ſi in caſu poſito, & rariſſimo contingat, extra illum verò, ſeù regulariter loquendo propter ſolam continuam Prælatorum occupationem, non adeſt: tum quia Prælatus extra confeſſionem audire reſeruata poteſt, ſi pœnitenti placet: tum quia poteſt committere vices ſuas alicui inferiori, de cuius prudentia, & ſcientia bene confidat: tum quia poteſt ſubdito præcipere, vt confeſſionem in tempus opportunam differat: tum quia ab aliis negotiis minus neceſſariis ſe expedire debet. Id quod dicit *Petrus de Ledeſma*, de conſuetudine Romanæ Curiæ, negant aliqui cum *Syluestro*: qui fuit Pœnitentiarius in Baſilicâ S. Petri, & teſtatur oppoſitum; & hodie (*teſte Card. de Lugo, & P. Macedo de clauib. Petri l.4.c.8.*) non eſt talis conſuetudinis veſtigium. Verum tamen eſt, in Romana Curia reſeruata ſæpè non audiri, vt Sacramentaliter abſoluuntur, ſed audiri, vt ſublata cenſura, Confeſſori ordinario remittantur Sacramentaliter abſoluenda. Et pro noſtra reſolutione ſunt præter *Caſtropalaum, & Gabrielem à S.V.* iam citatos, *Adrianus, Syluester, Viguerius, Canus, Durandus, Rodriquez, Suarez, Vaſquez, Henriquez, Valentia, Nugnus, Reginaldus, Zerola, Peſantius, Sayrus, Victoria*, Card. de Lugo, quos relatos ſequitur *Dicaſtillus ſupra num.317.*

Quando verò pœnitens eſt in confitendi neceſſitate, V.g. vrgente timore infamiæ, vel ſcandali ex omiſſione confeſſionis, vel communionis, ob quæ non poteſt tunc temporis ſuperiorem adire pro reſeruatorum abſolutione; ſola non reſeruata fateri tacitis reſeruatis, tenent *Caſtropalaus to.1. tr.4. d.4. pu.3. §.6. Franciſcus Bonæ Spei d.7. num.82.* & probabile putant *Diana p.3. tr.4. reſ.104. & Gabr. à S.V. d.6. q.4.* Verum oppoſitam ſententiam aſſerentem debere omnia peccata reſeruata cum non reſeruatis dici Confeſſario inferiori tradunt *Sotus in 4.d.18. ar.5. Ledeſma in ſumma de Sacram. Euch. c.11. Nugnus in add. 3.p. q.9. ar.2. in 2. par. art. dub.3. Felix à Pa-*

nor-

normo to. 1. *in exam. ordin. num.* 181. & eſſe ſatis communem fatetur *Card. de Lugo de Euch. d.* 14. *ſect.* 5. *num.* 87. & eſt ſecurior, & conſulenda, vt benè docet *Filliuc. tr.* 4. *de Euch. c.* 8. *num.* 313. & alij apud *Dianam p.* 9. *tr.* 9. *reſ.* 56.

14 Notandum eſt quartò: in his omnibus caſibus, in quibus pœnitens ſibi videtur habere iuſtam cauſam tacendi Confeſſario aliquod peccatum, vel circumſtantiam alioqui neceſſariam, hæc obſeruanda eſſe. Primò, ſi poteſt commodè habere, aut quærere alium Confeſſarium, apud quem non ſit tale periculum, debet illum adire, vt integrè confiteatur, nec tunc ei licebit dimidiare confeſſionem. Ita communiter Doctores. Ratio eſt; quia dum poteſt haberi copia alterius Confeſſarij; iam ceſſat iuſta, & rationabilis cauſa. Non cenſetur autem commodè poſſe habere, aut quærere alium Confeſſarium, quando deberet conficere longum, vel ſibi laborioſum iter iuxta conditionem ſuæ perſonæ: nec mulier, quæ ſolet cum comitatu ſuorum adire certam Eccleſiam, & Confeſſarium. Ita *Auerſ. de Pœnit. q.* 10. *ſect.* 5. *§. Cæterum*, & alii. Secundò, ſi poteſt commodè aliquantum differre confeſſionem expectans, & ſperans copiam alterius confeſſarii, debet differre, ne dimidiet confeſſionem, ſed integrè confiteatur. Ita Doctores communiter cum *Suarez d.* 23. *ſect.* 2. *num.* 7. Non cenſetur autem poſſe commode differre, quando inſtat præceptum annuæ confeſſionis, vel neceſſitas communicandi, vel etiam occaſio lucrandi Iubilæum, aut Indulgentiam, vel non ſine aliqua ſua nota differret, vel etiam ſi deberet nimium differre. Ita *Auerſa ſupra §. Secundò*, & alii, & quod non teneatur valdè diu (præſertim præter conſuetudinem) confeſſionem differre, maximè ſi peccato alio mortali grauetur, quod poteſt abſque periculo manifeſtare, docent *Suarez ſupra, Coninch d.* 7. *dub.* 9. *nu.* 77. *Caſtropalaus tr.* 23. *d. vn. pu.* 11. *num.* 5. quia graue eſt incommodum diu Sacramentorum fructu carere. *Card. de Lugo de Pœnit. d.* 16. *num.* 416. *Herinx. d.* 3. *num.* 54. & alij determinant dilationem ad biduum, aut triduum nimiam eſſe ſaltem in obſtricto mortali peccato non confeſſo, aut in Sacerdote quotidiè celebrare aſſueto. Tertiò in quibuſdam ex dictis caſibus, pœnitens non ſolum poteſt, ſed tenetur tacere aliquod peccatum; in quibuſdam verò poteſt, ſed non tenetur. Videlicet, quando imminet damnum temporale alterius, ſiue damnum ſuum ſpirituale, tenetur tacere, iuxta regulas iuſtitiæ, & charitatis. Quando verò ſolum imminet damnum ſuum temporale, cui poteſt licitè ſe exponere, vtpotè dicendo peccatum ſuum coram aliis, vel per miniſterium interpretis: tunc poteſt quidem tacere, ſi velit, quia non tenetur ſe exponere tali damno: ſed non tenetur tacere, quia poteſt licitè ſubire, & acceptare tale damnum. Ita *Doctores communiter*: qui etiam notant, quod in caſu complicis poſſet etiam ſequi alterutram ſententiam, ſe conformando opinioni probabili. Quartò, in quibuſdam caſibus tenetur pœnitens confiteri, quamuis dimidiando confeſſionem,

in qui-

Digitized by Google

in quibuſdam verò poteſt ſed non tenetur ſic dimidiando: nempè in articulo mortis ſine dubio tenetur; vt ſecuro modo conſulat tunc ſuæ ſaluti. Nec debet fidere ſoli ſuæ contritioni. Imò etiam ſi non haberet aliud mortale peccatum præter illud, quod dicere non debet, tenetur vel de aliquo veniali, vel de aliquo præterito mortali confiteri, vt abſolutionem recipiat. Item tenetur, qui debet communicare; quoniam maius eſt præceptum non communicandi abſque præuia confeſſione, in eo, qui habet, conſcientiam peccati mortalis; quam non dimidiandi confeſſionem. Videtur etiam teneri, quando inſtat præceptum annuæ confeſſionis, ne diutius differatur, quando non expectatur de propinquo copia alterius confeſſari, apud quem tutò poſſit fieri integra confeſſio. Poteſt autem, ſed non tenetur confiteri dimidiando confeſſionem, quando inſtat occaſio lucrandi Iubilæum, quando extra tempus præcepti deberet per plures dies præter ſuum morem, & deſiderium carere beneficio Sacramenti, & ſic de ſimilibus. Ita *Doctores communiter*. Quintò, qui habet iuſtam cauſam tacendi aliquid in confeſſione debet de reliquis integrè confiteri quantum poteſt vt per ſe patet, & communiter docent Theologi, qui prorſus falſam exiſtimant opinionem *Ioannis Viguerij in ſumma c.16.§.4.verſ.17.* aſſerentis habentem plura lethalia, ſi cauſam habeat tacendi aliquod in confeſſione, poſſe vrgente neceſſitate communicare contritum, nullius confeſſione præmiſſa. Ac etiam de illo peccato, quod tunc debet dicere quantum ſine periculo poteſt. Nempè ſi poteſt illud dicere in genere, vel remoto, vel proximo, tacendo in propria ſpecie. Si poteſt dicere quoad conſenſum internum tacendo quoad opus externum, putà dicendo, ſe habuiſſe actum deliberatum peccandi cum quadam &c. Ita *Coninch d.7. dub. 9.num.95. Barth. à S. Fauſto de reſtit.d.3.q.70. Diana p.9.tr.9. reſ.56. Candidus diſp.24. ar.24. dub.13. Herinx ſupra.* Si poteſt dicere quoad ſubſtantiam, tacendo quoad circumſtantiam, vt communiter notant. Sextò pœnitens, quæ ex iuſta cauſa tacet peccatum in confeſſione, non tenetur procurare illius contritionem perfectam. Sed benè requiritur, & ſufficit habere attritionem de omnibus; quia virtute abſolutionis conferetur gratia. Et ita id valet de peccatis, quæ ſcienter ex iuſta cauſa, ſicut de iis, quæ inaduertentia, ex obliuione prætermittuntur. Defectus verò confeſſionis ſupplendus erit poſtea per aliam confeſſionem; in qua ceſſare excuſatione, dicatur quod prætermiſſum erat, & abſoluatur directè, quod indirectè abſolutum erat. Ita *Card. de Lugo num.533. Leander a Sacram.d.5.q.51. Amicus in curſu Theol.to.8.d.13.ſect.7.num.123. Diana p.9. tr.9.reſ.56. Antonius à Spiritu Sancto num.671. Dicaſtillus d.9.dub.11.nu.884.* & alii contra quoſdam. His prænotatis ſit:

§. Se-

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

15 DIco primò: non licet Sacramentaliter abſoluere dimidiatè tantùm confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, putà in die magnæ alicuius feſtiuitatis, vel indulgentiæ. Et contraria aſſertio vt minimum tanquam ſcandaloſa hoc Decreto configitur, & ante hoc Decretum etiam à Doctoribus reprobabatur nimirum à *Conincbo num.93.* & aliis communiter.

16 Probatur primò. Præceptum Diuinum integritatis confeſſionis obligat ad confitendum omnia peccata; quæ ſunt in conſcientia, dum non eſt impoſſibile phyſicè, vel moraliter confiteri omnia. Atqui concurſus pœnitentium non facit impoſſibilitatem ad confitendum omnia. Ergo concurſus pœnitentium non facit, quod auferatur obligatio confitendi omnia. Maior conſtat ex dictis *§. præcedenti.* Et quidem omnes caſus, in quibus ſufficit integritas formalis, reducuntur ad impotentiam phyſicam, vel moralem, vt Doctores aduertunt. Probatur Maior. Quia licèt incompoſſibilia moraliter ſint, quod fiant illæ confeſſiones longo tempore duraturæ, & quod omnis turba populi vno die confiteatur: at nulla ratio impoſſibilitatis relucet in eo, quod cōfeſſiones longo tempore duraturæ reiiciantur in tempus opportunius, neque in eo, quod ſi eæ confeſſiones longi temporis fiant, remaneat turba populi ſine eo, quod eo die confiteantur: cùm nulla ſit obligatio confitendi eo die. Et quidem ſemper exiſtimaui multò vtilius eſſe conſcientiis fidelium, & multò facilius Confeſſario, quòd confeſſiones longi temporis reiiciantur in diem, in quo Confeſſarius magis ſit expeditus à concurrentia populi feſtinantis ad confeſſiones. Si ergo hoc facilius, & vtilius eſt, quomodo impoſsibilitas moralis in eo fingi poteſt?

Et hinc euertitur fundamentum opinionis proſcriptæ, quod eſt: Præceptum integritatis confeſſionis non obligat contra præceptum charitatis; ſic enim *§.* præcedenti dictum eſt, dimidiari poſſe confeſsionem, ſi ex confeſſione alicuius peccati reſultaret ſcandalum actiuum Confeſſario, vel alii tertio. Sed contra charitatem eſſet, ſi propter audiendas tres, vel quatuor confeſſiones integras, remaneret magna turba pœnitentium ſine optata confeſſione: vna enim confeſſio de peccatis longo tempore commiſſis ſolet durare per horam integram; quod ſi vnus tantum eſſet Confeſſarius, & iſte vacaret confeſſionibus eius durationis, tres, vel quatuor confiterentur toto tempore ante meridiem, & reliqua turba pœnitentium careret eo ſolatio ſpirituali. Ergo in eo caſu non obligat præceptum

ptum

Digitized by Google

ptum integritatis confeſſionis. Dabitur ergo integritas formalis quamuis non detur integritas materialis, quatenus obligatio charitatis erga turbam populi inducit impoſſibilitatem moralem faciendi illas confeſſiones materialiter integras. Hoc, inquam, euertitur, conceſſa maiori, negando minorem, quod ſcilicet in eo caſu obliget præceptum charitatis, vel ad audiendas in eo die confeſſiones longi temporis, vel audiendas confeſſiones totius populi, cum non inſtet obligatio confitendi eo die; neque inſtet mors toti populo confeſſionem illius diei deſideranti.

17 Probatur ſecundò aſſertio. Nam ex praxi propoſitionis repulſæ ſequerentur ingentia abſurda, in quibus nimium conſcientiæ periclitarentur. Quæ abſurda optimè enumerat *Coninchus nu.93. & 94.* his verbis: *Primò, quod illis diebus communiter plurimæ confeſſiones dimidiarentur, & quidem ferè eorum, quibus, vt benè inſtruantur, & ad debitum dolorem excitentur, maximè opus eſt integra confeſſione. Nam maximi quique peccatores, & qui habent intricatiſſimas conſcientias, & verſantur in continuis peccãdi periculis, ferè ſimilibus diebus ad confeſſionem veniunt, & ſæpiſſimè ſine ſufficienti dolore, aut propoſito emendationis, quos Sacerdos nullo modo poterit ſufficienter aut ad dolorem excitare, aut contra futura pericula munire, niſi perfectè eorum ſtatum nouerit, ad quod requiritur integra confeſſio. Vnde ſequetur ſecundò, vt multæ confeſſiones ſacrilegæ, & inualidæ fiant, & multi perpetuò in peccatis bæreant, qui alias integrè confitendo iuuarentur. Nec ſufficiet, ſi Sacerdos eos moneat, vt paulò poſt ad confeſſionem redeant, reliqua confeſſuri; quia tales non poſſunt id apprehendere neceſſarium, ſed videntur ſibi ſuo muneri abundè feciſſe ſatis, ſi quacumque ratione abſolutionem obtineant. Immò multi fortè aduertentes, ſe in tali concurſu paucis abſolui, occaſionem ita confitendi quærerent. Quarè longè ſatius eſt, tales tunc non confiteri; quam hoc modo abſolui; quia cum apprehendant, ſibi neceſſariò confitendum eſſe, ſemper manebunt ſolliciti, vt hoc faciant. Quod non ita dico, quaſi tales tunc à confeſſione repellendi ſint, vt cæteri audiri poſſint, (hoc enim cum offenſione, & aliqua eorum iniuria fieret) ſed quia non ideò in eorum confeſſionibus audiendis feſtinandum eſt, vt omnes audiri poſſint.*

18 Dico ſecundò. Damnationi huius Propoſitionis ſubiicitur ſententia *Lumbier to.2.ſumma num.1216. & in expoſ.huius propoſitionis num.1989.* dicens eſſe probabile non ob ſolam rationem concurſus pœnitentium, ſed etiam ob adiunctum periculum non redeundi ad confeſſionem, poſſe abſolui dimidiata confeſſione hominem ruſticum. Ita *Ioannes Cardenas hìc diſſert.38. c.3.num.16. Laurentius Maria Piſani in Gladio Gedeonis, in append.nu.* 67. & alij.

19 Probatur primò. Quando circumſtantia adiuncta non eſt ſufficiens ad dimidiandam confeſſionem, tunc verificatur, quod veniatur ratione concurſus confeſſionum. Sed ea circumſtantia adiuncta de periculo non redeundi ad confeſſionem, licet conſideretur in homine ruſtico, non eſt

ſuf-

ſufficiens ad dimidiandam confeſſionem. Ergo licèt in concurſu confeſſionum detur ea circumſtantia, ideſt periculum non redeundi; ſi dimidiatur confeſſio, verificatur quod dimidiatur propter concurſum confeſſionum. Probatur minor. Nam periculum non redeundi ad confeſſionem oritur à deprauata voluntate ipſius pœnitentis ſiue ruſtici, ſiue politici: ſed nemo admittere poteſt, aut aliquando admiſit, quod poſſit quis dimidiare confeſſionem propter ſuam deprauatam voluntatem. Ergo.

20 Probatur ſecundò: Nemo poteſt omittere integritatem confeſſionis a Chriſto Domino præceptam, niſi propter impoſſibilitatem phyſicam, vel moralem. Sed periculum non redeundi ad confeſſionem, eo ipſo, quod eſt voluntarium, & à deprauata voluntate profectum, nullam affert impoſſibilitatem. Ergo nemo poteſt omittere integritatem confeſſionem propter id periculum.

Dices. Addita, vel variata vna circumſtantia, variatur caſus in moralibus. Ergo addita, vel variata vna circumſtantia, iam non comprehenditur caſus ſub hac damnatione. Atqui ſuperadditur hæc noua circumſtantia, nempè periculum non redeundi ad confeſſionem. Ergo cum ſit caſus diuerſus, non comprehenditur ſub damnatione.

21 Reſpondeo, circumſtantia addita, vel variata, variari caſum; quando circumſtantia conducit vt variet caſum, ſecus non. Sicut enim non excuſabitur à damnatione propoſitio, quæ dicat, in magno concurſu pœnitentium poſſe dimidiari confeſſionem eius, qui habet Bullam Cruciatæ; & tamen ſuperadditur noua circumſtantia; nec excuſabitur à damnatione propoſitio docens, in magno concurſu pœnitentium dimidiari poſſe confeſſionem eius pœnitentis, in quo timetur periculum impatientiæ, & furoris contra Confeſſarium, qui nollet audire eum pœnitentem, ne deſit multitudini pœnitentium: & tamen etiam ſuperadditur noua circumſtantia. Ita in caſu noſtro. Et ratio eſt: quia niſi circumſtantia ſuperaddita afferat impoſſibilitatem moralem faciendi confeſſionem integram, nihil conducit circumſtantia ſuperaddita, vt variet caſum in ordine ad neceſſitatem dimidiandi confeſſionem. Sicut ergo in his duobus poſtremis caſibus id periculum impatientiæ nihil prodeſt ad dimidiandam confeſſionem, quia id periculum impatientiæ oritur ex deprauata voluntate pœnitentis, ex qua non poteſt oriri impoſſibilitas moralis faciendi confeſſionem integram: eodem prorſus modo periculum non redeundi ad Confeſſarium nihil proderit ad dimidiandam confeſsionem; & ideo in ordine ad dimidiandam confeſsionem caſus non eſt diuerſus, atque adeo manet contentus ſub ea damnatione.

Obiicit *Lumbier*. Poteſt dimidiari confeſsio ob neceſsitatem temporalem. Ergo potius poterit propter ſpiritualem proximorum, & eius pœnitentis, ſi adeſt periculum non redeundi ad confeſsionem.

Reſpondeo, rationem quare poſsit aliquando dimidiari confeſsio, non conſiſtere in eo, quod neceſsitas ſit temporalis, vel ſpiritualis; ſed in eo, quod talis ſit neceſsitas, vt reſultet impoſsibilitas ſaltem moralis faciendi confeſsionem integram; quia dum poſsibile eſt phyſice, & moraliter facere confeſsionem integram, inſtat obligatio iuris Diuini.

22 Hinc dum ipſemet *Lumbier nu. 1990.* ait, *Poſſe dimidiari confeſſionem in die Iouis hebdomadæ maioris, aut in alio die, cum fieret notabile ſi non acciperet Eucharistiam: & difficile eſt, confeſſionem eſſe integram, aut quia eſt diuturni temporis, aut propter multitudinem concurrentium ad confeſſionem*, rectè animaduertit *Ioannes Cardenas ſupra nu. 28.* quod niſi hæc notabilitas tranſeat ad ſcandalum, vel infamiam, non debet admitti, quod accedat ad ſacram Communionem ſine integra confeſsione. Et cum non quælibet notabilitas illud generet, non eſt reliquendum iudicio pœnitentis, qui ex leuiſſima cauſa putabit, ſibi orituram infamiam; ſed iudicio Confeſſarij prudentiſſimi grauitas infamiæ, aut ſcandali penſanda eſt.

23 Dico tertiò: Hæc propoſitio, quam docuit idem *Lumbier to. 1. ſummæ num. 676. Poſſunt etiam dimidiare confeſſionem ruſtici, & peregrini, cum accedunt bona fide, & cognoſcit confeſſarius, eos non eſſe ſufficienter inſtructos, neque examinatam eorum conſcientiam, ſi inſtat tempus diſcedendi, & multitudo pœnitentium non permittit, Confeſſarium melius inſtruere*: hæc, inquam, Propoſitio, vt iacet, non eximitur ab hac damnatione. Ita *Ioannes Cardenas ſupra nu. 30.*

24 Suadetur breuiter. Quando circumſtantia ſuperaddita circumſtantiæ concurſus non affert impoſſibilitatem ſaltem moralem faciendi confeſſionem integram materialiter, ſi dimidietur confeſſio, verificatur, quod ratione concurſus dimidiatur, vt patet ex dictis. Atqui quod inſtet tempus diſcedendi, non affert impoſſibilitatem moralem faciendi confeſſionem materialiter integram; nam ſi conſcientia non eſt ſufficienter examinata, dimitti debet, vt eam melius examinet; aut ſi Confeſſarius ſperat, ſuis interrogationibus illam ſufficienter examinare, non eſt moraliter impoſſibile, quod turba concurrentium detineatur. Ergo ſi in hoc caſu dimidiatur confeſſio, id fiet ratione concurſus pœnitentium; atque adeo ea Propoſitio ſubijcietur proſcriptioni.

25 Hinc, dum *Layman l. 5. tr. 6. c. 13. num. 10.* inquit, *Quod tales ex lege charitatis interrogationibus diſponendi erunt, quatenus tamen tempus permittit, niſi Confeſſarium aliorum pœnitentium multitudo vrgeat, & homo rudis de pluribus fortè annis examinandus eſſet: in quo caſu interdum dimitti debet, alio tempore rediturus; ſi autem redire non poteſt, quia eſt peregrinus, aut mox communicaturus, interdum intellectis aliquibus peccatis abſoluendus erit; cum onere ipſi impoſito, vt cum primum poterit, ad ſacram confeſſionem redeat, plenius examinandus*: conatur *Ioannes Cardenas num. 31.* eum excuſare, intelligendo ſic; vt confeſſarius oppreſſus, & defatigatus multitudine confeſſio-

ſionum non ſit aptus ad faciendas interrogationes tam exactè, & attentè; ac ſi non habuiſſet tantum laborem: intelligit, inquam, vt Confeſſarius faciat interrogationes ſufficientes, & ſolùm omittat exactius examen. An verba illa talem explicationem patiantur, tu perpende. Conatur etiam in hac explicatione includere doctrinam *Hermanni Buſembaum l. 6. tr. 4. c. 1. dub. 3. ar. 2.* Sed nullatenus poterit; nam citatus *Buſembaum* enumerans excuſatos ab integritate materiali, inquit. Et *Quintò eum, qui extremè rudis, vel ſimplex dicit ſe dolere de peccatis, nullum tamen in ſpecie, ne veniale quidem ſciat dicere, qui & ſi ſpeculatiuè loquendo poſſet abſolui; practicè tamen non expedit, ſed data benedictione permittatur communicare.* Quis, præſertim poſt hoc decretum, audebit hanc doctrinam approbare?

PROPOSITIO LX.

Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponat emendationem.

1 HÆc propoſitio eſt prima in ordine inter ſeptemdecim, quas facultas Louanienſis die 30. Martij, & 26. Aprilis 1653. iudicauit non eſſe tolerandas in praxi, & auctoritate ſuperiorum meritò prohibendas. Auctor autem huius cenſetur *Stephanus Bauny theol. mor. p. 1. tr. 4. de pœnit. q. 22. pag. 109.*

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Quid ſit conſuetudo peccandi?*

3 *Differentia inter conſuetudinem, & occaſionem proximam peccandi.*

4 *Quomodo intelligenda ſit doctrina illa, quod Confeſſarius debet credere pœnitenti aſſerenti ſe dolere, ac habere propoſitum non amplius peccandi?*

5 *Non poteſt denegari abſolutio conſuetudinario inuito, qui primò de peccatis, in quibus habetur conſuetudo confitetur, ſi proponat emendationem, & exequi media ad ipſam conſequendam.*

6 *Recidiuus rectè diſpoſitus poteſt abſolui.*

7 *Aſſignantur regulæ ad cognoſcendum in recidiuo verum dolorem, & propoſi-*

poſitum emendationis.

8 *Afferuntur alia indicia rectæ diſpoſitionis ex Pratelio.*

§. II.

9 *Damnatur propoſitio, quod poſſit abſolui pœnitens, qui habet conſuetudinem peccandi ſine ſpe emendationis; ſed ſolum aſſerat ſe dolere, & proponere, abſque ſigno ſufficienti, quo colligatur ex animo dolere.*

10 *Suadetur ex eo, quod iſte talis non habet propoſitum efficax non peccandi de cætero, ac proinde non excludit voluntatem peccandi.*

11 *Si nulla in pœnitente apparet ſpes emendationis, dolor, quem profert, eſt, & apparet fictus, & ſimulatus.*

12 *Confeſſarius debet iudicare de internis, ſcilicet de conſcientia pœnitentis, quantum tamen poteſt per externa, diligentia, & ſagacitate adhibita:*

13 *Hæc theſis: Confeſſarius in omni euentu tenetur credere pœnitenti dicenti, ſe dolere, & proponere emendationem, remanet virtualiter deiecta.*

14 *Id duplici manifeſto argumento oſtenditur.*

15 *Loquitur ne propoſitio de defectu ſpei emendationis ex parte pœnitentis, an ex parte Confeſſarij.*

16 *Quæ motiua debet Confeſſarius proponere pœnitenti non habenti ſpem emendationis, quibus diſponatur ad concipiendam ſpem emendationis.*

17 *Eſtò non ſint phyſicè incompoſſibilia propoſitum non peccandi, & defectus ſpei de emendatione in futurum, tamen iſte defectus eſt magnum impedimentum, vt eliciat pœnitens propoſitum emendationis.*

18 *Scopus præcipuus damnationis huius propoſitionis eſt, quod ſtante deſperatione pœnitentis de ſua emendatione, quamuis iſte oretenus dicat ſe dolere, & proponere, non poſſit Confeſſarius negare, aut differre abſolutionem.*

19 *Quod dicitur de caſu, in quo pœnitens habet deſperationem emendationis ſuæ cognitam à Confeſſario, dicendum eſt in altero, quo ipſe Confeſſarius habeat eam deſperationem emendationis, quamuis ea non appareat in pœnitente.*

20 *Eo vſque differenda eſt abſolutio illorum, de quibus nequit elici probabile iudicium de vero dolore, & propoſito emendationis quouſque illud probabile iudicium ſtare valet.*

21 *Non toties, quoties abſoluendi ſunt iuniores, qui ſe polluunt, atque reincidunt ſemper in eadem mortalia peccata, præſertim ſi non conantur ab his abſtinere. Et quid dicebat S. Xauerius?*

22 *Quanto tempore differri debeat abſolutio pro experimento emendationis?*

§. III.

23 *An Confeſſarius poſſit abſoluere pœnitentem, quem prudenter ſibi perſuadet habere dolorem, & verum propoſitum emendationis, at ipſe Confeſſarius deſperat de eius emendatione?*

24 *An habenti conſuetudinem peccandi lethaliter & ſimul habenti propoſitum emendationis cognitum à Confeſſario, poſſit iſte negare, aut differre abſolutio-*

lutio.

lutionem, etiamſine conſenſu ipſius pœnitentis?

25 *Expedit & per ſe melius eſt, quod vbi Confeſſarius dilaturus eſt abſolutionem, id faciat de conſenſu pœnitentis?*

26 *Quando pœnitens eſt ſufficienter diſpoſitus, & ex dilatione abſolutionis timetur potius ipſius damnum, non poteſt licitè ea differri.*

27 *Num benè dicant aliqui, quod dilatio abſolutionis numquam poſſit pœnitenti recidiuo ſufficienter diſpoſito prodeſſe?*

28 *Puto ſæpè dilationem prodeſſe.*

29 *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi lethaliter, & ſimul habenti dolorem de peccatis, & propoſitum emendationis non ſolum poteſt differri abſolutio a Confeſſario abſque conſenſu pœnitentis, quando ea dilatio eſt neceſſaria, ſed etiam quando eſt vtilis ad emendationem in futurum.*

30 *Confeſſarius numquam habet certitudinem omnimodam de veritate & firmitate propoſiti in eo pœnitente, qui perſiſtit longo tempore in conſuetudine peccandi lethaliter.*

31 *Pœnitens ſæd deterritus dilatione abſolutionis manet cum firmiore propoſito non peccandi, & arcendi conſuetudinem inueteratam.*

32 *In quo peccat argumentum* Sancii, *quod à quibuſdam non benè extollitur?*

33 *Quando conſuetudo eſt peccati venialis, quid agendum in praxi à Confeſſario?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò. Quod conſuetudo peccandi eſt habitus, aut facilitas acquiſita ex repetitione actorum, qui inclinant animum ad continuandas reincidentias; & eſt difficile mobilis a ſubiecto. Ita *Corella hic l.1.n.232.* Et quia poteſt interuenire in omni genere peccatorum, ideò iſta condemnatio loquitur de omni genere conſuetudinis peccandi grauior, ſiue poſitiuæ, vt conſuetudinis iurandi falſum blaſphemandi, maledicendi, fornicandi, habendi pollutiones, oſcula, cogitationes cum aſſenſu, delectationes moroſas, murmurandi, &c. ſiue priuatiuæ, *V.g.* omittendi multo tempore cum poſſit reſtitutionem famæ, honoris, bonorum fortunæ, impletionem legatorum, teſtamentorum, miſſarum, &c vt notat *idem Auctor num.233.*

3 Notandum eſt ſecundò, aliquos Scriptores confundere conſuetudinem cum occaſione proxima peccandi cum tamen valdè diuerſa ſint. Vt enim patebit *in comment.ad ſeq.Propoſ.* Occaſio addit impellens extrinſecum ad peccandum, quod non dicit conſuetudo. Et quamuis omnis occaſio proxima plerumque afferat conſuetudinem peccandi; tamen aliquan-

quando poteſt eſſe ſine tali conſuetudine, vt quando occaſio ex ſua natura eſt talis, prout ibi explicabitur. Conſuetudo autem peccandi plerumque datur ſine occaſione proxima; vt patet in eo, qui ſe polluit frequenter ex ſola fragilitate propria, detrahit, & detractionibus vtitur in quauis occaſione iracundiæ, &c. Quæ diuerſitas patet ex hoc ipſo Decreto: nam ex proſcriptione Propoſitionis 61. liquet, nunquam impendendam eſſe abſolutionem ei, qui habet occaſionem proximam peccandi, quam poteſt, & non vult relinquere: habenti autem conſuetudinem peccandi ſolum conſtat eſſe negandam, aut differendam abſolutionem, ſi nulla ſpes emendationis appareat, & tantum ore profert conſuetudinarius ſe dolere, & proponit emendationem.

4 Notandum eſt tertiò: *Ioannem Sancium in d.8. ſelect.num.9.* contendere, ſemper Confeſſarium debere credere pœnitenti aſſerenti, ſe dolere ac habere propoſitum non peccandi. Et citat *Ægidium de Coninch d.8.de Sacram.dub.17.num.132.* dicentem: *Credendum eſſe pœnitenti dicenti, ſe propoſitum firmum emendationis concipere*. Et *Cordubam in ſumm. §.8. q.4.* aientem. *Et quamuis pœnitenti credendum eſt id, quod affirmat*. Et poſſet citare multos alios, qui eandem doctrinam tradunt, quæ vera eſt, quando nullum indicium, nullaue coniectura apparet in contrarium. Vnde ipſe *Coninch* poſt ea verba relata, immediatè ſubiungit: *Si verò aliquid obſtet (vt ſi nollet deſerere occaſionem) illi non eſt credendum*. Et *Corduba* etiam relato dicto ſuo ſubijcit exceptiones. Reliqui etiam Theologi eam propoſitionem vniuerſalem limitant modo proximè explicato. Etenim *Card. de Lugo de* Pœnit.*d.14. ſect.10. num.166.* quamuis dixiſſet alibi, Confeſſarium debere credere pœnitenti, ſic ait: *Certum eſt, quando Sacerdos attenta conſuetudine præterita, & propenſione, alijſque circumſtantijs, iudicat, pœnitentem non auerti ſufficienter ab illo peccato, non poſſe eum abſoluere, quantumcunque pœnitens dicat ſe dolere; quia ſi Sacerdos id non credit, nõ habet iudicium requiſitum ad conferendam abſolutionem*. *Antonius Perez to.3. de Pœnit.d.3. c.4. num.64.* ait: *Secundò quæritur, An Confeſſarius debeat credere pœnitenti, & abſolutionem conferre, ſi dicat; ſe habere attritionem, ſeu contritionem veram: Reſpondeo, debere, dummodò non ſit præſumptio fortior in contrarium: qualem præſumptionem meo iudicio, faciet frequentia relapſus, & facilitatis medij emendationis. Impoſſibile enim eſt, moraliter loquendo, hominem ſæpè confiteri, & ſemper relabi, quando facilis eſt emendatio, & propoſitum emendationis eſt ſerium. Quare præſumendum eſt, eum, qui ita confitetur, & ſic poſt frequentem confeſſionem relabitur, cum poſſit facilè emendare peccatum, non habere propoſitum efficax.* *Dicaſtillus*, quoque, *to.de Sacram.tr.8. d.10. dub.29.* poſtquam *num.571.* dixit: *Pœnitentique affirmanti, ſe habere retractationem, & propoſitum non peccandi, credendum eſt*, deinde *num.572.* ſubiungit. *Quando autem ex alio capite aut circumſtantijs conſtat, aut prudenter timetur, illum non eſſe ſufficienter diſpo-*

Digitized by Google

diſpoſitum , quamtumuis dicat ſe & dolorem , & propoſitum habere requiſitum , non eſt illi credendum. Eodem modo, & in eodem ſenſu loquuntur cæteri Theologi, qui hanc rem ex profeſſo tractant; dum dicunt, credendum eſſe pœnitenti affirmanti, ſe dolere, & efficaciter proponere. Et ratio eſt euidens. Quoniam impoſſibile eſt, quod alicui ſatisfaciat dictum priuati hominis, quando habet indicia, & coniecturas vrgentes in oppoſitum, & ex parte illius priuati hominis nullum aliud eſt motiuum, niſi dictum ſimplex illius. Cum ergo Confeſſarius non obligetur ad impoſſibile, vtique nequit dici, quod tenetur credere, vbi videt coniecturas vrgentes in oppoſitam partem. Certum eſt autem, apud Theologos, negandam eſſe abſolutionem ei pœnitenti, quando ex circumſtantijs cognoſcit Confeſſarius, illum non habere firmum propoſitum reſiſtendi conſuetudini, ſiue abſtinendi à peccatis conſuetis. Quia Confeſſarius non poteſt impendere abſolutionem pœnitenti, quem cognoſcit, non eſſe rectè diſpoſitum: alioqui poſſet data opera impendere abſolutionem inualidam.

5 Notandum eſt quartò, non poſſe denegari abſolutionem inuito pœnitenti, qui habet conſuetudinem peccandi, & primò de peccatis, in quibus eſt conſuetudo confitetur, ſi proponat emendationem, & paratus ſit ſumere, & exequi media ad ipſam conſequendam. Ita docent, vel potius ſupponunt Theologi poſt *Thomam Sanchez l.2. Dec.l.cap.32.num.45.* Et facit *S.Hieronymus ep.46.ad Ruſticum*, & refertur *in c.ſepties d.3. de pœnit. Non ſolum ſepties, ſed etiam ſeptuagies ſepties delinquenti, ſi conuertatur ad pœnitentiam, peccata condonantur.* Non nego tamen iſti, de eius conſenſu, poſſe differri abſolutionem, ſolet enim Confeſſarius ſuadere ſuauiter pœnitenti eſſe ei vtilius, quod differatur abſolutio pro maiori motiuo emendationis futuræ; cui ſuaſioni ſolet annuere pœnitens, cum ex animo deſiderat emendationem in poſterum.

6 Notandum eſt quintò: Quod ſi pœnitens ſit recidiuus, habet tamen verum dolorem, firmumque propoſitum peccandi, poſsit abſolui. Hæcque eſt communis, & vera doctrina, vt inquit *Card.de Lugo ſupra*, qui aſsignat rationem, his verbis: *Quia diſpoſitio ſufficiens eſt dolor, & propoſitum præſens, non emendatio futura; atque ita poterit abſolui, licèt iudicetur relapſurus*, & infra ſubdit: *Ad iudicium ferendum de diſpoſitione præſenti deſeruit, ſi peculiaria ſigna doloris oſtendit: Item ſi iam adhibuit curam aliquam ad conſuetudinem extirpandam, ſi nunquam admonitus fuit de medijs adhibendis ad tollendam conſuetudinem: nunc autem admonitus libenter ea ſuſcipit, & proponit adhibere ea media.* Ego puto ſequentibus regulis oſtendere, quando adeſt verus dolor, & firmum propoſitum emendationis, ac ſpes iſtius, in recidiuo.

7 Prima eſt ſi peccator recidiuus, licèt pluries confeſſus, non fuit admonitus de ſuo peſsimo ſtatu, in quo viuebat, de periculo, in quo exiſtebat

bat ſua anima ; nec ei aſsignata fuerunt media ad eam conſuetudinem vincendam ; inde verò admonitus recipiat admonitionem , & increpationem libenti animo, & præſeruatiua præſcripta ad non recidendum amplectatur , proponens emendationem. Ita *Card. de Lugo* relatus, *Torrecilla hìc n.155. Corella nu.235. Clozes*, & alij. Ratio eſt, quia non eſt dubium, quod (attenta humana fragilitate) paſſio obcæcat potentias cum tenebris doli, & deficiat lux animæ ad videnda execrabilia damna culpæ; & ſi Cōfeſſor ſuaui vento ſuę doctrinæ non expellat ipſas nebulas, & luce veritatis nō accēdat lumen conſiderationis, quod habitus prāuæ cōſuetudinis prorumpat in alios actus. Ergo ſpem benè fundatā poteſt habere Confeſſor, quod ſua luce pœnitens exeat à vijs lubricis, & tenebroſis culpæ, & conſequenter, &c. Vnde infert *Corella num.236.* quod quando accedit pœnitens cum aliqua conſuetudine peccandi, interrogandus eſt à Confeſſario, ſi in alijs confeſſionibus eius oculi aperti fuerunt ad cognoſcendum ſtatum prauum luce monitionis , & tradita ei fuerunt media ad eam conſuetudinem vincendam ; & ſi dicit, quod non , abſoluatur , tali admonitione præmiſſa, & medijs adhibitis. Benè tamen docet *Suarez to.1. de Relig.l.3. de iuram.c. 8.num.7.* pœnitentem teneri ad acceptandam aliquam pœnam, vel afflictionem pro praua conſuetudine tollenda : quia vnuſquiſque tenetur procurare remedium , ne amicitiam cum Deo amittat, & conſequenter illud acceptare, cum à Confeſſario affertur. Imò *Fagundez in Decal.to.1.l.2.c.9. num.12. Diana p.7.tr.7. reſ.49.* & alij docent , quod hic nunquam admonitus ſpecialiter, vt conſuetudinem iurandi, &c. tolleret, ſtatim abſoluendus eſt , cum acri tamen admonitione , vt ſe corripiat, & eam euellat. Secunda regula. Si recidiuus ipſe licèt non extirpauerit conſuetudinem tamen conatum aliquem emendationis adhibuerit, eſt abſoluendus. Ita *Card. de Lugo ſupra, Corella*, & alij cum *Laymano l.5. tr.6.c.4. num.10.* qui hoc his ſignis cognoſci poſſe notat. Primò ſi poſt proximam confeſſionem rariùs, quàm ante ſolebat, lapſus fuit. Secundò , ſi medijs vſus eſt, quæ ipſi contra peccati recidiuam à Confeſſario imperata erat. Tertiò, ſi occaſiones extrinſecas peccandi, quas remouere debuerat, & pollicitus erat, re ipſa amouit : ſequitur *Corelli hìc à num.239.* Tertia regula. Si recidiuus, quamuis nihil horum præſtiterit , tamen in præſenti confeſſione ſpecialia, qualia antea nunquam, doloris ſigna oſtendat, quibus præſumptio illa de mala confitentis diſpoſitione meritò elidatur. Ita *Laym. & Card. de Lugo locis relatis, Torrecilla hìc num.110. Corella nu.237. Reiffenſtuel*, & alij. Quia etiam adeſt fundamentum ad credendum, quod veniat pœnitens cum propoſito firmo emendationis. Benè tamen notat *Corella* iſta ſigna extraordinaria lacrymarum, ſuſpiriorum, &c. debere oriri ex eo quod peccatum magis tunc pungit animam ; aliquoties enim lacrymæ (maximè mulierum) ſolent eſſe ob motiua temporalia. V.g. ex eo quod ſint in aliqua preſſura , &c. quam referunt Confeſſario, & de iſtis non loqui.

loquimur quæ ſunt lacrymæ Eſau, de quibus dixit Apoſtolus, non inuenit locum pœnitentiæ, quanquam cum lacrymis inquiſiſſet eam, *ad Hebræos c.12.* quia dolebat, plorabat ob mortua temporalia, vt dixit *D.Thomas:* non dolebat de peccato, ſed de damno temporali, &c. Idem etiam *Corella num.238* hinc infert, quod in tempore miſſionis poteſt dari abſolutio cum maiori facilitate, quàm in alia occaſione: quia vix adeſt anima, quæ auditis minis flagelli Diuini, horrore culpæ, periculo ſtatus, rigore ſtrictiſſimi, & ſeueri Tribunalis Supremi Iudicis, terroribus æternitatis pœnarum inferni, non compungatur, deterreatur cognoſcat ſuum prauum ſtatum, & de melioranda vita. Quarta regula. In articulo, aut periculo mortis poteſt, & etiam debet dari abſolutio recidiuis; quia tunc in his præſumitur verus dolor, & firmum propoſitum emendationis. *Corella hic num.244.*

Hæc doctrina poteſt deſeruire etiam in conſuetudine negatiua, ſeu in caſu reſtitutionis faciendæ: nam quamuis ſemel, aut iterum admonitus, vt reſtitutionem faceret, ſi id executus non ſit, cum tamen exequi potuiſſet, non ſit regulariter abſoluendus, etiam ſi denuò promittat, antequam re ipſa id præſtet: & dicendum eſt ei à Confeſſario: *Tu prius præſta tuum Officium, & ego præſtabo meum:* vt docent *Caietanus V. Reſtitutio c.6.* & alij communiter. Tamen ſi nunc euidentiora voluntatis ſuæ de reſtitutione facienda, indicia proferat, poteſt eius promiſſio acceptari, & abſolutio dari, vt docent *Layman l.c.num.11.* & alii communiter.

8 Hic non omittenda duco ſolida indicia debitæ diſpoſitionis, quæ affert *Pratelius to.5. de Sacram.c.6.§.7. num.856.* nimirum. *Primò, confeſſio facta poſt diligens conſcientiæ examen, idque ex proprio motu; non ex parentũ, aut magiſtri, alteriuſque auctoritatem habentis imperio. Eam autem accuratè fieri poſſet, cum & ſingulæ peccatorũ ſpecies, & determinatus eorũ numerus cum circumſtantijs malitiam aggrauantibus diſtinctè exprimuntur. Secundum gemitus, lacrymæ, ſuſpiria, aliaue huiuſmodi ſigna intenſi doloris. Tertium difficultas grauis ſuperata in retegendo infami aliquo crimine, quod in alijs confeſſionibus præ pudore fuerat prætermiſſum. Quartum longum, ac moleſtum iter confeſſionis cauſa ſuſceptum. Quintum, eleemoſynæ, ieiunia, orationes, Miſſæ, ſacrificia &c. Deo oblata ad obtinendam gratiam veræ pœnitentiæ. Sextum generalis confeſſio peccatorum totius vitæ. Septimum prompta voluntas ad ſubeundas graues pœnas in peccatorum ſatisfactionem: aut difficilia remedia aduerſus relapſum adhibenda. Octauum occaſiones peccandi magna cum animi lucta abruptæ: aut graues tentationes ſuperatę. Nonum abſtinentia à peccato per dies aliquot ante confeſſionem, idque illius intuitu. Hæc enim & ſimilia ſigna ſatis oſtendunt pœnitentem accedere cum vero peccatorum dolore, & ſincero emendationis propoſito.* Videatur etiam *Paulus Segneri* in libello, cui titulus. *Il Confeſſore iſtruito c.4.* His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum

9 Dico primò. Configitur cenſura huius Decreti quæcunque propoſitio, quæ negauerit, poſſe Confeſſarium negare, aut differre abſolutionem, concurrentibus ſimul tribus circumſtantiis: prima, quòd pœnitens habeat conſuetudinem peccandi; ſecunda, quod nulla ſit ſpes emendationis; tertia, quod ſolo verbo tenus afferat pœnitens, ſe dolere, & proponere, ſine eo, quod detur ſignum ſufficiens, quo colligatur pœnitens loqui ex animo.

10 Patet ex tenore eius propoſitionis damnatæ, & meritò confixæ. Quoniam iſte talis non habet propoſitum efficax non peccandi de cætero; ac proinde non excludit voluntatem peccandi, quæ requiritur à *Tridentino*, vt pœnitens ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam ſe diſponat. Ergo non eſt ei impertienda Sacramẽtalis abſolutio. Conſequẽtia ſequitur, quia niſi ex parte pœnitentis adſit vera materia requiſita ad hoc Sacramentum, quę eſt actus pęnitentis, non conficitur Sacramentum. Antecedens quoad primã partem cõſtat ex dictis, quoniã hoc intereſt inter propoſitum efficax, & inefficax; & ex hoc colligitur efficacia doloris, & conſequenter non eſſe verum dolorem: qui enim verè dolet, non remanet affectus ad id, de quo dolet, nec ad media ducentia ad illud; immò omnia media ad illud vitandum adhibet. Nec quia dicit ſe dolere, & emendationem proponere, eſt ei credendum: licèt enim in confeſſione pęnitens ſit teſtis, & reus, & ei credendum ſit tam pro ſe quàm contra ſe, dum contrarium non apparet; non tamen ei credendum eſt, quando contrarium apparet, vt eſt in caſu præſenti, in quo ſupponitur nullam apparere ſpem emendationis; ac proindè non eſſe verum dolorem, qui eſt de eſſentia huius Sacramenti.

11 Confirmatur. Si nulla in pœnitente apparet ſpes emendationis, conſequens eſt, vt dolor, quem profert, ſit & appareat fictus, & ſimulatus: ſi enim apparet verus, aliqua emendationis ſpes affulget. Ergo Propoſitio id tacitè ſaltem profert, vt neque deneganda, neque differenda ſit abſolutio ei, qui apparet fictè, & ſimulate dolere de peccatis. Quod magis deducitur, dum ſubdit, *Dummodò ore proferat ſe dolere.* Quid enim hoc eſt, niſi, dummodò ore, & non corde, quantum apparet? At qui hoc proferre, à Chriſtiano alienum eſſe debet: confeſſio enim cum dolore ficto non ſolum nulla, ſed & ſacrilega eſt, & ſimiliter abſolutio, maxime cum Confeſſario ille dolor fictus apparet. Meritò ergo hæc Propoſitio hoc Decreto adimitur.

Dices.

Digitized by Google

Dices. Confeſſarius non poteſt iudicare de internis. Ergo debet ei ſufficere, quod pœnitens ore proferat dolorem, & emendationem: aliter, dum ei non credit, habet ipſum, vt doloſum, & ſimulatorem, & eſt contemnere ipſum, eique iniuriam facere, vt ait *D. Thomas. 2. 2. q. 60. ar. 4.*

12 Contra. Imò Confeſſarius debet iudicare de internis, ſcilicet de conſcientia pœnitentis, quantū tamen poteſt per externa, diligentia, & ſagacitate adhibita; eius enim forum eſt internum. Cum ergo nulla emendationis ſpes apparet, & dolor videtur fictus, debet denegare, vel ſuſpendere ſententiam. Etiam in humanis negotijs, dum aliquis videtur fictè procedere, & mentiri, etiam ſi ore proferat ſe fidum, & veracem, non eſt prudentis ei credere, ſed cautiùs exploranda eſt veritas; quantò magis in grauiſſimo negotio animæ. Doctrina *D. Thomæ* limitatur illa conditione. *Vbi non apparent manifeſta indicia de malitia alicuius*: & reſtringitur ex illa ratione, ne contemnat, aut offendat proximum. At differre, vel denegare abſolutionem pœnitenti, cum aliquod argumentum adeſt ipſum fictè dolere, non eſt illum contemnere, vel offendere, ſed eius ſaluti conſulere: Ergo id rectè, & ex charitate fit.

13 Dico ſecundò. Hæc propoſitio: *Confeſſarius in omni hypotheſi tenetur credere pœnitenti dicenti ſe dolere, & proponere emendationem*, remanet virtualiter hoc decreto confixa. Ita *Ioannes Cardenas hîc diſſert. 39. c. 6. num. 69.*

14 Probatur duplici manifeſto argumento. Primò. Virtualiter damnatur propoſitio, quæ eſt antecedens euidenter inferens propoſitionem damnatam, iuxta ſæpiùs dicta. Atqui præfata propoſitio talis eſt. Ergo virtualiter damnatur. Probatur minor: nam propoſitio damnata, dum dicit, Confeſſarium debere ſtatim abſoluere, dicit (quamuis alio tenore verborum) Confeſſarium debere credere pœnitenti affirmanti oretenus, ſe dolere, & proponere; cum non poſſit abſoluere, niſi id credens. Sed ex eo quod in omni hypotheſi Confeſſarius teneatur credere pœnitenti aſſerenti ſe dolere, & proponere, euidenter infertur, quod tenetur ei credere, quando id dicit ore tenus, & ſine ſigno indicante, quod illud dicit ex animo, etiam ſi nulla ſit ſpes emendationis, quæ eſt coniectura in contrarium. Ergo ex eo, quod Confeſſarius teneatur in omni hypoteſi credere affirmanti ſe dolere, & proponere, infertur euidenter propoſitio damnata. Secundò. Propoſitio eſt virtualiter damnata, cum eſt incompoſſibilis cum ipſa damnatione: nam eo ipſo, quod duæ propoſitiones ſunt incompoſſibiles in veritate, non poſſunt eſſe ſimul veræ, & conſequenter eo ipſo, quod vna ſit certò vera, altera debet eſſe certò falſa. Sed præfata propoſitio eſt incompoſſibilis cum ea damnatione. Ergo præfata propoſitio eſt virtualiter damnata. Minor probatur. Non poſſunt ſtare ſimul hæc duo & quod Confeſſarius in omni euentu teneatur credere pœnitenti affirmanti, ſe dolere, & proponere, ac quod poſſit negare, aut differre

abſolutionem, qui non credit, pœnitentem id affirmare ex animo, ſed verbo tenus. Atqui propoſitio, de qua in præſenti loquimur, dicit primum: & damnatio ſtatuit ſecundum. Ergo præfata propoſitio eſt incompoſſibilis cum hac damnatione.

15 Porrò cum propoſitio damnata contendat, non eſſe negandam, nec differendam abſolutionem pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi, etiam ſi nulla ſit ſpes emendationis; & hic defectus ſpei emendationis poſſit ſe tenere ex parte pœnitentis, ita vt pœnitens non ſperet emendationem ſuam futuram, & poſſit ſe tenere ex parte Confeſſarij, ita vt iſte ſolus deſperet de emendatione, hic dubitatur, de cuius deſperatione loquitur propoſitio: & dicendum eſt cum eodem *Ioanne Cardenas c. 5. n. 39.* propoſitionem loqui, quando Confeſſarius nullam concipit ſpem emendationis pęnitentis propter conſuetudinem peccandi; quia cum propoſitio contendat, Confeſſarium non poſſe negare, aut differre abſolutionem, ad eundem refertur deſperatio emendationis futuræ, ad quem ſpectat negare, aut concedere abſolutionem. Contendit ergo propoſitio, quod quamuis Confeſſarius deſperet de emendatione, non poteſt negare, neque differre abſolutionem, ſi pœnitens dicit, ſe dolere, & proponere. Quem defectum ſpei poteſt dupliciter habere Confeſſarius. Primò, ſi videat ipſum pœnitentem deſperare de ſua emendatione futura; in quo caſu ipſe etiam Confeſſarius amittet ſpem emendationis futuræ: Secundò ſi non appareat in pœnitente hic defectus ſpei; Confeſſarius autem ex diuturna conſuetudine, & alijs circumſtantijs nullam ſpem concipiat de emendatione pęnitentis futura, quin potius de illa deſperet.

16 Dico tertiò: Cum Confeſſarius videt, pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi, nullam ineſſe ſpem emendationis ſuæ, debet proponere ei motiua, per quæ melius diſponatur, donec perueniat ad concipiendam ſpem emendationis ſuæ: quòd ſi non conſequatur, quamuis dicat pœnitens, ſe dolere, & proponere, poterit, & debebit negare, aut differre abſolutionem pœnitenti etiam inuito, & contrarium aſſerere ſubijcitur damnationi huius propoſitionis. Ita *Ioannes Cardenas cit. c. 5. & 6.*

17 Probatur prima pars. Quia quamuis non ſint phyſicè impoſſibilia propoſitum non peccandi, & defectus ſpei, ſiue deſperatio de emendatione, eſt magnum impedimentum, vt eliciat verum propoſitum emendationis, atque adeò inde prouenit, vt non ſibi ſatisfacit de vera diſpoſitione pœnitentis. Cum ergo ex parte pœnitentis non inueniat Confeſſarius niſi dictum illius de ſuo propoſito, & inueniat in contrarium illam vrgentem pręſumptionem cōtra veritatem propoſiti poterit, & debebit abſolutionem differre pœnitenti etiam inuito, vſquedum ſibi conſtet de rata diſpoſitione pœnitentis: cum etiam non poſſit impendere abſolutionem, niſi pœnitenti diſpoſito, donec habeat ſatisfactionem de diſpoſitione pœnitentis, non pōteſt illi impendere abſolutionem.

18 Pa-

18 Patet ſecunda pars; quia idem eſt ſenſus propoſitionis damnatæ. Et hic eſt ſcopus præcipuus huius damnationis; neq; quod ſtante deſperatione pœnitentis de ſua emendatione, quam etiam cognoſcit Confeſſarius, & quod pœnitens oretenus dicat, ſe dolere, & proponere; neque ſit aliud iudicium ex quo cognoſcatur, quod dolet & proponit ex animo; ſcandaloſum eſt dicere, quod non poſſit Confeſſarius negare, aut differre abſolutionem.

19 Et id, quod dixi de eo caſu, in quo pœnitens habeat deſperationem emendationis ſuæ cognitam à Confeſſario, dicendum etiam eſt in caſu, quo ipſe Confeſſarius habeat eam deſperationem emendationis, quamuis ea non appareat in pœnitente; ſi tamen Confeſſarius ex ea deſperatione, & ex modo, quo pœnitens affirmat ſe habere propoſitum emendationis, quando non videtur dicere ex animo, ſed oretenus, credat pœnitentem vacillare in propoſito emendationis. Numquam enim poteſt abſoluere, niſi prudenter ſibi perſuadeat, pœnitentem habere id propoſitum firmum emendationis, ſicut etiam dolorem de peccatis præteritis. Vnde contrarium aſſerere remanet hoc decreto proſcriptum. Quia quamuis aliquibus verbis differat à propoſitione damnata, ſenſu tamen non differt. Nam per ea verba propoſitionis: *Et ſi emendationis ſpes nulla appareat*, non limitatur ea propoſitio ad hoc, quod ea deſperatio emendationis ſit in pœnitente, aut in ſolo Confeſſario. Ita *Ioannes Cardenas locis relatis.*

20 Dico quartò. Illi peccatores, de quibus probabile iudicium nequit fieri de eorum vero dolore, & firmo propoſito, attendendo ad regulas & ſigna ſupra adducta, non debent ſtatim abſolui, ſed eouſque differenda eſt abſolutio quo probabile iudicium nequit fieri de legitima diſpoſitione. Ita *Arriaga to 8.d.38.ſect.6.num.39. Riccius*, *Corella*, & alij hic.

Suadetur iſta dilatio. Tum ne Confeſſarius exponat ſe periculo conficiendi nulliter Sacramentum: tum, ne decipiat pœnitentem putantem ſe ritè, & validè abſolutum, qui tamen cum dolore ficto non poteſt abſolui, tum quia in conſuetudine peccandi, de qua eſt ſermo, debet Confeſſarius experimentum ſumere de veritate doloris, & fiirmitate propoſiti in futurum, quia voluntas conſuetudine ligata ferrea eſt, & aduerſus, peccantem pugnacior ex ipſo facta eſt, nec eam ipſe, ſed inimicus tenet, vt loquitur *Auguſtinus 8. confeſſ.c.5.* proinde magnum eſt ibi fundamentum dubitandi de illis, ſine quibus nulla eſt abſolutio. Ergo Confeſſarius tunc non differens abſolutionem, nec ſaluti pœnitentis conſulit, nec ſuæ.

21 Vnde communiter reijcitur, & benè ſententia *Stephani Bauny Theol. mor.p.1.tr.4.de pœnit.q.15.pag.96.* dicentis toties quoties abſoluendos eſſe iuniores, qui ſe ſe polluunt, atq; reincidunt ſemper in eadē mortalia peccata, etiam ſi non conantes ab his abſtinere. Vnde de iſtis, & ſimilibus recidiuis intelligitur id, quod inquiebat S. Franciſcus Xauerius, referente *Turſellino l.6. eius vitæ c.17.* ſcilicet, *Confeſſionem non continuò ſequetur abſolutio,*

Nec

Nec habenda eſt ratio de eorum inſtantia quoad abſolutionem, quæ prouenit magis ex quadam ſuperbia, quam recta voluntate emendationis, vt rectè docet *Contenſonus ue pœ it. diſſ. r vn. c. 2. pag. 355.* afferens dictum valde momentoſum *S. Proſperi in ſ nt. Qui tàm dignum miſericordia, quàm miſer, & quid tam indignum miſericordia, quam ſuperbus miſer ?*

22 Quanto autem tempore debeat differri abſolutio pro hoc experimento, hoc remittitur prudentiæ Confeſſarij; nam quamuis S. Franciſcus Xauerius ſupra relatus inter confeſſionem, & abſolutionem bidui, aut tridui moram exempli gratia afferat: poteſt tamen longius tempus intercedere, ſi videat Confeſſarius expedire pœnitenti, vt docet *Contenſonus l. 1. pag. 381.* Imò vſque ad menſem poſſe differri docent *Graffius p. 1. deciſ. l. 1. c. 20. num. 24. & Barth. à S. Fauſto de Pœnit. l. 4. q. 99* Quod tamen rarò poteſt eſſe vtile pœnitenti, vt infra fuſius. Interim ante abſolutionẽ debet Confeſſarius præſcribere huic recidiuo aliqua pœnitentiæ officia, quibus ad cognitionem, verum dolorem, & deteſtationem peccatorum, & firmum propoſitum non amplius peccandi perducatur, vt rectè *P. Eymericus de Bonis in tr. de SS. Sacramento, & Segner s l. c. 4.* verſus finem. Addit *Graffius l. c.* hæc verba: *Audita tamen ſingulis hebdomadis ipſorum confeſſione, & hoc modo per ſalutaria monita, & opportuna remedia ad ipſam abſolutionem impetrandam diſponet, ſecundum text. in c. quod quidam, de pœnit. & remiſſ.*

§. TERTIVS.

Incidentes difficultates reſoluuntur.

23 PRima difficultas eſt hic reſoluenda. An quando Confeſſarius propter diuturnam conſuetudinem peccati deſperat de emendatione pœnitentis in futurum, & pœnitens dicit, ſe habere propoſitum non peccandi, ſi adhibens diligentiam, ſibi prudenter perſuadeat pœnitentem habere dolorem, & verum propoſitum emendationis, poſſit illum abſoluere.

Ioannes Cardenas c. 5. num. 46. & Corella num. 274. affirmant, mori, quia cum tali iudicio quod pœnitens non emendabitur, eſt compatibile verum propoſitum emendationis, cum ſint in diuerſis temporibus, propoſitum de præſenti, & reincidentia de futuro. Atqui pœnitens habens verum dolorem, & propoſitum emendationis poteſt abſolui. Ergo &c. Et ſi dicas, hoc videri condemnatum in hoc decreto, quo condemnatur dicere, quod poſſit abſolui, quamuis nulla ſpes emendationis, appareat: Reſpondent, quod non condemnatur quòd pœnitens poſſit abſolui præcisè, quia non adeſt ſpes emendationis, ſed iuncto cum hoc quia propoſitio dicit, ſufficere ſolum quod pœnitens ore dicat, quod doleat, &

emen-

emendabitur, *dum ore tenus profert ſe dolere; & proponere emendationem.* Atqui hæc reſponſio, & reſolutio non fundatur ſolum in eo, quod ore dicat pœnitens, ſed in aliis motiuis, quæ perſuadeant ſuum propoſitum verum pro tunc, quamuis poſtea non ſit impleturus. Ergo &c. Iſtam doctrinam citat, & tenet tanquam probabilem *Manuel à Conceptione de Pœnit. d. 2. q. 13. num. 196.*

Alij negant dum deſperatur emendatio. Quibus videtur adhærere S. *Carolus Borromeus p. 3. inſtruct. paſtoral. c. 15.* dicens, *Eſt prætere. conſultum abſolutionem differre: donec euidens appareat emendatio in ijs, qui tametſi dicunt, ac pollicentur, quod ſe eximent à peccato: tamen Confeſſario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat.* Pro primis illis verbis, *Eſt præterea conſultum* lingua Italica, in qua Borromæus ſuas inſtructiones ſcribit, habetur, *Differatur adhuc abſolutio donec, &c.* quæ verba videntur non tantum importare conſilium, ſe etiam obligationem.

Ego puto requiri, & ſufficere iudicium probabile de emendatione, licèt habeatur etiam timor de contrario. Vnde amplector doctrinam *Pratelij de Sacram. c. 6. §. 7. num. 853.* qui oppoſito loco S. Borromæi reſpondet. Si prædicta verba importent obligationem, intelligenda eſſe in caſu, quo rationes iſtius metus ſic præualeant rationibus contrarijs, vt Confeſſarius non poſſit prudenter iudicare pœnitentem eſſe rectè diſpoſitum, vt plerumque contingit in exemplis, quæ ibidem adfert: *Ex hoc,* inquit Sanctus, *genere eſſe ſolent plerique adoleſcentes, qui in otio vitam agunt, qui luxui dediti, crapulam, & inhoneſtos amores ſequuntur, qui libidinibus paſcuntur, verba obſcæna proferunt, murmurant, in odijs, ac detrectationibus verſantur quotidie, & confeſſionem differunt in vltimos Quadrageſimæ dies:* ſubdit rectè *Pratelius. Certè non eſt credibile S. Borromæum tantam certitudinem requiſiuiſſe de futura pœnitentis emendatione, vt omnem probabilem relapſus formidinem excluſerit. Imò iudicium illud, quo Confeſſarius iudicaret certum eſſe pœnitentem non eſſe amplius relapſurum, eſſet temerarium, vtpote repugnans inconſtantiæ, & fragilitati humanæ.* Quod procedit etiam reſpectu pœnitentis; frequenter enim euenire poteſt, vt quis habeat explicitum, & firmum propoſitum in futurum non peccandi ſiue venialiter, ſiue mortaliter, & ſimul habeat non tantum ſuſpicionem, ſed timorem, aut perſuaſionem quod præ infirmitate, & inconſtatia animi, quàm ſæpè expertus eſt data occaſione peccandi, non vitabit peccata, ſed occaſioni ſuccumbet, nec tamen ideò illi neganda eſt abſolutio (quantum eſt ex hoc capite) vt cum multis docent *Diana p. 3. tr. 4. reſ. 117. Dicaſtillus de Pœnit. d. 6. num. 246. Anton. à Spiritu Sancto tr. 5. d. 3. ſect. 9. nu. 126. Baſſæus V. Contritio nu. 16.* Nam ad propoſitum firmum non requiritur, vt pœnitens habeat certitudinem ſeu credulitatem ſe non peccandi in futurum, quia credere ſe non amplius peccaturum ſupponit quandam ſuperbiam: aliud enim eſt proponere non peccare in futurum, aliud ſibi perſuadere, & certò iudicare ſe perſeuera-

uiraturum; illud prius eſt voluntatis, pendens tantum ex præſenti propoſito, hoc verò poſterius eſt intellectus, & pendens ex futuro euentu.

24 Secunda difficultas eſt. Vtrum habenti conſuetudinem peccandi lethaliter, & ſimul habenti propoſitum emendationis cognitum à Confeſſario, poſſit ille negare, aut differre abſolutionem, etiam ſine conſenſu ipſius pœnitentis?

25 Et ſuppono primò, ſemper expedire, & melius eſſe per ſe, quod vbi Confeſſarius dilaturus eſt abſolutionem id fiat de conſenſu pœnitentis; ita vt pœnitens cognoſcat, animæ ſuæ, & emendationi propriæ eſſe vtilem eam dilationem abſolutionis: nam correctio, quæ ſpontanee accipitur, fructuoſior eſt; quam ea, quæ accipitur à pœnitente inuito, & indignabundo. Ita communiter Doctores. Vnde non placet *Thomas Hurtadus de abſolut one Sacramentali tr.1.c.6. reſ.24. num.106.* dicens quòd ſi voluntate pœnitentis abſolutio differtur, non erit ita efficax remedium; *ſiquidem non mordet acriter.*

26 Suppono ſecundò, quod quando pœnitens eſt ſufficienter diſpoſitus, & ex dilatione abſolutionis timetur damnum potiùs ſpirituale, quam ſperetur vtilitas pœnitentis, vt purà, quod tædio affectus non redibit, vel in deſperationem actus habenas vitiis laxabit, &c. non poſſit licitè differri abſolutio. Ita *Franciſcus à Ieſu Maria tr.6.c.5.pu.4. num.66. Pratellus*, & alij communiter cum *Card.de Lugo ſupra num.168.*& aduertit etiam *Corella num. 273.*

27 Nonnulli putant, recidiuo ſi ſit benè diſpoſitus ad abſolutionem per verum dolorem, & firmum propoſitum, & hoc appareat Confeſſario nõ debere denegari abſolutionem ex eo quod vix dilatio abſolutionis poſſit illi prodeſſe, & magis proſit frequentia confeſſionis. Sic *Dicaſtillus de Sacram.to.2.tr.8.d.10. dub.29.* his verbis: *Hic profectò hærent non pauci, & fateor me hæſiſſe non rarò, quod enim aliqui dicunt, differendam eſſe illis aliquoties abſolutionem, donec aliquis appareat emendatio, id experientia compertum eſt non rarò nocere, niſi fiat interim, dum melius inſtituitur, & cogitatur de tota re, iuxta ea, quæ dixi d.6. dub.21. De cætero præcisè dilatio rarò prodeſt, & ſæpè nocet, & idem Ioannes Sanchez, quem ibi retuli, non ſatis probat hoc remedium, & Confeſſarij experiuntur non ſemper bene ſuccedere, imò ſæpè malè. Sic enim multi Confeſſarium mutant, vt iam noua ſeries remediorum incipiat, & pro primis vicibus beneficium abſolutionis accipiant, cum quo ſi poſtea non ſuccedant, mutant, & pergunt ad alium, reintegrando etiam ab initio cauſam, & litem. Vnde hîc obiter monuerim Confeſſarios id ipſum debere exquirere à pœnitentibus, quos non rarò tales inuenient. Sed quidquid de hoc ſit, quid faciendum, ſi, licèt non adeat alium Confeſſarium, nec confeſſionem per totum annum omittat, ſed eundem iterum, ac ſæpius conſulat, petatque abſolui, nulla tamen appareat emendatio? an iſte ſic reyciendus eſt? an potius aliquando abſoluendus? ſanè ſi nunquam abſoluatur per totum annum, ea non abſolutio quid*

pote-

Digitized by Google

poterit prodeſſe, ſi alioquin ille capax eſt hîc & nunc, quando accedit? nam ſi non ſit capax, nulla eſt quæſtio, ſed certum eſt nunquam eſſe abſoluendum. Quod ſi capax eſt quando accedit, & aliquoties putetur pro medicina neganda abſolutio, cur toties, & non ſæpius? aut cur, ſi ſemper eſt capax, non ſemper illi confertur, maximè ſi iam experimento notum ſit, non eſſe illi valdè moleſtum aliquoties abſolutione priuari? Vnde illud remedium non video, quid commodi poſſit tunc habere? Imo potiùs incommodi, dum priuatur gratia Sacramenti, & auxilijs, quæ intuitu illius ritè ſuſcepti dari ſolent, alioquin non danda. Propter hæc, & ſimilia raró (fateor) vtendum iudicio prædicto remedio negandæ, aut differendæ abſolutionis, durumque mihi ſemper videtur, pœnitentem capacem tantæ gratiæ illa priuare. Nec tantum æſtimo prodeſſe illum ſiue metum, ſiue moleſtiam negatæ abſolutionis, quantum auxilia gratiæ, & gratia ipſa abſolutionis impenſæ, ſeclusa conuenientia temporis accepti ad melius inſtruendum, & diſponendum, vt iam dixi. In hoc ergo negotio quando iuſtæ, & rationabiles cauſæ non tollendi prædictam occaſionem ſubſiſtunt, etiamſi ſæpius reincidat pœnitens, nec cogendus eſt illam tollere occaſionem, nec priuandus abſolutione, etiam ſæpiſſimè recidiuus: quin potius hortandus, vt ſæpè veniat ad confeſſionem, aliaque media adhibenda, quæ, ſpectato perſonæ ſtatu, & opportunitate, prudenti Confeſſario expedire videantur, in quo vix, imò ne vix poſſunt aliquæ certæ regulæ aſſignari. Hæc doctrina ſic, quantum à me fieri poteſt, declaratur. Vel illa abſolutio tunc eſt neganda propter frequentiam peccandi; vel propter occaſionem non vitatam; non propter hoc vltimum, quia non tenetur hîc & nunc, vt ſupponimus, vitare, non propter illud prius, vt probat diſcurſus factus, quia illa negatio abſolutionis vix poteſt prodeſſe, niſi fortè rariſſimè, magiſque proderit frequentia confeſſionis, & frequens beneficium abſolutionis: ergo ex nullo capite erit neganda ſi alioquin ſit capax pœnitens. Sicut ergo in peccatis, in quibus nec moraliter, nec phyſicè poteſt occaſio pœnitus tolli, vt contingit in peccato mollitiei, potius Doctores, & vſus Confeſſariorum habet iniungere, frequentiam confeſſionis apud eundem Confeſſarium, quam venientem abſolutione priuare. Sic in his peccatis, in quibus, ſi non phyſica, ſaltem moralis impoſſibilitas auertendæ occaſionis reperitur; non videtur exigendum remedium ſeparationis occaſionis, nec remedium denegandæ abſolutionis, cùm hoc Sacramentum Chriſtus inſtituerit non ſolum ad dolenda præterita; ſed ad præcauenda futura peccata. Negata verò abſolutione, vel (quod idem eſt in præſenti) dilata, negatur Sacramentum, atque adeo remedium à Chriſto inſtitutum contra futura peccata. Quis autem vnquam vidit oportere priuare ægrotum, alioquin capacem remedij, optimo, & maximo remedio ad ſanandum vulnus, vt vulnus ſanetur? Itaque concludo, vix oportere vti, quando pœnitens eſt capax abſolutionis, huiuſmodi remedio, niſi fortè, quando per breue tempus differatur abſolutio, vt adhuc perfectius, ſi id ſperatur, diſponatur ad acceptandam illam ipſam illorum peccatorum abſolutionem, quæ tunc debebat conferri: in quo ſenſu loquutus ſum in ea d.6. dubit. 21. quando contendebam poſſe eſſe cauſam differendi abſolutionem,

tardò enim ex mera dilatione abſolutionis poteſt ſperari correctio. Et ſanè non video cur melius ſperandum ſit de peccatore tantum attrito, atque adeo non habente gratiam, & amicitiam Dei ante collatam abſolutionem, quam de illo ipſo iam conſtituto in amicitia Dei per abſolutionem collatam. Quod ſi acceſſerit non iam attritus tantum; ſed contritus, multò magis mihi videtur durum, & abſonum, amicum Dei, & amantem illum ſuper omnia, non iam propter peccata præterita, ſed propter metum futurorum, beneficio Sacramenti, & abſolutione priuare. Hæc ille. Sequuntur *Franciſcus à Ieſu Maria ſupra num.68. Antonius à Spiritu Sancto à num.* 176. qui fatetur in hoc puncto multas preces Deo fudiſſe, *Pratellus*, & alij.

28 Sed dicendum puto ſæpè dilationem prodeſſe cum *Thoma Hurtado ſupra*, qui hæc habet: *Acre enim remedium exigit infirmitas radicata, vt euellatur. Quare hìc, & nunc aptius, & efficacius remedium eſt negatæ abſolutionis, quo veluti ſcalpro, & ligone eradicatur mala conſuetudo, quàm ſuaue beneficium abſolutionis etiam impendentis gratiam, & ſanctitatem, quæ à vepribus, & ſpinis malæ conſuetudinis, & occaſionis peccandi, citò areſcit, ac ſuffocatur, at timore negatæ abſolutionis paulatim eradicatur mala conſuetudo, non creſcunt vepres peccatorum, & ſic diutiùs gratia, & ſanctitas conſeruantur; vel non ita citius relabuntur. Etenim natura corrupta efficacius emendatur, & ad Deum conuertitur timore, quàm ſuauitate, & indulgentia.* Ita ille. Conſonat *Ioannes Cardenas c.2.num.10. & ſeqq.* qui num.12. inquit. *Et ſanè experientia docuit, non paucos peccatores auulſos eſſe à conſuetudine peccandi; cuius rei plura referuntur exempla. Inter alia non leue eſt, quod memoriæ traditum inuenimus apud non vulgarem Authorem, qui fide dignus refert, fœminam quandam, quæ in diuturna peccandi licentia vixerat, acceſſiſſe ad Confeſſarium, qui, vt peritus Medicus, opportunum remedium cenſuit dilationem abſolutionis: quam dilationem ipſa cum magna indignatione accipiens, diſceſſit, ſed die ſequenti redijt, contritione, & lacrymis plena, dicens: Si cæteri Confeſſarij ſic mecum egiſſent, non tandiu perſtitiſſem in deprauatis moribus: & per hoc remedium Confeſſarius lucratus eſt Chriſto ouē errantē. Ad hoc autem magna requiritur prudentia in Confeſſario: nam remedia, quæ aliquibus proſunt, alijs poſſunt nocere, ob diuerſas infirmorum diſpoſitiones.*

29 Remanet reſoluendum, an ei pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi lethaliter, & ſimul habenti dolorem de peccatis, & verum propoſitum emendationis, poſſit Confeſſarius differre abſolutionem, dum videt id expedire ad eius emendationem, & ad maiorem firmitatem propoſiti non peccandi de cætero, etiam ſi pœnitens renuat, & ſit inuitus.

Negant *Ioannes Sancius d.9. num.6. & ſeq.* & alij. Quibus ſubſcripſerunt quidam Doctores Louanienſes, qui in libello ſupplici oblato ſacræ Congregationi aſſeruerunt, hanc eſſe doctrinam communem in Academia Louanienſi: nempe negationem, aut dilationem abſolutionis, quando illa eſt ſimpliciter neceſſaria, fieri debere abſque conſenſu pœnitentis;

quan-

quando verò illa eſt dumtaxat vtilis, fieri non poſſe abſque conſenſu illius. Explicant ibidem cauſas, quæ negationem, aut dilationem faciunt neceſſariam; enumerantes tres, ſcilicet ignorantiam myſteriorum fidei, defectum diſpoſitionis in pœnitente, & proximam peccandi occaſionem. In reliquis autem caſibus, vt differatur abſolutio, petendum eſſe conſenſum à pœnitente.

At dicendum cenſeo, non ſolum differri poſſe abſolutionem à Confeſſario abſque conſenſu pœnitentis, quando ea dilatio eſt neceſſaria; ſed etiam quando eſt vtilis ad emendationē in futurum. Ita *Suarez d.32. de pœn. ſect.2. Azorius to.1. l.11. c.3. quæſ.4. Reginaldus, Villalobos, Sa, Delrius,* & alij, quos ſequitur *Ioannes Cardenas c.2. nu.10. & c.3. nu.26. Torrecilla nu.11. Corella num.272.* & alii. Patet, tum primò. Nam Confeſſarius non ſolum Iudex ſed etiam eſt medicus ſpiritualis, vt conſtat ex *Conc. Trident. ſeſſ.14. c.8. de Sacram. Pœnit.* vbi agens de ſatisfactione, quam imponit Confeſſarius ait, *Medentur quoque peccatorum reliquijs,* & inferius: *Habeant autem præ oculis, vt ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam.* Conſtat etiam ex *Conc. Lateran. in c. omnis vtriuſque ſexus*, illis verbis: *Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, vt more periti Medici ſuperinfundat vinum & oleum vulneribus ſauciati.* Competit ergo ratio Medici ſpiritualis Confeſſario, ad analogiam Medici corporalis. Atqui iſte non ſolùm quando neceſſarium eſt ad conſeruationem vitæ, ſed etiam quando expedit infirmitati non lethali, vult adhibere remedium; in quo prudenter operatur. Quod ſi omninò reſiſtit ægrotus deſerit illum Medicus. Ergo etiam Confeſſarius, &c. Solet autem eſſe remedium opportunum ad emendationem vitæ, quod differatur abſolutio modo dicto. Ergo poterit Confeſſarius adhibere id medicamentum vulneribus ſauciati, quamuis inuiti. Tum ſecundo. Peritus Medicus, qui mederi debet vlceri inueterato, quod gangrænæ proximum eſt, videtque illud combuſtione indigere, non expectat conſenſum infirmi, ſed infirmo renuente comburit: quod ſi infirmus omnino renuit, & manum coercet comburentis, & arcet; Medicus illum deſerit. Sed dilatio abſolutionis videtur veluti combuſtio reſpectu vlceris ſpiritualis. Eodem ergo modo poterit Medicus ſpiritualis in infirmitatibus inueteratis, ſi prudentia dictauerit ita expedire. Tum tertio ex verbis *Concilij Lateranenſi ſupra relati:* ibi: *Prudenter intelligat* (Confeſſarius) *quale debeat ei præbere conſilium, & huiuſmodi remedium adhibere, diuerſis experimentis vtendo ad ſaluandum ægrotum*: id ſoli iudicio Confeſſarij remittens: Atqui homo verſatus in diuturna conſuetudine peccandi, licet de præſenti habeat verum propoſitum non peccandi, adhuc eſt in magno diſcrimine amittendæ ſalutis æternæ; cum ex diuturna conſuetudine oriatur vehemens procliuitas, & propenſio ad peccatum; & contingentia ſubitæ mortis, & incertitudo habendi tempus opportunum ad congruam diſpoſi-

tionem ſemper adſit. Ergo poterit Confeſſarius adhibere remedium, quod viderit, opportunum ad ſaluandum ægrotum, ſiue pro ſecuritate ſalutis æternæ pœnitentis, independenter à conſenſu illius. Atqui ſæpè hoc remedium eſt dilatio abſolutionis: videmus enim plurimos homines, qui toto anno verſantur in conſuetudine peccandi, putà in concubinatu, in odio lethali contra inimicos, in negotiationibus iniquis, & in Paſchate confitentur, & iterum redeunt ad eadem, vel peiora vitia, & in hoc viuendi modo perſiſtunt vſque ad mortem cum magno periculo damnationis æternæ; & multi de facto eam incurrunt, repentina morte adueniente. Videmus etiam, homines quandoque deterreri ab ea conſuetudine peccandi per dilationem abſolutionis. Quidni ergo Confeſſarius hoc remedio vti poterit opportuno ad ſaluandum ægrotum, qui eſt ad inſtar phrenetici, cui etiam renuenti adhibentur remedia opportuna?

Si dicas, nunquam eſſe ſalubre conſilium differre abſolutionem pœnitenti, quia pœnitens fit cautior ad peccata vitanda per virtutem Sacramenti recepti, quam per ablationem Sacramenti. Cum Sacramentum det vberiorem auxiliorum copiam ad non peccandum, quàm negatio Sacramenti, & quam dolor, quem pati poſſet pœnitens ex denegata abſolutione.

30 Contra eſt primò. Si Confeſſarius eſſet omninò certus de veritate, & firmitate propoſiti non peccandi, aliquam vim haberet hæc inſtantia: Confeſſarius autem nunquam habet eam certitudinem de veritate, & firmitate propoſiti in eo pœnitente, qui perſtitit longo tempore in conſuetudine peccandi lethaliter: immò verò ſemper eſt ſuſpicio de defectu propoſiti (propter rationem ſupra traditam) dum non videtur aliquod ſingulare indicium de conſuetudine derelicta. Non ergo rectè aſſumitur, quod gratia Sacramenti conferret maiores vires ad non peccandum, quando forſitan non eſt validum Sacramentum. Salubrius ergo conſilium erit, quod fiat diſpoſitio ſecurior ad Sacramentum recipiendum; quam quod detur abſolutio cum ſuſpicione nullitatis.

31 Contra Secundò: Quia Pœnitens ſic deterritus dilatione abſolutionis manet cum firmiore propoſito non peccandi, & arcendi conſuetudinem illam inueteratam, & conſequenter multò meliore diſpoſitione ad recipendum Sacramentum, quàm antea. Ergo ſic multò maiorem fructum recipit ex Sacramento, quàm ſi antea recepiſſet; immò & fortaſſe multò maiorem, quam in omnibus confeſſionibus toto conſuetudinis tempore factis.

Sed adhuc *Ioannes Sancius num.* 17. contra arguit ſic. Ad confeſſarium qua Medicus eſt, non expectat medela infirmitatis iam ſanatæ per alias confeſſiones, ſed ſola medela infirmitatis præſentis; atque adeo cum ea conſuetudo peccandi, quæ non diſtinguitur à multitudine peccatorum præteritorum, iam ſit ſubiecta alijs confeſſionibus, illa quatenus præterita, &

ta, & confeſſionibus ſubiecta, iam eſt ſanata. Et quamuis ex conſuetudine remaneat inclinatio vehementior ad peccandum de futuro, ea inclinatio, ſine habitus non eſt peccatum, ſed effectus peccati. Ad Confeſſarium autem non ſpectat curare effectum peccati, ſed ipſum peccatum.

32 Reſpondeo hoc argumentum peccare in multis, & maximè primo, quia non bene explicat quid ſit conſuetudo, vt patet ex dictis in *comment. ad Propoſ.58*. Secundò, quia tanquam certum ſupponit infirmitatem conſuetudinis eſſe iam ſanatam; cùm tamen ſit ordinariè vehemens ſuſpicio confeſſiones factas tempore conſuetudinis laborare defectu efficaciæ propoſiti. Et ideo Confeſſarii prudentes, & pii his, qui conſuetudinem diuturnam peccandi iam deſeruerunt, frequenter conſulunt, vt ſe toto eo tempore,quo durauit ea praua conſuetudo faciant confeſſionem generalem, vt reualident confeſſiones præteritas, quæ apud viros prudentes ſuſpectæ ſunt, immò pœnitentes ipſi poſtquã dereliquerunt conſuetudinem peccandi frequenter cenſent, aut ſaltem timent, ſe in confeſſionibus eo tempore factis non habuiſſe firmum propoſitum non peccandi. Ideo ex hoc capite Confeſſarius infirmitatem præſentem ſanare vult, ita vt propoſitum pœnitentis cum maiori ſecuritate euadat efficax. Nam licèt credat probabiliter, pœnitentem habere propoſitum efficax non peccandi; at eo ipſo, quod credit probabiliter, credit cum formidine, augente formidinem inueterata conſuetudine, & conſequenter vult ad hunc finem maioris ſecuritatis adhibere id remedium. Tertiò peccat in eo, quod dicit, non ſpectare ad Confeſſarium vt Medicum ſpiritualem, adhibere medelam effectui peccati, ſcilicet inclinationi ad peccandum de futuro. Conſtat enim ex *locis ſupra relatis Concilij Lateranenſis*, *& Tridentini* ſpectare ad Confeſſorem, vt Medicum adhibere remedia *ad nouæ vitæ cuſtodiam*, quæ ſunt verba *Tridentini*. Et præterea ipſe *Sancius ibidem* admittit poſſe, & debere Confeſſarium imponere pœnitentiam medicinalem ad vitandum recidiuum: & *diſp.103.* aſſerit, poſſe Confeſſarium imponere pœnitenti pro ſatisfactione medicinali aut frequentem confeſſionem pro tempore futuro, aut confeſſionem generalem. Cur ergo nequeat adhibere pro medicina etiam dilationem abſolutionis? maximè cum *Concilium Lateranenſe* verbis ſupra relatis non determinet, quodnam remedium adhibendum ſit.

33 Tertia difficultas. Quid agendum, quando conſuetudo eſt peccati venialis. V.g. maledicendi materialiter, aut iurandi verum ſine neceſſitate, aut mentiendi, aut murmurandi res leues?

Reſpondeo ſi iſta conſuetudo eſt materia remota totalis Sacramenti, id eſt, pœnitens nullum aliud peccatum confitetur, quam iſtam conſuetudinem venialium: in iſto caſu diſcurrendum eſt idem, ac applicandæ ſunt eædem doctrinæ, quæ traditæ ſunt circa conſuetudinem peccatorum mortalium, cum vtraque præbat fundamentum, vt iudicet Confeſſarius

pœni-

pœnitentem non afferre verum dolorem, & propoſitum. Atqui ſi Confeſſarius non eliciat iudicium de vero dolore, & propoſito pęnitentis non poteſt eum abſoluere. Ergo &c. Nec dicas, quod venialia non ſunt materia neceſſaria, & ob ea non poteſt negari abſolutio. Nam in caſu conſuetudinis venialium non negatur abſolutio ob illa peccata venialia, ſed ob defectum doloris de illis, quia quamuis poſſit omitti eorum confeſſio; tamen eo ipſo quod confitentur, debet haberi dolor de illis, quando non concurrit alia materia remota neceſſaria, aut voluntaria. Atqui cum ſint conſuetudinis, non poteſt Confeſſor elicere iudicium, quod adſit dolor de illis (niſi in caſibus dictis in §. *ſuperiori.*) Ergo &c. Verùm ſi pœnitens vltra conſuetudinem venialium, confitetur aliquod peccatum veniale, aut mortale vitæ præteritæ, aut præſentis, de quo non habet conſuetudinem, poteſt abſolui, dum habet de illo dolorem, & propoſitum. Sicut enim peccata venialia ſunt materia voluntaria confeſſionis, ita etiam doloris. Ita *Corella hic num.* 277. *& ſeqq.* & alij.

PROPOSITIO LXI.

Poteſt aliquando abſolui, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

PROPOSITIO LXII.

Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua vtilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

PROPOSITIO LXIII.

Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali vel temporali noſtro, vel proximi.

1 AVctor harum Propoſitionum videtur eas deſumpſiſſe ex *Ioanne Sancio in ſelectis d.* 10. *& Baſilio Pontio Legionenſi de matrim. in appen-*

pend'ce c.6. & quibuſdam alijs. Primam, & vltimam attribuunt *Baunio in theol. mor. p. 1. tr. 4. de pœnit. q. 1. pag. 93. & 94.* vbi dicit, quod tametſi occaſio proxima peccandi dicenda ſit, quæ per ſe ad peccatum ducit, & in qua homo conſtitutus nunquam, aut ferè nunquam immunis eſt à lapſu, poſſit nihilominus in ea manere, imò ſeſe vltrò in hanc coniicere, ob ſpirituale, aut temporale ſuum aut proximi bonum. Secundam verò videtur docuiſſe idem *p. 1. tr. 9. q. 19. pag. 94.* vbi ait. Quod ratio damni temporalis faciat, vt abſolui queat conſtitutus in proxima occaſione peccandi, tametſi eam non relinquat.

2 At cuiuſuis Doctoris ſint, certum eſt, etiam ante hoc Decretum fuiſſe à Theologis communiter reiectas; & prima ex iſtis fuit in ordine ſecunda inter ſeptemdecim, quas Facultas Louanienſis anno 1653. iudicauit, & reſoluit in praxi non eſſe tolerandas, & ſuperiorum auctoritate meritò prohibendas. Et tertia fuit prima in ordine, quam eadem Facultas die 4. Martii anno 1657. cenſurauit falſam, temerariam, pernicioſam, atque ab auditu fidelium procul arcendam aſſertionem.

SVMMARIVM.

§. I.

3 *Quid eſt occaſio peccandi, quidue periculum peccandi, & quotuplex?*

4 *Quid eſt periculum materiale peccandi, quidue formale. Et quantum neceſſaria vtriuſque notio?*

5 *Quid eſt occaſio peccandi proxima, quid ve remota? Et ex quo tuplici capite eſt proxima, nempe quando ex ſua natura, & quando ex euentu. Et impugnatur Caramuel.*

6 *Occaſio proxima poteſt eſſe ad peccandum in determinata materia, & in communi; poteſtque verificari in omni genere peccatorum.*

7 *Quando quis dicitur frequenter peccare, & eſſe in occaſione proxima?*

8 *Quæ eſt occaſio proxima peccandi voluntaria, quæue neceſſaria?*

9 *Occaſio proxima quot modis poteſt abijci?*

10 *Cur, qui eſt in occaſione peccandi remota, poſſit abſolui?*

§. II.

11 *Semper eſt illicitum quærere occaſionem proximam peccandi, pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi. Et contraria aſſertio eſt hoc decreto fulgurita.*

12 *Quærere directè occaſionem proximam peccandi, eſt velle directè periculum proximum peccandi; quod numquam licet.*

13 *Aperitur etiam falſitas propoſitionis ex eo, quod bonum Spirituale animæ propriæ præferendum eſt cuicumque bono temporali proprio, & cuicumque bono ſiue ſpirituali, ſiue temporali alterius.*

14 *Nequit non velle ipſam occaſionem peccandi ille, cui occaſio talis eſt, vt poſ-*

poſſit eam vitare.

15 *Ex his affertur vera reſolutio duorum caſuum, quos affert Sancius.*

16 *Non obeſt factum Iudith, & quare?*

17 *Si ſubſit periculum formale peccandi, nec quis poteſt adire Infideles, & Paganos ad ſatagendum de eorum conuerſione, nec fœmina Catholica matrimonio iungi viro infideli, aut hæretico propter ingens bonum inde reſultans.*

18 *Non licet quærere directè occaſionem proximam peccandi nec ſibi, nec alijs, pro bono Spirituali, &c.*

19 *Suadetur ex eo, quod hic eſt cooperari ad malum, quod nullo fine licet.*

20 *Nequit abſolui concubina habens voluntatem viſitandi concubinarium in agone mortis, ſi ſciebatur eſſe concubina. Similiterque peccat maritus, qui cum vxore paciſcitur, vt ampſio eam ad adulterium ſollicitanti dicat:* Contenta ſum, vt venias hac nocte, tali hora, *etiamſi non addat,* & commiſcebimur.

21 *Aliud eſt de permittente peccatum alterius cum ſpe certa, vel valde probabili, vt ſic deprehenſus corrigatur.*

22 *Peccat mortaliter, qui permittit peccatum alterius eo ſolo fine, vt quis de peccatis illo puniatur.*

23 *Qui eſt in occaſione proxima peccandi lethaliter, quando ipſi eſt voluntaria, tenetur graui obligatione deſerendi illam. Et contrarium aſſerere ſubijcitur cenſuræ huius decreti, & Alexandri VII.*

24 *Suadetur ex Scriptura, Patribus, & ratione.*

25 *An ſola frequentia conſtituat occaſionem proximam peccandi ex euentu, vel requiritur, quod ferè ſemper, aut ſæpius peccet, vel non peccet?*

26 *Quando, & in quibus peccatis occaſio per actus proprios ſpoliatur periculo formali?*

27 *Vbi occaſio non exuitur periculo formali proximo; peccatum mortale, quo huic periculo exponitur, eſt eiuſdem ſpeciei cum actu, ad quem ordinatur.*

28 *Peccat mortaliter, & abſolutio impartienda non eſt illi, qui occaſionem proximam efficiendi ſcienter opus dubium, an ſit illicitum mortaliter, non vult relinquere voluntariè.*

29 *Concubinarius dum eſt in occaſione proxima peccandi, concubinam domi retinens, non eſt abſoluendus antequam remoueat occaſionem. Et qui contradicunt.*

30 *Suadetur primo ex eo, quod nequit abſolui manens in ſtatu peccati mortalis, ac in periculo proximo infringendi propoſitum expellendi.*

31 *Quare non contingit eſſe propoſitum expellendi in eo, qui cum poſſit de præſenti expellere concubinam, non expellit, ſed elicit propoſitum expellendi de futuro?*

32 *A fortiori non eſt abſoluendus concubinarius non habens propoſitum reijciendi con-*

Digitized by Google

di concubinam, ſed magnum dolorem, & firmiſſimum (vt putat) propoſitum non amplius cum ea peccandi.

33 *Aliud eſt, ſi propoſitum non amplius peccandi fuit ita intenſum, & ſolidum, vt re vera vir, & mulier ſint emendati, & ſimul cohabitent, vt frater, & ſoror, idque diuturni temporis experientia conſtet. Sed quid ſi factum ſit notorium?*

34 *Probatur ſecundo noſtra aſſertio ex eo quod præceptum negatiuum, quale eſt non retinendi occaſionem proximam, obligat ſemper, & pro ſemper.*

35 *Tertio ex eo, quod ille, cui de præſenti inſtat obligatio exequendi aliquod, non implet obligationem per hoc, quod habeat propoſitum exequendi illud de futuro.*

36 *Confirmatur ex eo, quod in periculis iacturæ corporalis, imprudentiſſimus cenſetur, qui cùm poſſit eripere ſe ſtatim ab illis, id non præſtat.*

37 *Quarto ex eo, quod deficiat propoſitum implendi omnem obligationem grauem.*

38 *Non poteſt abſolui concubinarius, qui prima vice ſe accuſauit de occaſione proxima ignorans, eam occaſionem eſſe impedimentum ad abſolutionem.*

39 *Huiuſmodi concubinarius non poteſt abſolui ante expulſionem, etiam ſi videatur accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ cum contritione perfecta propter Deum ſummè dilectum.*

40 *Quare poteſt abſolui non ſemel conſuetudinarius, vt ſupra, & non concubinarius? Et qui non reſtituens realiter alienum ante abſolutionem, poſſit abſolui?*

41 *Quid ſi concubina non eſt in domo concubinarij, ſed extra domum?*

42 *Aſſertio, quæ docet poſſe abſolui concubinarium prima, aut ſecunda vice, ſubiacet huic damnationi.*

43 *Suadetur ex eo, quod damnatur aſſertio docens, poſſe abſolui eum, qui cum poſſit, non vult omittere occaſionem.*

44 *Ad quid teneatur qui luxurioſè abuſus eſt ſerua pretio empta? Ad quid verò fœmina, quæ, vt famula detinetur, ſi ſemel, aut bis copulæ conſenſerit, ſed pluries deinde reſtiterit, & victoriam reportarit.*

45 *Si occaſio ſit neceſſaria, pœnitens non tenetur ſtatim declinare talem occaſionem materialiter.*

46 *Suadetur ex* c. conſultationi, de frigidis, & maleficiatis. *Et cur non obſtat illud: Qui amat periculum, peribit in illo?*

47 *Tenemur autem eam occaſionem declinare formaliter, ſed quomodo?*

48 *Quid in filiofamilias, qui non poteſt expellere è domo concubinam, nec ipſe poteſt deſerere domum?*

49 *Quæ adhibenda ſunt ad extenuandum periculum formale in filiofamilias, & ſimilibus?*

50 *An eædem regulæ cum iſtis ſeruandæ ſunt ad extenuandum periculum formale, ac cum recidiuis?*

51 *Ab occaſione proxima extrinſeca repellenda non excuſat cauſa aliqua vtilis, aut honeſta, ſed ſola impoſſibilitas phyſica, aut moralis. Et contraria aſſertio hoc decreto abigitur.*

52 *Suadetur multipliciter.*

53 *Quid ſi famula, quæ concubinario dat occaſionem peccandi; illa, vel alia omnino neceſſaria ſit domui, ita vt ſit impoſſibile moraliter eſſe ſine aliqua, & non ſit ſpecialis affectus erga illam?*

54 *Nota grauis inurbanitatis, & ſimilis non excuſat.*

55 *Nec ille, qui occaſionem habet proximam peccandi, quia ſe coniungit amicis incitantibus ad peccatum, à quibus nequit ſe ſeparare ſine notabili damno, vel nota inter nobiles.*

56 *Quid de iuuene, qui paupertate preſſus dormit cum aliquo in eodem lecto, cum quo habet tactus impudicos. Etc?*

57 *Quid de illis, qui ob metum cadentem in virum conſtantem ſunt in occaſione proxima peccandi.*

58 *An ſint abſoluendi exercentes artem, vel modum viuendi per ſe licitum, ſi per accidens illis ſit occaſio proxima peccandi.*

59 *Opinio docens licitum eſſe non fugere occaſionem proximam cum iactura diuitiarum ſubit damnationem.*

60 *Nulla cauſa eſt ſufficiens, vt quis non teneatur auertere periculum proximum peccandi mortaliter.*

61 *Suadetur: Quia eſt in poteſtate hominis adhibere media, per quæ extenuatur periculum proximum.*

62 *Quid obſeruare debet Confeſſarius incidens in concubinarium impotentem expellere occaſionem.*

63 *Quid dicendum, quando, impoſſibilitas expellendi occaſionem eſt Theologica?*

64 *Quid ſi detur complicatio periculorum?*

§. *III.*

65 *An occaſionem proximam conſtituat periculum tum certum, tum etiam probabile peccandi?*

66 *Quando periculum eſt certum, quando probabile?*

67 *Ad occaſionem proximam peccandi letbaliter ſufficit periculum probabile.*

68 *Probatur dupliciter.*

69 *Oſtenditur argumentum Caramuelis, nempe vbi datur periculum probabile peccandi, probabile eſt non dari periculum, eſſe ſophiſticum, vt proponitur in multis materijs.*

70 *Directè verò deſtruitur, dicendo, periculum probabile eſſe certum quoad exiſtentiam periculi.*

71 *Periculum eſt probabile, ſed non eſt probabile te poſſe exponere tali periculo.*

§. PRI-

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

3 PRænotandum, eſt primò, Occaſionem peccandi eſſe *Impellens extrinſecum ad peccandum:* periculum verò ex *Caramuele in Theol. fundamen. num. 535. eſſe inclinationem ad futuritionem mali.* Benè tamen aduertit *Ioannes Cardenas hic diſſert. 40. c. 2. num. 10.* quod nomine inclinationis non intelligitur inclinatio volutatis, aut iudicij; ſed motiuum antecedens ad futuritionem peccati, ex quo motiuo prudentes colligunt, impendere eam peccati futuritionem. Et quia quandoque non eſt omninò certa futuritio, ideo non dicitur illatio, ſed inclinatio. Ipſe verò clarius explicans, inquit, periculum peccandi *eſſe motiuum inclinans ad futuritionem peccati*. Inclinans, inquam, in genere motiui. Dixerat verò in *Criſi Theologica p. 1. diſp. 18. c. 2. num. 8.* cum dicitur periculum eſſe inclinationem ad damnum futurum, non intelligi, hoc eſſe re ipſa futurum; id enim falſum eſt; cum ſæpè detur periculum, quin reipſa ſit futurum damnum, ſed eſſe motiuum inclinans ad hoc, quòd damnum ſit futurum. Hinc colligit, periculum duo dicere, & habitudinem, ſiue motiuum inclinans tanquam conſtitutiuum periculi; & futuritionem damni, tanquam terminum eius habitudinis, ſiue inclinationis. Ex definitione vero tradita Occaſionis, habes Periculum magis latè patere, quam Occaſionem; nam occaſio eſt impellens extrinſecum: periculum verò poteſt eſſe etiam intrinſecum. Vnde communiter diuiditur in intrinſecum, extrinſecum, & mixtum. Intrinſecum eſt quòd oritur à propria fragilitate; vel ab habitu vitioſo: ſeu peccandi conſuetudine: hoc reperitur in iuuene conſueto ad ſe polluendum. Extrinſecum eſt, quod independenter à propria fragilitate intelligitur inclinare ad peccatum; qualis eſt violentia metus, perſuaſio amici ad peccandum, &c. Mixtum eſt, quod componitur ex vtroque; vt occaſio extrinſeca adiuncta propriæ fragilitati.

4 Notandum eſt ſecundò: Periculum aliud eſſe materiale, aliud formale: quę diſtinctio neceſſaria eſt ad diſcernendum, quando, aut quomodo periculum formale tranſit in materiale, & licèt ex nulla cauſa poſſit quis ſe ingerere periculo formali peccandi: *Qui, enim, amat periculum, peribit in illo*, vt ait Sapiens, ex cauſa neceſſaria poteſt ſe quis ingerere periculo materiali vt infra. Igitur periculum materiale, eſt ipſa occaſio, aut circumſtantia extrinſeca: quæ prouocat, vel inclinat ad lapſum: periculum verò formale eſt illud, quod conſideratis omnibus circumſtantijs extrinſecis, & intrinſecis, inclinat ad lapſum. Hoc communiter exemplificatur in duobus hominibus quorum alter ingreſſurus domum, in qua peccare luxurioſè con-

Digitized by Google

fuerit, ſecum ſtatuit propoſito tepido, & remiſſo ſe non peccaturum: alter ingreſſus in ſimilem occaſionem ex cauſa neceſſaria, Dei timore perculſus propoſitum facit intenſiſſimum non peccandi, ſuperadditque feruentem ad Deum orationem cum magna fiducia obtinendi à Deo ſpeciale auxilium; poteſt fieri, quod hic ſecundus non incurrat periculum formale peccandi, ſi nimirum magna ſit conſtantia ipſius in propoſitis ſeruandis, & continuandis precibus ad Deum, quod experientia comprobare poteſt: Ea enim firmitate propoſiti, & fiduciæ in Deum roboratus, & ea certitudine iudicij ad ſecuritatem tractus, magnopere extenuat periculum, & aliquando omnino illud exterminat. Primus vero incurrit periculū formale; nā propoſitū non peccandi tepidū, & remiſſum non extenuat periculū peccandi.

15 Notandum eſt tertio. Quod occaſio peccandi duplex eſt, proxima, & remota. Proxima eſt illa, quæ ex ſuo genere talis ſit, vt frequenter homines ſimilis conditionis ad peccatum mortale inducat; vt commoratio V.g. adoleſcentis, & adoleſcentulæ ſine teſte & comite intra cubiculum, & clauſo oſtio: vel certe experimento conſtet in homine habere talem effectum; ſeù ea poſita in hoc homine, eum frequenter peccare. Ita *Suar. to. 3. in 3. p. d. 32. ſect. 2. n. 4. Car. de Lugo d. 14. de Pœnit. ſect. 10. n. 149. Sanchez l. 1. Decal. c. 8. n. 1. Caſtropalaus to. 1. tr. 2. d. 2. pu. 9. §. 3. n. 2. Dicaſtillus to. 2. de Sacr. tr. 8. d. 6. dub. 19. n. 327. Candidus diſq. 24. ar. 27. dub. 1. n. 2. Corella hìc n. 281. & ſeq.* Hæc autem occaſio proxima peccandi conſtituitur per duo prædicata, nẽpe circũſtantiã extrinſecã, & periculum formale proximũ peccandi, vt recte *Ioannes Cardenas hìc cit. c. 12. nu. 8.* Et ratio eſt manifeſta; quia ſola circumſtantia extrinſeca non poteſt eſſe occaſio proxima peccandi: nam quod homo habitet in eadem domo cum fœmina, non ſufficit, vt ſit occaſio proxima peccandi ex natura ſua, cum multi homines, & fœminæ ita habitent ſine tali occaſione. Vbi autem ei cohabitationi accedit periculum formale peccandi, tunc adeſt occaſio proxima. Vnde omnis occaſio proxima peccandi affert periculum proximum peccandi. Sed non omne periculum proximum peccandi, dicit occaſionem proximam. Nam occaſio proxima dicit circumſtantiam extrinſecam; hæc autem non requiritur ad periculum proximum. Qui enim ex propria fragilitate intrinſeca habet diuturnam conſuetudinem ſe polluendi, habet periculum proximum peccandi, ortum ex habitu intrinſeco per conſuetudinem acquiſito, qui habitus, vt potè diuturna conſuetudine acquiſitus, eſt valdè intenſus, atque adeo inclinat vehementer ad continuanda ea peccata. Verum omne periculum proximum extrinſecum peccandi dicit occaſionem proximam, & ſic vt occaſio proxima, ita & periculum proximum extrinſecum peccandi non ſolùm ex experientia, ſed etiam ex ſuo genere. Malè ergo *Caramuel in commentario in Regulam S. Benedicti d. 70.* & in *Theol. fundam. edit. Francofurt. fund. 11. num. 301.* ſupponit, quantitatem periculi labendi in peccatum naſci dumtaxat ex propria experientia: independenter enim à

pro-

propria experiẽtia eſſe multa genera periculi proximi indubiũ eſt. Si enim iuuenis luxurię auidiſſimus futurus ſit ſolus tota nocte cum fęmina, quam à fide dignis audiuit Veneris etiam auidiſſimã, quilibet prudens certò ſibi ſuadebit illum lapſurum antequam attendatur ad quamlibet experientiã; atque adeo id eſt periculum proximum. Datur ergo independenter ab experientia lapſuũ periculũ proximũ. Vel ſi neges, nega etiam, defectu experientię ſubire proximum mortis periculum illum, qui ſæuo leoni appropinquaret, & eum pugnis, percuteret. Si in publica agitatione taurorum ex duodecim hominibus, qui ad agitandos tauros propè acceſſerunt, decem occiſi ſunt, nunquid decimus tertius qui vult accedere, expectabit propriam experientiam, vt agnoſcat, ſibi imminere proximum periculum mortis, ſi accedat? Sic & iuuenis ſupra exemplificatus certò diſcurret: *Non ſum fortior cæteris meis, quos in hac vrbe cognoſco: atque illi omnes in hac, & ſimili occaſione labuntur: ergo & ego*. Nam vt ipſe victor euadat, vbi cæteri vincuntur; maiori fortitudine opus eſt: & cum ipſe agnoſcat, nihil in ſe eſſe, quod fortiorem, vel ſecuriorem reddere poſſit, certum format iudicium de eodem proximo periculo ſibi impendente. Ideoque ipſemet *Caram. in Theol. editionis Lugdunenſis num.* 538. ſuum aſſertum modificans aſſeruit, eum, qui caret propria experientia, aliena duci debere. Sed præter propriam experientiam, & alienam, eſſe etiam alia motiua ſuadentia periculum proximum, conſtat ex dictis. Occaſio verò remota eſt, quæ quamuis aliquo modo inducat ad peccatum, non tamen habet frequentem coniunctionem cum peccato. Quæ etiam vel eſt talis ex ſuo genere: vt eſſe in hoc mundo inter mundanos vbi tot ſunt motiua peccandi, vt exemplificat *Corella hìc num.* 281. & etiam ex euentu, & experientia, dum ſcilicet in tali occaſione raró accidit, vt exemplificant communiter.

6 Notandum eſt quartò. Quod occaſio proxima poteſt eſſe in determinata materia, purà ad peierandum, ad blaſphemandum, &c. Vel poteſt eſſe in communi circa plures materias, purà ſi quis expertus ſit frequenter facere, quando cum aliquo amico verſatur, vel blaſphemando, vel detrahendo, &c. Ita Verde in *Anaceph. tit.* 17. *§.* 2. *nu.* 511. Addit etiam & benè *Corella hìc num.* 283. quod occaſio proxima poteſt verificari in omni genere peccatorum & non ſolùm in peccatis operis, ſed etiam verbi, & cogitationis? V. g. ſi ſociatus cum tali ſemper, aut ſæpius furetur, murmuret, non audiat Miſſam, iuret &c. In iſto caſu ſocietas huiuſmodi erit occaſio proxima, ſi ex viſitatione cuiuſdam fœminæ ſequeretur frequenter deſiderium turpe circa illam, ipſæ viſitationes eſſent occaſio proxima: ſi ex ludo ſequeretur frequenter periurium, blaſphemia, maledictio, ludus eſſet occaſio proxima eiuſmodi peccatorum.

7 Notandum eſt quintò. Quod non dicitur frequenter peccare, & eſſe in occaſione proxima, qui cum ancilla, vel alia tertia perſona ter, vel quater in anno peccauit repentina libidine correptus, Ita *Craſſus l.* 1. *deciſ.*

aure.

Digitized by Google

aur c.28.num.13. Candidus l.c.dub.5.n.7. Piſtachius.to.1.de voto tr.6.c.3.num. 17. Imo neque ſex vices conſtituunt occaſionem proximam reſpectu anni *Paulus Segneri* in libello, cui titulus *il Confeſſore inſtrutto c.5.num.1.* Nec ſi ſemel in menſe ſecundum *Cæleſtinum* compendio *Theol. mor.* quem refert & ſequitur *Bertaldus in direct 6. præc.decal.in fin. num.3.& Corella hic num.* 282. ait quod in vno anno peccare cum ancilla &c. viginti vicibus non conſtituit occaſionem proximam. Non tamen requiritur, quod frequentius cadat, quàm non cadat, ſed ſufficit, quod frequenter cadat. Vnde conſideranda eſt frequentia occaſionis, ſeù motiui, extrinſeci impellentis. Et idem *Bertaldus* in regulis prudentiæ in confeſſ. Tertia regula, ait, ex quodam Caſuiſta, quod ille, qui expertus eſt quod non eſt in tali occaſione per tres vices repertus, quin vna vice ceciderit eam cenſere debeat occaſionem proximam: ſatius eſt hoc remittere iudicio prudentis Confeſſarij, qui ex circumſtantijs perſonarum, loci, temporis, & alijs agnoſcere poteſt periculum adeſſe proximum, vel remotum. Et prætetea iſta frequentia attendenda eſt relatiuè. Vnde ſi quis viator quoties tranſiens per aliquem locum, & in vno hoſpicio commoratur, toties peccat cum domina illius, licèt ſex tantum vicibus quolibet anno tranſeat, & ibi commoretur, dicitur habere occaſionem proximam ibi, vt benè *Paulus Segneri* vbi ſupra, & alij.

8 Notandum eſt ſextò: Occaſionem proximam aliam eſſe voluntariam, aliam neceſſariam. Voluntaria eſt, quæ continet periculum voluntarium: neceſſaria, quæ neceſſarium. Porrò periculum eſt voluntarium, quando eſt in poteſtate hominis auferre periculum, nullâ neceſſitate cogente ad retentionem periculi. Periculum duplici ex cauſa poteſt fieri neceſſarium; aut ex neceſſitate Theologica, ideſt ex præcepto obligante: quale eſſet periculum, quod ſubiret Chirurgus, qui ex charitate, vel iuſtitia tenetur mederi fœminæ extremam neceſſitatem patienti: cum non eſſet alius, qui mederetur: & ille, cui ad vitandum ſcandalum neceſſe eſt retinere domi fœminam ſibi periculoſam. Aut poteſt oriri periculum neceſſarium ex neceſſitate phyſica, vel morali. Vt qui violentia ſatellitum inducitur in carcerem, vbi inuenit periculum percutiendi inimicum in eodem carcere detentum, vel ſodomiticè peccandi cum iuuenculo ibi detento. Ille enim neceſſitate phyſica adactus conijcitur in id periculum: & filiafamilias, quę morali neceſſitate cogitur ad exiſtendum in domo paterna, in qua iuuenis habitat ſibi periculoſus, non habens in poteſtate ſua expulſionem iuuenis. Benè verò aduertunt Doctores, id periculum, quod dicitur neceſſarium, abſolutè non eſſe tale, niſi quoad circumſtantiam externam. Vnde fit, quod occaſio proxima peccandi, dumtaxat ſit neceſſaria, aut inuoluntaria quoad circumſtantiam externam: quod autem ſit proxima, voluntarium eſt homini. Nam, vt ſupra dixi, quod occaſio ſit proxima, præter circumſtantiam extrinſecam, dicit periculum peccandi, ortum ab intrinſeco;

Digitized by Google

ſeco ; nempè à propria fragilitate ; & aliquando etiam ab habitu vitioſo ; quibus reſiſtere liberum eſt homini: & ideo in poteſtate libera hominis eſt facere , quod occaſio non ſit proxima , ſcilicet per actus proprios virtutum.

9 Notandum eſt ſeptimò ex *Lanfrancho to. 2. opuſc. 2. c. 2. num. 5.* quod occaſio proxima poteſt dupliciter abijci , vel formaliter , procurando per media obuiantia , vt roboretur contrarium eius , quod tali poſita occaſione inducere ſolebat ad peccandum : vel per mutationem aliquarum circumſtantiarum efficiendo , vt illa res , quæ erat occaſio , amplius non ſit occaſio , & quæ inferebat graue periculum , ipſa ſecundum ſuam ſubſtantiam immutatam amplius non inferat. Vel poteſt abijci materialiter , expellendo rem ipſam , quæ erat occaſio proxima peccandi : vt ſi mulier domi habitans erat mihi proxima occaſio peccandi , ipſa expellatur : vel ſi illa via erat mihi proxima occaſio peccandi , eamdem impoſterum prorſus relinquam.

10 Notandum eſt octauò. Quod qui eſt in occaſione remota , poteſt abſolui , vt probaui in *Lapide Lydio Theol. in commenț. ad Propoſ. 41.* alioqui (*vt inquit Apoſtolus 1. ad Cor. 6.*) *debueramus omnes exire de mundo* ; nam etiam in ipſa ſolitudine , & in artibus licitis adeſt occaſio remota peccandi , poſſunt tamen benè exerceri. Vnde de iſta occaſione remota non loquuntur Propoſitiones iſtæ proſcriptæ , vt omnes hic notant , ſed de proxima. His prænotatis , ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

11 Dico primò : Nunquam eſt licitum quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali , vel temporali noſtro , vel proximi. Et contraria aſſertio huius Propoſitionis 63. meritò vt minimum cenſura ſcandaloſæ configitur.

12 Probatur primò. Quia quærere directè occaſionem proximam peccandi eſt velle directè periculum proximum peccandi : Atqui nequit quis velle directè periculum proximum peccandi : Ergo nequit quis directè quærere occaſionem proximam peccandi. Conſequentia eſt legitima. Minor conſtat , ex illo *Eccleſiaſt. 3. v. 27. Qui amat periculum in illo peribit.* Maior probatur. Qui directè quærit occaſionem , ita quærit , vt ſi velit , poſſet ab ea recedere : ſi enim nequit , non quæret , ſed erit illi neceſſaria. Ergo qui directè quærit occaſionem proximam peccandi , directè vult periculum proximum. Atqui , moraliter loquendo , perinde eſt velle periculum proximum peccandi , ac velle peccatum : *Quia in moralibus*

eiuſ-

Digitized by Google

eiuſdem malitiæ eſt conſtituere ſe voluntariè in morali periculo, & proximè committendi aliquod crimen, & committere illud, inquit optimè *Suarez to. 5. in 3. p. d. 18. ſect. 3 num. 16.* Ergo nequit quis velle occaſionem proximam peccandi, quin velit etiam ipſum peccatum.

13 Probatur ſecundo. Bonum ſpirituale animæ propriæ præferendum eſt cuicumque bono temporali proprio, & cuicumque bono ſiue ſpirituali, ſiue temporali alterius, ita exigente tum ordine recto rerum, tum recto ordine charitatis: Ergo non eſt quærenda illa occaſio, in qua ſit periculum boni ſpiritualis proprij, ſiue propter bonum temporale vel ſpirituale alterius. Antecedens conſtat ex illo *Matthæi 5. Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum:* & ex illo eiuſdem 16. *Quid prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Probatur conſequentia; quia ſi poſſet quæri directè occaſio proxima propter alterutrum ex his bonis, præponeretur bonum temporale bono ſpirituali proprio contra rectum ordinem rerum; aut bonum extraneum bono proprio contra ordinem rectum charitatis: Ergo talis occaſio nequit directè quæri, etiam propter talia motiua. Hinc patet non habere locum limitationem, quam affert *Caſſinus à S. Elia V. occaſio 3. nu. 4.* quod ſi bonum ſpirituale, vel temporale noſtrum, aut proximi, ſit iudicio prudentis adeo notabile, vt pro illo non vrgeat præceptum vitandi proximam occaſionem peccandi, liceat quærere directe id, quod eſt occaſio proxima peccandi. Nam argumentum procedit, ſtante quocumque bono ſpirituali, vel temporali proximi, vt etiam conuincit ſequens.

Probatur tertiò. Nequit quis habere voluntatem committendi, vel leue peccatum, etiam propter bonum valde ingens ſpirituale, vel temporale totius mundi; vt in confeſſo eſt apud omnes: Ergo nequit quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, aut temporali proprio, vel proximi. Probatur conſequentia: nam occaſio illa proxima, dum manet in eſſe proximę, affert ſecum formale periculum peccandi: ſed velle periculum formale peccandi, peccatum eſt, vt omnes fatentur. Ergo qui vult huiuſmodi occaſionem, vult peccatum. Hinc ſubſumitur. Nequit quis velle peccatum, etiam pro ingenti bono ſpirituali, aut temporali ſui, vel alterius. Ergo nequit quærere directè eiuſmodi occaſionem pro tali bono ſui, vel alterius.

Si dicas cum *Sà cit.* Qui quærit directè occaſionem proximam peccandi propter ingens bonum ſui, vel alterius, non vult directè tale periculum, ſed intendit directe tale bonum; quia tamen ad illud aſſequendum medium eſt eiuſmodi occaſio, illam quęrit, ſed non vult; ſicut qui interficit impetentem ſe, non vult homicidium alterius; ſed quia nequit propriam vitam protegere abſque morte alterius, illam perpetratur intendens bonum ſeruandæ vitæ propriæ. Pariformiter qui quærit occaſionem proximam peccandi propter tale bonum, id intendit, & vult, vtiturque occaſione

ad

ad illud conſequendum, quin velit occaſionem huiuſmodi. Ergo poteſt illam directè quærere propter eiuſmodi bonum: cum nolit occaſionem, ſed bonum ex ea conſequendum.

14 Contra eſt. Quia nequit non velle ipſam occaſionem proximam peccandi ille, cui occaſio talis eſt, vt poſſit eam vitare, ſic enim occaſio eſt in illius poteſtate, & conſequenter ipſi voluntaria. Sed qui eam directè quærit, ità ingreditur occaſionem; vt poſſit eam vitare non quærens, ſi nimirum eam non aggrediatur; ergo talis occaſio eſt ipſi voluntaria; atque adeo rectè prohibitum, quod eam quęſierit. Neque exemplum de occidente aggreſſorem aliquid euincit: nam cũ homini ſit obligatoriũ ſeruare propriã vitã, & illã nõ ſeruare ſit illi moraliter impoſſibile, quia ſeruare eſt moraliter neceſſarium; peto, vel ei ſupereſt aliud medium ad tuendam vitã prętcr occiſionem aggreſſoris; vel non: ſi ſupereſt, nequit occidere, ſed eligere illud aliud medium; ſi non ſupereſt, tenetur hoc exequi, cum ſit vnicum ad tuendam vitam, cuius conſeruatio ipſi moraliter neceſſaria eſt, ad modum, quo infra dicetur de fugiendo Leone, dum non datur aliud medium ad tuendam vitam.

15 Ex his ſequitur duorum caſuum reſolutio, quos affert *Sancius num. 9.* quorum primus eſt de muliere alicubi incluſa, quam ſolus Ioannes E. g. ſciat, cuius ſubueniendæ neceſſitati tenetur; ſed tamen experitur, dum defert ei cibum, verſari in proxima occaſione peccandi, vnde dum defert, videtur eam occaſionem quærere. Dicendum enim eſt cum *Pi. ano hic num.* 10. & alijs, quod etiam hic non poteſt quærere directè occaſionem proximam, vt proximam; quia hæc dicit formale periculum peccandi, ſed vt opus charitatis exerceat debet efficere, vt ea occaſio non ſit proxima, nempe munire ſe pijs cogitationibus, ac per actus virtutum, in quo caſu externa occaſio non dicetur proxima occaſio peccandi; vel per alium, ſi commode fieri poteſt, mittere cibũ; vel illi afferendo cibũ, ponat aliquantulũ diſtantẽ, ne eam videat curando, & ſtatim diſcedat. Quod ſi hæc fieri non queunt, (caſus eſt fere metaphyſicus) potiùs abſtinere debet à ferculo miniſtrando, quã occaſionẽ peccandi ſubire. Patet ex ordine charitatis, quo tenemur plus animę ſalutem diligere, quàm vitã corporalẽ noſtrã, vel proximi, vt docet *S. Thomas 2. 2. q. 29. ar. 4. & q. 44. ar. vlt.* vbi docet magis debere diligere ſalutem ſpritualem proximi, quam corpus proprium: Ergo multò magis ſalutẽ ſpiritualem noſtram, quàm corpus alienum, cum magis teneamur diligere, noſmetipſos, quã proximum; & hoc conſonat doctrinæ *Bannez 2. 2. q. 43. ar.* 8. quã malè allegat *Sancius* pro ſe, *in 2. 2. q. 26. ar. 5. §. Sed & ſi quæras:* ibi enim ſapientiſſimus Magiſter clarè loquitur de eripiendo proximo à periculo damnationis, vt ſi ſimplex fidelis ab hæreticis ſeducitur, aut in articulo mortis non eſt, qui conferat baptiſmum, aut Sacramentum pœnitentiæ ei, qui ſine Sacramẽtis vix poteſt ſaluari, & in iſtis caſibus aſſerit *Bannez*, debere hominem iuſtam vitam, aut fortunas ſuas exponere periculo pro ſalute ſpirituali proximi; non tamen ſe exponere

periculo formali peccandi: quod probat ex illo *Ioan. 3. Nos debemus pro fratribus animas ponere* Quod docuerat *S. Thom. loco cit. ad 3. & q. 44. r. vlt. ad 2.* Et idem dicendum eſt de ſecundo caſu *Sancij*, nempe de Patre inuiſente concubinam ſine alendi filios, ex ea ſuſceptos, ſi ex ingreſſu ſubeat periculum cadendi. Caſus enim eſt metaphyſicus, at eo dato, debet potius talem domum non ingredi, etiam ſi aliter filij non poſſent ali. Videbuntur hæc aſpera, & tyrannica, ſed iis, qui affectu carnis ducti, nihil ſupra carnem ſapiunt; & legẽ Dei propriis commodis collimare conantur, cum tamen Saluator dicat: *Non veni pacem mittere, ſed gladium: veni enim ſeparare nurum à ſocru, &c.*

Sed adhuc obiicitur multipliciter. Primò afferendo exemplum ex libro *Iudith*. Obſidebatur Bethulia Iſraelitarum Vrbs ab Holopherne, & eius exercitu copioſo; atque ita premebatur obſidione, vt niſi intra quinque dies auxilium adeſſet à Domino, ſe, & omnia ſua Holopherni dedere cogitarent: vt eſt in c. 7. *Iudith.* Tunc autem Iudith Sanctiſſima vidua, & pulchra nimis, his auditis ſermonibus, vocatiſque duobus populi presbyteris, & ſenioribus, illiſque increpatis, tandem ait: *Stabitis vos nocte iſta ad portam, & ego exeam cum Abra mea, & orate, vt ſicut dixiſtis, in diebus quinque reſpiciat Dominus populum ſuum Iſrael. Vos autem nolo, vt ſcrutemini actum meum, & vſque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, niſi oratio pro me ad Dominum Deum noſtrum. Iudith. 8.* Annuere Ozias Princeps Iudeæ, & alii Seniores. Cubiculum illa ſuum ingreſſa, abſtulit à ſe cilicium, exuit ſe veſtibus viduitatis ſuæ, lauit corpus ſuum, vnxitque ſe myrto optimo; diſcriminauit crimen capitis ſui, impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitque Sandalia pedibus ſuis, aſſumpſit dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe, cui etiam Dominus contulit ſplendorem, & omnem eius pulchritudinem ampliauit. Egreditur vna cum Abra ancilla ſua ex Bethulia, deſcendenſque de monte circa ortum diei, apprehenditur ab Aſſyriorum exploratoribus, deducitur ad tabernaculum Holophernis, qui vix eã intuitus eſt, qui captus eſt in oculis eius. Quis dubitet Sanctiſſimam Iudith quæſiuiſſe directè occaſionem proximam peccandi, ac ſe expoſuiſſe periculo proximo violandæ caſtitatis. Et tamen quia ob bonum proprium, & proximi fecit, laudatur.

Secundò. Poteſt quis adire infideles, & Paganos ad ſatagendum de eorum conuerſione, etiam ſi ſub ſit periculum peruerſionis, vt docet *D. Thomas 2. 2. q. 10. arg. in corpore,* vbi S. Doctor ait: *Non ſunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem non ſuſceperunt, ſcilicet Paganis, vel Iudæis: & maximè ſi neceſſitas vrgeat.* Atque in hoc caſu quæritur directè occaſio proxima peccandi, & periculum ſubuerſionis, propter ingens bonum ſpirituale. Ergo.

Tertiò fieri poteſt, imò ſæpè accidit, quod fœmina Catholica matrimo-

monio iungatur viro infideli, & hæretico, propter ingens bonum indè reſultans: *V.g.* propter regnorum ſalutem, vel vſum publicum Cathedræ Religionis. Atqui in hoc etiam euentu, & ſimilibus quæritur directè occaſio proxima peccandi, præter ingens bonum inde reſultaturum: datur enim in his periculum peruerſionis. Ergo &c. Ad hoc exemplum accomodatiſſimum ſuppeditat liber *Eſther.* Catholica, & ſanctiſſima fœmina nupſit Aſſuero Idoloſum cultori, quot illa, quantiſque periculis ſe expoſuit?

16 Reſpondeo ad primum, quod Iudith certa erat ex diuina reuelatione, Ieruſalē ac Bethuliā per eam ſaluam fore, & ab omnibus etiā calamitatibus eruendam, præſertim vero ab omni pudoris iactura, & grauiori vllo peccato: vnde illi nec occaſio fuit proxima, quam quæſiſſet, nec periculum formale proximum peccandi incurrit; hoc enim periculum extenuatum fuit virtute diuina, quam ipſa oratione impetrauit; antequam enim exueret veſtibus viduitatis, & abſtuleret cilicium, &c. cubiculum ſuum ingreſſa cilicio ſe operuit; cinere aſperſit, & orauit; vt habetur *Iudith* 9.

17 Ad ſecundum, & tertium dico. Quod nihil horum intendi poteſt, etiam ſi adſit vrgentiſſima cauſa, ſi ſubſit periculum formale peccandi: ſi enim interueniat cauſa, quæ illam occaſionem reddat moraliter inuoluntariam, adhuc quis adſtringitur ad tollendum, vel extenuandum, quantum poteſt periculum formale peccandi, vt infra dicemus de permanente in occaſione inuoluntaria peccati. Si verò periculum maneat adhuc in eſſe periculi, etiam probabilis (vt *§. ſequenti* fusè probabitur) nequit quæri eiuſmodi periculum; quinimò quærentes remouendi ſunt ab illo. Quod expreſsè tradit Angelicus Doctor de accedentibus ad infideles. *Si autem ſint ſimplices*, inquit loco ſupra memorato, *& infirmi in fide, de quorum ſubuerſione probabiliter timeri poſſit, prohibendi ſunt ab infidelium communione, & præcipuè ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel abſque neceſſitate communicent.* Ergo cum periculo, vel ſolum probabili nequit quis directe quærere eiuſmodi occaſionem, propter ſalutem infidelium, ſed potius ab illa arceri debet, ſi ei ſe ingerat. Hac ratione dum matrimonium contrahitur inter Principes diſparis cultus, propter ingentem aliquam Reipublicæ vtilitatem, eæ conditiones ſtatuuntur, quibus cautum ſit periculo peruerſionis; quia aliter non contraherent abſque peccato. Excuſatur autem Eſther a culpa, quod de conſilio Mardochæi periculis ſe expoſuerit, qui diuino inſtinctu, & aliquid boni populo Iudæorum præſagiens, eius matrimonii conſiliator fuit, pericula autem ope diuina extenuata fuere, & ſic non fuerunt formalia peccandi.

18 Dico ſecundò. Non licet quærere directè occaſionem proximam peccandi nec ſibi, nec aliis, pro bono Spirituali, vel temporali noſtro, vel proximi. Quoad quærere ſibi, iam planè actum in præcedenti aſſertione. Quoad quærere aliis; eſt communis aſſertio Doctorum, qui do-

cent ob correctionem deprehenſi, vel aliud graue bonum, non licere poſitiuè offerre delinquenti occaſionem delicti committendi, vt ſic in illo comprehenſus corrigatur, &c. V.g. non licere Patri ponere, & relinquere clauem in arca, vbi ſunt pecuniæ, è qua filius furans deprehendatur, ad correctionem, nec licere Domino conuenire cum ſeruo vt afferat res ipſius domini ad furem, qui ipſum ſeruum ad furandum excitat, quo fur comprehendatur cum re furata; & ſic non amplius eundem ſeruum ad furandum ſollicitet. Ita cum communi ſententia *Sanchez l.10.de matrim.d.12.n.58.Lanfranchus to.2.opuſc.p.1.opuſc.3.c.10.num.2. Bonac.de peccatis d.2. q.4.pu.2.§.can.num.28.& 34.Baſſeus V.Scandalum §4. Mendo in epit. V.Occaſio nu.1.Caſtropal.* alijque.

19 Probatur breuiter. Quia hoc eſt cooperari ad malum, quod nullo fine licet. Non nego tamen contrarium docere *Petrum Nauarra l.3.de reſt t.p.1.c.4.dub.vlt.num.14.in 2. edit.Sanctum in ſelect.d.35. nu.12. Ghilinus V.peccatura num.1.Gaſp.Hurtadum de Fide,Spe,& Char.d.10.diff.11.& Dianam p.5.tr.7.reſ.39. in addit.verſ. nota 3.* vbi teſtatur olim conſuluiſſe ſuperiorem regularem potuiſſe ſine peccato ſcandali claues monaſterii relinquere in quodam loco, quaſi oblitas; vt poſtea in fragranti inueniret ſubditum aperientem portam, & hoc in eius vtilitatem: atque ita etiam docet *Laym.l.2.tr.3.c.13.num.4.*

20 Similiter. Hinc abſolui non poteſt concubina habens voluntatem viſitandi concubinarium in agone mortis, ſi ſciebatur eſſe concubina; quia eſt occaſio, quæ in ſe eſt peccatum mortale, ob ſcandalum, quod datur. *Graffius p.1. deciſ.aur.l.1. cap.28. nu.15.* peccat maritus, qui cum vxore paciſcitur, vt amaſio eam ad adulterium ſollicitanti dicat: *Contenta ſum, vt venias hac nocte, tali hora*, etiam ſi non addat; *& commiſcebimur*, vel æquiualens: peccat, inquam, talis maritus, etiam ſi hoc faciat, vt ſi forte amaſius veniat, deprehenſus, caueat in futurum vel punitione, vel metu, vel alio medio. Ita *Sanchez ſupra num.53.* & alii, contra *Gaſp. Hur. ſupra*, & alios: qui afferunt textus, & Doctores, qui tamen loquuntur pro foro externo.

21 Aliud verò eſt de permittente peccatum alterius, cum ſpe certa, vel valdè probabili, vt ſic deprehenſus corrigatur: hic enim non peccat. Ita vterque *Nauarrus, Martinus in ſumma c.17. nu.127. & Perez l.3. de reſtit.c.4.par.1.dub.vlt.Em.Sà V. Peccatum num.7.Corduba in ſumma q.5.coroll.4.in fine, Valen.2.2.d.5.q.6.pu.5.dub.7.in fine.Medina Cod de reſtit. q.12.Sanchez cit.d.12.num.51.Rebellus l.1.de reſtit.q.16.in fine, Lanfranchus d.opuſc.3.c.10.num.1.* dicens: *Non peccant parentes, vel Domini, qui filijs, vel famulis non auferunt aliquam furandi occaſionem, cum eos ad furandum propenſos norunt, vt ſic in furto deprehenſi, reſipiſcant: ſic etiam cuſtodes nemorum, ſe abſcondentes data opera, vt illuc euntes ingrediantur*

libe-

liberè, & ligna cædant, & vt vetita transferant, & pœnam ſoluant, non peccant, ſi eo fine ſe abſcondant, vt ſemel deprehenſi caueant in futurum illuc redire. Eandem ſententiam docent *Caſtropalaus to. 1. tr. 6. d. 6. pu. 5. nu. 3. Antonius à Spir. Sancto de ſcandalo d. 3. ſect. 6. nu. 172.* Quia tunc correctio abſoluta delinquentis eſt ſufficiēs cauſa cohoneſtandi illam permiſſionem. Et ſimiliter, vt quis ſe indemnem ſeruet, poteſt licitè proximi permittere delictum, ſi alia via commoda non datur, qua indemnitas obtineri poſſit. Ita cum *Molina, Sanchez, Bonac. & Nauarra, Caſtropalaus l. c. nu. 4. Anton. à Spiritu Sancto nu. 173. Laufranchus ſupra*, aliique; hæc enim neceſſitas ſe indemnem ſeruandi dat ſufficientem cauſam ad eam permiſſionem. Hinc fit primò, poſſe maritum ſuſpicantem vxoris adulterium, vel illius ſecretò conſcium, adhibere ſecum teſtes, quibus poſſit adulterium probare, & diuortium facere. Secundò fit, poſſe licitè horti cuſtodem ſe abſcondere; non ea intentione, vt viatores ingrediantur hortuum, & deprehendatur in furto: ſed vt melius res ibi cuſtodiendas traditas cuſtodiat, & rariùs delinquentes peccent, dum timent ne fortè à latitantibus deprehendantur. Ita cum *Nau. & Bonacina, Castello Tamburinus l. 5. Decal. c. 1. §. 4. num. 3. Lanfranchus, & Antonius à Spiritu Sancto locis relatis.*

22 Peccat verò mortaliter, qui permittit peccatum alterius eo ſolo fine, vt quis deprehenſus in illo puniatur. Ita cum *Sanchez, & Medina Caſtropalaus num. 2. Anton. à Spir. Sanct. num. 171.* Quia pœna illa cum nondum ſit contracta, non poteſt ab aliquo intendi, niſi intendatur & peccatum, ad quod conſequitur, & pœna ab illo aliter haberi non poteſt, niſi habeatur peccatum. Vnde ſi cuſtos V. g. Gabellæ, vel horti ſe abſcondat eo fine, vt merces aſportentur, vel viatores ciuitatem, vel hortum ingrediantur, & ſic pœnam ſoluant, peccat mortaliter contra charitatem, non tamen contra iuſtitiam, quia officium cuſtodis non eſt conſulere bonis delinquentium, eoſque à pœnis præcauere. Vnde non tenetur ad reſtitutionem. Ita cum *Barth. à S. Fauſto*, & aliis *Tambur. nu. 3. Anton. à Spir. Sancto vbi ſupra*, aliique.

23 Dico tertiò. Ille, qui eſt in occaſione proxima peccandi lethaliter, quando ipſi eſt voluntaria; tenetur graui obligatione deſerendi illam. Et oppoſitum ſubditur damnationi *Propoſ. 61. huius decreti, & 41. decreti Alexandri VII.* in cuius commentario plura dixi.

24 Probatur. Tum quia ſic nos docuit Chriſtus Dominus *Matthæi 5.* illis verbis: *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te; expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam, & proijce abs te, expedit enim tibi, &c.* Idque repetit *Matthæi 18. Et S. Chryſoſtomus hom. 18.* per oculum dextrum, & manum dextram intelligit concubinam. Cæteri Patres vniuerſalius intelli-

gunt

Digitized by Google

gunt quamlibet occaſionem cuiuſcumque perſonæ, quæ prouocat ad peccandum. Ita *S. Auguſtinus lib.1.de Serm. Domini, Euthym us in hunc locum, S.Hilarius can.4. S.Athanaſius q.70. S.Pacianus epiſt.3. aduerſus Nouatianos, S.Cyrillus l.12.in Ioannem c.18. S.Anaſtaſius q.7. Saluianus l.7.de prouid. Theophylactus in hunc locum*. Tum etiam, quia hic verè amat periculum, & ſic perit in illo.

25 Hoc eſt certum. Verum hic quatuor animaduertenda ſunt. Primum ex parte conſtitutionis occaſionis proximæ. Hæc autem, ſi eſt ex euentu, eſt, in qua quis frequenter peccat: non autem, in qua quis ferè ſemper peccat, aut ſæpius peccat, quam non peccat, vt aliqui Moderni inconſideratè, & improbabiliter dixerunt. *Quis enim neget* (verba ſunt *Pratelij de Sacram.c.6. §.7. num.834.*) *peccantem V.g. ter ſingulis ſeptimanis, cum domeſticis, aut vicinis, verſari in occaſione proxima peccandi; cùm tamen non poſſit dici ſæpius peccare, quam non peccare, multò minus ferè ſemper peccare; quandoquidem tribus tantum diebus peccet intra ſeptimanam; & quatuor diebus à peccato abſtinet?* Quot autem relapſus requirantur, vt quis intra ſeptimanam, aut menſem cenſeatur frequenter peccare, ipſemet Auctor, conſone ad ea, quæ ſupra dixi, rectè ait, quod *non poteſt præcisè definiri, cum non conſiſtat in indiuiſibili, ſitque id variè æſtimandum ſecundum diuerſas ſpecies peccati, diuerſaſque eius circumſtantias, quę à prudenti Confeſſario ponderandæ ſunt. Sicut enim quædam peccata, V.g. quæ ore, quæ cogitatione fiunt, faciliùs committuntur, quam quæ ipſo externo opere exercentur: ita maior numerus in illis, quam in his requiritur, vt cenſeantur committi frequenter.*

26 Secundum eſt ex parte deſertionis occaſionis. Cum enim quotieſcumque homo aduertit in aliqua occaſione eſſe periculum formale peccandi lethaliter, teneatur fugere periculum vno è duobus modis; vel materialiter, ſeu deſerendo occaſionem externam, vel formaliter, diſſoluendo ſcilicet periculum formale per actus virtutum à ſe elicitos. Et quando quis per actus ſuos proprios vitat periculum formale, non tenetur deſerere occaſionem externam; cum tunc non ſit amplius occaſio proxima, quæ eſſentialiter conſtituitur ex occaſione externa, & periculo formali peccandi: ſicut etiam qui non poteſt vitare periculum formale intrinſecus, ideſt per actus ſuos proprios, tenetur illud vitare extrinſecus, ideſt, deſerendo occaſionem: attente inſpiciendum eſt quando & in quibus peccatis occaſio per actus proprios ſpoliatur periculo formali; pro hoc autem animaduertendum eſt in primis; quod vbi paſſio eſt vehemens, & habitus vitioſus intenſus, interna ſuggeſtio, ſiue tentatio eſt fortis, magis timenda eſt occaſio externa, magiſque fugienda, quia non præſumitur exuta periculo formali peccandi; cum enim periculum hoc conſtitutiuum partiale occaſionis proximæ quis propellat ab occaſione externa, roborando ſe per actus virtutum; quando paſſio habitus, & tentatio

vr-

vrgent, minus eſt roboris ad eos hoſtes vincendos per actus proprios ipſius hominis. Cum ergo tunc non videtur periculum formale per actus ipſius hominis proprios, vitandum illud eſt per fugam occaſionis externæ. Secundò in materia luxuriæ magis, quàm in multis alijs, neceſſe eſt fugere occaſiones externas, quia in hoc genere paſſio eſt vehementior. Nam vt ait *S. Iſidorus lib. de ſummo bono* (apud *D. Thom. in 2.2. q. 154. ar. 3. ad primum*) *Magis per carnis luxuriam humanum genus ſubditur diabolo, quàm per aliquod aliud; quia ſcilicet difficilius eſt vincere vehementiam huiuſmodi paſſionis.* Et ideo quanto maior eſt difficultas vincendi vehementem paſſionem, tanto minus fortitudinis habet homo, vt per actus proprios extenuet periculum formale; atque adeo ad euadendum illud neceſſe eſt occaſionem externam vitare. Et ideo *Apoſtolus 1. ad Corinth. 9.* dixit: *Fugite fornicationem,* explicans per verbum fugiendi quomodo recedēdū ſit, non ſolum per deteſtationem, alioſque actus proprios, ſed etiam per fugam externam ab huiuſmodi vitio: neque enim eo termino *fugiendi* vtitur Apoſtolus, niſi in luxuria, Idololatria, & Auaritia. Tertiò: Etiam in materia auaritiæ magnæ, & vehementis diuitiarum cupiditatis periculum peccandi in eo genere vt in plurimum, vitandum eſt per fugam occaſionis externæ. Etenim paſſio hæc, vbi inualeſcit, eſt vehementiſſima, & omnem Dei legem peſſundat. Ideo *Apoſtolus 1. ad Thimot. 9.* ait. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem, radix enim omnium malorum eſt cupiditas; quam quidam appetentes inſeruerunt ſe in doloribus multis. Tu autem, ò homo Dei, hæc fuge.* Vbi autem vehementior eſt paſſio, minor eſt fortitudo ad actus virtutum intenſos, quibus periculum formale extenuetur: Et ideo etiam in hoc genere oportet amputare periculum formale per fugam occaſionis externæ; meritòque Apoſtolus etiam in hoc genere vtitur verbo *fugiendi*. Quartò. Ob eandem rationem in materia magnæ iracundiæ neceſſe eſt euitare diligenter occaſionem externam. Nam experimento compertum eſt, etiam homines virtute ſtudioſos occaſione data, torrente iracundiæ præcipites ferri, ita vt ferè rationis vſu ſpolientur. Quintò. In cæteris, in quibus neque vehemens eſt paſſio, neque habitus vitioſus nimis intenſus, neque tentatio ſathanæ valdè vrgens, vt in plurimùm; non eſt neceſſe tollere occaſionem externam, quæ præterea non eſt occaſio proxima peccandi: V.g. cum quis omittit auditionem Miſſæ in die feſto propter confabulationem cum amicis, tunc enim illam omittit potiùs ex deſidia, & negligentia, quàm ex influxu confabulationis. Hoc patet ex dictis: quia in hac hypotheſi non eſt difficile elicere actus virtutum, quibus periculum extenuetur, & hoſtes debiles ſuperentur. Ita *Ioannes Cardenas hic c. 4. ar. 1. & 2.* & alii.

27 Tertium eſt. Vbi occaſio non exeritur periculo formali proximo; peccatum mortale, quo huic periculo exponitur, eſt eiuſdem ſpeciei cum

actu,

actu, ad quem ordinatur, qui enim in illam occaſionem, ſeù in illud periculum libere ſe conijcit, habet iudicium ſaltem probabile prudens, quod peccabit, adeoque virtualiter vult peccatum. Vnde licet, ſi ſequatur actus principalis, V.g. fornicatio, non ſit opus circumſtantiam periculi in confeſſione aperire, ſed ſufficiat actum principalem exprimere, ſi tamen non ſequatur, opus eſt exprimere, ſe conieciſſe in periculum proximum, ſeù occaſionem proximam talis peccati. Ita *Felix à Panormo to.2. exam.confeſſ.d.4.num.*1050. & alii communiter cum *Suarez ſupracitato.*

28 Quartum eſt. Similiter peccat mortaliter, & abſolutio impendenda non eſt illi, qui occaſionem proximam faciendi ſcienter opus dubium, an ſit illicitum mortaliter non vult relinquere voluntarie; quia hoc modo exponere ſe periculo peccandi eſt peccatum mortale, & voluntarie in eo permanere vult. Ita *Lopez. 1. p. Inſtruct.conſcientiæ c.19. Leander à Sacramento tr.5. de Pœnit.d.7. q.33.* dicens eſſe communem ſententiam, *Franciſcus à Ieſu Maria de Sacram.tr.6.c.5.pu.4. num.61.* & alii cum *Caiet.in ſumma V. Periculum*, vbi ſic ait: *Periculo peccandi ſe exponere dupliciter euenit: Primò faciendo ſcienter opus dubium, an ſit licitum, & hoc modo exponere ſe periculo peccandi, eſt peccatum, & ſi agitur de licito, aut illicito mortaliter, eſt peccatum mortale.*

29 Dico quartò. Concubinarius dum eſt in occaſione proxima voluntaria peccandi, concubinam domi retinens, non eſt abſoluendus antequam remoueat occaſionem: Ita cum communi docui in *Lapide Lydio Theol.in comment.ad Propoſit.*41.& exiſtimabam, quod ſaltem poſt decretum hoc Innocentii nullus Doctor auſus eſſet oppoſitum docere. Sed quia video poſt hoc decretum, ſeù poſt damnationem Propoſitionis 61. aliquos Auctores admittere, poſſe abſolui bis, ter, vel quater concubinarium habentem occaſionem proximam voluntariam, dummodò habeat propoſitum expellendi illam: ſic enim *Hozes hìc num.*12. *&* 13. affirmat, poſſe abſolui concubinarium prima, & ſecunda vice, antequam expellat concubinam: Et *Lumbier to.3.Summa Hiſpana num.*2002. ait tolerabilem eſſe opinionem aſſerentium, poſſe abſolui concubinarium bis, aut ter, antequam expellat concubinam. Et *Martinus de Torrecilla conſul.15. concl.7. num.*80. *& Corellam num.*287. non ſubiacere huic damnationi opinionem eorum, qui dicunt, poſſe abſolui concubinarium vſque ad quatuor vices iuxta aliquos, ſiue vſque ad ſecundam vicem, iuxta alios, antequam expellat concubinam, quam voluntariè retinet. Ideo cogor iterum hic ſtringere calamum contra iſtam falſam doctrinam, & in hac aſſertione oſtendo, Talem concubinarium nec pro prima vice eſſe abſoluendum, antequam expellat domo concubinam. In ſequenti oſtendetur, contrariam ſententiam ſubiacere damnationi huius Propoſitionis 61.

30 Probatur igitur primò. Nequit abſolui manens in ſtatu peccati mor-

mortalis, & ſi abſoluitur, inualidè abſoluitur. Sed concubinarius, dum retinet domi concubinam, quam poteſt expellere, manet in ſtatu peccati mortalis. Ergo nequit abſolui, & ſi abſoluitur, inualidè abſoluitur. Maior patet; quia nonniſi illicitè, & inualidè abſoluitur indiſpoſitus. Probatur minor, manet in ſtatu peccati mortalis, qui manet in periculo formali peccandi mortaliter. Ergo &c. Probatur hæc minor. Per propoſitum expellendi de futuro concubinam, non aufertur re ipſa occaſio proxima, quia non aufertur re ipſa vehemens propenſio ad venerea, neque habitus vitioſus. Ergo perſeuerante toto conſtitutiuo periculi formalis, perſeuerat periculum formale. Ergo &c. Probatur antecedens. Propoſitum de futuro in eo qui de præſenti poteſt expellere, & non expellit, non poteſt non eſſe valdè tepidum. Ergo id propoſitum non extenuat periculum formale: Ergo illud habens non aufert re ipſa occaſionem proximam, ac periculum proximum formale peccandi. Confirmatur. Qui facit propoſitum expellendi de futuro concubinam voluntariè retentam, manet in periculo proximo infringendi propoſitum; & non expellendi illam: ſed qui manet in periculo proximo infringendi propoſitum, & non expellendi illam, perſeuerat in peccato lethali; ergo qui facit propoſitum, (etiam in confeſſione) expellendi de futuro concubinam voluntariè retentam, perſeuerat in peccato lethali; & conſequenter indiſpoſitus ad abſolutionem. Maior patet ex iam dictis. Minor etiam conſtat ex ſupradictis cum *Suario*: nempè in moralibus eiuſdem malitiæ eſt conſtituere ſe voluntariè in morali periculo, & proximo committendi aliquod crimen, & committere illud: Ergo eiuſdem malitiæ eſt permanere voluntariè in periculo proximo infringendi propoſitum, & non expellendi concubinam; atque infringere propoſitum, & non expellere illam.

31 Verum quidem eſt, quod in aliquo caſu rariſſimo, ex ſpecialiſſima Dei gratia, poteſt eſſe propoſitum ita reſolutorium, vt indubitatum ſit, quod de futuro peccator expulſurus ſit occaſionem, aut aliter ſeparandus ſit à peccato. In quo caſu iam ceſſat periculum formale peccandi; atque adeo occaſio non manet proxima. Cęterum hoc numquam contingit in eo, qui cum poſſit, de pręſenti expellere, non expellit, ſed elicit propoſitum expellendi de futuro; iſte enim clarè ſignificat propoſitum eius eſſe tepidum, & nullatenus extenuans vim periculi. Ille enim caſus de propoſito, illo reſolutorio, certiſſimè arguente expulſionem occaſionis de futuro, aut aliter ſeparationem à peccato, ſolùm reperitur in eo, qui non poteſt expellere de pręſenti, vt benè notat *Ioannes Cardenas c.5. ar 2. n.87.* Excipit tamen *Piſanus hìc in expoſ. prop.61. n.5.* Si iſte talis dum accedit ad confeſſionem cum tali dolore incœperit ponere media, & dare opportuna remedia ad eam eliciendam, ita vt ex his, & animi ſui præparatione moraliter certum ſit ſtatim finita confeſſione (quæ ad ſuum leuamen finitur præcedere) eiecturum concubinam; quia moraliter iudicatur eiecta,

iuxta illud axioma , *Quod parum diſtat , nihil diſtare videtur.*

32 Et à fortiori nec eſt abſoluendus concubinarius non habens propoſitum reiiciendi e domo concubinam , ſed magnum dolorem , & firmiſſimum propoſitum non amplius cum ea peccandi: *Hic enim caſus emendationis* (verba ſunt *Fel. à Panor. n. 1052.*) *emẽdationis ex firmo propoſito in occaſione proxima mulieris in propria domo, eſt quidẽ poſſibilis, ſed rarus, & ſingularis, vt inter coruos coruus albus: vnicum remedium eſt vel matrimonium, ſi illud inire poſſint, vel ſeparatio, quoniam in materia carnis victoria non habetur, niſi per fugam. Vnde nunquam Confeſſarius in occaſione proxima voluntaria debet huic propoſito quantumuis intenſo ſe fidere , & abſoluere , ſi concubinarius potens concubinam è domo eijcere , in propoſito fiſus nolit eijcere ; quia ex regulariter contingentibus tale propoſitum non ſolet executioni mandari.* Hæc ille. Sed ego nec propoſitum firmiſſimum , & dolorem magnum in tali concubinario adeſſe credo : habeo mecum *Dicaſtillum de Pœnit. d. 6. dub. 19. num. 336.* dicentem : *Ego ſanè vix crederem alicui quantumuis affirmanti firmiſſimum propoſitum , & magnum dolorem ; ſi ſimul cum poſſit , (ſic enim ponitur hic caſus) nolit à tanto periculo ſe liberare , nec dignus eſt , cui credatur . Eſt enim retentio concubinæ , in omnium ſententia occaſio ſatis periculoſa , cui ſe exponere ſine cauſa* (ego dixerim ſine vrgentiſſima neceſſitate) *ſatis indicat , non eſſe verum illud propoſitum. Et ita cenſent plerique docentes , eum , qui vult manere in periculo morali labendi , non cenſeri habere verum propoſitum.* Nec hic habenda eſt ratio iuramenti . Vndè *Coninch d. 8 de pœnit. dub. 17. nu. 133.* rectè ait : *Hinc eos , qui viuunt in concubinatu , nullo modo extra caſum grauis neceſſitatis , eis expedit abſoluere , antequam de facto ſeparentur , etiam ſi parati ſint iurare , ſe in poſterum caſtè victuros , quale iuramentum Sacerdos nec exigere , nec admittere debet , ſed iubere , eos ante abſolutionem ſeparari .*

33 Aliud eſſe dixi in *cit. comment. ad Propoſ 41.* ſi propoſitum non amplius peccandi fuit ita intenſum , & ſolidum , vt re vera vir, & mulier ſint emendati , & ſimul habitent , vt frater & ſoror , idque diuturni temporis experientia conſtet , tunc enim vir nec tenetur mulierem è domo eiicere, nec ab abſolutione impeditur , etiam ſi interdum , raró tamen peccauerint ; dummodò non adſit ſcandalum viciniæ. Et explicans ly raró *Graſſius par. 1. dec. aur. l. 1. c. 28. num. 13.* ait , quod *ſi bis , ter , vel quater in anno repentina libidine , non continuata intentione, ſed interrupta copulaſſent , & poſt pœnituiſſent , tunc eſſent abſoluendi , licet ad expulſionem hortandi de conſilio.* Quod ſi factum eſt notorium , abſolui non poſſunt , niſi abiiciant eam occaſionem. Ita *Graſſius num. 10.* qui cum *Sylu. V. Concubinarius q. 2. addit* , idem procedere etiam ſi factum non eſſet notorium, ſed occultum ; vt quia ſciretur ab aliquibus, puta vno , vel duobus ; adhuc enim abſolui non poſſent. Cætera pro hoc vide , quæ dixi *in citato comment.*

34 Probatur ſecundò aſſertio . Præceptum negatiuum obligat ſemper,

per, & pro ſemper, ſed præceptum non retinendi occaſionem proximam voluntariam eſt negatiuum. Ergo obligat ſemper, & pro ſemper. Ergo pro eo tempore, quo vadit ad Confeſſarium, aut facit confeſſionem, obligat id præceptum; & tamen in eo tempore non implet id præceptum. Ergo non implet in tempore, pro quo inſtat præceptum. Eſt vt actualiter violans præceptum eſt indiſpoſitus ad abſolutionem. Cætera patent, ſi maior, & minor ſint vera: & ita ſunt. Maior enim eſt axioma Theologicum. Minor etiam conſtat: eſt enim præceptum non retinendi.

35 Probatur tertiò. Ille, cui de præſenti inſtat obligatio exequendi aliquod, non implet obligationem per hoc, quod habeat propoſitum exequendi illud de futuro. Atqui præceptum retinendi concubinam, quam omninò voluntarie retinet, inſtat de præſenti, etiam dum confeſſionem facit, & abſoluitur. Ergo non implet hoc præceptum per hoc quod habeat propoſitum de futuro non retinendi illud, & conſequenter eſt indiſpoſitus ad abſolutionem. Conſequentiæ ſequuntur. Minor patet; quia hoc præceptum, vt iam oſtenſum eſt, obligat ſemper, & pro ſemper. Maior etiam conſtat. Ita enim tempore tentationis de admittenda hæreſi, conueniunt Doctores in eo, quod tunc inſtat præceptum eliciendi actum fidei, quod non implet per hoc, quod nolens tunc elicere, habeat propoſitum implendi de futuro.

36 Confirmatur. Nam in periculis iacturæ corporalis, imprudentiſſimus cenſetur, qui cùm poſſit eripere ſe ſtatim ab illis, id non præſtat, nec cenſebitur prudens per hoc, quod habeat propoſitum eripiendi ſe de futuro ab eo periculo. Item non extenuabitur periculum iacturæ temporalis per hoc, quod habeat propoſitum eripiendi ſe de futuro: ſic ille, cui leo ſæuiſſimus appropinquat, imprudentiſſimus erit contra caput ſuum, ſi non ſtatim fugiat, etiam ſi dicat, ſe habere propoſitum fugiendi de futuro: neque hoc propoſitum fugiendi de futuro extenuat hoc periculum. Quod idem cernitur in periculo infamiæ. V.g. in hypotheſi, in qua quis à ſatellitibus quæritur, vt publicè vapulet. Item in periculo amittendi per naufragium totam ſuam ſubſtantiam, rei familiaris, ad ſuam & filiorum vitam ſuſtentandam neceſſariæ. Imprudens enim cenſebitur, qui non fugit ſtatim à ſatellitibus appropinquantibus; nec ſufficit habere propoſitum fugiendi de futuro: & naufragus non extenuabit periculum per hoc quod habeat propoſitum eripiendi de futuro ſubſtantiam rei ſuæ familiaris. Ergo ſimiliter imprudens, imò imprudentiſſimus eſt concubinarius contra conſcientiam, & ſalutem animæ ſuæ, ſi non ſtatim eripit ſe cum poſſit à periculo peccandi lethaliter, quod habet in concubinatu, nec extenuat illud periculum per hoc, quod proponat ſe de futuro ab eo periculo eripere. Conſequentia vrget à minore ad maius, eſt enim multò maius incomparabiliter periculum incidendi in peccatum mortale; quam peri-

riculum incidendi in leonem, in ſatellites, aut in naufragium.

37 Probatur quartò. Illud propoſitum mediocriter intenſum (quale habent communiter homines concubinarii) expellendi de futuro occaſionem proximam, non eſt ſufficiens ad iuſtificationem acquirendam in Sacramento Pœnitentiæ. Ergo quamuis habeant id propoſitum, non ſunt capaces abſolutionis. Conſequentia patet, & antecedens probatur. Nam propoſitum, quod requiritur, vt homo iuſtificetur in Sacramento Pœnitentiæ, eſt propoſitum implendi omnem obligationem grauem, atque adeo non permanendi in periculo proximo peccandi lethaliter, cum poteſt illlud vitare: ſed illud propoſitum mediocriter intenſum expellendi omnem occaſionem de futuro, non eſt propoſitum implendi omnem obligationem grauem, neque eſt propoſitum non permanendi in periculo proximo peccandi mortaliter. Ergo illud non eſt propoſitum ſufficiens ad conſequendam iuſtificationem. Probatur minor. Illud propoſitum mediocriter intenſum non euacuat id periculum: atquè adeò ille homo permanet in periculo proximo infringendi id propoſitum; cum tamen habeat obligationem eripiendi ſe à periculo, cum re ipſa poteſt. Ergo &c.

38 Ex dictis habes primò reſolutionem illius difficultatis, An poſſit abſolui concubinarius, qui prima vice, ſe accuſauit de occaſione proxima, ignorans, eam occaſionem eſſe impedimentum ad abſolutionem. In qua licet *Filguera in ex poſit. propoſ. 61.* dixerit poſſe ea prima vice abſolui; quia tunc non verificatur, quod non vult omittere eam occaſionem: quod ante hoc decretum etiam docuerat *Renzi to 2. l. 1. tr. 5. c. 2. ſect. 1. quæſ. 15.* Nihilominus omninò dicendum cenſeo cum *Ioanne Cardedenas hic c. 5. ar. 2. num. 95.* neque in hoc caſu concubinarium poſſe abſolui, donec expellat: id enim probant omnia argumenta facta. Primò. Quia licèt ignorauerit obligationem expellendi & poſtquam de ea admonetur à Confeſſario, inſtat præceptum negatiuum, NE RETINEAS, quod obligat ſemper, & pro ſemper: vnde qui ante erat in ſtatu peccati lethalis materialiter propter retentionem, iam eſt in illo formaliter; atque adeo abſoluitur indiſpoſitus, ſicque inualide. Confirmatur. Quia manet in periculo proximo infringendi propoſitum. Secundò. Quia nemo ſe eripit à periculo necis, per hoc, quod proponat fugere de futuro niſi ſtatim fugiat. Tertiò. Quia ad rectam diſpoſitionem pœnitentis non ſufficit, quod habeat propoſitum eripiendi ſe à periculo in futurum, ſed propoſitum ſeù voluntatem non permanendi in periculo infringēdi propoſitum.

39 Habes ſecundò huiuſmodi concubinarium non poſſe abſolui ante expulſionem etiam ſi videatur accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ cum contritione perfecta propter Deum ſummæ dilectum: cum enim iſte, vt ſupponitur, poſſit ſtatim expellere, non poteſt elicere verum actum contritionis propter Deum ſummè dilectum; quia non diligit, qui mandata eius

eius non cuſtodit: habet enim obligationem ſtatim expellendi. Si autem non poſsit expellere ſtatim, poterit tunc elicere verum actum contritionis charitate formatũ cum firmo propoſito expellendi quàm primum poſsit, & ſic iuſtificabitur. Quod idem poterit fieri in confeſſione, ſi non poteſt expellere. Tenebitur autem extenuare periculum formale procurando ingentem intenſionem contritionis, & propoſiti, enixe poſtulando à Deo auxilium, & alia proponere, vt infra.

Sed adhuc ſatisfaciendum eſt duplici obiectioni *Sancij*, & aliorum. Prima eſt. Poteſt abſolui abſque dilatione, habens conſuetudinem peierandi, blaſphemandi, & ſe polluendi, ſi habeat verum propoſitum non peccandi; ergo etiam poterit ſine dilatione abſolui, ſaltem ter, vel quater, qui habet domi concubinam., ſi habeat verum propoſitum expellendi illam. Secundo. Qui habet reſtituere rem alienam, poteſt ſemel, bis, ter, & ſecundum quoſdam etiam quater abſolui quamuis realiter non reſtituerit, cum propoſito tamen reſtituendi. Ergo & concubinarius, etiam ſi quater defuerit promiſſioni expellendi, poterit abſolui. Conſequentia ligat à paritate rationis.

40 Reſpondeo ad primam, diſcrimen eſſe luce meridiana clarius. Nam qui ex mera fragilitate retinet conſuetudinem peccandi, nullam aliam habet obligationem, quã vitandi illam per actus ſupernaturales proprios, ſcilicet per contritionem & propoſitum, & alia media ſe tenentia ex parte ſui.) Qui autem habet occaſionem extrinſecam inducentem ad peccatum in materia luxuriæ, &c. non ſolum habet obligationem eliciendi eiuſmodi actus, ſed etiam arcendi occaſionem extrinſecam, & non retinendi illam, ſi arcere poteſt; quamdiù ergo arcere poteſt, & non arcet, peccat lethaliter & ideo in ipſa confeſſione continuat idem peccatum, adeoque inualidè abſoluitur: à quo reatu ſolum poteſt excuſare ignorantia inuincibilis. Ad ſecundam, diſtinguendum eſt in eo, qui non dum reſtituit ex quadam deſidia, & negligentia, & in eo, qui ex auaritia, & vehementi fame pecuniæ non reſtituit, & in hoc ſecundò idem dicendum eſt, quod in concubinario, in hoc enim ipſa retentio rei alienæ eſt occaſio proxima, & quamuis oſtendat propoſitum reſtituendi, verſatur in periculo formali infringendi propoſitum. Et in hoc conuincit ſimilis ratio. Qui enim non reſtituit realiter ante confeſſionem, retinet rem alienam dum abſoluitur: Ergo dum abſoluitur, peccat: Ergo inualidè abſoluitur. In altero autem, qui ex quadam deſidia, & negligẽtia nondum reſtituit, (de quo loquuti ſumus in *comment. ad propoſ.60.*) eſt manifeſta ratio diſcriminis, & quidem duplex. Prima, quia in hoc non eſt periculum formale non reſtituendi; cum illa mora non oriatur ex auiditate pecuniæ. Secundò, quia licèt vrgeat id præceptum negatiuum *Ne retineas*, creditur id eſſe cum dependentia à voluntate creditoris, aut veri Domini. Cum ergo non ſit contra voluntatem domini quod reſtitutio differatur vna die, & vſque ad diem

cra-

Digitized by Google

craſtinum, inde eſt, quod ille, qui ex deſidia nondum reſtituit, poteſt proponere in confeſſione reſtitutionem pro die craſtina; & quando ſic abſoluitur etiam ſecunda vice, non perſiſtit in ſtatu peccati mortalis; & ſic validè abſoluitur. Quod ſi hæc reſponſio non placeat, potius dicas in vtroque caſu debere ante abſolutionem reſtituere, & eijcere concubinam vt ſatis probabiliter non ignobiles Theologi docent, quam in vtroque caſu abſoluere cum propoſitio expellendi concubinam & reſtituendi.

41 Dixi, dum concubina eſt in domo concubinarij. Nam vbi eſt extra domum non prorſus eadē eſt reſolutio. Et quidem *Felix à Panormo nu.* 1051. & alij dicunt, quod qui habet occaſionem proximam extra propriā domum, poſſit ſemel, & iterum abſolui dummodò firmiter promittat occaſionē expellere, & in eam amplius ſe non committere: monent tamen Confeſſarium, vt poſt opportunas monitiones proteſtetur ſe eum pro ea vice abſoluturum: hoc namque medio pœnitens terretur, dum videt ſibi denegationem abſolutionis comminari. At *Caſtropalus to. 1. tr. 2. d. 2. pu. 9. §. 3. num.* 18. hæc ſapienter tradit: *Quando pœnitens tenetur deſerere occaſionem peccandi; & ſi poſſit Confeſſarius ſemel aut iterum abſolutionem concedere, antequam de facto expellat; eo quod fidit expulſurum; raro tamen illam concedere debet, ſed potius cogere pœnitentem, vt à ſe peccandi periculum expellat, & ſic liberum velit abſolui. Moueor ad id affirmandum experientia magiſtra; rarò enim pœnitens, (præcipuè ſi ex illis eſt, qui ſemel in anno ad confeſſionem accedunt) occaſionem expellit iam abſolutus, ſed iterum eiſdem, & grauioribus peccatis ſe implicat, & Confeſſarius non ſolùm officium Iudicis, ſed Medici debet exercere, circa pœnitentem; ac proinde eſtò iudicet eſſe ritè diſpoſitum ad abſolutionem ratione firmi propoſiti, quod de præſenti habet, ideoque poſſet ex officio iudicis illi abſolutionem concedere; at ex officio Medici tenetur medicamentum apponere, quod videt eſſe vnicè neceſſarium ad præcauenda futura peccata: timere enim iuſtè poteſt, non fore remouendam occaſionem, ſi abſolutionem non remota occaſione, concedat.* Hæc ille, & probat ex *D. Auguſtino in c. ſatisfactio de pœnit. diſt. 3.* ibi: *Satisfactiò pœnitentiæ eſt peccatorum cauſas excidere, neque eorum ſuggeſtionibus aditum indulgere: & ex c. leguntur,* 24. *q.* 2. vbi Gelaſius Papa admonet Fauſtum, abſoluendos non fore, qui in errore, & occaſione peccandi ſua culpa immerſi ſunt. Quare placet dicere cum *Tamburino l. 7. Decal. c. 1. §. 2. num.* 2. & aliis, quod concubinarius non poſſit abſolui, niſi domo eiiciat concubinam; vel ſi ea habitet extra domum, niſi firmiter proponat ad illam non accedere, addita experientia alicuius temporis, iuxta prudentiam Confeſſarij, & ita intelligit *Tambur.* quod dixerat *l. 3. Meth. Confeſſ. c. 3. §. 3. num.* 61.

42 Dicò quintò. Aſſertio, quæ docet, poſſe abſolui concubinarium prima, ſecunda, tertia, aut quarta vice, qui poteſt ſtatim expellere, & non expellit ante abſolutionem, ſubiacet huic damnationi. Ita *Ioannes Cardenas hic c. 5. ar. 4. num.* 108.

43 Pro-

Digitized by Google

43 Probatur vnico & conuincenti argumento. Damnatur aſſertio, quæ docet, poſſe abſolui eum, qui, cum poſſit, non vult omittere occaſionem. Sed aſſertio, quæ docet, poſſe abſolui prima, ſecunda, tertia, aut quarta vice concubinarium, qui poteſt ſtatim expellere, & non expellit ante abſolutionem, docet, poſſe abſolui eum, qui cum poſſit, non vult omittere occaſionem. Ergo &c. Maior patet; ſiquidem illæ particulæ *Propoſitionis* 61. *Et non vult omittere: Quinimò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit*, accipiendæ ſunt diuiſim, vt conſtat, tum ex ipſo ſenſu verborum, tum etiam ex illa dictione, *Quinimò*, qua, vt obſeruat *Barb. tr. de dictionibus vſuf. eq. dict.* 321. *cum.* 35. Iuriſprudentibus ibi allegatis, ſignificat idem, quod *Quin etiam*. Et *dict.* 112. loquens de dictione *Etiam*, ait: *Implicatiua eſt hæc dictio, & exprimit caſum magis dubitabilem, & implicat minùs dubitabilem*. Ex quo fit, quod ea dictio *Quinimò*, aut *Quin etiam*, exprimit caſum magis dubitabilem, ideſt maioris difficultatis, ſcilicet, quòd abſoluatur, qui ſe ingerit occaſioni; & implicat caſum minoris difficultatis, ſcilicet, quòd abſoluatur, qui vult retinere occaſionem. Probatur minor tripliciter. Primò. Ille non vult omittere occaſionem proximam, qui vult permanere in periculo formali infringendi propoſitum de omiſſione occaſionis; ſed qui ante abſolutionem proponit omittere de futuro eam occaſionem, vult permanere de præſenti in periculo formali infringendi id propoſitum de omiſſione occaſionis, vt conſtat ex concluſione præcedenti. Ergo ille concubinarius, qui cum poſſit non expellit ante abſolutionem, non vult omittere occaſionem proximam, & conſequenter aſſertio quæ docet, &c. Probatur maior ex eo euidenti aſſerto Suarij ſæpiùs repetito: *Nam in moralibus eiuſdē malitiæ eſt conſtituere ſe voluntariè in morali periculo, & proximo committendi aliquod crimen, & committere illud*. Ergo eiuſdem malitiæ eſt velle permanere in periculo formali infringendi propoſitum de omittenda occaſione, ac velle infringere illud; quod idem eſt, ac velle non omittere occaſionem. Probatur ſecundò minor primi argumenti. Ille non vult omittere occaſionem proximam, qualiter requiritur, vt abſoluatur, qui caret propoſito implendi totam ſuam obligationem grauem; ſed concubinarius, qui poteſt expellere ſtatim, proponit expellere de futuro, caret propoſito implendi totam ſuam obligationem grauem: Ergo eiuſmodi concubinarius non vult omittere occaſionem proximam, qualiter requiritur, vt abſoluatur. Maior, & conſequentia patent. Minor probatur. Concubinarius, qui poteſt expellere ſtatim, habet obligationem grauem expelendi ſtatim, cum illud præceptum, *Ne retineas*, obliget ſemper, & pro ſemper, & ſolum proponit expellere de futuro. Ergo non habet voluntatem, neque propoſitum implendi totam ſuam obligationem grauem. Probatur tertiò eadem minor primi argumenti paritate. Ille homo, cui appropinquat leo fæuiſſimus, ſi non fugiat ſtatim, ſed proponat fugere de futuro, dicetur non velle omittere occaſionem

nem illam, ſeù periculum proximum necis, ſed potius velle pro tunc permanere in illa occaſione ſuæ necis. Ergo ſimiliter dicendum de illo, qui non fugit ſtatim periculum proximum peccandi lethaliter, ſed ſolum proponit fugere de futuro.

44 Ex his patet; quod qui luxurioſe abuſus eſt ſerua pretio empta, quamuis proponat cum illa amplius non peccare, non poteſt illa retenta abſolui; ſed tenetur illam alteri vendere, qui ea non ſic abutetur. Ita *Piſtachius to. 1. de voto tr. 6. c. 3. num. 18.* Imò ipſa ancilla, ſi putet, quod ob ſuam fragilitatem non reſiſtet Domino, iuſtè poteſt fugere, niſi poſſit Dominum compellere, vt vendatur alteri. Ita *Nauar. in man. c. 16. num. 22. Felix à Panormo num.* 1049. Fœmina verò, quæ vt famula detinetur, ſi ſemel, aut bis copulæ conſenſerit, ſed pluries deindè reſtiterit, & victoriam reportauit, non cogi debet ad domum deſerendam: non enim ex parte ſua verſatur in proxima occaſione peccandi, & multò magis ſperari poteſt in poſterum non conſenſuram, præcipuè quandò non ſolus cum ſola cohabitant; niſi aliter expoſcat occaſio ſcandali, quam eius cohabitatio affert viro. Ita *Laur. Mariæ Piſani hìc, vt propoſ. 61. nu. 8.* qui rectè addit, *Regulis de ſcandalo vtere in tali caſu.*

45 Dico ſextò. Si occaſio ſit neceſſaria, tunc pœnitens non tenetur ſtatim declinare talem occaſionem materialiter. Ita communiter Theologi, etiam poſt hoc Decretum, dicentes hanc aſſertionem nulli damnationi ſubiacere.

46 Patet, ex *c. conſultationi de frigidis, & maleficiatis*, vbi declarauit Pontifex, duos, qui contraxerunt matrimonium occultè inualidum, propter impotentiam coeundi, &c. poſſe ſimul cohabitare vt fratrem, & ſororem, propter ſcandalum, & infamiam & periculum tamen tactuum, & aliorum peccatorum extenuando vt infra. Nec obſtat illud Eccleſiaſtici 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*: Nam, vt inquit *D. Baſilius in conſtit. monaſt. cap. 4. Qui vrgente aliqua cauſa & neceſſitate ſe periculo obijcit, vel permittit ſe eſſe in illo, cum tamen aliàs nollet, non tantum dicitur amare periculum, quàm inuitus illud ſubire.*

47 Dixi; quod non tenetur ſtatim declinare occaſionem materialiter, nam tenetur eam declinare formaliter, ſeù extenuando periculum formale per remedia obuiantia præſcribenda à prudenti Confeſſario, vt docent communiter Doctores ex *D. Thoma 2. 2. q. 10. ar. 9.* circa finem corporis. Et regula hic generalis traditur à Doctoribus: Qui non poteſt vitare occaſionem extrinſecam, tenetur vitare periculum formale modo intrinſeco, ideſt per actus virtutum à ſe elicitos, & alijs medijs à Confeſſario præſcriptis. Et quoad hoc omnis occaſio eſt voluntaria, vt notat *Piſanus ſupra num. 13.* & alij, ſeù periculum formale eſt illi voluntarium, & ex ſua voluntate extenuabile, vt aſſerunt *Ioannes Cardenas*, & alij. Et ſi non vult

vult ſic ſe gerere peccat mortaliter, & vt indiſpoſitus arcendus à Sacramentis. Etenim qui non poteſt vitare occaſionem extrinſecam, & adhuc non vult vitare periculum formale, per ſuos proprios actus, ipſe voluntariè ſe exponit periculo formali. Atqui conſtat ex ſuperius dictis peccare mortaliter eum, qui voluntariè ſe exponit periculo formali. Ergo qui non poteſt vitare occaſionem extrinſecam, & non vult vitare periculum formale per actus ſuos proprios, peccat mortaliter: Ergo qui non poteſt vitare occaſionem extrinſecam, tenetur ſub mortali vitare periculum formale, modo intrinſeco, ſiue per actus proprios, & media præſcribenda à Confeſſario. Minor, & ambæ conſequentiæ tenent, probatur maior. Ille ſe exponit periculo formali peccandi qui cum liberè poſſit vitare illud, non vitat; ſed qui impotens eſt vitare occaſionem extrinſecam; nec vult vitare periculum formale per actus ſuos proprios, &c. liberè poteſt vitare periculum formale, & non vitat, cum ſit in libera poteſtate eius elicere dictos actus, adhibere præſcripta media, quæ extenuant periculum formale, & non vult illos elicere, eaque adhibere: Ergo ipſe ſe exponit periculo formali.

48 Hinc, filius familias, qui non poteſt expellere è domo concubinam, nec ipſe poteſt deſerere domum occaſione artis, ſtudij, &c. poteſt & debet extenuare periculum formale peccandi per actus ſuos proprios, ſcilicet per magnam deteſtationem peccati, intenſum propoſitum, præces ad Deum, &c. & alia media præſcripta à Confeſſario. Quod ſi hæc non apponat ad extenuandum periculum, ipſe ſe exponit periculo formali peccandi, ſicut ſe exponit, qui cum poſſit, non vult deſerere occaſionem externam. Peccatque lethaliter, ſi non conetur ad hæc media adhibenda; quidquid ſit, an ſit diuerſum peccatum à concubinatu, ſiue non. In hoc conueniunt Doctores, qui nimis rigidam exiſtimant ſententiam *Lopez par. 1. Inſtruct. c. 22. & Medinæ in ſum. fol. 63.* indiſtinctè docentium, negandam eſſe abſolutionem filio familias, qui non poteſt expellere concubinam, ſi non fugiat domum patris ſui eodem modo, ac ſi domus paterna tota flammis, & incendio flagraret.

49 Porrò hæc, quæ adhibenda ſunt ad extenuandum periculum formale alia, & hæc plura, ſe tenent ex parte pœnitentis, alia ex parte Confeſſarij. Circa priora, communiter approbatur doctrina *Nauarri in ſumma c. 3. num. 15.* qui ponit quatuor requiſita ſeu conditiones, vt quis poſſit abſolui non auerruncata materialiter occaſione neceſſaria. Quarum prima eſt vera pœnitudo, ſeu deteſtatio præteritorum peccatorum. Secunda eſt verum, intenſumque propoſitum numquam redeundi ad illa peccata. Tertia propoſitum exequendi media, quæ ipſum poſſunt à peccatis auertere, ex quorum executione habet credulitatem cauendi peccatum occaſionis. Hæc autem media afferunt Doctores. Et quidem *Coninch. d. 8. de Pœnit. num. 134.* vbi de puella exiſtente in domo patris ſui, quæ non poteſt

deſerere domum ſuam, ſic ait: *Tali igitur primò iniungenda omnia media, quæ poſſunt eam ab eo peccato auertere, & firmiter præcipiendum, vt caueat, inquam, tali iuueni ſine neceſſitate loqui præſertim in loco ſolitario; & vt quoties cũ eo peccauerit, certam aliquam pœnitentiam ſubeat, deinde vt & ante abſolutionem, & poſtea etiam ſæpius per diem coram Crucifixo proponat omninò tale peccatum vitare. Item vt frequentius, & eidem Sacerdoti confiteatur, & ſi promittat omnia hæc ſe facturam, poterit ſemel, aut etiam ſecundo, ſi reincidat, abſolui*. Similia habet *Franciſcus à Ieſu Maria tr.6. de Sacram.c.5.pu.4.num.59.* his verbis: *Sit exemplum in vno pro multis nempe, ſi occaſio ſit filij familias, qui ſui iuris non eſt, cum ancilla, non tenetur domum paternam deſerere, debet tamen ſuppliciter diuinum implorare auxilium, diligenter curare non amplius ſolus cum ſola verſari, longos cum illa non miſcere ſermones, & nec leuiter iocari, &c. Debet etiam, ſi vera prudentia exegerit, vel ſi prudens Confeſſor præceperit, tam in hoc, quam in alijs ſimilibus peccandi periculis, vel certam aliquam pœnitentiam ſubire, quoties peccauerit, vel ante abſolutionem, & etiam poſtea ſæpius per diem coram Crucifixo orare, & proponere omninò tale peccatum vitare, vel frequentiùs, & ſæpè eidem Confeſſori confiteri, vel bis, aut alijs medijs vti, quæ maturè penſatis omnibus, prudentia exegerit, vel prudens Confeſſor iuſſerit, cui pœnitens parere ſtudens non dicetur amare periculum, ſed ſemper poterit, & debebit ſperare de diuina bonitate fore, vt qui paratus alioquin eſſet ſeparare, & ita ob magnum, & graue detrimentum, non præſtat, enixè orat, & quæ vera prudentia dictat, remedia adhibere curat, præueniendus ſit gratiæ auxilijs, ne labatur. A Lanfrancho ſupra num.2. Piſtachio nu.10. Segneri num.7.* & alijs numerantur hæc, Maior oratio, maior elargitio eleemoſynæ, maior frequentia concionum, maior vſus Sacramentorum, item non mutare Confeſſarium, renouare quotidie coram Crucifixo propoſitum non amplius eum offendendi, meditari eius paſſionem, non conuerſari ſolus cum ſola illa perſona, reſpectu cuius eſt periculum, non aſpicere eam curioſè, legere libros ſpirituales, flagellare corpus, frequenter ieiunare, conſiderare frequenter nouiſſima, præſentiam Dei, ipſius ſanctam puritatem, deuotionem exercere erga Beatam Virginem, & Sanctos, præſertim Angelos, & alia attentà qualitate pœnitentium, & circumſtantijs temporum, & locorum: in qua re magna prudentia opus eſt: nam non ſemper omnia remedia hæc poſſunt applicari, nec à difficilioribus eſt incipiendum, ſi faciliora credantur ſufficere: & ſemper debet præcipere, vt pœnitens cubiculum mutare ſtudeat, alias adducens cauſas, ſi hoc eſt contiguum cubiculo famulæ: & alibi, vbi non adſit opportunitas ad eam noctu accedendi, ſe recipiat; vel ſimul cum alio dormire ſatagat, vt notat *Piſanus ſupra.* Ex parte Confeſſarij poterit extenuari periculum peccandi, inquit *Ioannes Cardenas nu.6. ar.6.num.* 119. Si Confeſſarius difficilem ſe oſtendat ad impendendam abſolutionem; ſignificans, quam indignus abſolutione ſit pœnitens, vt deterreatur à peccato, Et ſi inſtruat

pœni-

Digitized by Google

pœnitentem, in quanto periculo mortis æternæ verſentur, qui in ſimili occaſione viuunt. Quarta conditio adducta à Nauarro eſt, quod ſubſit aliqua notabilis cauſa, non ſe abſtinendi, ac ſeparandi ab ea occaſione, ſed vt infra hæc cauſa debet eſſe neceſſitas phyſica, vel moralis.

50 Quoniam verò in iſtis cura impertienda eſt circa periculum formale extenuandum, eędem regulæ ſeruandæ ſunt ac cum recidiuis, vt notant *Piſanus num. 12. Felix à Panormò num.* 1049. Itaque remedijs applicatis, & adimpletis iuxta præſcriptum Confeſſoris, etiam ſi pœnitens cadat, non per hoc ſtatim eſt priuandus abſolutione, ſed debet Confeſſarius obſeruare, an pœnitens aliquantulum ſe continuerit, & diminuerit numerum peccatorum; & ſi ita eſt, non eſt ei differenda abſolutio, vt pote cum cenſeatur illam occaſionem pati vt tyrannam, non verò velle, vt dominam, vt docent *Nauar. l.c. nu. 21. Suarez d.d. 32. ſect. 2. in fine, Piſtachius num.* 10. & alij, monentes tamen, quod ſemper maior cautio adhibeatur. Imò expediret, ſi fieri poteſt, vt poſt lapſum ſtatim ac commoditas permittit, accedat ad Confeſſarium: quod eſt iuxta praxim S. Filippi Nerii. Tunc verò quandoque eſt differenda abſolutio, quando pœnitens promiſſa, & præſcripta non impleuit, vt ſcilicet cautius, & diligentius impleat, vt rectè *Piſtachius l.c.* Quod ſi impleat, vel conatur implere, quantum poteſt, ſemper, regulariter loquendo, eſt abſoluendus; nam quamuis non ſtatim plena emendatio ſequatur, tamen ferè impoſſibile eſt, quod numerus peccatorum non minuatur, & tempore procedente, vera emendatio non ſequatur; quod totum melius poteſt ſperari ex frequentia Sacramentorum, & ſic ab amico reddito per abſolutionem Sacramentalem; quàm à pœnitente, vti ſi differatur abſolutio, potius redderetur Sacramentum odioſum, quàm proficua dilatio. Ita *Anton. à Spir. Sancto p. 1. de pœnit. d. 3. ſect.* 13. & alij. Dixi regulariter loquendo, nam non nego quod in caſu raro poſſit proficere dilatio. Quod ſi proceſſu temporis nulla emendatio inſpiciatur, ſignum erit, quod propoſitum pœnitentis non fuit firmum, nec exequutus fuit præſcripta à Confeſſario modo, quo debuit, & potuit: in quo caſu iam diximus, quod ſit differenda abſolutio cum *Piſtachio l.c. n.* 10. aliiſque. Quare falsò *Vinaldus, Maldonatus*, & alij afferunt, quod iſte eſt abſoluendus toties quoties, etiam ſi nullus appareat profectus; iſte enim talis eſt eiiciendus, vt notant *Reiffenſtuel tr. 14. diſp. 8. num. 48. & Piſanus ſupra num. 12. qui in expoſit. propoſ. 62. num. 12.* ait, quod ſi occaſio peccandi ſit in filiofamilias cum famula, ſit aliorum cum fratre, aut ſorore, quorum conuictu nequit ſine detrimento ſeiungi, tenetur ad ſeparationem, non obſtante illo detrimento, ſi remedia illa non prodeſſe experiuntur. Et ſi à domo abeſſe non poteſt, niſi ingrediendo in Religionem, teneatur ingredi huiuſmodi pœnitens; nam quamuis ingreſſus in Religionem non ſit de præcepto; ſed de conſilio, tamen huic in iſtis circumſtantijs eſt in præcepto; præcipitur enim ei eodem præcepto, quo

Digitized by Google

tenetur vitare peccatum, eligere media ad illud euitandum: in præſenti autem non adeſt aliud medium vitandi peccatum, & ſcandalum, vt ſupponitur, niſi ingreſſus in religionem. Sed circa hoc vide infra.

51 Dicó ſeptimò. Ab occaſione proxima extrinſeca repellenda non excuſat cauſa aliqua vtilis, aut honeſta, ſed ſola impoſſibilitas phyſica, aut moralis. Ita *Ioannes Cardenas, Felix à Panormo, Reiffenſtuel*, & alij, & contraria aſſertio ſubijcitur, vt minimum tanquam ſcandaloſa, damnationi huius Propoſitionis 62.

52 Probatur tum primò. Quoties quis poteſt deſerere occaſionem proximam peccandi, tenetur illam deſerere. Ergo ſolum excuſatur ab ea obligatione, quando non poteſt eam deſerere: Ergo ſola impoſſibilitas excuſat. Hæ conſequentiæ ſynonymæ ſunt & euidenter inferuntur ex antecedente, cuius veritatem oſtendit damnatio propoſitionis 61. Tum ſecundò ex communi Theologorum ſententia: Vt quis excuſetur à deſerenda occaſione proxima, requiritur cauſa omninò neceſſaria: idque manifeſte conſtat ex damnatione Propoſitionis 62. in qua deciditur, non ſufficere ad id cauſam honeſtam, aut vtilem; vbi autem non ſufficit vtilitas, requiritur neceſſitas. Sed neceſſitas, & impoſſibilitas ſunt correlatiuæ, ita vt ſi hoc eſt neceſſarium fieri, impoſſibile ſit id non fieri: Ergo ſi vt quis non deſerat occaſionem proximam, requiritur neceſſitas retinendi illam, eodem modo requiritur impoſſibilitas non retinendi illam.

53 Caſus, qui concernunt occaſionem proximam neceſſariam concubinarij, iam ex hac doctrina reſoluimus in *Lapide Lydio Theol. in comment. ad Propoſ.41.* verum hic addo, *Ioannem Cardenas in criſi Theol. p.1. diſp. 19. c.11. num.167.* docuiſſe, concubinarium, cui famula dat occaſionem peccandi, ſi illa, vel alia omninò neceſſaria ſit domui, ita vt ſit impoſſibile moraliter eſſe ſine aliqua, & certum ſit, illum non peccare ex ſpeciali affectu erga illam, ſed quamcumque famulam denuò aduenientem allaturum illi idem periculum, non teneri expellere iſtam: Quia, inquit, in illis circumſtantijs expulſio illius non tollit periculum, cum ſupponatur idem periculum aduenire cum altera. Verùm & vult, quod extenuet periculum formale, & quod Confeſſarius non debet facile credere, quod ille non peccat ex ſpeciali affectu erga illam: homines enim in peccatis implicati, in rebus animæ adeo ſtolidi ſunt, vt multas afferant excuſationes peccatorum, multas afferant difficultates, ne peccata deſerant. Similiter licèt ſcandalum & infamia numerari poſſint inter cauſas impoſſibilitatis: vnde communiter Doctores docent, quod Confeſſarius poſſit pœnitentem concubinarium abſoluere, non eiecta è domo concubini, ſi dimitti non poſſit abſque ſcandalo, & infamia, vt patet ex *cit. c. conſultationis*, & colligitur, ex *D.Thoma 2.2. q.10. ar.9.* in fine corporis: tamen fatentur *Sancius cit. dub.10. num.23.* & alij, & rectè, raró amitti famam ob concubinæ expulſionem: nam vel concubinatum agno-

ſcunt

ſcunt certè, aut magnis indicijs ſuſpicantur; & tunc concubinam eijciendo potius bonam opinionem comparabit concubinarius, dum haberetur pro viro conſcientiæ timoratæ, & alias minimè. Vel concubinarium ignorant, aut leuiter ſolum ex pura malitia ſuſpicantur: & tunc quamuis eijciatur concubina, nulla pullulabit infamia; ſicut nec oriretur ex eo quod eijceret aliam quamcumque fœminam, quæ concubina non eſſet. Vnde maxime cauti debent eſſe Confeſſarii in huius examinatione: pœnitenteſque eiectionem concubinæ ad tuendam famam recuſantes, aut ingreſſum in eius domum, conuincere oportebit, maximè cum deiectioni inſudarent, ſi rixa inter ipſos fuiſſet ſubo.ta. Quod minimè negare poterunt. Quod ſi filiusfamilias, vel alius, qui ſui iuris non ſit, frequenter fornicetur cum aliqua fœmina, putà ancilla domus matris; in hoc caſu taliter diſtinguendum eſt: nam ſi poteſt dictam mulierem è domo expellere ſine infamia, & dedecore orto ex manifeſtatione, nec poteſt ipſe aliò diuertere, tunc poteſt abſolui; quia occaſio eſt inuoluntaria ex impoſſibilitate morali orta (dũmodo extenuet periculum formale, vt ſupra) ſi verò poſſet expellere, aut aliò diuertere, tunc nequit abſolui, & incidit in caſum reſeruatum, vbi ſimpliciter reſeruatur concubinatus. Ita *Verricelli in qu. moral. tr. 4. qu. 7. Quarti de caſibus reſeruatis c. 7. diffic. 2. Piſtachius ſupra num. 9.* aliique. An autem cenſeatur etiam occaſio inuoluntaria in nobili, qui accepit mutuò à concubina centum, & iſta nolit exire è ſua domo quouſque illa centum accipiat, proteſtans, quod ſi eam dimittat ſine ſuo mutuo, ipſum diffamabit: Affirmant *Tancredi tr. 1. de Pœnit. d. 3. q. 18. & Antonius à Spir. Sancto num.* 158. Sed tu perpende dicta ſupra pro huius caſus reſolutione.

54 Nota grauis inurbanitatis & ſimilis non excuſat; quia deeſt impoſſibilitas declinandi ipſam occaſionem: & ſolum poteſt dici cauſa vtilis, & honeſta, quæ non excuſat iuxta decretum. Hinc non poteſt abſolui ſponſus, qui non vult abſtinere ingredi domum ſponſæ, cum qua habet occaſionem proximam peccandi; etiam ſi alias tales viſitationes ſint ſecundum morem patriæ, & ſi illas non efficiat, incurreret notam inurbani, & dabit anſam querelæ ſponſę, quæ putaret ſe deſpici ab illo, eo quod eam non viſitaret, ſicut alii ſponſi faciunt: quidquid in contrarium docuerint *Tancredus q. 19. Anton. à Spir. Sancto num.* 160. Et contra eoſdem idem dicendum puto de ſponſa, quæ ex aſpectu ſponſi voluntarias patitur pollutiones, &c. tenetur enim fugere aſpectum illius, cum eam ille quęrit, & inuiſitat, aliquam prætexendo excuſationem, Nec eſt abſoluenda monialis, quæ non vult relinquere conuerſationem cum ſuo deuoto, ne amittat lucrum magnum inde ſibi proueniens. Ita *Thomas Hurtadus tr. 1. c. 5. reſol. 11. Anton. à Spir. Sancto num.* 163. idem recte dicentes de deuoto, qui à tali moniali ſuſtentatur,

55 Item dicendum eſt de eo, qui eſt in occaſione proxima peccandi: quia

quia ſe coniungit amicis incitantibus ad peccatum, etiam ſi ab eis nō poſſit ſeparari ſine notabili damno, vel nota inter nobiles. Ita *Dicaſtillus*, & alii contra *Hurtadum cit. c. 5. a num. 133. & Anton. à Spir. Sancto num. 155.*

56 Aliud dicendum eſt de iuuene, qui paupertate preſſus dormit cum alio in eodem lectulo, cum quo tactus impudicos, & mollitiem habet, ſi alias aſtringeretur humi cubare cum maximo detrimento in ſalute; tenetur tamen periculum formale peccandi extenuare, iuxtà dicta. Ita *Tancredus ſupra q. 14. Antonius à Spir. Sancto n. 151.* ſed caſus eſt rariſſimus, vt conſideranti patebit.

57 Idem dicendum eſt de illis, qui ob metum cadentem in virum conſtantem, (qualis eſt timor mortis, mutilationis, aut veneficentiæ, amiſſionis notabilis famæ, aut honoris) ſunt in proxima occaſione peccandi, ſiue metus incutiatur à viro fœminæ, ſiue à fœmina viro, tunc enim talis occaſio fit illi inuoluntaria, ob impoſſibilitatem moralem. Ita cum *Sanchez, & Baldello, Hurtadus cit. c. 5. reſol. 16. num. 133. Anton. à Spir. Sanct. num. 159.*

58 Aliqui tradiderunt doctrinam prima facie probabilem, nempè non eſſe abſolutionem denegandam exercenti artem, vel modum viuendi per ſe licitum, licèt per accidens illi ſit occaſio proxima peccandi. Ita *Nauarrus, Tannerus, Ioannes Sàcius, Caietanus, Armilla, Suarez*, quos refert, & ſequitur *Thomas Hurtadus d. c. 5. reſ. 5. n. 55.* Mouentur, quia quod illa ars ſit occaſio peccādi, nō ex natura occaſionis, ſed ex propria fragilitate prouenit, ac per conſequens de illis faciendum eſt iudicium, ac de homine, qui tantum habet conſuetudinem peccandi. Hinc cum *Nauarro, Tannero*, & alijs infert *Hurtadus num. 61.* poſſe abſolui Scribas, Tabelliones, Citharedos, & Magiſtros puerorum, quibus ſua ars, & officium eſt occaſio proxima peccandi; & ſi non proponant relinquere talem artem. Idem cum *Sancio* docet *Hurtadus num. 58.* de Medico, & Chirurgo, quibus ſua ars eſt occaſio peccandi. Item cum *Toleto* ait *Hurtadus nu. 57.* de Parocho, vel de alio publico Confeſſore, quibus ipſę confeſſiones ſunt occaſiones proximę peccandi. Et idem cum *Leſſio, & Diana*, tenet *Hurtadus num. 64.* de Sartoribus qui dum conſuunt ſunt in occaſione proxima furandi. Et idem cum *Caſtropalao, & Sancio* cenſet *Tancredus ſupra q. 15.* de mulionibus, & nautis vitiantibus triticum, vel vinum aqua. Cęterum cum *Ioanne Cardenas cit. d. 18. c. 11. à num. 168.* reſoluendum eſt, quòd non tenentur quidem homines deſerere munera, ſiue officia ſua, in quibus ſunt occaſiones peccandi, V. g. Scribas, Cuſtodes, Mercatores, ſatellites, milites, tabernarii, muliones, ſutores, &c. tenetur tamen vitare per actus ſuos proprios, ac media obuiantia periculum formale peccandi: iuxta ſupra dicta. Ratio eſt quia licet eæ occaſiones afferant periculum peccandi, cum non multum vrgeant ad peccatum, & aliunde non difficile poſſint vitare periculum per actus proprios, &c. non tenentur vitare officia, quæ tales occaſiones pariunt. Verum ſi officium afferat aliquam occaſionem proximam

ximam circa materiam, in qua ſit vehemens paſſio, habitus vitioſus valdè intenſus, vel magnæ, & vrgentes tentationes, conſiderandum eſt an detur impoſſibilitas moralis deſerendi officium, ſi enim talis impoſſibilitas datur (quia alias ipſe, & filii fame peribunt, aut ob ſimiles cauſas) non tenebitur deſerere officium, ſed ardenti animo conari ad tollendum per actus proprios, &c. periculum formale, modo ſupra dicto. Si verò non detur impoſſibilitas moralis in deſerendo officium, quia poteſt aliud ſecurius aſſumere, tenebitur ad id. Ratio eſt, quia vbi non eſt impoſſibilitas moralis, abſolutè poteſt occaſionem tollere: qui autem poteſt tollere, & non tollit, ipſe voluntariè ei ſe exponit: nec eſt verum, quod in iſtis officijs peccantes habeantur ſolum vt conſuetudinarii; nam cum occaſio proxima poſſit eſſe ex euentu, officium quod aliis non eſt occaſio proxima, ſibi poteſt eſſe occaſio proxima. Quod limita, niſi Confeſſarius antecedenter ad expulſionem officij, videat in eo officiali extraordinariam mutationem per quam ceſſet periculum formale. Sic proportionaliter dicas de Parocho. Confeſſarius verò auſcultans pœnitentes ex ſola deuotione, aut vtile temporale, debet abſtinere ab auſcultatione, ſi expertus ſit pati pollutiones voluntarias occaſione huius exercitii; nam cauere debet ab impletione conſilij ſi periculum ſit frangendi præceptum; & cauſa vtilis, aut honeſta non excuſat. Sic *Lopez 1.p. Inſtruct.c.25.§.per hoc vltra, Sancius l.c.num.*18.*& Nau.c.3.num.26.* qui duo vltimi limitant niſi ex deſertione officij confitenti ſequeretur infamia Confeſſarij, aut quia ſuſpicaretur priuatum ſe fuiſſe per Sanctum Officium, ob crimen ſollicitationis, aut fractionis ſigilli, aut alia de cauſa, nam tunc teneretur tantum tollere occaſionem formaliter, ſeu extenuare periculum formale proximum peccandi. Idem dicendum eſt de iuuenibus, qui ratione ſuorum officiorum inter fœminas frequenter conuerſantur, vendendo, &c. qui regulariter non tenentur officia deſerere. Ita *Ioannes Cardenas num.*170. & alij, rectè monentes, hos inſtruendos eſſe à Confeſſario quomodo vitare debeant occaſiones periculoſiores, ita vt nullus ſolus, cum ſolo, & in loco occulto conuerſetur, & quomodo in quauis occaſione debeant euitare periculum formale.

59 Opinio verò *Antonij à Spir. Sancto, Hurtadi*, & aliorum docens licitum eſſe non fugere occaſionem proximam cum iactura diuitiarum, ſeu bonorum fortunæ, ſubit damnationem huius propoſitionis 62. vt notat *Ioannes Cardenas hîc c.7. ar.4.n.*155. Non enim limitat ad vrgentem neceſſitatem moralem concubinarii, &c. neque ad impoſſibilitatem moralem. Quare iſta cauſa, quam afferunt, vt concubinarius non teneatur expellere occaſionem proximam, manet intra terminos ſolius vtilitatis; atque adeò in terminis comprehenſis ſub damnatione. Hinc habes quomodo accipienda ſint verba *Felicis à Panormo num.*1054. dicentis: ***Ad impoſſibilitatem moralem conſtituendam requiritur cauſa neceſſaria, ſeu vrgens, quæ ſupe-***

ret

vet vires fragilitatis humanæ; talis cenſetur, ſi ex ſeparatione ſequatur valdè graue detrimentum in vita, fama, aut bonis.

60 Dico octauò. Nulla cauſa eſt ſufficiens, vt quis non teneatur auertere periculum proximum peccandi mortaliter. Eſt certa aſſertio.

61 Conſtat ex dictis. Nam in poteſtate hominis ſemper eſt adhibere media, per quæ extenuatur periculum proximum peccandi lethaliter, nempè ſummam deteſtationem peccati, propoſitum conſtans, implorationem diuini auxilii, &c. Ergo nulla eſt cauſa ſufficiens excuſans hominem ab eo, quod conetur extenuare periculum proximum peccandi lethaliter, niſi fortè ignorantia inuincibilis.

62 Hinc, quando Confeſſarius incidit in concubinarium impotentem expellere occaſionem, non debet abſoluere illum, donec cognoſcat eum peccatorem habere propoſitum, non ſolum non cognoſcendi carnaliter concubinam, ſed etiam adhibendi ſupradicta media ad extenuandum, & auertendum periculum peccandi: Pœnitens enim non poteſt abſolui, niſi habeat propoſitum implendi omnem obligationem grauem, quę illum obſtringit.

63 Reſoluitur etiam hic. Quid dicendum ſit, quando impoſſibilitas expellendi occaſionem eſt Theologica, id eſt prouenıat à precepto. Et quidem omnibus compertum eſt, nullum præceptum, obligare cum periculo formali labendi in peccatum mortale, ſiue non obligare ad hoc, quod ſe exponat ei periculo formali; quia nullum præceptum obligat, vt homo illud impleat, labendo in aliud peccatum mortale. Cum ergo præceptum obligat ad aliquod opus, in quo eſt occaſio proxima peccandi, homo tenetur ad vtrumque, nempè ad illud opus, & ad vitandum periculum formale: V. g. in caſu Chirurghi, qui ex curatione fœminę experiatur pollutiones voluntarias, & fœmina periclitetur de vita, & non ſit alius, qui ei medeatur, tenetur ſuccurrere fœminæ extrema neceſſitate laboranti; & tenetur vitare periculum formale labendi. Ratio eſt, quia poteſt implere vtrumque præceptum. Ergo tenetur ad vtrumque. Conſequentia ſequitur ex aſſertione; nam nulla cauſa eſt ſufficiens, vt quis non teneatur auertere periculum proximum peccandi mortaliter. Antecedens etiam patet ex dictis: poteſt enim per actus internos, & media obuiantia extenuare periculum formale, & poteſt ita fœminæ mederi. In quo caſu ſi medeatur cum periculo lapſus, non peccat, quia adiit occaſionem; ſed quia non vitauit periculum formale per actus internos, &c. vt potuit. Ita *Ioannes Cardenas cit. d. 18. c. 13. num. 204. & 205.*

64 Reſoluitur denique, An vincenda ſit ipſa impoſſibilitas moralis, quando datur talis complicatio, & periculi proximi, vt neutrum vitari poſſit. Caſus vtinam fictus, & non ſepè factus proponitur. Puella poſt diuturnum tempus concubinatus conſcientiæ morſibus mota accedit

dit ad Confeſſarium, exponens impoſſibilitatem moralem exeundi ex ea domo, ſeù neceſſitatem moralem in ea permanendi, quia aliàs vtpotè omni ſpe humana deſtituta, aut fame periret, aut in maius malum, nempè in publicum meretricium caderet; Confeſſarius cognita impoſſibilitate morali occaſionem extrinſecam repellendi, eam monuit, vt periculum formale vitaret, aut ſaltem extenuaret per actus proprios, & reſiſtendo, vti ſupra; reſpondit mulier ſe non poſſe elicere firmum, & verum propoſitum reſiſtendi libidini complicis, quatenus reſiſtendo incurrit eandem impoſſibilitatem moralem, quoniam certò cognoſcit, quod tunc è domo expelleretur, & ita eadem mala incurreret; in hoc caſu Confeſſarius non poteſt hanc puellam abſoluere, niſi è domo illa egrediatur; quia impoſſibilitas moralis excuſat à repellenda occaſione extrinſeca, at non excuſat à propoſito firmo repellendi periculum formale per proprios actus, ob rationem allatam, adeoque in hoc caſu impoſſibilitas moralis dicti propoſiti eſt vincenda per repulſionem occaſionis extrinſecæ. Iſta igitur puella non poteſt abſolui, nec deobligari à repellenda occaſione extrinſeca; quia non habet efficax, & conſtans propoſitum vincendi periculum formale per proprios actus, & reſiſtendi conſtanter, non obſtante, quod ſit è domo expellenda. Ita contra *Sancium nu.9. Thomas Hurtadus tr.1.c.6.nu.198. Antonius à Spiritu Sancto num.153. Felix à Panormo num.1055. Piſanus*, & alii cum *Ioanne Cardenas hîc c.7. ar.3. nu.146. & ſeqq.* qui tandem ad paritatem de concubinario, qui ob impoſſibilitatem moralem excuſatur ab expellenda muliere, reſpondens, ait, *Diuerſa itaque eſt ratio in concubinario, qui vrgentiſſima neceſſitate coactus retinet fœminam? iſte enim poteſt per propoſitum efficax, & implorationem diuini auxilij extenuare periculum peccandi: hæc autem fœmina non poteſt illud extenuare per propoſitum, & alia media, niſi expellenda ſit è domo, vt ſupponit hypotheſis.*

§. TERTIVS.

Incidens iurgium reſoluitur.

65 AN occaſionem proximam conſtituat periculum tum certum, tum etiam probabile peccandi.

66 Pro reſolutione, animaduertendum, quod periculum certum pro re præſenti eſt illud, quod certitudine morali infert futuritionem damni. Periculum verò probabile eſt illud, in quo inuenitur motiuum inclinans probabiliter ad futuritionem damni. *Caramuel in Regul. D. Benedicti d.72. nu.1056.* hanc regulam ſtatuit pro dignoſcendo periculo probabili: *Si fueris ad talem domum decies, & quinquies peccaueris, & quinquies non peccaueris, eſt probabile, ſi reuerteris, te peccaturum eſſe, & eſt æquè probabile te non*

peccaturum eſſe. Hanc eamdem regulam ad æqualem periculi probabilitatem computandam ſequitur *Leander à Murcia l.2. diſp.1. reſ.16. num.10. & Sporer.* Eam tamen regulam eſſe fallacem benè oſtendunt *Ioannes Cardenas cit. d.18. c.14. à num.219. & Petrus Maria Morellus in Tribunali conſcientiæ congreg.22. caſu 2.* Primò, quia ſi prius abſtinuit continuatis vicibus, & poſtea quinquies cum continuatione cecidit, iam fragilior redditus eſt per habitum vitioſum denuò acquiſitum: cui habitui vitioſo, cum accedat vehementia paſſionis, & hæc denuò dent fortiorem occaſionem ſuggeſtionibus ſathanę, fit, in eo caſu multò maiores vices ſtare pro periculo, quam pro conſtantia. Secundò eſt habitū vitioſum augent non ſolum iſtæ quinque vices, quibus peccaſti intra eam domum, ſed omnia alia peccata luxuriæ, quæ in cæteris domibus commiſeras, vel intermedio tempore commiſiſti; vnde ſi ex aliis peccatis luxuriæ habes habitum vitioſum vt centum, accedentibus illis quinque vicibus, infirmior effectus es, & dantur firmiores vires ex parte periculi, quàm ex parte abſtinentiæ. Quare ad ſimile periculum computandum, non ſolum debes attendere ad experientiam eius occaſionis, ſed ad vehementiam paſſionis, augmentum habitus vitioſi, ſuggeſtionem diaboli, & opportunitatem occaſionis: nam ſicut ſine vlla experientia pręcedente acceſſus ad leonem ſæuientem eſt periculum proximum mortis; ita, opportuniſſima occaſio ſolet eſſe periculum proximum. Tam autem periculum certum, quam probabile certum eſt in exiſtendo: certum enim eſt exiſtere in periculo mortis infirmum, cuius vita adhuc non deſperatur, ſed probabiliter timetur. Occaſionem, in qua periculum peccandi eſt certum, indubitabile eſt eſſe proximum. Iurgium ergo eſt in præſenti, An ſit etiam occaſio proxima, quando periculum eſt dumtaxat probabile?

Caram. cit. d.70. num.1056. ex editione Veneta anni 1651. docuit, licitum eſſe, exponere ſe periculo probabili peccandi. Ex quo euidenter infertur non eſſe occaſionem proximam peccandi illam, in qua periculum peccandi eſt dumtaxat probabile; cuius fundamentum, cum ſit euidenter ſophiſticum, ſatis declarat falſitatem eius opinionis. Fundamentum, propoſuit *num.1058.* in hæc verba. *Petis, vtrum poſſit ſe aliquis exponere probabili peccandi periculo? Ego nullam actionem prudentem peccati arguo; nec imprudens cenſendus eſt, qui ſequitur partem probabilem. Ita efficaciſſimè ſuperius num.1057. vbi notaui, tunc probabiliter deeſſe periculum, quando probabiliter adeſt, & ſi tibi ſit probabile, quod nullum ſit peccandi periculum, non video, quid te vrgeat, aut cogat, ne poſſis licitè operari.* Totum itaque fundamentum illius eſt, quod vbi datur periculum probabile peccandi, probabile eſt dari periculum, & probabile eſt nullum dari periculum peccandi. Vt in *Theol. fund. edit. Francofurtenſis fund.11. num.298.* eandem aſſertionem ſic probat: *Sit iturus Ambroſius ad Petronillæ domum, & cognoſcit probabilis peccati periculum? Ergo in tali caſu poteſt, & debet dicere. Iſta propoſitio (Peccabo)*

cabo) eſt probabilis : atqui poſſum ſequi quam volo in materia probabili : Ergo potero ſtare huic ſententiæ (non peccabo) Verum in *Theol. fund. editionis Lugdunenſis* anno 1657. retractauit *Caramuel* hanc ſententiam, *& fund. 11, num.* 504. expreſsè dicit, eſſe improbabilem, & ratione demonſtratiua probat, illam eſſe improbabilem. Et tamen *Leander à Murcia tit. reſ. 16. Baſſaus V. abſolutio num. 22. Mendo in epit. V. occaſio num. 5.* niſi præcipue auctoritate *Caramuelis*, & eius ſophiſtico fundamento relato, docent, licitum eſſe ſe exponere periculo probabili peccandi, quos ſequitur *Lumbier to. 3. ſum. num.* 2010. *& Hozes in expoſ. propoſ. 63. nu.* 4.

67 At ad occaſionem proximam peccandi lethaliter ſufficere periculum probabile, firmum, inconcuſſumque eſt inter Auctores maioris notæ. Ita *Sanchez l. 1. in Decal. c. 8. num. 1. Nau. in ſum. c. 3. num. 14. verſ. huius autem, Cæleſtinus in compendio theol. mor. tr. 1. c. 4. q. 11. Lorca 2. 2. ſect. 3. d. 28. num. 9. Lopez Inſtruct. p. 1. c. 21. §. ad tertium, Diana p. 7. tr. 11. reſ. 29. Ioannes Cardenas cit. d. 18. per totam, & hic c. 4. Petrus Maria Morectus cit. caſu* 2. & alii. Eodem modo intelligendi ſunt Auctores, dum aſſerunt, in periculo proximo peccandi verſari eum, qui credit ſe in ea occaſione frequenter, aut fere ſemper peccaturum: Nam verbum *credendi*, extra materiam fidei diuinæ, denotat credulitatem probabilem.

68 Probatur primò. Illa eſt occaſio proxima peccandi lethaliter, cui dum quis ſpontè ſe exponit, peccat lethaliter : ſed qui ſe exponit ſpontè periculo probabili peccandi lethaliter, peccat lethaliter : Ergo exponere ſe ſponte periculo probabili peccandi lethaliter, eſt occaſio proxima peccandi lethaliter. Maior certa eſt. Nam aduerſarii, qui excludunt à ratione occaſionis proximæ periculum probabile, ideo illud excludunt, quia in periculo probabili peccandi lethaliter nolunt admittere peccatum lethale. Et ſi in periculo probabili inueniant peccatū lethale nulla erit ratio, ob quam tale periculū excludant a ratione occaſionis proximę. Minor verò demonſtratur. Tum quia periculum probabile peccandi ſeu amittendi gratiam Dei eſt certè graue malum animæ præſens, & à quolibet prudente fugiendum, ſed nemo poteſt ſine graui culpa ſubire id quod certè eſt graue malum ; Ergo nemo poteſt ſine lethali ſe exponere periculo probabili peccandi mortaliter. Tum quia periculum probabile amittendæ vitæ eſt certè magnum malum præſens ; quod omnes homines vitare conantur, & tenentur ſub mortali. Periculum probabile amittendi honorem, & incurrendi ignominiam, eſt magnum malum præſens quod omnes deteſtantur. Periculum probabile amittendæ totius rei familiaris, eſt magnum malum præſens, quod omnes fugiunt. Ergo periculum probabile amittendæ gratiæ diuinæ, quæ his omnibus pluris incomparabiliter valet, eſt magnum malum animæ, quod omnes Chriſti fideles, aduerſari debent, & quidem ſub lethali tenetur. Tum quia. Homo non ſolum tenetur grauiter præcepto non peccandi, ſiue non amittendi gra-

Digitized by Google

tiam Dei, ſed etiam ſecurum ſe reddere; quantum moraliter poſſit à peccato mortali, & ab amiſſione gratiæ Dei; ſed ſecuritas opponitur cuilibet periculo. Ergo ex præcepto grauiter obligante tenetur ad fugiendum quodlibet periculum. Tum denique, quia charitas erga ſe ipſum obligat, vt quis reddat ſe ſecurum quantum poſſit à ſummo malo, & ab amiſſione ſummi boni: nam quilibet tenetur grauiter reddere ſe ſecurum ab incurſione gehennæ: Sed peccatum lethale eſt maius malum, quam incurſio gehennæ: Ergo grauiter tenetur ſecurum ſe reddere à peccato lethali, & conſequenter, &c.

Probatur ſecundò. Nemo ambigit, eſſe in occaſione proxima mortis eum, qui prouocans, vel prouocatus aggreditur duellum: Et tamen periculum mortis iſtius indiuidui, non eſt certum, ſed probabile. Ergo ad occaſionem proximam mortis ſufficit periculum probabile mortis. Similiter in occaſione proxima mortis eſt ille, qui proximus eſt leoni ſæuiſſimo, ſub circumſtantijs infra proponendis, ſub quibus ſolum eſt periculum probabile mortis: ad proximam ergo occaſionem ſufficit periculum probabile. Eodem modo arcem eſſe in occaſione proxima ruinæ certũ eſt, ſi illá obſideat ingens Maurorũ exercitus, magna armorũ potẽtia munitus, cũ tamen periculũ ruinæ non ſit certum, ſed dumtaxat probabile. Similiter eſt in occaſione proxima ruinæ domus illa, cuius vicina domus flagrat incendio; licet periculum non ſit certum, ſed dumtaxat probabile: Ergo &c.

69 Hinc ad argumentum *Caramuelis*, quod, vt appareat quàm ſophiſticum ſit, propono illud in aliis materijs. Primò. Petrus incidit in periculum probabile mortis ex infirmitate, cui licèt non afferatur remedium, iudicio medicorum non infert infallibiliter, aut euidenter mortem, ſed ſolum probabiliter: Ergo eſt probabile non dari periculum mortis: Ergo potes ſequi hanc opinionem probabilem, & iuxta illam non eripere vitam tuam ab eo periculo, opinando probabiliter, quod non exponis vitam tuam periculo: vt omittam eam peſſimam conſequentiam, quod non teneberis in periculo probabili mortis ſuſcipere Sacramenta. Etenim qui prudenter iudicat, ſe nullum habere periculum mortis, non tenetur ad ſuſcipienda Sacramenta: ſed per te qui habet probabile periculum, prudenter iudicat, ſe nullum habere periculum: Ergo qui habet probabile periculum mortis, non tenetur ad ſacramenta ſuſcipienda.

Secundò. In medio campi non longè abes à leone ſæuiſſimo, putà per quadraginta paſſus: ſed & duo alij homines in eodem campo diſtant à te triginta paſſus, & à leone, & inter te totidem diſtant; inermis es, & equum habes proximum, quo velocius poſſis fugere; eriſne prudens, aut vitæ tuæ prodigus, ſi nolis vti veloci medio fugiendo, & dicas, nullum adeſſe periculum, quia periculum non eſt certum, ſed dumtaxat probabile, quia ad alios poteſt leo ſuum greſſum dirigere? Cognoſce igitur malam eſſe conſequentiam. Hoc *periculum eſt probabile: Ergo probabile eſt, nullum eſſe periculum.* Ter-

Tertiò. Domus ædibus tuis vicina incendio flagrat : ſunt probabiles coniecturę, quod ædes tuas incendet, ſed nulla certitudo. Habes in ædibus, ſcilicet in domo tua viciniori flammis, multam mercium copiam, nimirum totam tuam rei familiaris ſubſtantiam, quam teneris protegere ad alimentum copioſæ familiæ, cuius tibi cura incumbit. Ergo ſi periculum illud tuæ rei familiaris ſolum eſt probabile, probabile erit nullum eſſe periculum : Ergo potes ſequi hanc opinionem, & non protegere rem tuam familiarem. Ergo prudenter operaberis non protegendo rem familiarem; quidquid ſit an poſtea ignis totam tuam ſubſtantiam deuoret, & filii tui, & reliqui familiares deinceps mendicent.

Quartò eſt probabile periculum Reipublicæ cuidam Catholicæ incidendi in manus hoſtium Maurorum, quibus cum nomine Chriſtiano infenſiſſima inſita eſt inimicitia. Erit ergo probabile, quod non datur tale periculum. Gubernator ergo eius Reipublicæ probabiliter ſibi perſuadeat, nullum eſſe periculum, & dormiat, nec diſponat media opportuna ad protectionem ſuæ Reipublicæ. Si ingreſſus fuerit Mauritanus hoſtis, & vaſtauerit Chriſtianam vrbem, peſſumdederit Sacramenta, Virgines Deo Sacratas ignominia affecerit, & poſtea coram Rege cum Gubernatore agatur de negligentia, eam afferat excuſationem, quod periculum erat dumtaxat probabile, atque adeo probabile etiam eſſe, non eſſe periculum, ideoque ſibi prudenter perſuaſiſſe nullitatem periculi. Et quis hanc excuſationem non ridebit? Quis non iudicabit eam excuſationem potius inter ſophiſmata cogitatam, quàm inter dictamina prudentis gubernationis?

70 Deinde reſpondeo directè argumento diſtinguendo antecedens : illud periculum probabile non eſt certum, quo ad illationem futuritionis peccati, concedo; quoad exiſtentiam periculi nego. Similiter diſtinguo conſequens : Ergo dumtaxat eſt probabile, quoad illationem futuritionis peccati, concedo conſequentiam; quoad exiſtentiam periculi, nego. Aliud enim eſt loqui de exiſtentia periculi, & aliud eſt loqui de illatione, qua periculum infert futuritionem damni : Vnde fit, quod poteſt eſſe certa exiſtentia periculi, & probabilis futuritio damni. Quando ergo datur periculum probabile peccandi, eſt certa exiſtentia periculi; illatio autem, aut quaſi illatio, qua ex periculo colligitur peccatum futurum, eſt probabilis. Nam licèt euidenter conſtet de ea habitudine, ſiue inclinatione ad peccatum, non conſtat euidenter, quod ea habitudo allatura ſit futuritionem peccati. Sed quamuis omitteremus hoc primum conſequens argumenti *Caramuelis*, negandum eſſet alterum conſequens ſubſequutum. Tum quia eſt implicantia in terminis, quod verè ſit periculum probabile, & quod ſit probabile non adeſſe periculum, & ſic oſtenditur. Eſt implicatio in terminis, quod verè ſit opinio probabilis, & quod ſit probabile; non eſſe opinionem (idem eſt *opinio*, ac *probabilis*, pro re præſenti) nam ex hoc, *Verè eſt opinio probabilis*; poteſt inferri hæc (ſi videlicet certa ſit probabi-

babilitas) *Ergo certum eſt, quod eſt opinio.* Ex ſecunda verò, quæ dicit, *Probabile eſt, hanc non eſſe opinionem*, infertur hæc: *Ergo non eſt certum, quod eſt opinio.* Poteſt ergo vtrumque inferri: *Certum eſt, quod eſt opinio: Non eſt certum, quod eſt opinio.* Eodem modo ex hac propoſitione: *Hoc periculum eſt probabile*, infertur hæc: *Certum eſt, quòd illud eſt periculum.* Item ex hac propoſitione, *Probabile eſt, quod illud non eſt periculum*, infertur hæc: *Non eſt certum, quod illud eſt periculum*: cum probabile excludat certitudinem. Infertur ergo vtrumque. *Ergo certum eſt, quod illud eſt periculum:* Et, *non eſt certum, quod illud eſt periculum*: Hinc fit, non ſolum eſſe malam conſequentiam negatiuam, ſcilicet, *Hoc periculum eſt probabile: Ergo probabile eſt quod non eſt periculum*; ſed & peſſimam eſſe conſequentiam affirmatiuam; nempè *Hoc periculum eſt probabile: Ergo probabile eſt, quod eſt periculum*: ſicut hæc eſt mala conſequentia. *Hæc opinio eſt probabilis: Ergo probabile eſt, quod eſt opinio*: nam dum opinio verè eſt probabilis, poteſt eſſe certum, quod eſt opinio; & quod eſt probabilis, ſic diſcurras in periculo. Tum etiam quia poteſt vna opinio eſſe probabilis, quin oppoſita ſit probabilis, vt manifeſtè demonſtraui in *comment. ad Propoſ. 3.* poteſt enim vna opinio habere fundamentum probabile, & oppoſita propoſitio nullum; & conſequenter ex eo quod probabile ſit periculum, malè infertur, eſſe probabile, quod non ſit periculum: poteſt enim dari fundamentum probabile, quod ſuadeat periculum, & fundamentum leue, vel nullum, quo diſſuadeatur periculum; quis enim negabit, poſſe dari probabiles coniecturas, quod domus mea ardebit ex incendio ædium proximarum, & leue, vel nullum fundamentum, vt credam, quod non ardebit?

Sed demus eſſe fundamentum probabile, quod ſuadeat, te non peccaturum eſſe, adhuc certum eſt, dari periculum probabile, ſicut dum eſt opinio probabilis, quod ex peccato veniali inferente damnum graue, oriatur obligatio reſtituendi; & altera opinio probabilis, quod ex peccato veniali inferente damnum graue, non eſt obligatio reſtituendi, adhuc certum eſt, quod eſt probabilitas vtriuslibet. (ſuppono eſſe certum, vtramque probabilem) In argumento ergo ad propoſitionem ſubſequutam, nempè, *Quilibet poteſt ſequi opinionem probabilem, relicta oppoſita*, diſtinguo: Si ea opinio verſetur in quæſtione directa, concedo: ſi verſetur in quæſtione reflexa, quæ ex alio principio ſit decidenda, nego, vt patebit ex dicendis.

Ad confirmationem negandum eſt antecedens, quod vbi vna opinio eſt probabilis, oppoſita etiam eſt probabilis. Sed dato antecedenti quoad caſum præſentem, nempe eſſe fundamentum probabile pro vtraque parte contradictionis, ſic diſtinguo conſequens: Ergo vbi adeſt probabiliter periculum, etiam probabiliter abeſt, quoad exiſtentiam periculi, nego: quoad futuritionem peccati, concedo, Quod ſatis patet ex dictis.

71 Vt autem ſatis fiat argumentis, quæ ex eodem *Caramuele* congerit *Murcia*, dicas quod periculum eſt probabile, ſed non eſt probabile, quod poſſis te exponere ei periculo. Quod vt clarè intelligas, animaduertendum duco, duplicem dari quæſtionem in moralibus, nempè directam, & reflexam. Quæſtio reflexa, ſiue quæ reflectit ſupra opinionem probabilem, inquirit, an ſuppoſito, quod aliqua opinio ſit probabilis addatur aliqua circumſtantia, quæ limitet opinionem probabilem? Ita cum inquiritur, an poſſit licitè dari baptiſmus in lixiuio extra caſum neceſſitatis, vt quæſtio eſt reflexa, ita ſupponit eſſe opinionem probabilem de valore eius baptiſmi, & procedit vlterius inquirendo, an ſit aliqua lex, quæ prohibeat vſum eius opinionis probabilis extra caſum neceſſitatis? Hinc fit, quæſtionem hanc: *An liceat exponere ſe periculo probabili*, eſſe quæſtionem reflexam: nam ſupponit opinionem probabilem de periculo, & inquirit, an ſit lex aliqua, quæ inhibeat vſum opinionis probabilis de non periculo (ſi hæc datur) vel an detur lex aliqua interdicens, ne dictamen practicum, accommodetur opinioni probabili affirmanti periculum. Vnde ſicut malè argueret, qui diceret: *Baptiſmus in lixiuio probabiliter eſt validus: Ergo licitè poteſt adhiberi extra caſum neceſſitatis*: quia ſic arguens non attendit ad nouam circumſtantiam, quam affert, ſeù ad nouum caſum, & de qua circumſtantia inquirit hæc quæſtio reflexa, ſcilicet ad legem charitatis, ratione cuius non licet exponere contingentiæ baptiſmum, qui exponeretur, ſi daretur ſecundùm eam opinionem probabilem. Ita ſimiliter malè arguit, qui dicit: *Hoc periculum peccandi tale eſt, vt probabiliter credatur, Petrum peccaturum, & probabiliter credatur, Petrum non peccaturum: Ergo licitum eſt Petro ſe exponere ei periculo*: Quia ſic arguens non attendit ad id, quod inquirit denuo quæſtio reflexa; ſcilicet, an in eo periculo, detur lex charitatis obligans ad non exponendum ſe ei probabilitati periculi. Hæc ſi benè intelliges, non obijcies ea contra Doctrinam à nobis ſæpè aſſertam negantem dari opinionem probabilem ſpeculatiuè, quæ non ſit probabilis practicè; nam mutatur quæſtio, & caſus.

Volui ſic fuse hunc quæſtionem agitare, & opinionem oppoſitam impugnare; quia puto eam eſſe valdè periculoſam: nam concubinarius facilè ſibi perſuadebit, aut perſuadere conabitur, ſuum periculum labendi non eſſe certum, ſed dumtaxat probabile: atque adeo non eſſe occaſionem proximam, neque ineſſe ſibi obligationem vitandi præfatam occaſionem, & ita remanebit in periculo damnationis æternæ.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO LXIV.

Abſolutionis capax eſt homo, quamtumuis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiam ſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

1 HAnc propoſitionem aliqui tribuunt *Thomæ Sanchez l. 2. Decal. c. 3. num. 21. Ioanni Sancio in Selecl. d. 9. num. 18. Baſſæo V. Fides 1. num. 17. Azorio*, & aliis, quatenus dicunt, quod non tenetur Confeſſarius negare abſolutionem ignoranti Doctrinam Chriſtianam, & ſi ſæpè admonitus non didiciſſet; dummodo pœniteat præteritæ negligentiæ, & emendationem proponat: quia de hoc peccato non eſt aliud cenſendum, quàm de aliis in ordine ad negandam abſolutionem ob relapſum; quia cuiſcumque præcepti violati emendationem proponere, & dolorem habere, ſufficiens diſpoſitio eſt ad abſolutionem, quando pœnitens aliud efficere non poteſt tempore confeſſionis, quàm dolere; & ob id non eſt abſoluendus, qui non reſtituit, aut concubinam non eiicit, quia tempore confeſſionis præter dolorem, & propoſitum, poteſt reſtiruere, & concubinam expellere; non autem incontinenti valebit doctrinam addiſcere. Sed quia iſti Doctores excipiunt doctrinam neceſſariorum neceſſitate medii; & propoſitio hæc generaliter omnia includit, nolo hanc relatis Doctoribus tribuere, licet negari non poſſit eorum doctrinam eſſe moderandam, iuxta dicenda. Cæterum hæc cuiuſcumque ſit, decimaſeptima ſeù vltima eſt earum, quas Facultas Theologica Louanienſis die 30. Martii, & 26. Aprilis 1653. iudicauit, & reſoluit in praxi non eſſe tolerandas, & ſuperiorum auctoritate meritò prohibendas.

SVMMARIVM.

§. I.

2 *Tenentur Confeſſarij interrogare pœnitentes doctrinam Chriſtianam, quoties probabiliter iudicari poteſt fore, vt eam ignorent.*

3 *Quæ ſunt quæ Confeſſarius ruſticos docere debet, ruſticos ſemel & iterum interrogando?*

4 *Fidem myſteriorum SS. Trinitatis & Incarnationis explicitam eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti, omnibus exploratum eſt, ſicut etiam neceſſariam neceſſitate medij fuiſſe in omni ſtatu, etiam legis naturæ, fidem implicitam Chriſti.*

5 *Poſt*

Digitized by Google

5 Poſt verò Chriſti ad ventum, & Euangelij promulgationem eſſe neceſſariam neceſſitate medij, tam ad iuſtificationem, quam ad æternam ſalutem obtinendam, fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis, verior, & communior docet ſententia, cum S. Thoma.

6 Poteſt probari hæc ſententia verior tum auctoritatibus S. Scripturæ, & Patrum, tum ratione.

7 Non approbatur ſententia docens non eſſe neceſſariam neceſſitate medij huiuſmodi fidem explicitam, niſi quoad ſalutem ſecundam, non verò quoad primam, ſeù iuſtificationem.

8 Sententia verior probatur, quoad Myſterium SS. Trinitatis.

9 Fides explicita Chriſti, quæ iuxta hanc veriorem, & communiorem ſententiam eſt neceſſaria neceſſitate medij, debet eſſe de eius Incarnatione, morte, & reſurrectione.

10 Probabilis eſt ſententia negans neceſſitatem medij iſtorum myſteriorum, tum ante, tum etiam poſt Euangelij promulgationem, quæ probabiliter reſpondet fundamentis prioris ſententiæ.

11 Quot partes contineat hæc propoſitio confixa?

§. II.

12 Incapax eſt abſolutionis, qui ignorat etiam inuincibiliter myſteria, quæ explicitè credenda ſunt neceſſitate medij, nempe Deum eſſe auctorem ſupernaturalem, & remuneratorem remuneratione æterna. Et propoſitio contraria hoc decreto vt minimum tanquam ſcandaloſa deijcitur.

13 Prima pars aſſertionis ſuadetur ex eo, quod non eſt capax abſolutionis, qui non adhibet medium neceſſarium ad iuſtificationem.

14 Secunda verò pars ex eo quod hæc aſſertio continetur ſub vniuerſali primæ partis propoſitionis.

15 Ignorans culpabiliter myſteria Incarnationis, & Trinitatis non eſt capax abſolutionis. Et contraria pars in hoc decreto expreſsè damnatur tanquam ſcandaloſa: eſt enim ſecunda pars propoſitionis proſcriptæ.

16 Suadetur ex eo, quod non eſt capax abſolutionis, qui actualiter continuat peccatum mortale.

17 Quid aget Confeſſarius, qui vocatus ad excipiendam confeſſionem moribundi ruſtici, & in ſyluis continuò commorantis, præſumit eum eſſe ignarum horum myſteriorum, & quia ſummè grauatus eſt infirmitate, non poteſt inquirere, an habeat ſufficientem notitiam horum myſteriorum, neque poteſt habere attentionem, vt doceatur?

18 Quid vbi Confeſſarius certò cognoſcit, ruſticum moribundum ignorare hæc myſteria?

19 Qui dum viuit inculpabiliter ignorat hæc duo myſteria, incapax eſt abſolutionis, adeo vt Confeſſarius id aduertens peccet mortaliter abſoluendo, & pœnitens petendo abſolutionem. Et contraria aſſertio ſubiacet huic damnationi.

20 *Probatur prima pars ex eo, quod ante abſolutionem eſt inſtruendus, & quia tunc aduenit aduertentia, & ſcientia obligationis, ignorantia fit culpabilis.*

21 *Suadetur ſecunda pars ex prima parte propoſitionis damnatæ.*

22 *Quid in moribundo inculpabiliter inſcio horum myſteriorum?*

23 *Qui ignorat etiam inuincibiliter ea myſteria fidei, quæ ſunt neceſſaria ad iuſtificationem, neceſſitate medij, ſi abſoluitur à peccatis, inualidè abſoluitur.*

24 *Suadetur ex eo, quod non ponit media præcisè neceſſaria ad iuſtificationem.*

25 *Qui culpabiliter ignorat myſteria Trinitatis, & Incarnationis, ſi aduertat grauem culpam ſuæ ignorantiæ, vel habeat inaduertentiam eius grauiter culpabilem, incapax eſt abſolutionis, etiam quoad valorem.*

26 *Suadetur ex eo quod iſte actualiter continuat culpam grauem.*

27 *Sacerdos, qui abſoluit eum, qui ignorat culpabiliter, aut inculpabiliter myſteria Trinitatis, & Incarnationis, peccat lethaliter.*

28 *Patet ex eo, quod Sacerdos tenetur inſtruere pœnitentem circa myſteria, quorum notitia eſt adeo neceſſaria, & obligatoria.*

29 *Quod ſi aliqui ſint adeo rudi intellectu, vt ea myſteria ſub propria aliqua ratione concipere nullo modo poſſint, quoad hanc rem cum infantibus, ac fatuis comparandi ſunt.*

30 *Sententia docens Fidem explicitam eorum myſteriorum non eſſe neceſſariam neceſſitate medij deſeruire poſſit, vt non ſit onus repetendi confeſſiones antea factas cum tali ignorantia inuincibili.*

31 *Damnatio procedit de incapacitate abſolutionis quoad licitum, non quoad valorem.*

32 *Et quare?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò, teneri Confeſſarios interrogare pœnitentes Doctrinam Chriſtianam, quoties probabiliter iudicari poteſt fore, vt eam ignorent. Quia tenentur interrogare peccata, quæ veriſimile eſt pœnitentem commiſiſſe iuxtà ſuum ſtatum. At huiuſmodi eſt hæc ignorantia, ſic *Bannez.2.2.q.2.ar.8.dub.2.Petrus de Ledeſma to.2.Summæ tr.1.c.3. poſt 7.conclus. Azorius to.1.l.8 inſtit.mor.c.8.quæſt fin. & Sanchez cit.c.3 num.* 21.qui vltimi aiunt, non eſſe hæc interrogare neceſſe perſonas nobiles, aut benè à pueritia educatas, aut quæ ſtudio literario vacant, aut frequenter ad confeſſionem accedant: quia meritò præſumi poteſt has non ignorare, Hoc additum ſolet frequenter procedere, ſed non ſemper; Doctor enim

enim vtriuſque iuris in quadam ciuitate primaria Regni repertus fuit annis præteritis cenſuiſſe perſonas diuinas eſſe quatuor; in ſigno crucis diuidens Spiritum, à Sancto: & non omnino raro repertæ ſunt perſonæ frequentantes Sacramenta, & tamen neceſſaria ſcitu ignoraſſe. Quis crederet fœminam natalium non vulgarium, ferè qualibet hebdomada ad communionem accedentem, & tamen ſupra quinquagenariam ignoraſſe ſub accidentibus Euchariſticis contineri ſubſtantialiter Chriſtum Dominum? Et tamen eam ego ſcio, & inſtrui: remittendum itaque puto hoc prudentiæ Confeſſarij.

3 Notandum eſt ſecundò. Illa, quę Confeſſarius ruſticos docere debet ſemel & iterum interrogando, eſſe, in Trinitate eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, nec eſſe tres Deos, ſed vnum verum Deum, æternum Creatorem, omnium Auctorem omnis boni neceſſarij pro ſalute corporis & animæ, ſummum bonum, infiniteque perfectionis; item Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum eſſe vere Dei Filium, verum Deum, & hominem, & eſſe eum, qui carnem ſumpſit ac paſſus eſt propter noſtram ſalutem, & reſurrexit propter noſtram glorificationem, atque eſſe in Sanctiſſimo Sacramento, deſcendiſſe ad inferos aſcendiſſe ad cælum locum Beatorum, & inde deſcenſurum pro iudicio finali. Deum remittere peccata, eſſe remuneratorem, ſiuè præmiatiuum, ſiuè punitiuum, ſeu dare Gloriam æternam merentibus per bona opera, cum iiſque decedentibus in gratia ac amicitia Dei; pœnæ æternæ adiudicare eius præcepta non cuſtodientes, ſed in peccato mortali decedentes. In articulo autem mortis ſufficit proponere ruſtico tantum credenda neceſſitate medij vt, Deum eſſe auctorem omnis boni neceſſarii pro ſalute, præſertim animæ; ipſumque eſſe remuneratorem, vt ſupra; myſteria Incarnationis, & Trinitatis, quæ iuxta ſententiam probabiliorem, in ſequentibus propugnandam, ſunt neceſſaria neceſſitate medij: Vt vel ſic actum illa explicitè credendi eliciat moribundus; quia in eo ſtatu non eſt fere capax commode aliorum; potius enim defatigaretur paruo cum fructu, vt docent *Graſſius 1. p.l.2.c.8. Reginald.l. 2.c.13.num.153. Filliucius tr.22.num.57.& 58. Baſſæus ſupra nu.*28. qui *num.* 17. ait: quod non benè faciunt Confeſſarii, qui pœnitentes rudes & ignaros variis interrogationibus torquent, inſtructionibus longioribus in confeſſionali inſudant, vt memoriter ſcienda in Doctrina Chriſtiana aut recitent, aut repetant: Hi enim inuanum ſe inutili labore conſumunt, & conficiunt: non eſt vtique ibi locus Catechiſmorum, vbi breuiter, & fructuoſe res expediri poteſt. Quando autem debent interrogare, de elicientia, & ſcientia actuum fidei, ſpei, & charitatis, patet ex dictis in *Lapide Lydio Theol. in comm. ad Propoſ. 1. & ſupra in comm. ad Propoſ. 5 7. 16. & 17. & 22.*

4 Notandum eſt tertiò, circa hæc myſteria Trinitatis, & Incarnationis, omnibus exploratum eſſe, eorum fidem explicitam eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti; & nos oſtendimus in *comm. ad Propoſ. 16.* Vnde con-

trouerſia hic remanet reſoluenda, quoad neceſſitatem medii. Et conueniunt Doctores in hoc, quod in omni ſtatu, etiam legis naturę fuit neceſſaria neceſſitate medii tùm ad iuſtificationem, quàm ad æternam ſalutem fides implicita Chriſti, ſeù fides Chriſti mediatoris poſt Adæ peccatum. Vt colligitur ex illo ad *Gal.* 2. vbi dicitur: *Non iuſtificatur homo, niſi per fidem Chriſti*: quod intelligunt SS. Patres de omni homine, & omni tempore poſt peccatum. Et *Apocal.* 13. Chriſtus appellatur Agnus occiſus ab origine mundi; quia propter merita Chriſti ſalui fiebant olim homines, quę merita non applicantur hominibus, niſi per fidem. Et omiſſis aliis S. Scripturæ locis, egregius eſt locus ille ad *Rom.* 3. vbi dicitur: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*, ideſt, vt Deus velit glorificari in ſalute hominum. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit propitiatorem per fidem in Sanguine ipſius ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum*: Vnde *D. Auguſtinus epiſt.* 157. ſic ait. *Illa Fides ſana eſt, qua credimus nullum hominem liberari à contagione mortis: niſi per vnum mediatorem Dei, & hominum, Ieſum Chriſtum, cuius hominis eiuſdem Dei ſaluberrima fide, etiam illi iuſti ſalui facti ſunt qui priuſquam veniret in carne, crediderunt in carne venturum, eadem enim eſt fides illorum, & noſtra.* Difficultas tamen eſt an ante Aduentum Chriſti ſuffeciſſet ipſius fides implicita, contenta in hoc, quod Deus ſit Saluator, & remunerator, an verò requirebatur fides explicita. Et aliqui, inter quos eſt Lorca, aſſerunt fuiſſe neceſſariam fidem explicitam, & præſertim ob adductam auctoritatem *D. Auguſtini*; quam ſententiam fuse proſequitur *Riccius hìc d.* 57. *c.* 2. At longe verior eſt ſententia contraria *D. Bonau. in* 3. *d. ad* 2. *ar.* 1. *q.* 3. *Scoti eadem diſt. q.* 1. *§. Quilibet tamen, Maſtrij de fide d.* 6. *q.* 16. *ar.* 1. *Ioannis à S. Thoma d.* 4. *ar.* 1. *Gabrielis à S. V. Valen. Amici, Eſparzæ, & aliorum.* Et *S. Auguſtinus* rectè explicatur de fide implicita, vt ipſemet ſe explicat *l.* 19. *contra Fauſtum c.* 14. Vel dici poteſt cum *Hugone à S. Victore* ralato *à Goneto*, illum loqui de expreſſa reuelatione facta corpori Eccleſiæ in lege naturæ, vel ſcripta: non verò de reuelatione ſingulis perſonis facta. Vnde ſufficiebat pro illo ſtatu, vt Maiores explicitam Chriſti fidem haberent; Minores verò implicitam; in quo ſenſu etiam explicandus eſt *S. Thomas* aiens, omni tempore oportuiſſe credi aliquo modo explicite myſterium Incarnationis (vt etiam ipſe ſe explicat) ſcilicèt tempore legis naturæ, & ſcriptæ à Maioribus, ſiuè Doctoribus, non verò à rudioribus. Vnde 2. 2. *q.* 2. *ar.* 6. *ad* 3. ait: *Si qui tamen ſaluati fuerint; quibus reuelatio non fuit facta, non fuerunt ſaluati abſque Fide Mediatoris; quia, etſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen implicitam in Diuina Prouidentia, credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundum modos ſibi placitos.* Et probatur etiam ex eo; quia hæc explicita cognitio non eſt ex natura rei neceſſaria ad ſalutem; cùm ad hanc ſufficiat conuerſio in Deum, vt finem vltimum ſuperna-

ra-

Digitized by Google

ralem, quod fit per charitatem, ad quod ſufficit cognitio ipſius Dei, & remunerationis ſupernaturalis, vt ſuo loco probaui. Nec requiritur fides explicita Chriſti; licet enim Fides Chriſti dilectionem præcipuè inflammet; abſque ipſa tamen cum ſupradicta cognitione ſufficienter poteſt flamma charitatis accendi, ac perſeuerare, neque hæc fides explicita eſt neceſſaria ex inſtitutione Diuina, cum hoc non conſtet, neque ex traditione, neque ex ſcriptura: quia ad Deum pertinuiſſet vbique prædicari; & tamen non ita factum eſt: immò etiam ex Iudæis pauci Meſſiam, vt futurum Redemptorem, & Saluatorem expectabant: Ergo ex nullo capite colligitur pro tunc tempore neceſſitas huiuſmodi fidei explicitæ.

5 Poſt verò Chriſti aduentum, & Euangelii promulgationem eſſe neceſſariam neceſſitate medii, tam ad iuſtificationem, quàm ad æternam ſalutem obtinendam, fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis, veriorem, & communiorem docere ſententiam cum *D. Bonau. & Scoto relat's*. Et colligitur etiam expreſsè ex *D. Thoma loco nuper citato ar. 7. & 8. & in 3. ſent. d. 25. q. 2. ar. 2. quæſtiunc. 2.* vbi poſtquam diſtinxit triplicem ſtatum; loquendo de ſtatu poſt aduentum Chriſti, & prædicatum Euangelium, ſic ait: *In tertio autem ſtatu, poſt aduentum Chriſti, quia iam myſterium Incarnationis impletum eſt, & corporaliter, & viſibiliter, & prædicatum; omnes tenentur ad explicitè credendum: & ſi aliquis inſtructorem non haberet, Deus ei reuelaret; niſi ex ſua culpa remaneret.* Nec valet dicere, *D. Tomam* loqui de neceſſitate præcepti: Non, inquam, valet. Primò, quia *D. Thomas* loquitur de illa neceſſitate, de qua loquutus fuerat in duobus prioribus ſtatibus: nec conueniens fuiſſet diuertere ſermonem à neceſſitate medij, ad neceſſitatem præcepti; ſed in prioribus ſermo eſt de neceſſitate medii; ſolum enim numerat neceſſaria huius generis, vnde pro ſecundo ſtatu ante aduentum Chriſti, ſolum Fidem implicitam pro Minoribus aſtruit: Ergo & de neceſſitate medii loquitur in tertio ſtatu. Secundò, quia dum ſubdit: *Et ſi aliquis inſtructorem non haberet, Deus ei reuelaret*; ſatis oſtendit, loqui dè neceſſitate medii; quod patet ex eo, quia ſi ſolum neceſſitate præcepti eſſet neceſſaria Fides explicita Chriſti, non opporteret, Deum reuelare ei, qui non habet inſtructorem; quia ſine his (ſi inuincibiliter ignorentur) poteſt homo iuſtificari, & ſaluari: Ergo *D. Thomas* ſupponit, ita neceſſariam illam fidem explicitam, vt ſine ipſa ſaluari nequeat homo: adeòque Deum reuelare oportere ignoranti, & inſtuctorem non habenti (qui propterea inuincibiliter ignoraret) niſi ex ſua culpa remaneret. Tum etiam: quia reſpectu eorum, quæ non ſunt neceſſaria neceſſitate medij, non deſiderat, S. Doctor dari debere inſtructorem, vt patet ex eo, quod ait *loc. cit. 2. 2. ar. 7. ad 3.* vbi ex eo, quod ante aduentum Chriſti ſufficiebat fides implicita, non expoſcit reuelationem à Deo iis, qui explicitam fidem non habe-

bant;

bant. Ergo ſi pro hoc ſtatu id expoſcit; ſignum eſt, fidem explicitam Chriſti, eſſe neceſſariam neceſſitate medij. Tum denique patet ex diuerſo modo loquendi tam in titulo, quam in corpore *articuli* 5. vbi loquitur de neceſſitate præcepti: & *ar.* 7. & 8. vbi loquitur de neceſſitate medij. Hinc apparet malè *Laur. à S. Tereſa* negantem neceſſitatem medij de fide explicita iſtorum myſteriorum: aſſeruiſſe *D. Thomam* loquutum tantum de neceſſitate præcepti.

6 Poteſt autem probari hæc ſententia verior quo ad Incarnationem, primo auctoritatibus S. Scripturæ. Nempè ex illo *Ioan.* 3. vbi dicitur: *Qui non credit, iam iudicatus eſt: quia non credit in nomine Vnigeniti filij Dei.* Qui locus licet poſſit explicari de neceſſitate præcepti; tamen conuenientius explicatur de neceſſitate medij. Et ex illo *Marci vltimo*: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ex quo loco ſatis probabiliter Theologi probant, fidem eſſe neceſſariam neceſſitate medij. Quid autem crediderit, aut non crediderit, niſi Euangelium? de quo præmiſſum fuerat: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ?* Quid verò aliud eſt Euangelium Chriſti, niſi fides explicita Chriſti? Ex illo *Ioan.* 1. Dedit poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius, nón alijs. Et *c.* 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Et *Actor.* 8. vbi S. Philippus baptiſmum Eunucho poſtulanti conferre noluit, quin prius profeſſus fuiſſet expreſſis verbis, *Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum.* Secundò patet ex *Tridentino ſeſ.* 4. *decr.* 1. vbi decernitur, ſine fide noſtra catholica impoſſibile eſſe placere Deo; qui modus loquendi ſatis indicat neceſſitatem medij. Sunt enim eadem verba Apoſtoli relata in *Lapide Lydio Theol. in Comment. ad propoſit.* quæ omnes explicant de neceſſitate medij. Quæ nam autem eſt fides noſtra Catholica, niſi illa, de qua dicit *Athanaſius*, *Fides autem Catholica hæc eſt*: vbi Trinitatis myſterium, & Incarnationis explicitè traditur: Tertiò probatur ex SS. Patribus, nempè ex *S. Athanaſio in Symbolo*, in quo propoſito myſterio SS. Trinitatis, adiungit poſtea: *Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt Incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat.* Ex *S. Hier. in c.* 3. *epiſt. ad Epheſ.* dicente: *Non poſſumus eſſe filij per adoptionem, niſi prius Fidem Filij Dei, & intelligentiam recipiamus*: Et ex *S. Auguſtino lib. de bono perſeu. c.* 1. dicente: *Nullum verius initium Chriſtiani hominis, quam credere in Chriſtum.* Quartò probatur ex hoc, quod ſequeretur, Iudæum poſſe his temporibus cum lege Moſaica ſaluari: Quod eſt contra *Conc. Flor. ſeſſ. vlt. in decr. vnionis.* Sequela oſtenditur, quia dari poteſt Iudæus, vel puer, vel rudis, inuincibiliter ignorans Fidem explicitam Chriſti: per legem autem veterem haberet fidem implicitam eiuſdem, vt Mediatoris, vel in Diuina Prudentia. Ergo &c. Denique probatur optima ratione, quam affert *D. Thomas loco cit. ar.* 7. In ſtatu legis gratiæ debet haberi perfectior

Digitized by Google

fectior cognitio Chriſti quàm in lege naturæ, vel Moſaica. Sed tunc erat neceſſaria neceſſitate medij fides implicita Chriſti: Ergo modo exigitur neceſſitate medij fides explicita eiuſdem. Maior patet ex eo, quod lex Euãgelica dicitur lex gratię reuelatę. Tũ etiã ratione *D. Thomæ*; quia lex gratię & perfectior eius ſtatus videtur exigere, vt ſicut in lege veteri, quo propinquior fuit Chriſto, eo explicatior de eo habita eſt cognitio, ita in ea, quę eſt lex ipſius Chriſti, plene explicita de eo habeatur cognitio: & ſicut in ipſa velamen, quod poſitum eſt, ſuper caput Iudæorum, ſublatum dicitur ab Apoſtolo ad *Gal. 3.* ita non iam implicite, ſed explicitè credatur Chriſtus. Tum etiam quia nunc myſterium Incarnationis corporaliter, & viſibiliter impletum eſt: tunc autem ſolum ſub figuris adumbratum: & nunc non eſt expectanda maior explicatio, quò ad præcipua myſteria noſtræ fidei: Ergo nunc perfectior debet eſſe Chriſti cognitio, quam tunc. Et hoc indicauit Apoſtolus ad *Gal. 3.* dicens. *Prius autem, quam veniret fides*, nempe Euangelica ſub *lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat*: Ergo ſicut neceſſitate medij neceſſaria erat in lege veteri fides velata, ſeù implicita Chriſti; ita nunc fides reuelata, ſeu explicita eiuſdem.

7 Quantùm verò ad opinionem *Cani de Sacram. in genere par. 2. concl. 2. Bannez 2. 2. q. 2. ar. 8. Aragonij eadem q. 2. ar. 5. & Alphonſi à Caſtro 2. de lege pænali c. 14.* docentium, pro tempore ſubſequente promulgationem Euangelij Fidem Chriſti non eſſe neceſſariam neceſſitate medij ad iuſtificationem, ſeù ſalutem primum, ſed tantum ad glorificationem, ſeù ſalutem ſecundam, ſic impugnatur. Primò, quia Fides non eſt neceſſaria ad viſionem beatificam, vt actualiter perſeuerans, immò teſte Apoſtolo, euacuabitur in Patria: vnde neceſſaria eſt in via, vel dum ſumus in hac vita, per ipſam tendamus ad finem ſupernaturalem conſequendum in Patria: poſſumus autem tendere ad illum finem vel per primum actum contritionis, charitatis, conuerſionis in Deum finem ſupernaturalem, quo iuſtificamur; vel per actus ſequentes, quibus iuſtificati, actiones meritorias elicimus; ſed non magis requiritur, vt ſemel iuſtificati, (ſuppoſito auxilio ſupernaturali) actiones meritorias elicimus, quam ad eliciendum eas, quibus iuſtificamur. Ergo quod eſt neceſſarium ad vnũ iſtorum, eſt neceſſarium, ad reliquum; & quod ad vnũ eorum nõ eſt neceſſarium, ad neutrum erit neceſſarium: Ergo perperam aſſignatur illa diſtinctio. Secundò ex illo Apoſtoli ad *Rom. 8.* dicente: *Quos autem vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit.* Vbi, vt idem *Bannez* aduertit *2. 2. q. 2. ar. 8. dub. 1. concl. 1.* innuitur neceſſarius ordo inter vocationem, quę fit per fidem, & iuſtificationem: & inter iuſtificationem, & æternam ſalutem. Ergo hęc connexio exigitur, vt iuſtificatus glorificetur, nec iuſtificato deneganda ſit gloria, nec aliquid aliud requiratur, niſi quod ſit iuſtificatus actualiter, vt ei pateat ingreſſus ad gloriam. Idem enim ordo

de-

debet ſeruari pro negatiuo , ſcilicet , vt non vocatus per fidem non iuſtificetur , & non iuſtificatus non glorificetur ; quem admittit *Bann z*, ac pro poſitiuo , vt ſcilicet , iuſtificetur vocatus , & iuſtificatus glorificetur, qui eſt plenior in verbis Apoſtoli. Neque obſtat id , quod ait *Bannez* de Cornelio , qui iuſtificatus eſt , antequam haberet fidem explicitam Chriſti , & deinde ad eum inſtruendum miſſus eſt Petrus . Non, inquam obſtat ; nam reſpondetur cum *D.Thoma* 2.2 *q.10. ar.4. ad 3.* quod iuſtificatus eſt cum ſola fide implicita ; quia tunc non erat ſufficienter promulgatum Euangelium ; vndè Petrus ad eum miſſus eſt , vt plenius ille inſtrueretur in fine ; & hoc ideo , quia poſtmodum per Apoſtolos erat promulgandum Euangelium , & incepiſſet obligare, immò eſſe neceſſariam neceſſitate medii fidem explicitam : at ſi *Cornelius* ante hanc promulgationem deceſſiſſet abſque fide explicita, ſaluus fuiſſet, vt benè *Sotus in 4. d.5. q.vn.ar.2. in dubit.* quam excitat *poſt 3. concluſ.* Tertiò , quia per gratiam ſanctificantem homo fit hæres vitæ æternæ , & filius Dei ; vnde ſuppoſito , quod ille iuſtificatus ſtatim moriatur abſque Fide explicita Chriſti , non poſſet in aduerſariorum ſententia aſſignari locus , in quo deputabitur : non Paradiſus ; quia ſine fide explicita Chriſti , per ipſos , non poteſt ad vitam æternam peruenire : non Infernus , neque Purgatorii locus; cum ſupponamus deceſſiſſe in gratia, & ſine reatu pœnę. Si cum *Bannez* afferas impoſſibilitatem caſus , quia pertinet ad Diuinam Prouidentiam , vt homo ille non moriatur , antequam habeat fidem explicitam. Contra eſt , quia hoc voluntariè aſſeritur ; & impoſſibilitas caſuum tunc ſolum debet admitti , quando ex poſitione caſus ſequitur aliquod inconueniens , quod aliter ſaluari non poteſt , quod tamen ſequitur ex aliqua ſententia , quam de fide tenemus; vt quod prædeſtinatus non moriatur in peccato mortali; non enim eſt admittendus caſus. Attamen quando aliter ſaluari poteſt ; vel inconueniens ſequitur ex ſententia aliqua non adeò certa, potius deſerenda eſt ſententia, quam recurri ad impoſſibilitatem caſus.

8 Quò ad myſterium Trinitatis , probatur ratione *D.Thomæ loco cit.ar.8.* Myſterium Incarnationis Chriſti explicitè credi non poteſt ſine Fide Trinitatis ; quia in Myſterio Incarnationis continetur , quod Filius Dei carnem aſſumpſit ; quod per gratiam Spiritus Sancti mundum renouauit , & quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit ; & ideò eodem modo , quo ante aduentum Chriſti , Myſterium Incarnationis fuit explicitè creditum à Maioribus , implicitè autem , & quaſi adumbratè à Minoribus ; ita etiam myſterium Trinitatis . Ergo nunc tempore gratiæ diuulgatæ, ſicut eſt neceſſaria Fides explicita Chriſti apud omnes, ita etiam apud omnes neceſſaria eſt Fides explicita Trinitatis : quapropter Chriſtus *Marci vlt.* dixit : *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris , & Filij , & Spiritus Sancti*. Conſonat *S. Athanaſius in Symbolo*, vbi

vbi poſtquam dixit, Fidem Catholicam ab eo tenendam eſſe, qui velit eſſe ſaluus, ſubiungit, *Fides autem catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur.* Et *S.Cyrillus l.1. in Ioannem c.16.* dicens. *Non ſufficit vobis cognitio Dei, abſque cognitione Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et ritus S Eccleſiæ Catholicæ, quæ neminem ad baptiſmum recipit; quin prius diligenter inquirat, an credat in Deum Patrem? an credat in Ieſum Chriſtum Filium eius? an credat in Spiritum Sanctum? quæ cęremonia declarat, neminem gratię baptiſmalis, ac proinde iuſtificationis eſſe capacem, qui non explicitam & diſtinctam de Sanctiſſimæ Trinitatis myſterio fidem habeat.

9 Porrò Fides explicita Chriſti, quę iuxtà hanc veriorem, & communiorem ſententiam eſt neceſſaria neceſſitate medij; debet eſſe de eius Incarnatione, morte, & reſurrectione. Ita communiter Thomiſtæ, & alii cum *D.Thoma ſupra ar.6.* Ratio eſt, quia Incarnatio eſt initium, & fundamentum eorum, quæ credi debent de Chriſto: per mortem autem & reſurrectionem eius conſummatur noſtra ſalus, iuxta illud, quod dicitur ad *Rom.4. Traditus eſt propter delicta noſtra, reſurrexit propter reſurrectionem noſtram*; & iterum ad *Rom.10. Hæc eſt verbum Fidei, quod prædicamus; quia ſi confitearis ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quod Deus ſuſcitauit illum à mortuis, ſaluus eris.* Monet autem *D. Thomas cit.ar.6. ad 2.* Simplices non eſſe examinandos de ſubtilitatibus fidei: Vnde benè *Gonetus, Salmanticenſes,* & alii aſſerunt, ſufficere Adultis vt apprehendant myſteria Incarnationis, & Trinitatis quò ad ſubſtantiam; nempè quod Diuinum Verbum ſit vnitum humanitati; non verò an hęc vnio ſit facta in ſuppoſito, vel natura: Et ſimiliter quòd ſit vnus Deus, & tres Perſonę, quarum vna vocatur Pater, alia Filius, alia Spiritus Sanctus: non verò quod Filius ſit Verbum, & procedat per cognitionem; & Spiritus Sanctus ſit Amor, & procedat per voluntatem, &c. Hoc autem non eſt difficile, maximè ex auxilio ſupernaturali, quod Deus non denegat.

10 Non nego tamen probabilem eſſe ſententiam negantem neceſſitatem medii iſtorum myſteriorum tum ante, tum etiam poſt Euangelii promulgationem, quam docent *Ioannes Medina de recta in Deum fide l.4. c.10. Vega l.6. in Trid.c.2. Sotus l.2. de nat.& gratia c.12. & in 4. d.5. q.2. ar.2. Suar. de Fide d.12. ſect.3. num.11. Turrian. d.26. dub.4. Arriaga d. 12. num.6. & 16. Madernus q.3. ar.3. Herinx d.7. q.5. num.49. Villalobos in ſum.to.2. tr.1. diff.3. num.6. & 7.* & alii, quos poſt hoc Decretum ſequitur *Ioſeph Cacheranus de fide c.5.§.7.* & probabilem dicunt *Diana p.3.tr. 5.reſ.46. Tannerus* & alii ſcribentes ante hoc Decretum, & poſt hoc, *Corella hic num.305. Ioannes Cardenas hic,* & alii, aſſerentes hanc opinionem non ſubiacere condemnationi huius propoſitionis, quia auctoritates contrarię ſententiæ, non incongruè poſſunt intelligi aliquæ de neceſſitate præcepti,

quędam de notitia implicita Chriſti, & Trinitatis,] in fide Dei, quędam verò de Fide Ieſu Chriſti non vt obiecti, ſed vt cauſæ meritorię, ita vt ſenſus ſit, nos non iuſtificari, niſi per fidem, quam habemus ex meritis Chriſti, ſeù ex gratia Chriſti. Rationibus etiam ſatisfacit *Catheranus relatus*, & alij.

11 Notandum eſt quartò, hanc propoſitionem confixam continere duas partes. In prima parte aſſeritur, eſſe capacem abſolutionis, qui ignorat myſteria: vbi videtur abſtrahere ab ignorantia inuincibili, & vincibili. Et quidem ſi loqueretur ſolum de aliquibus indeterminatè, ea propoſitionis pars non eſſet damnabilis; certum enim eſt, capacem eſſe abſolutionis eum, qui ignorat aliqua myſteria Fidei; vt enim oſtendimus in *Comment.ad Propoſ.*16. ſunt aliqua, ad quę explicitè credenda non tenetur fidelis neceſſitate medii, neque neceſſitate præcepti; quale eſt, quod Chriſtus Dominus ſepultus fuerit in ſepulcro nouo, & multa alia, quę ſunt in Euangelio de geſtis Chriſti Domini. In ſecunda parte ſpecificatur magis ignorantia vincibilis, & culpabilis, & exprimit ea duo myſteria, nempe Incarnationis, & Trinitatis: Quare ſenſus propoſitionis damnatæ eſt de omnibus myſteriis Fidei, vel de omnibus præcipuis ex obligatione credendis, & affirmat ignorantem etiam vincibiliter hæc myſteria eſſe capacem abſolutionis. His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum

12 Dico primò. Non eſt capax abſolutionis, qui ignorat etiam inuincibiliter myſteria, quæ explicitè credenda ſunt neceſſitate medii, nempe Deum eſſe auctorem ſupernaturalem, & remuneratorem remuneratione æterna; & propoſitio contraria eſt damnata in hoc decreto, vt minimum vt ſcandaloſa, ſed eſt etiam temeraria.

13 Probatur prima pars. Non eſt capax abſolutionis, qui non adhibet medium neceſſarium ad iuſtificationem; nam quod eſt medium neceſſarium ad iuſtificationem, eſt medium neceſſarium ad abſolutionem. Sed qui ignorat Deum vt auctorem ſupernaturalem, ac remuneratorem, non adhibet medium neceſſarium ad iuſtificationem; cum Fides explicita, & notitia Dei, vt auctoris ſupernaturalis, & remuneratoris, ſit medium neceſſarium ad illam, vt ſuo loco oſtenſum eſt: Ergo qui id ignorat, etiam inuincibiliter, non eſt capax abſolutionis.

14 Probatur ſecunda pars aſſertionis. Quia prima pars propoſitionis damnatæ, vt dixi in vltima prænotione, cum non poſſit habere ſenſum particularem, habet vtique ſenſum vniuerſalem de omnibus myſteriis fidei,

Digitized by Google

dei, vel de omnibus præcipuis ex obligatione credendis; ſed in hoc ſenſu vniuerſali, quod *Capax eſt abſolutionis, qui ignorat omnia myſteria fidei, vel omnia præcipua*, continetur iſta, *Capax eſt abſolutionis, qui ignorat myſteria fidei neceſſaria neceſſitate medij*: Ergo etiam hæc propoſitio damnata manet. Conſequentia ſequitur. Nam ſicut eſt de Fide, quod Deus vult, Petrum ſaluum fieri; quia eſt de fide, quod Deus vult omnem hominem ſaluum fieri; quia prima continetur in ſecunda: ita in hac vniuerſali, *Ignorat omnia myſteria Fidei*, includitur hęc: *Ignorat myſteria Fidei, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij*. Et ideo propoſitio, quæ loquitur de prima, loquitur de ſecunda; & vbi damnatur prima, damnatur ſecunda.

15 Dico ſecundo. Ignorans culpabiliter myſteria Incarnationis, & Trinitatis non eſt capax abſolutionis. Et contraria pars in hoc Decreto expreſsè damnatur tamquam ſcandaloſa: eſt enim ſecunda pars propoſitionis deiectę.

16 Probatur. Non eſt capax abſolutionis, qui actualiter continuat peccatum mortale, dum abſoluitur: Sed qui ignorans culpabiliter hæc duo myſteria abſoluitur, iſte continuat peccatum mortale dum abſoluitur: Ergo eſt incapax abſolutionis. Maior patet: eſt indiſpoſitus cum obijce poſitiuo ad abſolutionem. Probatur minor: Datur ſaltem præceptum Diuinum de credendis explicitè præcipuis myſteriis, & ſpecialiter his duobus Trinitatis, & Incarnationis, vt oſtenſum eſt in *comm. ad Propoſ. 16*. Equidem *Marci vlt.* dicitur *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui verò non crediderit condemnabitur*. Euangelium autem non continet ſola myſteria, quæ credebat Synagoga Iudęorum; ſed alia: & quæ ſunt pręcipua in Euangelio, niſi myſteria Trinitatis, & Incarnationis? *Ioannis* 10. inquit idem Chriſtus Dominus: *Ego ſum oſtium, ſi quis per me introierit, ſaluabitur. Actorum 16. Cuſtos Carceris* dixit *Paulo, & Sylæ, Quid me oportet facere, vt ſaluus fiam? Et illi dixerunt, Crede in Dominum Ieſum, & ſaluus eris*. Et licèt hoc præceptum addiſcendi Doctrinam Chriſtianam de his myſterijs, quia affirmatiuum eſt, non obliget pro ſemper, ſed in talibus circumſtantiis; at quia etiam eſt præceptum non ignorandi, ſiue non differendi notitiam horum myſteriorum, & hoc modo obligat ſemper, & pro ſemper: Ergo tunc continuat peccatum mortale, quia tunc vrget etiam, & potiſſimum præceptum non differendi eam notitiam. Præterea, quod hæc ignorantia culpabilis ſit peccatum mortale, exploratum omnibus eſſe debet, cum materia præcepti ſit adeo grauis.

17 Hic autem inquiritur. Quid faciet Confeſſarius, qui vocatus ad conferendum Sacramentum pœnitentiæ homini moribundo ruſtico, & in ſyluis continuò commoranti, præſumit eum eſſe ignarum horum myſteriorum; & quia ſummè grauatus eſt infirmitate, non poteſt in-

Digitized by Google

quirere, an habeat ſufficientem notitiam horum myſteriorum: neque poteſt habere attentionem, vt doceatur?

Reſpondeo, in illo caſu debere abſolui, ſaltem ſub conditione, cum non ſit certum illum eſſe indiſpoſitum, aut incapacem abſolutionis. Et in dubio tutior pars pro ſalute moribundi eligenda eſt.

18 Sed quid facere debet Confeſſarius, qui certus eſt, ruſticum moribundum ignorare hæc myſteria Trinitatis, & Incarnationis, & videt, illum ita eſſe grauatum infirmitate, vt inſtrui nequeat; qui tamen ſigna contritionis edidit, & confeſſionem poſtulauit?

Reſpondeo, adhuc cum debere abſolui, ſaltem ſub conditione. Quia non eſt certum, illum eſſe indiſpoſitum: eſt enim ex vna parte probabile, fidem explicitam horum myſteriorum non eſſe neceſſariam neceſſitate medij in re, ſed ſufficere in voto, vt ſupra oſtenſum eſt: atque adeo non eſt certum illum eſſe indiſpoſitum ex defectu huius fidei explicitæ. Et ex altera parte, licèt iſte moribundus dum potuit & aduertit debere addiſcere hæc myſteria peccauerit mortaliter: tamen tunc cum ſupponatur impoſſibilitas addiſcendi; & dolor, & deteſtatio illius negligentiæ, talem generaliter in deteſtatione, & dolore præteritorum peccatorum, iſte talis non continuat actualiter peccatum mortale, & ſic non eſt indiſpoſitus ad abſolutionem.

19 Dico tertiò. Qui dum viuit, inculpabiliter ignorat hæc duo myſteria ſanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis, incapax eſt abſolutionis, adeo vt Confeſſarius id aduertens peccet grauiſſimè abſoluendo: & pœnitens petendo abſolutionem. Et contraria propoſitio ſubiacet huic damnationi.

20 Probatur prima pars: Quia, vt rectè *Bannez 22. q. 2. ar. 8. dub. 2. Petrus de Ledeſma to. 2. ſummæ tr. 1. c. 3. poſt* 7. *conclus.* & alij communiter; hic licèt non ſit ſtatim reijciendus, eſt tamen priùs inſtruendus à confeſſore; quod ſi inſtructus didicerit, eſt abſoluendus; ſi ſecus verò contingat, eſt differenda abſolutio: Ergo eſt incapax abſolutionis, dum enim tunc adeſt aduertentia obligationis, iam ignorantia incipit eſſe culpabilis, quia tunc maximè adeſt obligatio ſciendi. An autem valida ſit abſolutio, ſi neuter aduertat, dicam *aſſert. 6.*

21 Probatur ſecunda pars. Nam propoſitionis damnatæ prima pars aſſerit abſolutè eſſe capacem abſolutionis, eum, qui ignorat myſteria fidei, ſine diſtinctione ignorantiæ culpabilis, aut inculpabilis: Ergo ſiue ignorantia ſit culpabilis, ſiue inculpabilis, reiecta manet ea propoſitio.

22 Dixi, in aſſertione, *Qui dum viuit*: nam moribundus inculpabiliter inſcius horum myſteriorum, qui ita morbo opprimitur, vt inſtrui non poſſit, capax eſt abſolutionis, ſaltē conditionalis. Ita *Ioannes Cardenas hic c. 4. n. 25. Caſtheranus*, & alij; quid quid dicat *Reiffenſtuel*. Ratio eſt. Quia cum non ſit omnino certum, notitiam, horum myſteriorum duorum eſſe neceſſariam

riam neceſſitate medij ad iuſtificationem, non eſt certum quod illi non proderit abſolutio; ſed dum id incertum eſt, debet conferri moribundo abſolutio, ſaltem ſub conditione, quia in quauis incertitudine debet Confeſſarius ſequi opinionem tutiorem pro ſalute æterna moribundi: Ergo præfatus moribundus capax eſt abſolutionis, ſaltem conditionalis. Quod ſi tunc inſtructio licèt ita plena fieri nequeat, vt moribundus ſciat, ſeu ſciti rationem ſuo modo reddere poſſit, tamen poſſit fieri ita vt moribundus concipiat illorum myſteriorum explicitam fidem, quatenus Confeſſarius proponit illi in Deo eſſe tres perſonas & vnã eſſentiam,& ſecundam perſonãm pro noſtra redemptione, & ſalute carnem aſſumpſiſſe, mortem ſubijſſe, & reſurrexiſſe, ita vt ruſticus credat, hoc eſſe neceſſarium, quamuis in moribundo nulla memoria eorum remaneat; vt doctores animaduertunt.

23 Dico quartò. Qui ignorat etiam inuincibiliter, ea myſteria Fidei, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij ad iuſtificationem, ſi abſoluitur à peccatis, invalidè abſoluitur. Ita *Ioannes Cardenas c.5.num.27.Reiffenſtuel*, & alij communiter.

24 Probatur. Ille inualidè abſoluitur,qui non ponit media præciſè neceſſaria ad iuſtificationem:Sed ille homo nõ ponit media præciſe neceſſaria ad iuſtificationem; ſupponimus enim eam notitiam, qua ille caret, eſſe medium præciſe neceſſarium: Ergo inualidè abſoluitur, Hæc probatio ſupponit ſententiam communem, quæ ſaltem ex hoc capite non admittit Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe: *Marchantius* tamen *in Candel.Sacram.qq. Paſtoral.tr.5.de pœnit c.2.q.7.*non exiſtimat improbabilem ſententiam dicentem, quod confeſſiones talis bona fide factæ, poſſint dici validæ, licèt informes defectu fidei explicitę myſteriorum neceſſariorum. Sed non eſt diſcedendum à contraria communi ſententia. Vnde omnes confeſſiones iſtius factę durante tali ignorantia,ſunt repetendę,quia nullæ.

25 Dico quintò. Qui culpabiliter ignorat myſteria Trinitatis, & Incarnationis, ſi aduertat grauem culpam ſuæ ignorantiæ, vel habeat inaduertentiam eius grauiter culpabilem, inualidè abſoluitur; atque adeo incapax eſt abſolutionis, etiam quoad valorem. Eſt aſſertio certa.

26 Patet ex ſupra dictis. Iſte actualiter continuat culpam grauem; Ergo vt indiſpoſitus inualidè abſoluitur.

27 Dico Sextò. Sacerdos, qui abſoluit eum, qui ignorat culpabiliter, aut inculpabiliter myſteria Trinitatis, & Incarnationis, peccat lethaliter. Eſt certa aſſertio.

28 Patet, quia Sacerdos tenetur inſtruere pœnitentem circa myſteria quorum notitia eſt adeo neceſſaria, & obligatoria. Aliqui, inter quos *Carnas, & Piſanus* exiſtimantes damnationi primæ propoſitionis ſubiici etiam opiniònem docentem in receptione Sacramentorum licere amplecti ſen-

ten-

Digitized by Google

tentiam minus tutam relicta tutiori circa valorem Sacramenti, agnoſcunt etiam ex hoc capite certitudinem huius aſſertionis, quia iuxta eos, ex damnatione primæ propoſitionis, tenetur indiſtincte Confeſſarius eligere in praxi opinionem tutiorem circa valorem Sacramenti; ſed opinio, quæ dicit, abſolutionem datam eiuſmodi homini ignaro eorum myſteriorum, eſſe inualidam, eſt opinio tutior: Ergo tenetur Confeſſarius hanc opinionem eligere: conſequenter peccat mortaliter, ſi oppoſitam in praxi eligat. At opus minimè iudico recurrere ad hanc Doctrinam; ſufficit dicere, quod in omnium ſententia eſt verum, & certum, nempè ea myſteria ſunt ſcienda, & credenda neceſſitate præcepti Diuini; & in circumſtantia maximè confeſſionis neceſſaria eſt notitia; Sacramenta enim, (vt *S. Thomas ait in prologo libri quarti ſent. ad Annibaldum*) ſunt quædam veluti vaſa, Chriſti ſanguinem continentia, ac ſcaturigines aquæ ſpiritualis, ac fontes illi Saluatoris ab Iſaia Propheta his verbis prænunciati: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.*

29 Illud admittunt etiam *Tannerus in 2.2. D. Tho. d.1. q.7. dub.2. nu.49. Piſanus*, & alii docentes hodie fidem explicitam Incarnationis Chriſti, & Sanctiſſimę Trinitatis eſſe adultis medium neceſſarium ad ſalutem: quod ſi aliqui ſunt adeo rudi intellectu, vt ea myſteria ſub propria aliqua notione concipere nullo modo poſſit, tunc ſupradicti rudes, quoad hanc rem cum infantibus, ac fatuis comparandi erunt. Neque enim credibile eſt, Deum à quopiam exigere maiorem cognitionem, quam per vim intellectus ipſe conſequi poſſit: ſequitur *Diana p.3. tr.5. reſ.46.* addens, *Vnde apparet, quam bonus Deus ijs, qui recto ſunt corde.* Sicut igitur infantes, & amentes ſaluantur cum Baptiſmo, & in fide parentum, ita & iſti: & ſic non coarctatur ſalus, nec Dei miſericordia reſtringitur: non enim debemus exiſtimare Deum exigere ab homine, pluſquam eius conditio valet.

30 Sed & aliud magni compendii habetur ex ſententia probabili docente fidem explicitam horum myſteriorum non eſſe neceſſariam neceſſitate medii, quod Confeſſarius debet quidem ſolicitus eſſe de ignorante ea myſteria inſtruendo, & non abſoluendo niſi inſtructo iuxta eius capacitatem; at nõ de eo obligando ad repetendas totius antæactæ vitæ confeſſiones. Sic poſt hoc decretum docent *Ioſeph Catherinus ſupra nu.96. Angelus* & alii, & ante hoc decretum *Diana p.1. tr.13. reſ.84.* & alii cum *Iacobo Marchantio in Candel. Sacrament. qq. Paſt. tr.5. de pœnit. c.2. q.7.* vbi ſic ait. *Petes an ſint repetendæ confeſſiones priores ab illis ignorantibus myſteria Trinitatis, & Incarnationis, quandoquidem ſitu neceſſaria ſint ad ſalutem, & non potuerunt iuſtificari ſine fide explicita illorum myſteriorum, vt docent multi Thelogi: Reſpondeo ſecundum mentem illorum Theologorum hoc videtur ſequi: quia tamen non improbabilis eſt ſententia dicens ſufficere implicitam fidem, ideo non ſunt ad hoc condemnandi, cum crediderunt Deum eſſe noſtræ ſalutis auctorem,*

ad

Digitized by Google

ac nos redemiſſe, quæ fides implicitè contin et myſteria noſtræ ſalutis.

31 Dico vltimò. Damnatio Pontificia comprehendit propoſitionem afferentem, eum hominem ignarum eorum myſteriorum eſſe capacem abſolutionis, quoad licitum (ſi capax eſt percipere) non verò ſi ſolum dicat, eſſe capacem quoad valorem.

32 Probatur. Nam hæc damnatio non diſtinguit, ſicut nec ipſa propoſitio damnata, inter capacem abſolutionis quoad licitum, & capacem quoad valorem, ſed id affirmat abſtrahendo ab iis terminis: deinde tam damnatio, quàm propoſitio damnata ſufficienter intelligitur de capaci abſolutionis quoad licitum, ita vt ſenſus damnationis ſit, eum eſſe incapacem abſolutionis, quatenus illicitum eſt abſoluere, & accipere abſolutionem cum præfata ignorantia. Maximè, quia, *in obſcuris quod minimum eſt ſequimur, c. In obſcuris, de Reg. iur.*

PROPOSITIO LXV.

Sufficit illa myſteria ſemel credidiſſe.

1 HAnc propoſitionem attribuunt *Tamburino*, qui licèt cum addito eam docuit in *method. Confeſſ. l. 3. c. 5. §. 1.* dicens: *Tria inſuper hic aduerto, primò in benè moratis, ſeu confiteri ſolitis, ſupponi poſſe ſemel hæc myſteria credidiſſe, ſemel inquam, nam ex neceſſitate medij ſemel ſufficit.* Eadem verba repetit *l. 2. in decal. c. 1. §. 1. num. 3.*

SVMMARIVM.

§. I.

2 *In quo differat hæc propoſitio à decimaſeptima?*

3 *Affertur triplex ſenſus à Lumbierio attributus huic propoſitioni, & aperitur incohærentia dictorum eius circa primum ſenſum.*

§. II.

4 *Oſtenditur primum ſenſum, nempè non teneri hominem præmittere actum fidei explicitæ myſteriorum SS. Trinitatis, & Incarnationis ſemper ac accedit ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, non cadere in propoſitionem damnatam.*

5 *Sed quid de actu fidei explicitæ erga exiſtentiam vnius Dei auctoris ſupernaturalis, & remuneratoris remuneratione æterna.*

6 *Secundus ſenſus, nimirum, ſufficere ea myſteria ſemel credidiſſe, ita vt quamuis poſtea obliuiſcatur, aut ea ignoret, poſſit eſſe capax abſolutionis, cadere in hanc propoſitionem damnatam, demonſtratur.*

7 *Quid ſi quis adeo ſit hebes, vt huiuſmodi myſteria retinere non poſſit?*

8 *Aperitur, quàm meritò tertius ſenſus, qui eſt precipuus huius propoſitionis,*

nis, ſcilicet, ſufficere ad implendum præceptum fidei de his myſterijs, illa ſemel credidiſſe, proſcriptus ſit, vt minimum vt ſcandaloſus.

9 *Quæ frequentia actuum Fidei horum myſteriorum, & Dei vnius auctoris ſupernaturalis, & remuneratoris exigatur ex ui præcepti diuini?*

§. PRIMVS.

Prænotiones pro intelligentia Propoſitionis.

2 PRænotandum eſt primò, in eo differre hanc propoſitionem à decima ſeptima, qua dicitur: *Satis eſt actum Fidei ſemel in vita elicere*, quod illa ſupponit ſcientiam, & memoriam myſteriorum Fidei, ſed negat neceſſitatem repetendi actus Fidei, & pluries illos eliciendi; hæc autem ſenſum facit, quod ſatis eſt ſemel credidiſſe; itaut etiam ſi deinde myſteriorum Fdei, maximè Incarnationis, & Trinitatis oblitus fueris, hoc ſufficiat.

3 Notandum eſt ſecundò, *Lumbierto. 3. ſum. num. 1783.* triplicem ſenſum attribuiſſe huic propoſitioni. Primum *ſufficit ſemel credidiſſe; ita vt homo non teneatur præmittere hanc fidem explicitam myſteriorum* Incarnationis, & Trinitatis *reliquis confeſſionibus totius vitæ.* Secundum, *ſufficit ſemel credidiſſe, ita vt quamuis poſtea obluiſcatur, aut ignoret ea myſteria, poſſit eſſe capax abſolutionis.* Tertium, *ſufficit ad implendum præceptum Fidei ſemel credidiſſe, quia vnico ſolo actu impletur id præceptum.* Affirmatque omnes tres ſenſus eſſe falſos; ſed duos poſteriores contineri ſub hac damnatione, non autem primum. Quia non conſtat de obligatione præmittendi actum fidei receptioni Sacramenti Pœnitentiæ. Sed quis non videat, quod hæc duo non cohæreant, & quod ſit falſum, quod poſtquam homo ſemel credidit, non tenetur præmittere actum explicitum fidei reliquis confeſſionibus, & quod non conſtet de tali obligatione præmittendi actum Fidei confeſſionibus. Quomodo enim dabitur talis obligatio ſi de ea non conſtet. Quod ſi non datur talis obligatio, quomodo erit falſa propoſitio, quæ negat eam obligationem? His prænotatis, ſit.

§. SECVNDVS.

Stabiliuntur aſſertiones iuxta Decretum.

4 DIco primò. Ille primus ſenſus non cadit in propoſitionem damnatam: Ita *Ioannes Cardenas hic diſſert. 38. cap. 1. num. 2. Torrecilla hic num. 5. Corella num. 309.* & alii docentes, quod quamuis ſit in-

ſit incapax abſolutionis, qui ignorat myſteria SS. Trinitatis, & Incarnationis, non tamen neceſſe eſt elicere actum expreſſum Fidei circa illa, ſemper ac accedit ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, ſed ſufficit virtualis iſtorum myſteriorum.

Probatur, quia propoſitio damnata nihil dicit de præmittendo confeſſionibus, aut non præmittendo actu Fidei explicitæ horum duorum myſteriorum.

Imò addo, quod quamuis ſemper ac recipiendum eſt Sacramentum Pœnitentiæ requiratur fides explicita exiſtentiæ vnius Dei auctoris ſupernaturalis, & remuneratoris remuneratione æterna, tamen iſte actus Fidei includitur in contritione, aut attritione, & ita ſufficit excitare nos, & mouere ad attritionem, aut contritionem, non attendendo directe ad actum fidei vnius Dei auctoris ſupernaturalis, & remuneratoris, vt dicit *Ripalda de ente ſupernaturali tr. vlt. nu. 46. Corella hic n. 310. Emanuel à Conceptione in tr. de Pœnit. d. 2. qu. 24. n. 300.*

6 Dico ſecundò. Secundus ſenſus cadit in hanc Propoſitionem damnatam. Ita *Hozes, Lumbier, Torrecilla n. 4. Ioannes Cardenas n. 3. Corella n. 30*8. & alii communiter.

Probatur ex eo, quod hic ſenſus eſt quædam conſequentia ex propoſitione antecedente illata. Nam ex eo, quod dicatur eſſe capacem abſolutionis eum, qui culpabiliter ignorat hæc duo myſteria, colligitur eſſe capacem abſolutionis, qui ſemel ea myſteria credidit, quamuis accedat ad confeſſionem oblitus, & ignarus eorum, & ideò in hoc ſenſu damnata manet hæc Propoſitio. Et quamuis meritò damnata ſit, conſtat ex *comment. ad Propoſ. præcedentem.* Verùm pro conſolatione rudium *Syluius 2. 2. qu. 2. art. 8. concluſ. 8.* ſic aſſerit: *Si quis adeò ſit hebes, vt huiuſmodi myſteria retinere non poſſit, excuſabitur à præcepto, & ſi credat, quomodo poteſt, ea, quæ diximus neceſſaria neceſſitate medij, ſaluus eſſe poterit.* Hæc ille, quem ſequitur *Diana p. 3. tr. 5. reſ. 46.*

8 Dico tertiò. Senſus tertius relatus eſt præcipuus huius Propoſitionis damnatæ: ſcilicet ſufficere ad implendum præceptum Fidei de his myſteriis, illa ſemel credidiſſe: In quo ſenſu damnatur, & meritò hæc propoſitio. Ita Auctores relati.

Probatur manifeſte iis omnibus, quibus in *cit. comment. ad Propoſ. 17.* probauimus, non ſufficere, quod quis ſemel eliciat actum Fidei, vt conſtat ex iis, quæ ibidem perpendimus circa eum textum *Pauli ad Rom. 1.* quem repetit ad *Galat. 3.* & ad *Hebræos 10.* nempè: *Iuſtus ex fide viuit.* In Lege autem Euangelica non debet Chriſtianus viuere ex Fide, qualis eſt in Synagoga Hebræorum, ſed ex Fide Euangelica, cuius præcipua myſteria ſunt Trinitatis, & Incarnationis. Vide in loco relato reliquos textus Scripturæ, & teſtimonia SS. Patrum, Ambroſij, Arnobij, Laurentij Iuſtiniani, & Origenis.

9 Solet dici, quod actus Fidei explicitæ horum myſteriorum ſicut & Dei vnius auctoris ſupernaturalis, & remuneratoris debeat fieri per ſe, ſaltem ſemel in anno. Maiorem frequentiam exigit *Ioannes Cardenas* cum alijs, nec onerosum exiſtimare, qui reflexionem facit ſupra ſuas actiones; comperiet enim ſe frequenter elicere actus Fidei etiam de myſterijs Trinitatis, & Incarnationis. Nam fidelis frequenter adeſt Miſſæ ſacrificio, in quo cum Hoſtiam conſecratam adorat, credit ibi eſſe realiter præſentem Chriſtum Dominum Deum pariter & hominem: frequenter videt Imaginem Crucifixi in Templis; & extra, & tunc credit Chriſtum Dominum in ſua humanitate paſſum, & Crucifixum pro nobis, frequenter ſe ſignat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & tunc credit illud myſterium, &c.

Expliciunt Commentaria in Propoſitiones a fel. rec. Innocentio XI. damnatas. Vniuerſa autem in his contenta correctioni ſubijciuntur S. Matris Eccleſiæ, omniumque meliora ſapientium.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

Rerum, & Verborum notabilium; quæ in hac Secunda Parte continentur.

ABORTVS

Quid ſit abortus? quidue nomine fœtus immaturi veniat? Num ſemen eijcere ſtatim poſt copulam ſit abortus. Propoſ.34.§.1.num.2.pag.4.
Num fœmina omnimodam vim paſſa contra caſtitatem poſſit ſemen receptum ſubito expellere? n.3.
Quid de ſponſa de præſenti per vim oppreſſa à ſponſo intra bimeſtre? n.4.
Fœmina per metum tantum cognita, num poſſit incontinenti ſemen expellere? n.5.p.5.
Quæ abſoluta vi cogitur ad quid teneatur. Ibidem p.6.
An procurare abortum fœtus animati per media directè ad expellendum, vel occidendum fœtum ordinata ſit omninò illicitum, & ſi inferens, vel non impediens ſit parens, ſeù Amaſius num ſit parricida, & irregularis? Sed quid ſi ſuadeat abortum mulieri grauidæ paratæ ſe occidere? n.6.
Si fœtus ſit corruptus, num ob matris ſanitatem poſſit directè pelli? Quid in dubio an mortua ſit proles: vel an mortua ſit exitura? n.7.
Prægnans in periculoſo morbo poteſtne remedia ſumere directè ad ſalutem ordinata, ſi inde abortus ſequatur? n.8.p.8.
Fera inuadente matrem poteſt ne ipſa fugam arripere cum abortus periculo, ibid. *Vbi alij caſus*.
Quando medicina æqualiter tendit ad ſalutem matris, & fœtus mortem, num poſſit mater illam ſumere? n.9.10. p.9.& 10. *Quid ſi mater probabiliter ſe exiſtimat in ſtatu peccati mortalis?* n.11.
Cur proſcribatur, & qua cenſura Propoſitio 34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa grauida occidatur, aut infametur? §.2.n.12. *Qui eam docuerint?* n.1.
Num procuratio abortus, etiam inanimati exiſtimetur ad inſtar homicidij quinto præcepto prohibita? n.13. *Et examinatur per omnes tres ſpecies abortus,* n.15.p.12.
Vtrum damnatio procedat in expulſione facta medicamento indirectò ad vitandum vt ſupra? n.19.p.14.
Quid ſi fœmina paſſa ſit omnimodam violentiam, & præſertim ſi ſit ſanctimonialis, cum qua dæmon violenter fuerit congreſſus? n.21.
Num liceat matri ante occupare conceptionem, vel animationem fœtus ex eo, quod experta ſit in alijs partubus diſcrimen vitæ ex anguſtia vteri, vel ar-

ßitudine laterum? n.33. *Quid ſi neget vſum ſui corporis?* ibid.

An poſſit expelli fœtus nondum animatus, ad mortem matris ob morbum euitandum. ibid.

Vtrum poſſit mulier conari dum vim patitur, ne ſemen recipiat, aut totum, aut ex parte? n.34.

Poſſuntne coniuges vti coniugio, quoties graue periculum abortus inde reſultat? n.35.p.19.

Quid ſi coitus cauſet tantum diſſipationem materiæ, ex qua vnita fœtus concipiendus eſſet? n.20.

In procreatione fœtus quando infunditur anima rationalis? Propoſ. 35.§.1.n.3.

Embryo quando eſt potentia animatus, quando verò actu anima vegetatiua tantum, ita vt eius abortus procuratio non ſit propriè homicidium. n.4.& 5.

Num in embryone detur ſucceſſio animarum: & quomodo introducantur? n.6. *ibidem, &* n.7.p.26.

An fœtus non dum formatus careat anima rationali? n.8. *Quid in conceptione Chriſti?* ibidem.

Embryo antequam recipiat animam rationalem quid dici debeat? n.8.

In qua ſpecie ſint animæ purè vegetatiuæ, vel ſenſitiuæ ordinatæ in via generationis ad rationalem. ibid. p.29.

Quæ ſententia circa animationis fœtus anima rationali ſequenda ſit in pœnalibus, quæ in fauorabilibus? n.11.

Cur, & quia cenſura deyciatur Propoſ.35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in vtero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere cum parit, ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi. §.2.n.12. p.29.

Falſum eſt, fœtum informari anima matris vſque ad partum. n.19.p.34.

Falſum eſt item dicere, fœtum in vtero informatum anima rationali eſſe hominem tantum impropriè. n.23.p.36.

Maritus dans poculum, vel quid ſimile abortionis cauſatiuum, ſi ex eo mors vxoris ſubſequitur, vxoricidæ pœna punitur. Extraneus verò vti homicid.o. §.4. n.30.p.43.

Qua pœna multetur mulier abortum ſibi inferens? ibid.p. 44.

Difficilius conceditur diſpenſatio irregularitatis Patri ex abortu filij animati ab eo cauſato incurſæ, quam alijs extraneis: diciturque ſubreptitia, ſi non exprimatur circumſtantia paternitatis. p.45.

Eccleſia per Greg.XIV. reſeruat Epiſcopis abſolutionem ab excommunicatione maiori, quam incurrunt ſupradicti: & priuantur à quocumque officio, & beneficio, aliaue dignitate Eccleſiaſtica; & inhabilitantur ad cæteras obtinendas. n.31.p.45. *Num euitentur dictæ pœnæ, ſi partus viuus intempeſtiuè naſcatur?* ibid.

In dubio an fuerit animatus, in foro ciuili num puniantur procurantes abortum pœna abortus animati. n.32. ibid.

Quoad

Digitized by Google

Quoad pœnas in foro conſcientiæ, quæ irregularitas incurritur? Et quid de alijs pœnis. ibid.p.46. *In dubio num maſculus præſumatur?* n.33. p.47. *In dubio de effectu ſequuto, quando cenſendus ſit irregularis?* n.36. *Et quid ſi conſtet, de effectu, ſed dubitatur an conſulens, vel mandans influxerit?* n.35.

Si fœmina non potuit dimoueri à conſilio dato, num conſulens incurrat pœnas? n.38.p.48. *Quid ſi in conſilio, vel mandato intendat abortum inanimatum, & fœmina poſtea adhibeat medicamenta poſt animationem?* n.39. *Si adulter fecit prægnantem intrare per loca periculoſa, & abortus ſequutus ſit, num ſit irregularis?* n.38.

Si ex magna agitatione mariti habentis copulam cum vxore abortus ſequatur, incurrit ne pœnas? quid etiam in abortu ex verberatione vxoris? n.39.p.49.

Qui dicit mulieri, cum qua rem habuit: Nollem te eſſe grauidam, *& ipſa & his verbis abortum procurauerit, incurrit ne ille penas?* n.40.

Ludens, vel ſaltans cum fœmina prægnante, ſi abortus ſequatur, contrahit ne pœnas? n.41. & 42.

Mulier ſibi ipſi abortum procurans innodaturne excommunicatione? n.44.p.50.

Quæ ignorantia iuris, vel facti excuſet cooperantes ad abortum ab excommunicatione? n.45.

Num hanc pœnam incurrat qui ſterilitatem procurat, vel impedit fœtus conceptionem? n.46.

Ab excommunicatione contracta propter abortum quiſnam poteſt abſoluere? n.47.

ACTVS intrinſecè malus. Vide V. FORNICATIO, & V. MOLLITIES.

ADVLATOR. Vide V. DAMNVM illatum.

ADVLTERIVM.

Quid eſt, & quando propriè eſt tale? Propoſ.50. §.1.n.2.p.323.

Num ſit ſaltem impropriè adulterium copula cum ſponſa, vel ſponſo de futuro? an interueniat etiam iniuſtitia: quidue in confeſſione exprimendum? Num reductiuè ſit etiam adulterium in confeſſione exprimendum, quando coniux ſodomiticè peccat cum mare, vel fœmina? Et quid quando coniux cognoſcit propriam vxorem contra naturam? ibid.p.324. & 325.

Sacrilegium in materia luxuriæ dicitur à D.Thoma *adulterium ſpirituale, vnde inter ſpecies luxuriæ non numerat. Num etiam adulterium quoddam ſpirituale committat vxoratus, ſi poſt matrimonium conſummatum ex diſpenſatione religionem profeſſus cognoſcat propriam vxorem?* n.3.

An adulterium interius committatur, quando tempore concubitus coniux de alio obiecto non ſuo carnaliter delectatur, ſitque explicandum in confeſſione vti fuit? n.4.p.326.

An explicandum ſit, num adulterium fuerit ſimplex, vel duplex; ſicut in voto caſtitatis adſtrictis? & quot malitiæ quomodoue diſtinctæ interueniant? n.4. p.327.

Adulterium eſt crimen ſpecie diſtinctum ab omni alio contra caſtitatem: & vl-

tra luxuriam contin et malitiam iniuſtitiæ ſpetie diſtinctam ab alijs iniurijs: quæ ſi non poteſt ex iuſta cauſa in confeſſione explicari quoad ſpeciem, debet ſaltem quoad ſubſtantiam? n.6.p.329.

In omnibus ſpeciebus luxuriæ clauditur Venereus actus explicitè (ſiue ex proprietate nominis, ſiue ex apparitione vſus, vt in raptu) præter ſacrilegium; quod non eſt ſpecies ſe continens ſub luxuria, ſed in luxuria. num.7 p.330, & 331.

An adulterium ſit grauius, quam ſtuprum, & inceſtus? n.8.p.330.

Meritò damnationi ſubditur Propoſitio 50. Copula cum coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium, adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum. §.2.n.9.p.330. *Auctorem require.* n.1.initio.

Vnitas duorum in carne vna eſt independens à voluntate mariti. n.13.p.332.

Copula mulieris cum marito, conſentiente vxore, etiam eſt adulterium in confeſſione explicandum, & contrarium damnatur etiam expreſſè, & formaliter? n.15.

Quot malitiæ neceſſariò confitendæ interueniant in adulterio patrato conſentiente, aut diſſentiente viro? n.16.p.333.& n.17.p.334.& n.19. *Maritus licet ſit Dominus coniugalis corporis vxoris, non tamen poteſt illud alienare,* ibid.p.335.

ÆTAS hominis.

Computatur à natiuitatis die, non à conceptione: cum tempus animationis ſit valdè incertum. Prop.35. §.4.n.29.

ANGELVS CVSTOS.

Cuſtodiam proprij Angeli, ſatis probabile eſt, incboari ab inſtanti animationis; vt ibi fœtus defendatur, & præſeruetur à morte, & ab alijs malis, quæ ortum eius, & Baptiſmum præpedire poſſunt. Propoſ.35.§.4. n.29.p.43.

ANIMA rationalis.

Quando infunditur fœtui. Vide Propoſ.35. §.1.n.3.p.23.

ATTRITIO.

Inter actus pœnitentis pro Sacramento Pœnitentiæ primo loco ponitur à Tridentino contritio: quæ abſtrahens à perfecta, & imperfecta, eſt Animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. *Conſiſtit in deteſtatione, & dolore ſimul* Propoſ.57 §.1. n.2. p. 539. *Beati quia incapaces triſtitiæ nequeunt elicere contritionem, licet habeant perfectiſſimam peccatorum deteſtationem.* ibid.p.540.

In quo primario conſiſtat contritio? ibid. *Propoſitum debet ne eſſe explicitum?* ibid.

Contritio perfecta, quæ eſt deteſtatio, & dolor ſuper omnia de peccato commiſſo propter offenſam factam Deo ſummè dilecto cum propoſito, &c. *à qua virtute eliciatur, aut imperetur?* n.2. p.541. *An debeat eſſe charitate perfecta, & quomodo?* n.4.p.542.& ſeq.

Contritio imperfecta dicta Attritio in genere eſt deteſtatio, & animi dolor de pec-

Digitized by Google

peccato commiſſo ex motiuo infra Deum, *ſeù non procedens ex dilectione Dei ſuper omnia modificata per motiuum expiationis peccati.* n.5.p.544. *Naturalis eſt ex motiuo naturali: ſupernaturalis, ex motiuo ſupernaturali, vt eſt ex motiuo gehennæ, & turpitudinis peccati: hæcque vocatur pia, & Chriſtiana.* ibid.

Licèt contritio perfecta iuſtificet ante Sacramentum Pœnitentiæ; imo etiam ante Baptiſmum, ſed cum eorum voto, quod in ipſa clauditur. n.6. *Non tamen Attritio, quæ non eſt perfecta diſpoſitio ad optimum, nec elicitur a virtute Pœnitentiæ, ſed eſt à motione Spiritus Sancti.* ibid. n.545.

Num ad Sacramentum Pœnitentiæ certò ſufficiat attritio ſupernaturalis, etiam cognita? n.7.

Quæ eſt conuerſio ex toto corde, quæ requiritur ad iuſtificationem? n.8 p.546.

Attritio vnde eſt ſupernaturalis? n.10. *Num debeat eſſe formalis, & expreſſa deteſtatio?* n.11. *An ſufficiat dolere, quod non habeat quis dolorem?* n.11. p.547. & 548.

Attritio debet ne eſſe efficax, & ex qua parte? n.12. p.549. *Sufficit ne velleitas ſaltem ad valorem Sacramenti?* ibid. *Propoſitum quod debet excludere omnem voluntatem peccandi, num debeat reſpicere occaſiones particulares ſuperandas?* ibid. p.550. *Stare ne poſſit cum verò propoſito timor probabilis relapſus?* n.13. p.550.

Attritio quomodo debeat eſſe vniuerſalis? n.14. *An detur Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris extenſiui.* ibid.

Meritò damnatur Propoſ. 57. Probabile eſt ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam. *Et ſufficere ad obtinendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, clarum eſt, damnari.* n.16 & 17. p.552.

Ex quali turpitudine peccati motiuum ſufficiat? n.18. *An, & quando dolor habitus de peccato ob infamiam, vel pœnam temporalem ſufficiat?* n.19. *Num ex motiuo pœnarum temporalium alterius vitæ, ſcilicet Purgatorij dolor ſufficiat, ſi materia ſint peccata mortalia?* n.20.

Quid de Hiſtoria de Matre Petri Lombardi, Comeſtoris, & Gratiani? n.21.

Sententia docens ſufficere ad valorem Sacramenti attritionem naturalem ſubijcitur ne damnationi? n.22.

Sententia docens, attritionem naturalem putatam ſupernaturalem ſufficere ad Sacramentum validum, & informe ſubijciturne damnationi? n.26 & 27.

An damnetur ſententia docens, ſufficere ad remiſſionem venialium accedere cum bona fide ad Sacramentum? n.29.

Pro ſolis venialibus in Sacramento Pœnitentiæ num etiam dolor debeat eſſe formalis, & efficax, qui ſit attritio ſupernaturalis? n.30. *Num ſufficiat non vniuerſalis?*

An per attritionem extra Sacramentum remittantur venialia? n.33. *Quare non tollitur virtus formæ ex eo, quod in homine iuſto ſint ablata venialia ante abſolutionem?* n.34.

I N D E X

BAPTISMVS.

Fœtus corpus ſi opera obſtetricis, dum in materno vtero exiſtit, ablui poſſit, dum forma Baptiſmi profertur, num validè baptizetur? Et quid ſi ablui tantum poſſit corpus matris, dum in vtero eius fœtus eſt? Prop. 35. n. 25. p. 38.

Applicabilitas proxima remediorum pro ſalute omnium paruulorum (ſicut & adultorum) qua voluntate à Deo eſt volita? n. 28. p. 41. & 42.

BENEFICIVM Eccleſiaſticum.

Quid eſt duplex, quid ſimplex, quidue curatum? Numque Cardinalatus mediatè habeat curam animarum? Prop. 47. § 1. n. 2. p. 251. 252.

Quis eſt dignus, quiſne indignus ad beneficium Eccleſiaſticum, vel officium? n. 3.

Quæ ſunt qualitates requiſitæ? n. 3. *Adepto ſecundo beneficio, num ceſſet, vacetque primum?* n. 4.

Quis dignior dicitur? n. 5. *Quot, & quæ ſint regulæ ad dignoſcendum digniorem?* n. 7. p. 255.

Quæ ſint conditiones extrinſecæ maioris dignitatis? n. 17. *Num diœceſanus, & originarius loci exiſtimetur dignior? An qui eſt de gremio præferatur?* n. 18. p. 258. *Vtrum electio facta de conſanguineo poſſit præponderare?* n. 19. *Præferendus ne ſit fundator Eccleſiæ, & qui eſt de familia fundatoris?* n. 20. *An præferendus nobilis diues, potens, & ſimilis?* n. 21.

Electio indigni quando poteſt fieri, quando verò eſt ipſo iure irrita? n. 22.

Meritò damnatur Propoſ. 47. Cum dicit Conciliũ Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles, ipſi iudicauerint ad Eccleſias promouent; Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparatiuo, pro poſitiuo; vel ſecundò locutione minus propria ponit digniores, at excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò quando fit concurſus. *Vnde ſententia docens, ſaltem in Epiſcopatibus, & Cardinalatibus eligendos eſſe digniores, certa omninò eſt, & oppoſita omninò damnatur.* §. 2. n. 23. p. 259. *Hæc obligatio eſt de iure diuino etiam naturali, orta ex ipſo officio publici diſpenſatoris.* n. 24. p. 260.

Num procedat etiam in electione eorum, qui quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habent: vt ſunt Abbates, Vicarij, & Priores nullius Diœceſis, & Prælati Regulares? n. 25. p. 261. *Habetne etiam locum in electione Parochorum etiam ſi non fiat concurſus, & contrarium hoc decreto damnetur?* n. 26. p. 262.

An qui facto concurſu eligit minus dignum peccet etiam contra iuſtitiam commutatiuam? n. 27.

In Inſtitutione debet eligi dignior: in Confirmatione verò ſufficit ſi dignus habeatur. n. 29.

An Patronus ad Eccleſiam habentem annexum regimen animarum teneatur nominare digniorem, etiamſi in fundatione appoſitum ſit, vt ſibi, & ſucceſſori-

Digitized by Google

bus eius liceat pro libito, omiſſo digniore, dignum ſimpliciter præſentare? n.30. p.265. *Quid de Summo Pontifice, & Principibus laicis?* n.31.p.266. *Num opinio docens, non teneri Patronum laicum præſentare digniorem ad Epiſcopatum, vel Cardinalatum, aut Parochiam ſubiaceat damnationi?* ibid.

Probabilitas de maiori dignitate num prælationem habeat in electione ad beneficia? n.33.

In concurſu æquè dignorum detur ne locus gratificationi. Liceatque collatori moueri ex aliquo temporali emolumento ad conferendum potius vni, quam alteri? n.33. *An ſuſtineri poſſit poſt Decretum Alexandri VII. opinio aſſerens, obligatos eligere vnum ad maioratum, vel Cathedram poſſe inter æquè dignos pretium accipere, vt vnum præferat alteri in electione?* ibid. *An idem dicendum quoad legata?* ibid.

Num in hac materia ratione paruitatis poſſit peccari venialiter. Et in quibus caſibus? n.34.

In quibus caſibus poſſit eligi minus dignus. n.35.36.37.38.& 39.

An in beneficijs ſimplicibus, quæ curam animarum non habent, Patronus teneatur eligere digniorem? §.3.n.40.p.271.

Poſſitne fieri renunciatio Beneficij in aliquem dignum, omiſſo digniori? n.41. p. 272.& ſeq.

Vtrum indignus teneatur renunciare beneficio; & reſtituere Eccleſiæ, vel communitati pro damnis ipſis illatis ex ſui electione? Quidue de eo, qui alium impediuit iniuſtè à conſequutione beneficij? n.42.p.273.

An peccet mortaliter, qui eligit inſufficientem ad magiſterium, doctoratum, aut ad gradum licentiati? n.43.p.274.

CAVPONES.

An, & ex qua cauſa poſſint vinum vendere illis, qui timentur ſe inebriaturi; & cœnam præbere ieiunium fracturis. Prop.51.§.1.n.8.p.343.

CHIROGRAPHA Debitorum.

Poſſuntne, & quando minori pretio emi? Prop.41.§.2.n.24. & ſeqq. p.164. & ſeqq.

COMMVNIO annua.

An præceptum Eccleſiaſticum annuæ communionis obliget ſemel in anno tempore Paſchali? Prop.55.n.30.p.478. *Quiue hoc præcepto obligentur?* nu. 33.& 34. p.478. & n.35.p.481. *Poſſuntne ſumere pueri ante vſum rationis?* n.37.p.482. *An puer ſtatim, ac ſufficientem vſum rationis habet ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, poſſit, debeatque tempore præcepti communicare ſi eſt inſtructus?* p.380.

Quot dies tempus Paſchale includit? n.39.p.484. & ſeq.

Qui non communicauit intra tempus præſcriptum, an, & quando tenetur? n. 40.p.485.& n.41.p.486.

Quomodo computandus ſit annus, de quo loquitur hoc præceptum? n.42. *Qui non communicat, niſi ad ſequens Paſcha ſatisfacitne pro vtroque*

anno cum vnica communione? n.43. p.487.

Num hoc præceptum obliget ad anticipandam communionem, quando præuidetur impedimentum in Paſchate? n.44. & 45. *Qui bona fide propter futurum impedimentum anticipauit, teneturne poſtea iterum in Paſchate?* n.46. p.488.

An tempore interdicti teneantur fideles ad annuam communionem? n.47.

Vbi, de cuiuſue manu teneantur Fideles Eucharistiam in Paſcha recipere? n.48. & 49. *Vbi poſſunt de licentia proprij Sacerdotis?* n.48. *Num in hoc poſſit habere locum paruitas materiæ?* ibid. *An die Paſchatis liceat communicare in Eccleſia Regularium ſaltem ex deuotione?* n.49. *Vbi oblati teneantur communicare?* n.50.

Qui culpabiliter omittit communionem Paſchalem, quam pœnam incurrit? n.51.

Meritò damnatur Propoſ.55. Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem. §.2.n.53.p.493. *Eccleſia namque præcipit Eucharistiam ſumendam in Paſchate non ſolum materialiter, ſed dignè, & cum debita quoque diſpoſitione.* n.54. *Eſtque hoc præceptum Eccleſiaſticum determinatiuum diuini.* n.57.p.494. *Præcipit autem Eccleſia ſubſtantiam ſimul, & modum recipiendi.* n.61. *Ipſaque poteſt præcipere actus mixtos ex interno, & externo; vti eſt communio cum debita diſpoſitione interna.* n.62.p.495.& ſeq.

An Propoſitio ſubiaceat damnationi, vndequaque proueniat indignitas, ſeu ſacrilega ſuſceptio? n.60. *Et quæ ſit ſacrilega communio?* § 1.n.51.

COMPENSATIO.

Loquendo in terminis Propoſitionis 37. *definitur. Debiti, & crediti inter ſe inuicem contributio. In ea duo debita interuenire debent. Et bini, qui ſibi creditores, & debitores inuicem ſint. Quando ex vna parte ſolum datur debitum, datur locus recuperationi, non compenſationi. Quando autem concurrunt ex vtraque parte debita, tunc ſtatim, ac debitum eſt moraliter certum abſque Iudicis ſententia in foro conſcientiæ extinguitur antiquum debitum. In recuperatione verò, quæ impropriè dicitur compenſatio, requiritur ſententia Iudicis, quando commodè haberi poteſt. Et de hoc dic eſt ſermo.* Prop.37.§.1.n.8.p.65.

Sex requiruntur conditiones ad hanc compenſationem præſertim impropriè dictam. Prima, vt compenſatio non excedat debitum. n.9.p.65. *Secundò, quod compenſatio fiat de bonis proprijs debitoris. Nec poteſt fieri de bonis, quæ debitor mittit, vel titulo donationis, vel ſolutionis debiti.* n 10. *Tertia, vt debitum ſit certum, & liquidum: affertur, quid ſi probabiliter, vel probabilius ſit debitum.* n.11.12.& 13.p.67.& 68. *Quando prudenter timetur debitum non ſoluendum tempore ſolutionis, poteſt fieri compenſatio ante tempus.* n.14. *Quarta, vt debitori, aut alteri nullum ſequatur damnum. Vide cætera, quæ ibi notantur.* n.15.p.69. *Quinta, quod debitum ſit ex iuſtitia.*

n.16. Sexta, vt fiat Iudicis auctoritate ex cuius defectu non oritur onus reſtitutionis: immo non requiritur, quando id fieri non poteſt abſque magno detrimento, aut expenſis: vel quando ius ſuum probare creditor non poteſt defectu teſtium: tunc enim fieri poteſt abſque Iudicis ſententiâ, ſi ſcandalum abſit. n.17.

Stantibus his conditionibus licita eſt compenſatio occulta, etiam ſi iuraſſet debitor de ſoluendo debito: niſi habuit intentionem non compenſandi, quando iurauit. n.18. *Nec ſimiliter excommunicatio lata contra tales furantes, vel in futuro furaturos comprehendit iuſtè compenſationem facientes, licet non ſeruato iuris ordine: & hoc etiamſi dicatur: non obſtante, quod in compenſationem acceperint.* n.19.

Propoſitio 37. Famulis, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipitur, *meritò damnationi ſubijcitur, ex duplici capite. Primò, quia indiſtinctè loquitur non diſtinguendo de famulis, qui cum heris ſuis pactum fecerunt, vel non fecerunt. Secundò, quia iudicio cuiuſque famuli, vel famulæ remittitur, an opera ſua digna ſint maiori ſalario.* §.2. n. 20.p.71.

Qui nomine famuli *comprehendantur?* n.21. p.72. *An liceat emere à famulis ſartorum, vel ſaltem ab ipſis ſartoribus fragmenta, ſi quæ ſuperſunt?* n.22. p.73.

Famuli, qui nulla vi, vel metu paciſcuntur pro pretio minori ſolito, cenſenturne condonare quod deficit? ibid.

Quando herus eſt creditor famuli ex contractu, aut alio modo, num poſſit famulus retinendo partem pecuniæ debitæ compenſare operam ſuam, quam maiorem iudicat ſalario conducto? n.23.p 74.& 75.

Non abigitur: quod famuli poſſint ſibi occultè compenſare id, quod clarè, & euidenter eis debetur ex ſalario pacto promiſſo. n.24. *Sufficit nè maior probabilitas de iuſtitia domini, & de maiori ſalario ſibi debito.* n 25.

Et quid ſi famulus ipſe iudicet euidenter ſibi maius ſalarium deberi? n.26.p.76. *An requiratur iudicium prudentis, & docti Confeſſarij?* n.27.

Certitudo de maiori ſalario ſibi debito, vel de iniuſtitia domini, ex quibus habeatur? n.28.p.77.78.& 79.

Num famulus ex ſe praeſtans opus extraordinarium abſque ordine domini poſſit ſibi compenſare, ſi non ſoluatur ei pecunia pro illo opere? n.29. p.79.

Quando quis ad opus aliquod ſe obligauit cuius poſtea circumſtantiæ ita mutatæ ſunt, vt non poterant præuideri à contrahente, poteritne plus exigere, vel reſilire à contractu? §.3.n.30.p.79.

Si famulus bona fide V.g. ex conſilio Confeſſarij ſubripuit à Domino prætextu ſalarij, quod poſtea cognouit non licuiſſe, quid tenetur reſtituere? n.31.

Qui non laborat ſaltem vſque ad infimum iuſti obſequij ſoliti exhiberi ab alijs, quid, & quomodo ſatis reſtituit? n.32.p.80.

Stipendium iuſtum quomodo iudicandum eſt? n.33.p.80 & 81.

Si integrè non perſoluatur ſtipendium taxatum pro celebratione Miſſæ à lege, conſuetudine, vel conuentione, num poſſit compenſar? n.34.p.81.& ſeq.

An poſſit Sacerdos ſibi occultè compenſare, quod ei à Petro, E.g. debetur, per pecuniam ſibi datam pro celebratione Miſſarum? n.34.p.82.

CONFESSARIVS

Siue ordinarius, ſiue delegatus tenetur interrogare pœnitentes. Et 1. ſi non præmiſit examen, tenetur illum adiuuare. Vide cætera, quæ ibi. Propoſ.58. §.1. num.2. p.564.

Interrogari debent, quæ pœnitenti poſſunt probabiliter in dubium venire. Non debet Confeſſarius facilè credere; pœnitentem ex ignorantia non ſe accuſare de fraudibus in ſua arte commiſſis: & circa carnalia debet eſſe parcus, & modeſtus interrogando neceſſaria tantùm. Debet ſingula ſtatim examinare: præſertim ſi confeſſio non ſit breuis. Vide cætera ibi notatu digna. num.3.p.565.

Confeſſarius & ſi aduertat pœnitentem ſufficienter ſe examinaſſe, adhuc tenetur illum interrogare de ijs, quæ probabiliter credit, inculpabiliter illum omiſiſſe, num 5.p.566.

Quando Confeſſarius ſcit euidenter pœnitentem ſacrilegè negare peccatum, non poteſt illum abſoluere. Contra ſi præſumere poteſt pœnitentem rationabiliter peccatum tacere, num.5.

CONFESSIONIS integritas

Quilibet tenetur iure Diuino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quæ poſt diligentem ſui examen memoriæ occurrunt. Propoſ.59. §.1. num.2. p. 575. *Omittere confeſſionem alicuius mortalis aliàs non confeſſi abſque legitima cauſa ſacrilegium eſt*. num.3.p 576. *Pariter ſi culpabiliter confeſſio fit abſque inquiſitione de peccatis mortalibus aliàs commiſſis. Ea debet eſſe tanta, quantam faceres circa negotium arduum; ſeu in rebus magni momenti, vel alio: vt ibi nu 4. ſufficit diligentia prudens, & mediocris. Vide cætera ibidem. Mendacium in confeſſione, quo grauiter illuditur iudicium Confeſſarij, obeſt ipſi confeſſioni*, nu.5 p.577. *Vide cætera ibi notatu digna.*

Num obſtet integritati vnum indiuiduum phyſicum peccati pro alio ſubrogare, num.6.p.577.& 578.

Confiteri peccatum quod Confeſſarius credit non fuiſſe poſt vltimam confeſſionem commiſſum, vti reuera eſt commiſſum, non officit confeſſioni. Contra verò ſi pœnitens expreſſè dicat eſſe peccatum vitæ præteritæ, cum reuera in proximo commiſſum ſit: & ita videtur dicendum de eo, qui in confeſſione generali permixtim præterita cum præſentibus ſubijcit. num.7. p.579. 580. & 581.

An peccat qui peccata leuiora ſuo ordinario Confeſſario reuelat, grauiora verò alijs? num 8. p.582.

Manifeſtatio omnium mortalium vni confeſſario non eſt de ſubſtantia Sacramenti, ſed ſolùm ex præcepto diuino, quod ceſſat quando ſeruari non poteſt ob

phyſicam, vel moralem impotentiam. Integritas alia materialis, qua omnia peccata non confeſſa iam confitentur: alia formalis, in qua manifeſtantur peccata, quæ memoriæ occurrunt, quæue abſque graui incommodo poſſunt manifeſtari: hæc ſemper neceſſaria eſt pro valore, & effectu Sacramenti: materialis verò non ſemper nu.9. p.583.

Caſus, in quibus ſufficit integritas formalis abſque materiali, ſunt 1. impotentia phyſica quæ multiplex eſt. Vide ibi num.10. *2. impotentia moralis. Vide ibi exempla, & notanda* num.11. p.585. *Vbi an debeat manifeſtari complex, ſi neceſſe ſit pro integritate confeſſionis. 3. Si cogatur communicare, vel celebrare, & non poteſt, niſi dimidiatam confeſſionem facere.* num. 12.p.587. *4. quando pœnitens ſola reſeruata ex rationabili cauſa poteſt confiteri ſuperiori habenti poteſtatem.* num.13. *Securius atque conſulendum eſt, obſtrictum confiteri Confeſſario inferiori, & habentem reſeruata teneri eadem cum non reſeruatis confiteri. ibi* p.588.

Quæ cauſæ excuſant ab integritate ſi non poteſt abſque graui incommodo differri confeſſio, vel adiri alius Confeſſarius. Exempla vide ibi num.14.

Pœnitens, qui non poteſt integrè confiteri, tenetur dimidiatè in articulo mortis, in caſu communionis, vel confeſſionis annuæ, vel alia cauſa obligante faciendæ. Non tenetur, ſed poteſt quando vult lucrari iubilæum, vel ex iuſta cauſa non debet ſe priuare communione, vel ſimili cauſa. Qui non poteſt dicere peccatum in ſpecie, debet in genere: qui non poteſt exprimere opus externum debet exprimere co ſenſum internum: & ita de caſu ſimili. In dimidiata confeſſione ſic facta iuſta de cauſa ſufficit attritio. Supplendus eſt defectus in alia confeſſione ibid.p.590.

Propoſitio 59. *quæ attribuitur* Petro Marchantio: Licèt Sacramentaliter abſoluere dimidiate tantùm confeſſos ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis V.g. poteſt contingere in die mangnæ alicuius feſtiuitatis, aut indulgentiæ *iure reijcitur.* §.2.num.15.p.591. *quia ſolum impoſſibilitas phyſica, vel moralis excuſat ab integritate confeſſionis.* num.16. *In magna concurrentia vtilius eſt confeſſiones longi temporis reijcere in diem magis expeditum à concurſu. Intricatioreſque conſcientiæ diebus intricatioribus veniunt: & hi indigent maiori cura. Vnde ex propoſitione damnata maxima abſurda ſequerentur.* nu.17.p.592.

Num, & cur damnationi ſubijcitur ſententia dicens, eſſe probabile poſſe dimidiari confeſſio, quando cum ratione concurſus adiungitur circumſtantia periculi non redeundi pœnitentem ruſticum ad confeſſionem. num.18. p.592. & ſeqq. *An ſimiliter damnetur aſſerere poſſe ruſtici, & peregrini dimidiari confeſſio, dum ij accedunt bona fide inſufficienter inſtructi, & abſque examine, ſi inſtet tempus diſcedendi.*

CONSENTIENS CONSENSVS.

Conſenſus efficaciter influens in damnum, quod ſine ipſo non fieret, obligat conſentientem ad reſtitutionem. Propoſ.39.corol.3.num.39. *Exempla conſenſus vide* ibidem

Qui

Qui ex officio tenetur expreſsè diſſentire, tenetur ad reſtitutionem, etiam ſi taceat. Qui autem praui et ſua præſentia, vel ſuffragio, ſolum odium ſibi reconciliare, & rem certiſſimè concludendam eſſe, poteſt ſe ſubtrahere. Ibid.

Quando à præcedentibus iam datus eſt conſenſus irreuocabilis in aliqua re iniuſta, non tenetur qui poſtea ſuffragium ſuum, vel conſenſum in idem præſtitit, num.40.

Conſentientes efficaciter tenentur ad reſtitutionem in ſolidum. ibid.

In dubio de damno ſequuto per ſuum, vel aliorum ſuffragium, adeſt obligatio reſtituendi, cum conſtet de damno: & ſi hæc ſententia non eſſet vera, nec etiam tenerentur alij electores. num.41.p.135.

CONSILIVM CONSVLENS

Conſilium præbens, hortans, rogans, inſtruens, munera promittens, blanditijs trahens ad damnum inferendum tenetur ad reſtitutionem pro damno, etiam ſi exequentem admonuit, hicque non reſtituit. Prop.39.corol.2. num.31.p.129. *Requiritur tamen, vt conſilium præbens peccet mortaliter.* ibid.

Dubitans an ſuo conſilio monit ad damnificationem, tenetur interrogare, & credere poteſt fidei digno: ſi non poteſt interrogare debet colligere ex circumſtantijs, & ibi nu.32.p.129.& ſeq. *& manente dubio ad nihil tenetur poſtea facta diligentia.* ibid.

Qui principio conſilium non acceptauit, ſi poſtea eo conſilio mouit ſe ad damnificandum, tenetur conſulens ad reſtitutionem. nu.33.

Qui ante exequutionem conſilium retractauit, & ipſum erat innixum falſitati, non tenetur, ſi id notificauit ei, qui conſilium accepit, & hic ex propria malitia damnum intulit. nu.34.

Si tuo conſilio alium induxiſti ad furandum, ſi poſtea perſuaſiſti ei reſtitutionem, & ille poſtquam decreuit reſtituere mutauit iterum intentionem, teneris tu reſtituere. nu.35.p.131.

Si conſilium datum fuit ad indicandam conuenientiam, vel vtilitatem ex damnificatione, ex probabiliori teneris reſtituere pro damno illato, etiam ſi coneris modis omnibus per contrariam doctrinam, & rationes auertere, ne malum exequatur. n.35.ibid.

Qui promiſſis, precibus, & blanditijs damnum ſuaſit, ſi re integra, ea reuocet ſufficienter, & ex animo non tenetur amplius poſtea pro damno illato. ibid.

Qui bona fide dato conſilio poſtea reuocando illud nihil perſuadet, tenetur ſecundum meam ſententiam ex lege iuſtitiæ monere eum contra quem conſilium datum eſt, vt ſibi caueat. nu.36.

Poſſum conſulere furi, vt minus malum amplectatur, quando anceps eſt cui ex duobus illud inferat: imò ſi anceps ſit à quo ex duobus furetur, poſſum auertere ne ab amico meo furetur, ſed potius ab altero. num.37. *Sic ſi ſit determinatus furari magnam quantitatem à Titio paupere; poſſum conſulere vt à Caio diuite furetur tam leue, quantum tenetur ex charitate iſte pati ad vitandum maius damnum alterius.* ibid.p.132.

Con-

Conſulens tenetur non reſtituere damna, quę conſultus paſſus eſt ex delicto patrato ex motiuo conſilij n.38.p.133.

CONSVETVDINARIVS CONSVETVDO

Conſuetudo peccandi eſt habitus ex facilitas acquiſita ex actuum repetitione inclinans ad continuendas reincidentias, & eſt difficilè mobilis. Prop.60.§.1. nu.2.p.597. *Poteſt dari in omni genere peccatorum, & vel poſitiuè, vel priuatiuè* ibid.

A conſuetudine differt occaſio, eo quod addat illi impellens extrinſecum ad peccandum: poſſitque dari occaſio proxima abſque conſuetudine, &c. contra. ibid num.3.

Propoſitio 58.*quæ eſt* Sancij. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicuius conſuetudinem; *meritò hoc decreto damnatur*: Prop. 58.§.2.nu 6.p.567. *Confeſſarius enim tamquam medicus debet ſcire non ſolùm ſubſtantiam morbi animi, ſed etiam conditiones, & præcipuè conſuetudinem.*n.7.p.568.

Conſuetudo debet explicari Confeſſario interroganti, non quia ipſa eſt effectus peccati, ſed quia cauſa futurorum peccatorum n.9.

*Debet explicari Confeſſario interroganti, & ſi credat pœnitens eius directione non indigere num.*11. *Medicus enim quantumuis peritus non relinquitur curæ ſuæ infirmitatis.* n.13.

Si conſuetudo peccati iam ceſſauit, non tenetur interrogatus eam fateri. n.14.

Pœnitens habens conſuetudinem peccandi tenetur regulariter etiam non interrogatus eam fateri. Contraria tamen ſententia eſt etiam probabilis: quæ tamen addit, poſſe pœnitentem obligari per accidens, V.g..vt explicet circumſtantiam periculi, cui ſe expoſuit, ſtante conſuetudine &c. Vide cætera ibi §.3. n.17. *Vir doctus etiam tenetur ſuam conſuetudinem non interrogatus fateri quantumuis credat directione Confeſſarij non indigere.*n.19. p.572.

Confeſſarius non poteſt denegare, aut differre abſolutionem inuito pœnitenti conſuetudinario, ſi proponat emendationem, & paratus ſit ſumere media ad ipſam conſequendam: niſi de eius conſenſu ſuaſus dulciter à Confeſſario. Prop. 60.§.1.n.59.

*Poteſt abſolui recidiuus: ſi tamen verum dolorem, & propoſitum habeat non peccandi.*n.6.

Regulæ, & ſigna oſtenſiua doloris, & propoſiti ſufficientis, ſpeique emendationis in recidiuo ſunt. Primò ſi pluries confeſſus, non fuit admonitus de peſſimo, & periculoſo ſtatu animæ ſuæ; nec aſſignata ei fuerunt remedia pro eius curatione: & nunc admonitus libenti animo præſeruatiua acceptat ad non recidendum. Vnde de his omnibus eſt interrogandus pœnitens reciduus. n.7. p.600. *Taleſque recidiui tenentur acceptare aliquam pœnam pro praua eorum conſuetudine extirpanda.* Ibid.*Secunda: ſi conatus extirpare conſuetudinem, adhibendo, V.g.media, quæ ipſi à Confeſſario eo fine præſcripta ei fuerunt ſi rariùs poſt vltimam confeſſionem lapſus fuit: ſi occaſiones extrinſecas peccandi iam*

iam amouit. Ibid. *Tertia; ſi ſpecialia ſigna doloris nunc oſtendat, quæ nunquam antea: niſi talia ſigna ſint ex motiuo temporali. Hinc tempore miſſionum faciliùs abſolutio dari poteſt*. Ibid.p.601. *Quarta: in articulo, vel periculo mortis*. Ibid.

Qui in conſuetudine negatiua V.g. in caſu reſtitutionis faciendæ ſemel, aut iterum admonitus potuit; & noluit reſtituere, non eſt regulariter abſoluendus, niſi prius reſtituat: niſi euidentiora indicia proferat voluntatis reſtituendi. Ibid.

Alia indicia à Portellio *afferuntur legenda*. ibidem n.8.p.601.

Poteſt Confeſſarius negare, aut differre abſolutionem, tribus concurrentibus. Primo: quod pœnitens habeat conſuetudinem peccandi. Secundò: quod nulla appareat emendationis ſpes. Tertiò: quod ſolo verbo tenus pœnitens teſtetur de ſuo dolore, & propoſito. Meritòque cenſura configitur Propoſitio 60. *cuius auctor cenſetur* Bauny: Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſię, & ſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponat emendationem. §.2.n.9.

Propoſitio *docens, in omni hypotheſi debere confeſſarium pœnitenti teſtanti de ſuo dolore, & propoſito credere, virtualiter damnatur*. n.13.p.603.

Spes emendationis pœnitentis debet apparere ipſi Confeſſario, cuius eſt iudicare de capacitate abſolutionis ipſius pœnitentis. n.15.p.604.

Debet Confeſſarius pœnitenti deſperanti de ſua emendatione proponere motiua, per quæ mêlius diſponatur, vt ſpem emendationis ſuæ concipiat: quam ſi non concipiat, & ſi ore teſtetur pœnitens, ſe dolere, &c. non poteſt abſolui, & contrarium damnatur. n.16.

Licèt propoſitum non peccandi, & deſperatio de emendatione non ſint phyſicè incompoſſibilia: hæc tamen eſt maximum impedimentum vero propoſito emendationis. n.17.

Quid ſi deſperatio de emendatione pœnitentis ſit apud Confeſſarium, & non appareat in pœnitente. n.19.p.605.

In conſuetudinario, ſeù recidiuo quouſque abſolutio debet differri. n.20. & 22.

Eſt ne abſoluendus pœnitens habens timorem de ſua emendatione in futurum? §.3.n.23.p.607.

Num dilatio ex conſenſu pœnitentis ſit vtilior, quàm ipſo inuito? n.25.p.608.

Quando dilatio differri nequit? n.26. *quando verò expediens eſt, non neceſſaria?* n.29.p.610.& ſeq.

Conſuetudo circa venialia impedit ne aliquando abſolutionem. n.33.p.613. *& ſeqq.*

CONTEMPTVS Vide FESTA Seruanda.

CONTRITIO. Vide V. ATTRITIO.

COOPERATIO ad peccatum.

Miniſtratio in re de ſe mala, etiam ſi fiat abſque praua intentione illicita eſt; Vnde

Vnde in nullo caſu licet ſeruo internuncia, quæ turpia continent deferre, cum ſit intrinſecè malum, ſcilicet ad fornicationem prouocans. Prop.51. §.1.n.2. p.340. *Sic nec licet famulo literas deferre, vel eas dictare, aut ſcribere, quæ ad peccatum prouocant. Nec vllus metus excuſat à peccato mortali; nam inſtrumentum illud concurrit efficienter ad peccatum.* Ibid. *Culpa tamen caſſus eſt famulus, ſi res, vel min ſterium eſt æque indifferens bono, vel malo: in dubio enim non eſt præſumendum pro deteriori parte.* n.3.p.241.

In malo autem cooperatio eſt illicita, ſiue agens intendat directè malum, ſiue non n.4.

Quale diſcrimen ſit inter locum, & materiam: & in quibus caſibus liceat, vel non locare domum meretrici? n.5 p.41.& ſeq. *Vide plura ibi.*

Ad præſtandum indifferens abſque culpa, dum videtur alter ſumpturus ex eo occaſionem peccandi, requiritur iuſta cauſa: quæ maior, vel minor poteſt eſſe, habito reſpectu, vel ad maiorem, vel minorem propinquitatem periculi peccati, vel ad maiorem, vel minorem malitiam ipſius peccati. n.6. *Poteſt mercator vendere fucos, & ornamenta mulieri eis ab vſuræ, ſi ipſo non vendente, alter venderet.* n.7.p.343. *Item famuli parantes menſam, cibos coquentes dominis ieiunium frangentibus.* n.9. *Item munere officij ſui cibos coquit, vel miniſtrat concubinæ: niſi ſcienter iuſſu domini pararet cibos libidinem ecaciantes.* n.10.

Non poteſt quis, niſi ex grauiſſima cauſa præſtare gladium inimicum occiſuro: aliter etiam ad reſtitutionem. Cauſa eſſet metus mortis. n.11. *Talis cauſa excuſaret vendentem Idolum Ethnico, vt inſtrumenta furi, quibus ſeras infringet.* n.12.

Vrgent graui neceſſitate licet vendere agnum Iudæo. E.g. quam emit immolandum. ibid.p.344.

Licitum eſt grauiter egenti petere pecuniam mutuam ab vſurario, ſi alium non reperit mutuantem. Sic etiam licet petere iuramentum ab Infidelibus pro conſtituenda pace, & ſi ipſi iuraturi ſint per falſa numina: cum id poſſit fieri per Deum verum. Culpa etiam vacat redimere corpora Sanctorum de manu infidelium. n.13.

Propoſ.51.(*quæ quoad ſubſtantiam eſt* Tambur. & Anton.à Sp.S.)Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter, adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, nè domo expellatur. *Meritò damnationi ſubijcitur.* §.2 n.14. p.345. *Etenim ſeruus prædicto modo cooperans ad peccatum, concurrit efficienter: actioneſque prædictæ ſunt intrinſecè malæ quatenus ſunt inſtrumentariæ principalis agentis peccaminosè: & ſic nulla cauſa miniſtrantes excuſat.* n.16.

Damnatio non ſolum comprehendit famulos, ſed omnes alios ſimiliter cooperan-

tes efficienter. n.17. Comprehendit etiam non ſolum cooperantes ad fornicationem, &c. verum etiam ad alia genera peccatorum, & per ly aut quid ſimile cooperando, ſumitur ſimile per omni coefficentia mali. n.18. etiam ſi remota ſit cooperatio. n.19.

Cooperator non peccat in ijs, quæ non ſunt intrinſecè mala, ſtantibus illis cauſis, quæ ſufficerent ad excuſandum principalem. n.20.

Licetne famulo referre adulteræ, vt in tali hora accidat ad herum, dicens, quid is eam expectat, vt peccet eum ipſa? n.21. & 22. Aut Lecticurijs, Aurigis, Sellularijs, &c. ſcientes deferre volentes deferri ad loca, vt ibi peccata committant? n.23. & 24. Vel ſimpliciter comitare furum ad locum, ad quem accedit crimen patraturus? n.25. p.328.

Naaman Sirus non peccauit in eo, quod ex munere ſui officij brachium Regis ingredientis ad colendum Idolum ſuſtentabat, §.2. n.28. Nec puella Christiana exercens officium retinendi veſtes dominæ paganæ, & genuflectens ad veſtes ipſas retinendas, dum illa templum Idoli ingreditur. ibid.

Nec peccat habens curam ſalutis, & dignitatis Principis, etiam dum actu peccat. n.29. Et ſi peccet ſeruus ſcalam admouendo, qua Dominus aſcendat ad domum amaſiæ; non tamen peccat ipſam ſcalam tenendo, quando Dominus deſcendit ab ipſa domo, vel eum defendit armatus, ne occidatur dum peccat. n.32. p.351.

Coniux reddens debitum alteri coniugi petenti ex libidine, non peccat, quia non concurrit efficienter n.34. p.353.

Christiani captiui peccant ne remigantes ex metu mortis in triremibus Turcarum contra Chriſtianos n.36. p.354.

Non licet ex metu mortis imaginis Chriſti, vel Sanctorum, infidelibus eas dehoneſtaturis tradere nec codices. n.38. p.355. Nec ſimiliter templa Idolis ædificare. n.40. Sicut de Iudæis. n.41. Nec conflare, vel pingere idola vel veſtem Sacerdotalem ad petitionem infidelis, ex veriori ſententia. n.42. p.357. Pingere verò imaginem concubinæ amatio probabiliter licitum eſt in grauiſſima neceſſitate. n.43.

Peccat contra charitatem, qui abſque graui cauſa deponit pecunias apud vſurarium, qui creditur illis vti debere ad vſuram. n.44. Deponens vinum apud Tabernarium, quem ſcit atque mixtum venditurum, peccat & tenetur damna reparare. Si verò vinũ fuit oppigneratum, & tabernarius vendidit, tenetur in quo factus eſt ditior. n.45. p.358. Si verò vendatur tabernario ſimiliter ita vendituro, peccatur contra charitatem, niſi neceſſitas vrgeat, vel graue damnum euitetur. n.46.

Licitum ne ſit mediæ concubina Iudicis apud ipſum intercedere, ne in graui cauſa Iudicem habeas contrarium. n.47.

Neceſſe habens imitiari Sacris Ordinibus E. g. vel beneficio in quo ius habet, &c. poteſt licitè petere eas actiones ab Epiſcopo, & ſi inde iſte occaſionem ſumpturus ſit ad ſimoniam. Sic etiam licet fæminæ à Iudice procurare iuſtam ſen-

Digitized by Google

ſententiam in ſua cauſa, & ſi prauident ipſum eius pulchritudine pelliciendum. Item permittens curari à medico, quem ſcit ſcandalum ex caſu ſumptarum. n.47.p.359.

De cooperante ad damnum. Vide damnum illatum.

DAMNVM Illatum

Damnum à diminutione rei dictum eſt maleficium, quo res, vel bonum alterius diminuitur. Condemnatus in expenſis non dicitur condemnatus in damnis: cum ſint res diſtinctæ. Fructus tamen veniunt ſub nomine damni, & intereſſe. Prop.39.§.1.n.2.p.111.

Damnificatio tam lucroſa, quam non lucroſa damnificandi ſubſtat damnationi. Propoſitionis 39.n.3.

Poteſt damnum inferri cum culpa, & ſine culpa. Hæc diuiditur in Theologicam, & Iuridicam. Illam conſiderat Theologus, & concidit cum peccato mortali, vel veniali. Hæc reſpicit tantum diligentiam, quæ omittitur. Et hæc culpa alia eſt leuiſſima, vt dolus manifeſtus: alia latior, vt dolus præſumptus: alia lata, & eſt omiſſio diligentiæ ſolitæ adhiberi communiter ab hominibus illius ſtatus? Alia eſt culpa leuis, & eſt omiſſio ſollicitudinis, quam diligentiores adhibent. Alia leuiſſima, & eſt omiſſio diligentiæ, quam diligengentiſſimi ſolent adhibere. Poteſt dari culpa lata iuridica, abſque culpa theologica: cum ſcilicet quis ex inaduertentia, vel ignorantia diligentiam debitam omittit. n.4.

Regulariter non datur obligatio reſtitutionis, quando nulla ex prædictis culpis committitur in inferendo damnum proximo. Stante verò culpa iuridica lata ſimul, & theologica, vt ſi cum aduertentia propè ſegetes ignem accendiſti, non adibendo diligentiam ne comburrerentur, ſi ſegetes comburantur ex culpa lata, & plena aduertentia teneris ad totum damnum. n.5.p.112.

Non adeſt onus reſtitutionis. Si res pereat ex caſu fortuito: niſi id in pactum deducatur, vel mora reſtituendi interceſſit, vel ad vſum non conceſſum res adhibita fuit, & ideo perijt: at non, ſi res peritura erat apud Dominum, vel bona fidè credebat non diſplicere illum vſum, vel moram domino. n.6. p.113.

Furioſus, vel infans non tenetur pro damno illato. n.7.

Damnum per accidens ſequutum ex opera illicita, ſed non præciſum, non obligat damnificantem ad reſtitutionem: poteſt tamen iſte in iudicio conueniri. n.8. *Ignorantia non ſolum antecedens, ſed etiam concomitans actum excuſat à reſtitutione, vti excuſat ab excommunicatione. Sic occidentem clericum.* n.9.

Dantur ne caſus, in quibus ſine culpa propria adeſt onus reſtitutionis ſaltem poſt ſententiam Iudicis? n.10.p.114.

Damnificans dolo, vel fraudè tenetur reſtituere non ſolum damni dati valorem, ſed etiam lucrum ceſſans, & quodlibet aliud damnum ex ea læſione cauſatum. Debet reſtituere valorem rei, quanti erat in re, non quanti valitura eſſet in futu-

futurum, niſi ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis. n.11.

Solum culpa lata (extra contractum, & officium) coniuncta cum culpa theologica graui, ſeù cum peccato mortali, inducit obligationem reſtitutionis in materia graui. Ex leui culpa non oritur onus ſub veniali: niſi culpa ſit leuis ratione parua materiæ. n.13. *Ex culpa iuridica tenetur quis poſt ſententiam Iudicis etiam in conſcientia.* n.13.

Cooperationis ad damnum alterius nouem ſunt genera, his verſibus comprebenſa.

Iuſſio, Conſilium, Conſenſus, Palpo, Recurſus
Participans, Mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Sex modi priores directè concurrunt; tres verò vltimi indirectè, & priuatiuè ad damnum alterius. n.14.p.17.

Propoſitio 39. *quæ attribuitur* Baunio. Qui alium mouet, aut inducit ad inferendum graue damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni. *Meritò damnationi ſubijcitur. Qui enim (efficaciter) cauſam damni dat damnum dediſſe videtur.* §.2. n.15.p.119.

Tenetur ad reſtitutionem inſolidum, omnes illi, qui ſua iuſſione, vel conſilio, aut alio ex ſupradictis modis ſunt cauſa damni. n.16.p.121.

Tenentur ſi ſunt cauſa efficax damni; non verò ſi tales non ſunt; vti qui conſulit iam paratum, vel conſulit minus malum paratum ad maius: hi enim non tenetur ad damnum, ſi non poſſunt impedire vtrumque. n.17.18. *Tenetur quoque reſtituere, qui paratum inferre maius malum Titio, ſuo conſilio inducit inferre minus Sempronio: exceptis quatuor caſibus, vt* ibi n.19. p.122.& ſeq. *Licet etiam aliter cooperari ad inducendum minus malum, vt auertatur à maiori malo: niſi hoc ſit in bonis vitæ, & corporis, quorum nec ipſe damnificatus Dominus eſt.* n.20.

Tenetur inducens ad reſtituendam ſolam illam quantitatem, ad quam furandam efficaciter alium induxit: niſi maius damnum ſit ex communiter contingentibus ex ſimili mandato, vel conſilio. n.20.

Qui ex officio adſtrictus, nullla iuſta cauſa non impedit, ſiue non vociferando, vnde Mutus *ſiue non reſiſtendo, vnde* non obſtans *ſiue non detegendo, vnde* non manifeſtans *dicitur ad reſtitutionem tenetur, ſi ex eius cauſa quis fuit motus ad inferendum damnum. Vide hæc exempla.* Corol.7.n.50.

Non tenentur tamen cum damno æquali, vel maiori in vita, vel bonis; cum non cenſeantur ſuſcepiſſe ea munera, vel contractum iniſſe cum tanto onere; hæc autem limitatio non tenet in damnis ſpiritualibus, vt ſunt hæreſes: neque in damnis communitatis, ſi ſint notabilia, vt machinationes contra Principem vel Patriam, quæ etiam cum vitæ diſpendio ſunt auertenda ab his, qui ad officia, vel dignitates propterea ſunt aſſumpti. Ibid. p.141.

Cui non ex officio, vel contracto incumbit impedire damna, tenetur tantum ex charitate: & ſic non impediens non ſubiacet reſtitutioni, etiam ſi prauo animo id relinquat, vel munere accepto. Ibid.

Con-

Digitized by Google

Confeſſarius negatiuè ſe habens in imponendo onere reſtitutionis pœnitenti, num teneatur reſtituere? n.51.p.142.

Qui ſuo exemplo mouet alium ad inferendum damnum, non tenetur ad reſtitutionem, niſi tenentur ex officio curare bonum tertij? n.52.

Qui precibus, aut ſuaſione induxit Petrum, ne legatum reliquat Ioanni, cui gratioſè volebat relinquere, non tenetur reſtituere. Secus ſi fraude, aut dolo aut vi id fecit. p.144.

Ordinem ſeruandum in reſtitutione facienda. Vide. n.53.p.143.

DETRACTIO.

Denigratio eſt iniuſta alienæ famæ per occulta verba. *Fama autem eſt communis recta opinio, & æſtimatio bona vitæ, voce manifeſta.* Prop.43. & 44.§.1.n.3.p.186. *Dicitur per occulta verba, ſi ſint in abſentia eius, de quo dicuntur, propalata.* Ibid. *Crimen, vel defectus, ſi obijciatur, vel reueletur in præſentia dicitur Contumelia, differtque ſpecie à detractione, quam etiam includit, ſi malum dicatur coram eo, de quo detrahitur, & coram alijs.* n.4

Detractio eſt formalis, ſi fiat cum animo infamandi: materailis ſi cum animo vt ſupra, ſed ex alio motiuo: quod ſi honeſtum erit, excuſabit à peccato. Vtraque eſt contra iuſtitiã, grauior furto, & minor homicidio. Poteſt eſſe venialis, ex leuitate materiæ, ex imperfectione affectus lædendi, & ex inaduertentia. n.5.p.187.

Grauitas, vel leuitas detractionis potius accipitur ex grauitate infamiæ, quæ ſequitur, quam ex grauitate criminis propalati. Vide exempla. n.6. *Ex multis leuibus detractionibus poteſt quandoque oriri infamia grauis.* Ibid.p.188. *In reuelatione generalium delictorum, vt eſſe ſuperbum, auarum, iracundum, &c. debent conſiderari qualitas perſonæ, de qua dicuntur, à quo dicuntur, & coram quibus, vt iudicari poſſit, an ſit mortaliter, vel venialiter lædere.* n.7. *Detrahere per verba generalia, & in confuſo, quæ indicant quid graue, etiam grauis detractio eſt. De ignoto male loqui non eſt mortale, niſi redundet in aliorum damnum, vt de Monaſterio in communi malè loqui?* num.8.

Reuelatio defectuum naturalium, ex qua impeditur conſequutio alicuius boni temporalis, non eſt mortalis: Illos autem obijcere in præſentia, inſpecto loco, tempore, ac perſona, poteſt eſſe mortalis. Defectus natalium reuelare, conſideratis circumſtantijs perſonæ, vel damni, &c. poteſt eſſe mortalis. n.9. *In reuelatione laborantis morbo gallico poteſt non eſſe mortale, ſi de perſona, quæ per hoc grauiter non læditur in fama, vt ſi de milite, vel nobili adoleſcente dicantur, vel ſi auditorem ſufficienter ſuadeas id accidiſſe modo extraordinario abſque peccato.* n.10.

Hiſtoriographi, qui occulta defunctorum crimina ſcribunt, peccant, etiam ſi fuerint pagani, vel hæretici: niſi bonum commune, quod inde oriturum eſſet, præponderaret eorum infamiæ. n.11.p.190.

De-

Detractio modis octo exerceri valet, quatuor directè, totidemque indirectè: his verſibus comprehenſi?

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens.

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remiſſe.

Horum explicationem vide n.12.p.190.

Eſt ne leue, detrahere apud vnum, vel alterum virum cordatum, & non diuulgaturum? n.13.p.191.

Num narrare coram multis crimen graue, vt auditum ab alijs, ſit mortale? num.14.

Quando detrahere coram ijs, quibus notum eſt quod detrahitur, ſit mortale? num.15.

Narrare crimen notorium coram illud ignorantibus non eſt mortale. In paruo loco requiritur, vt a maiori parte illius loci ſciatur, vt ſit notorium: non verò in magno loco, vbi ſufficit, vt tot perſonis innoteſcat, vt breui credatur ad maioris partis notitiam peruenturum. Infamatus in curia, vel Ciuitate, vbi concurrunt ex toto Regno, talis dicitur per totum Regnum. Alias regulas notorietatis vide n.16.& 17. *Non refert, quod crimen iuſtè, vel iniuſtè publicatum ſit, modo verum ſit; aliter nunquam deferri poſſet.* n.18.

Publicum publicitate iuris poteſt in quocumque alio loco euulgari: hoc tamen poſt ſententiam Iudicis, & quando ipſa ſententia eſt omninò publica, vt V.g. facta in Villa, Ciuitate, vel Regno, non verò in Monaſterio, vel ſimile. n. 19. *Publicum publicitate facti in vno loco ex probabiliori poteſt abſque mortali publicari in alio loco, etiam ſi ibi non ſit publicandum.* n.20.

Si ex diffamatione delicti occulti, ſed veri, ſequatur infamato alia damna præter infamiam, quale peccatum obnoxium reſtitutioni committitur? n.21.

An, & quando narrare noua crimina diffamati ſit mortale? n.22.

In quibus caſibus reuelare crimen occultum non eſt peccatum? n.23.

Peccatum mortaliter, qui in iudicio falsò accuſatus imponit falſum crimen accuſatori, vel teſti. Similiter ſi extra iudicium imponatur crimen falſum alicui, hic peccat mortaliter, ſi crimen graue imponat detractori, etiam prætextu minuendi auctoritatem detractoris, & detractionis. Et hic oppoſitæ duæ Propoſitiones damnantur. Prop.43.*quæ erat* Caram in 1.edit.Fundam. Quidni, non niſi veniale ſit, detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falsò crimine elidere? *Et* Propoſitio 44. Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, vt ſuam iuſtitiam, & honorem defendat. Et ſi hoc non eſt probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia. *Quæ non erat* Caram.in 1. edit.Fundam. § 2.num. 25. p.198.

Num ſententia docens, non peccare contra iuſtitiam, qui imponit falſum crimen iniquo teſti damnetur? n.27.

An ſubijciatur damnationi ſententia docens, non peccare contra iuſtitiam, qui extra iudicium imponit falſum crimen infamatori ſuo? n.29.

Digitized by Google

Reus cui non conſtat interrogari iuridicè, poteſtne crimen negare, & dicere accuſatorem mentiri, & calumniari? n.30.

Si Reus poteſt ſe defendere, ſimpliciter negando, num debeat etiam ex iuſtitia abſtinere ab impingendo crimen mendacij, & calumniæ peccatori. n.30. p.205.

An extra iudicium poſſum reuelare crimen occultum murmuratoris, ſi neceſſe ſit ad me defendendum? n.31.

An licitum ſit Reo occulta crimina teſtium detegere, quando ordinem iuris, vel coacti teſtantur? n.32.

Num poſſit Reus manifeſtare delictum occultum teſtis, quod pacto tenetur celare, vel ſciat à teſte cauſa petendi conſilij? ibid.

Infamare ſe ipſum quando eſt mortale, quando verò veniale? n.37.

Ad vitanda tormenta eſtne mortale falſum ſibi crimen imponere, ob quod morte ſit plectendus? n.35.& 37.

EVCHARISTIÆ neceſſitas, medii, & præcepti diuini.

Eucharistia votum ſaltem implicitum eſt neceſſarium neceſſitate medij etiam paruulis pro obtinenda prima iuſtificatione. Quod votum habetur virtualiter in ipſo Baptiſmo, vel voluntate Eccleſiæ in paruulis, vel propria in adultis. Propoſ.55.§.1.n.2.p.462.

In quibus differt neceſſitas medij Baptiſmatis ab Euchariſtia? n.4.p.464.

Alia media, quæ conducant ad diù conſeruandam vitam ſpiritualem non ſunt efficacia abſque Euchariſtia ſaltem in voto. Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt media neceſſaria pro ſalute, ſaltem in voto, ſiue paruo, ſiue multo tempore quis viuat. Euchariſtia verò eſt neceſſaria ex ſuppoſitione, quod quis diù duret in hac vita; nam cibus animæ eſt. n.6. *Dantur ſemper auxilia per Sacramentum Euchariſtiæ ad perſeuerandum in bono opere; ſed non ſunt ſemper efficacia.* n.7.p.466. *Peccant, qui ad hanc Euchariſtiam non accedunt, quando debilitatem ſpiritualem ſentiunt, ſed non peccant contra præceptum Eccleſiæ, ſi ſaltem ſemel in anno ſumunt.* n.8.

Votum includitur in actu formali obſeruandi omnia præcepta: inter quæ eſt hoc, ſcilicet ſumendi Euchariſtiam, ſed qui actualiter conſiderat neceſſitatem illam ſumendi ad conſeruandam vitam ſpiritualem, neceſſarium eſt votum explicitum illius. n.9.

In adulto requiritur ſaltem voluntas explicito recipiendi Sacramentum vt tale, non ſic in paruulis. Amentes, in quibus remanſit voluntas ſaltem implicita communicandi, ſunt capaces fructus Sacramenti: non verò ſi talis amens caſu reperiat hoſtiam conſecratam, & eam concedat tamquam cibum communem; niſi aliter fuit intentio, quando erat ſui compos. Vide n.51.p.492. *Qui manducat Euchariſtiam cum intentione manducandi panem, non Sacramentum, ſacrilegè peccat.* p.493.

Extat præceptum diuinum communicandi. n.10.p.496. *Ex eo præcepto non ſolum tenentur fideles ad Sacramentalem, ſed etiam ad dignam Euchariſtiæ*

ſum-

ſumptionem: quando enim modus eſt de ſubſtantia actus à legis latore præcipuè intenti, non ſufficit ſolum quoad ſubſtantiam illum perficere; vti eſt in ſumptione Eucbariſtiæ, ad differentiam Baptiſmi. n.11.p.468.

Non baptizzati, ex probabiliori non aſtringuntur præcepto communionis. In articulo mortis tenentur omnes baptizati, vt communicent n.12. Catechumenus, debito tempore recipiens Eucbariſtiam non ſatisfaciat præcepto diuino communionis, cum ipſa ſit tantum materialis. n.13. Paruuli, & amentes, qui nunquam habuerunt rationis vſum non tenentur hoc precepto. nu. 14. p.469.

Hoc præcepto diuinum obligat fideles adultos vſu rationis pollentes non ſolum in articulo mortis, ſed ſæpius etiam in vita: huic tamen ſatis fit per annuam communionem. n.15.

Comprehendit omne mortis periculum, etiam violentæ. Sic Iudex tenetur reis morte plectendis concedere tempus confeſſionis, & communionis: & debet dilationem præbere per duos, vel tres dies indiſpoſito, ſi ſpes ſit, vt diſponatur: niſi aliundè inſtet neceſſitas puniendi. Si omninò non vult Sacramenta ſuſcipere, non ideo liberandus eſt. Cauſas excuſantes à conceſſione Sacramentorum reis vide n.16.p.470. Ex probabiliori tenentur ſuſcipere Eucbariſtiam qui periculoſum prælium, vel nauigationem ſunt ſubeundi n.17. Ex probabiliori item, non tenetur ſuſcipere ante tempus, qui prauidet impedimentum in ipſo periculo mortis.n.18.

In articulo mortis adeſt obligatio communicandi, etiam in Paſchate communicauit. Extat præceptum diuinum de communione in articulo mortis; & Eccleſia eo tempore, niſi iuſtis de cauſis non negat Eucbariſtiam n.19.p.471.

An qui tribus diebus, vel etiam vna bora ante aticulum, vel periculum mortis communicauit, debeat iterum communicare? n.20.p.474.& ſeq.

Incidens in peccatum ſubito poſt viaticum, tenetur iterum illud ſumere? n.21.

Quando interrumpitur periculum mortis, denuò aduerit præceptum, adueniente iterum periculo: Et ſic etiam ſi pridie Sacramentum ſumpſerit, poteſt non ieiunius poteſt ſumere. n.21.p.475.

Quando idem periculum perſeuerat an, & quot poſt dies poſſit iterum non ieiunus communionem ſumere? n.22.

Sumens viaticum, quo tempore vrget præceptum Paſchale communionis ſatisfacit ne vtrique? n.23.p.76.

Cur qui non poteſt in articulo mortis ſpeciem panis deglutire, nequeat ſumere Sacramentum ſub ſpecie vini? n.24.

Pueri capaces Sacramenti Pœnitentiæ, tenentur ne præcepto communionis in articulo mortis. n.25.p 476 & ſeq.

Quibus amentibus, furioſis, phræneticus ac infirmis delirantibus poſſit miniſtrari viaticum, & quam cauſa? n.26

Surdis, & mutis poteſt ne miniſtrari, & quibus? n.27

Quid agendum in infirmo morſo à cane rabido? n.28

Mori-

Digitized by Google

Moribundus tenetur ne viaticum ſumere à Miniſtro excommunicato non tolerato, vel hæretico, & iſti etiam? n.29.

FAMVLÆ, & FAMVLVS.

Eorum furta, vel ſunt ad compenſationem faciendam ſtipendij, de quibus Vide V. Compenſatio: *vel abſque ordine ad eam. Et quantum ad hoc ſecundum habenda eſt hæc regula generalis: Eum peccare tantum venialiter, qui occultè accipit ab eo, cui non diſplicet acceptio, ſed modus accipiendi. Hoc dignoſcitur à domini natura, & quantitate rei; quando ſcilicet iudicari poteſt; quod poſtulata à domino non negaretur. Et inſpiciendæ ſunt aliæ regulæ generales alibi tradendæ circa furta parua, &c.* Propoſ.37. §.1.n.1. p.62.

Famulus accipiens poculenta, & exculenta quando peccat mortaliter, quando ſolum venialiter? n.3.

Tradita pro famulis competuntne etiam mancipijs? n.4.

In caſibus in quibus peccant, & tenentur reſtituere, quomodo hanc poſſunt facere? n.5.p.64.

Pluſne requiritur ad furtum ſeruorum, quam extraneorum, vt ſit graue, & quantum? n 6.p.65.

Monitiones Confeſſarium pro furtis ſeruorum, vide n.7.

FAMVLVS quoad cooperationem ad malum. Vide V. Cooperatio ad peccatum.

FESTA ſeruanda.

Ante præceptum Eccleſiaſticum, quod primo traditur de obſeruatione feſtorum, in lege veteri latum fuit præceptum de obſeruatione Sabbati, quod partim erat morale, ſeù naturale: & ſecundum hoc manet immutabile; & partim cæremoniale, nempè quoad aſſignationem diei Sabbati pro cultu Dei. Quod in lege gratiæ fuit mutatum in diem Dominicum, propter beneficium Redemptionis. Prop.52.§.1.n.6.p.365.

Iure tantum humano dies Dominicus pro feſto conſtitutus eſt. Communis enim Theologorum ſententia nullum aliud Præceptum diuinum à Chriſto Domino latum recognoſcit, præter præcepta Fidei, & Sacramentorum; alia verò variationem recipere poſſunt, vel diſpenſari ab Eccleſia. Præceptum diuinum naturale eſt, vt detur aliquod tempus pro cultu Dei; & quod hoc tempus ſit, vt die Dominico nihil ſeruile agatur, & Miſſa audiatur, iure Eccleſiaſtico habetur. n.7. *Diei Dominicæ celebratio vetuſtiſſima eſt; à tempore ſcilicet Apoſtolorum.* n.8. p.366. *Antiquitus dies feſtus incipiebat à Veſperis præcedentis diei: hodie verò à media nocte eiuſdem diei feſti.* n.9.

Hoc præceptum eſt affirmatiuum quoad auditionem Miſſæ; quoad ceſſationem verò ab operibus ſeruilibus eſt formaliter poſitiuum, materialiter negatiuum. n.10. *Per ſe, & ex vi obſeruationis feſti, præter hæc non eſt obligatio audiendi verbum Dei; nec ſimiliter eliciendi actum charitatis ex communi ſen-*

Digitized by Google

tentia. n.12. p.369. *Et ex Bulla Vrbani VIII. quid probibetur Epiſcopis circa ord na ionem nouorum feſtorum de præcepto?* n.11. p.368.

Ad colend a feſta tenenturne omnes fideles habentes vſum rationis? Aduenæ, & peregrini, diſcedentes, & tranſeuntes num tenemur ſeruare feſtum loci? n.13. & 14.

Quæ ſunt opera ſeruilia prob bita hoc præcepto? num ſint probibita ſi fiant ſine l cro, & liberalia prob bita, ſi fiant cum lucro? Iter facere, portare, beſtijs, & curribus merces aſportare probibentur ne in die feſto? n.17. *Vti molendinis num l ceant?* n.18. *Venari, & piſcari num ſint communia licita?* n.39. *Scribere, vel tranſcribere lucri, & mercedis gratia licetne?* n.20. & 21. *An impreſſio foliorum, vel etiam ipſa ordinatio characterum ſit pr bibita?* n.22. *Num pingere, ſculpere, purgare frumentum, diſtillare, probibeantur?* n.23. 24. & 25.

An peccare in di feſto ſit ſpecialiter probibitum hoc præcepto, ſit circumſtantia contra Religionem, ſit ſaltem augens intra eandem ſpeciem? n.26. & 27.

Quæ actiones liberales licitè exercentur? n.27. & 28. *Num probi it o mercatorum ſit conſuetudine abrogata?* n.29. *An liceat No a ijs die feſto celebrare ruſticorum contractus?* n.29. *Quod eſt iudicium forenſe, ſeù pla tum probibitum die feſto?* n.30. *An actiones iſtæ etiam annullentur factæ diebus feriatis?* n.31. Num *poſſit iurame tum ſuſcipi in die profeſto, & examen teſtis fieri in die feſto?* n.32. *Oblatio libelli poteſtne fieri die feriato?* n.33. *Executio ſe t ntiæ eſtne valida in die feſto?* n.34. *Num appellatio tunc interponi poſſit?* n.35.

Quæ neceſſitas, pietas, bonum pacis, vel periculum iniuſtitiæ, reddunt prædicta licita in die feſto? n.36. & 37.

Quoniam ſepoſito ſcandalo, & contemptu, Propoſitio 52. *negabat eſſe mortale non ſeruare f ſta, plenè explicatur quid ſit contemptus, quiue formalis, vel materialis, & cur formalis ſempe ſit peccatum mortale.* nu.38. 39. & 40.

Propoſitio 52. *quæ eſt* Richardi, Angeli, Tabienæ, & Aſtenſis, Præceptum ſeruandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus, *meritò damnatur.* §.2. n.41. *eſt enim erronea; et nim de fide eſt Eccleſiam poſſe præcipere obſeruationem feſtorum ſub graui obligatione, & iam ſub ea præcipit.* ibid.

Damnatio afficit excludentes obligationem grauem ſeruandi feſta, ſiue per auditionem ſacri, ſiue per ceſſ tionem ab operibus: n.42. *Non tamen afficit aſſerentes, ſecluſo contemptu eſſe veniale in materia leui deficere à dicta obſeruatione.* n.43.

Quam partem Miſſæ in auditione omittere ſit tantum veniale, & quam omittere ſit mortale? n.44. 45. 46. 47. & 49. *Quid de eo, qui tempore conſecrationis, vel ſumptionis adit Sacriſtiam, vel alio, vt quid ſacrificio neceſſarium procuret?* n.48.

Digitized by Google

Per duas integras horas ſeruilibus die feſto vacare, caretne culpa graui? n.50. *Quid in domino, qui pluribus famulis ſucceſſiuè præcipit laborare duabus horis per vnumquemque illorum?* ibid.

Ex quibus in forenſibus, & iudicialibus materia grauis ſumenda eſt? n.51.

Non ſubijcitur damnationi aſſerere, non eſſe vllum peccatum, ex legitimis cauſis ſecluſo ſcandalo, & contemptu die feſto laborare, vel ſacrum non audire. n.52.

Cauſæ excuſantes exercentes ſeruilia in die feſto ſunt quinque, ſcilicet, Religio, Pietas, Neceſſitas, Diſpenſatio, & Conſuetudo. n.52.p.388.

Quæ deſeruientia diuino cultui licent in die feſto? n.53. *Quæue opera ad Pietatem deſeruientia licita ſint?* n.54. p.389. *Quæ neceſſitas excuſet?* n.55. *In quibus cauſis eſt neceſſaria diſpenſatio, & à quo, & num ſub aliqua multa?* n.56.p.391. *Quæ conſuetudo, quoſque excuſet?* n.57.

Vide Miſſæ auditio.

FIDES.

Confeſſarij an, quando, & de quibus myſterijs tenentur interrogare fideles? Propoſ.64.§.1.n.2.& 3.

Num in articulo mortis ſufficiat, ruſtico proponere tantum neceſſaria neceſſitate medij? n.3.

An Fides explicita Trinitatis, & Incarnationis nedum ſit ſub præcepto, ſed etiam ſub neceſſitate medij? n.4.& ſeqq. *De quibus fides explicita Chriſti debet eſſe?* n.9. *Num probabilis, proculque à damnatione ſit ſententia negans neceſſitatem medij fidei explicitæ myſteriorum Trinitatis, & Incarnationis?* n.10.

Propoſitio 54. *quæ ab aliquibus tribuitur* Thomæ Sanchez, Ioanni Sancio, Baſſæo, & alijs. Abſolutionis capax eſt homo, quantumuis laboret ignorantia myſteriorum Fidei; & etiam ſi per negligentiam, etiam culpabilem neſciat myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Ieſu Chriſti; *meritò confixa manet, quoad vtramque partem: vnam aſſerentem capacitatem abſolutionis in ignoranti myſteria, abſtrahendo ab ignorantia vincibili, & inuincibili: In ſecunda parte ſpecificatur magis ignorantia vincibilis; & exprimit duo myſteria Trinitatis, & Incarnationis. Vnde ſenſus huius Propoſitionis damnatæ eſt de omnibus myſterijs, vel de præcipuè credendis, & de ignorantia vincibili.* num.11. p.666.

Non eſt capax abſolutionis, qui ignorat etiam inuincibiliter myſteria neceſſaria neceſſitate medij: nempe Deum eſſe authorem ſupernaturalem, & remuneratorem. §.2.n.12.

Ignorans culpabiliter myſteria Trinitatis, & Incarnationis non eſt capax abſolutionis, & contrarium damnatur expreſsè. n.15.p.677. *Non enim poteſt abſolui, qui continuat peccatum mortale dum abſoluitur: cuiuſmodi eſt, qui culpabiliter myſteria prædicta ignoret.* n.16.

Quid pro praxi Confeſſarij, qui dubitat, vel ſcit ruſticum moribundum neſcire hæc myſteria neceſſaria? n.17.& 18.

Qui dum viuit inculpabiliter hæc myſteria Incarnationis, & Trinitatis ignorat, non eſt capax abſolutionis, & contrariam damnationi, ſubeſt. n.19. *Debent moribundo ignoranti proponi hæc myſteria, ſi poſſit, vt ſaltem credat explicitè, licèt poſtea memoriæ non poſſit mandare.* n.22.

Qui ignorat etiam inuincibiliter myſteria neceſſitate medij, inualidè abſoluitur. n.23. *Tenendaque eſt ſententia docens, confeſſiones factas cum tali ignorantia repetendas eſſe.* n.24. *Qui culpabiliter manet in ignorantia myſteriorum Trinitatis, & Incarnationis inualidè abſoluitur.* n. 25. *Sacerdos, qui abſoluit prædictum ignorantem, ſiue inculpabiliter, peccat mortaliter.* nu.27. *In circumſtantia confeſſionis maximè eſt neceſſaria notitia horum myſteriorum.* n.28. *Quidam aſſerunt debere tanquam fatui tractari, qui ſupradicta myſteria, propter ingenij exceſſiuam ruditatem non poſſunt addiſcere.* n.29.

Ex ſententia probabili docente, fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis non eſſe neceſſariam neceſſitate medij non ſequitur, Confeſſarium non debere eſſe ſollicitum de inſtruendo pænitente illa ignorante, & de eo non abſoluendo, niſi inſtructo: ſed tantùm confeſſiones præteritas non eſſe repetendas. n.30.

Propoſitio damnata intelligitur de ea, quæ aſſerit, eſſe licitam abſolutionem eorum, qui ignorant hæc myſteria; non verò quæ dicit, eſſe tantùm validam, ſi aliter capax eſt. n.31.

Propoſitio 65. *quæ eſt* Tamburini, ſufficit illa myſteria ſemel crediſſe, *meritò damnatur, quia peior 17. quæ ſupponit ſcientiam, & negat repetitionem: vt hæc ſupponit, quod etiam ſi obliuio poſtea cæpit te de myſterijs fidei, hoc ſufficit.* Prop.65. §.1.n. 2.p.672.

Num aſſerere, non teneri hominem præmittere actum fidei explicitæ Trinitatis, Incarnationis, ſemper ac accedit ad Sacramentum Pænitentiæ, ſed ſufficere implicitum, cadat ſub damnatione? §. 2.n.4.

An fides explicita vnius Dei remuneratoris æterni includatur in actu doloris? num. 5.

Frequentia dictorum actuum qualis eſſe debent, videatur ibidem num. 9. p.674.

FORNICATIO

Certum eſt de fide, fornicationem eſſe peccatum mortale, ſaltem quia iure diuino eſt prohibita. Prop.48.§.1. n.8.

Propoſitio 48. *quæ eſt* Caramuelis, & Verde, Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam inuoluere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, vt contrarium omninò rationi diſſonum videatur. *Meritò damnatur, & ex Apoſtolo rationibus, alijſque malitia ex ſe & iure naturæ clare demonſtratur* §.2. à n.11.

Fornicatio numquam poteſt eſſe licita, Vnde mulier conſcia impedimenti dirimen-

Digitized by Google

mentis matrimonium nullo modo poteſt reddere debitum viro etiam id ignoranti: nec ſi adſit periculum vitæ. n.23.

Fornicatio eſt illicita mortaliter non ſolùm ex iure poſitiuo, ſed etiam ex naturali. n.24.

Eſtque ex ſuo genere grauius peccatum, quàm furtum, & minus homicidio: eſt ne dum contra temperantiam, ſed quodammodo contra iuſtitiam. n.26. p. 295.

Cur etiam in caſu, quo proles benè educaretur in fornicatione, adhuc non liceat fornicari? n 32.

Fornicatio Oſeæ quare non fuerit peccaminoſa? n.33.

An, & apud quos de fornicatione poſſit dari ignorantia inuincibilis? n.39. *Num qui aſſerit, fornicationem non eſſe mortalem ſit prius quam denuncietur, examinandus, an abſque ignorantia id aſſerat?* n.40.

FVRTVM.

Eſt acceptio occulta rei alienæ inuito Domino, *intellige de inuito rationabiliter, & quoad ſubſtantiam.* Prop.36.§.1.n.2.p.53. *Eſtque intrinſecè malum; ita, vt Deus non poſſit in eo diſpenſare, dum manet in ratione furti: poteſt tamen facere, quod acceptio rei alienæ non ſit furtum.* n.3.p.54. *Furari rem notabilis valoris abſque cauſa, nemo negat eſſe mortale, & peccatum iniuſtitiæ.* Prop.38.§.1.n.3.p.87.

Materia notabilis in furto poteſt dici, & eſſe talis, etiam ſi ſit leuiſſima, ratione nocumenti notabilis extrinſeci, vti auferre acum à ſartore, penniçillum à pictore, ſane quibus opus exercere non valerent, item auferre rem paruam, ſed domino ſummè charam. Neutrum tamen horum erit furtum graue per ſe, ſed per accidens. Vnde non includuntur ſub pœnis fortè inflictis furantibus grauiter. n.4.p.87.

Materia grauis in furto debet attendi reſpectiuè ad leuem, & ad tempus, & locum, quo aufertur: iudicanda arbitrio prudentum. n.5. *Maior materia requiritur ad mortale reſpectu diuitum, quàm pauperum, ex veriori ſententia.* n.6.p.88. *Datur materia, quæ abſolutè reſpectu omnium debet dici magna, vt ſunt duo, vel tres aurei: datur materia, quæ reſpectu omnium dicitur parua, vti eſſet medietas vnius Iulij: & materia media, quæ reſpectu virorum illuſtrium virorum deberet eſſe vnius circiter nummi aurei, vt pertingeret ad mortale: ſicut quatuor regalium reſpectu virorum, qui commodè viuunt abſque artificio: duorum autem regalium reſpectu eorum, qui artificio ſuo ſe ſubſtentant: & demum vnius, vel dimidij regalis reſpectu mendicantium.* n.7.& 8.

Qui à pluribus parua aufert animo proſequendi vſque ad magnam quantitatem, peccatne mortaliter à prima vice; & quando tenetur ad reſtitutionem, & quibus? n 9. *Abſque verò induſtria, & voluntate diteſcendi à pluribus minuta accipiens poſſunt ne moraliter non continuari per interpollationem magnam? Num maior quantitas requiratur in furtis minutis diuiſis, quam*

Digitized by Google

quam ſimul vnitis ; & maior etiam quando à pluribus, quàm ſi ab vno accipiantur? n.11.

Propoſitio 38. *quæ eſt* Berarducij. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parua (non parua) furta, quantuncumque ſit magna ſumma totalis, *merito hoc decreto proſcribitur: vnde aſſerendum eſt, tenere quem reſtituere ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per parua furta etiam voluntate intercisa patrata, quando ex eis ſimul ſumptis peruentum eſt ad magnam quantitatem* §.2. n.12.

Non ſolum peccat quis non reſtituendo, poſtquam peruenit ad magnam quantitatem, ſed etiam peccauit, dum ſurripuit illam vltimam partem completiuam materiæ grauis, ſi memor fuit antecedentium acceptionum. n.14.

Tenetur ſub mortali reſtituere tantum illud vltimum, quo completa eſt materia grauis. ibid. p.95. *Per vltimam illam acceptionem completiuam materiæ grauis peccati, etiamſi habeat intentionem reſtituendi data opportunitate, modo dum accipit impotens ſit reſtituere.* n.15. *Nonum paruum furtum poſt completam grauem materiam non eſt mortale, niſi de nouo perueniat ad magnam quantitatem, vel adſit intentio perueniendi.* n.16.

Sententia aſſerens, non eſſe mortalem illam acceptionem completiuam, etſi leuem, vt ſupra, ſubiacet damnationi. n.17. *Etiamſi quantitates illæ eſſent factæ cum peccato veniali propter inaduertentiam, V.g. etiam adeſt poſtea, dum aduertitur, obligatio reſtituendi ſub mortali.* n.18. *Vide* n.20. *Et contrarium aſſerere, ſubiacet damnationi.* n.22.

Condemnatio debet intelligi de paruitatibus allatis, ſiue vni, ſiue pluribus dominis. n.23.

Cum res ablata extat, aut ex ea factus es ditior, & ſi minutorum furtulorum nullum fecit mortale, nec vltimum, propter inaduertentiam, vel aliud teneris reſtituere. n.24.p.100.

Si aduertantur furtiola antecedentia, dum vltimum aufertur, committitur mortale, & ideſt onus reſtituendi, ſiue furtiola ſint in eodem genere negotij, ſiue in diuerſis. n.25.

Interruptio moralis in paruis furtis variè aſſignatur: quam vide §.3.n.26.p.101. *Damnatio non comprehendit furta parua per magna interualla, & per voluntatem interciſam commiſſa.* ibid.

Quando plures per minuta furta graue damnum inferunt vni, num peccent mortaliter, & reſtituere teneantur? n.28.& 29.

Filij familias quando peccant mortaliter notabile ſurripientes? & quæ quantitas in ijs requiratur ad mortale? n.30.

Vxor accipiens ex bonis mariti quando mortale, quando veniale, quando nullum peccatum committit? n.31.32.& 33.

Explicatur neceſſitas extrema, grauis, & communis. Propoſ.36. §.1. n.4. p.54.

In

Digitized by Google

In neceſſitate communi certum eſt, furtum eſſe aliena inuito Domino ſurripere; ſicut è contra licitum eſt in extrema neceſſitate id agere n.5. *Abuſiuè verò dicitur, licere furari in extrema neceſſitate, nam id furari tunc non eſt, ſed ex alienis licitè accipere.* n.7.

Poteſt ne quis aliundè non habens, alienum accipere ad ſuccurrendum proximo extremè indigenti? n.6.

Propoſitio 36. *quæ attribuitur* Dianæ, Anton. à Sp. San. *& alijs.* Permiſſum eſt furari non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in graui, *merito hoc decreto abigitur.* §.2.n.8. *Vide rationes.* n.10. & 11.

Num ſecura ſit doctrina dicentis: clandeſtinam acceptionem rei alienæ ſæpè excuſari à furto ratione licentiæ debitæ ex miſericordia, aut ſimili alia virtute? n.9.

Exiſtentes in graui neceſſitate, & ſi eſſet magnum dedecus mendicare, nec poteſt licitè alienum ſurripere: & idem periculo iacturæ pudicitiæ. num.12.

Poteſt in graui neceſſitate conſtitutus ſibi retinere ablatum, vel aliter debitum differre ad ſoluendum: niſi creditor in eadem neceſſitate ſit. n. 14. p.58.

Non damnatur aſſerere, poſſe debitorem differre ſolutionem, quando dilatio non eſt nociua creditori. n.15.

Nec dicere, poſſe abſolui pœnitentem, qui ob aliquod emolumentum ſuum, non vult totum ſimul, ſed per partes reſtituere, quod debet, dummodo hoc non noceat creditori. n.16.

Poteſt indigens ſibi ex alienis prouidere per media non exquiſita, & extraordinaria in grauiſſima neceſſitate: cuiuſmodi eſſet periculum probabile mortis, vel incidendi in captiuitatem, vel incurrendi grauiſſimam infamiam, & ſimilia. n.18. *Hæc enim in moralibus æquiparatur extremæ.* n.19.

Non extenditur damnatio ad neceſſitatem grauem totius Reipublicæ. n.20.

HORÆ CANONICÆ.

Sunt certa oratio publicè laudandi Deum mente ſimul, ac voce, authoritate Præſulum Eccleſiæ inſtituta. *Dictæ Horæ, quia certis horis recitandæ: dictæ Canonicæ, quia regulares, ſola mente non recitandæ, vt præcepto ſatisfiat.* Propoſ.54.§.1.n.2.p.433. *Ex communi ſententia ſunt ſeptem; numerando Matutinum indiuiſum à Laudibus: & ſic ex cauſa poſſint diuidi, imò & vnum Nocturnum ab alio, terminando ipſum cum Collecta diei, & incipiendo aliud à* Pater noſter, *&* Aue Maria. n.3.p.434.

Præceptum de recitandis Horis obligat nè ſub mortali, & quos? n.4.p.435.

Qui vnum Officium vnius diei in anno omittit, peccatne mortaliter? ibidem. *Num, & qui notabilem partem; & quæ ſit notabilis pars?* n.5.6.& 7.

Qui omittit totum Officium vnius diei quando peccat ſemel, quando pluries mortaliter, & quomodo debet peccatum in confeſſione exprimere? n.8.& 9.

Quomodo hoc peccatum omiſſionis, ita ut incurratur excommunicatio, ſi eſſet poſita? n.10.

Digitized by Google

Cauſæ excuſantes à recitatione priuata ſolent aſſignari Diſpenſatio , Infirmitas, Occupatio, Impotentia , Carentia fructuum , Metus , Ignorantia , & Obliuio.

Qui poteſt diſpenſare ? n.11. Beneficiatus ignorans legere , *in quo peccauit , & ad quid teneatur ?* n.12. *Qui experitur ſe immemorem in recitatione officij ob negotia , ad quid teneatur ? Ad quid etiam tenetur qui dubitat , an recitauerit ?* n.13. *Qui non poteſt exterè recitare , num abſolutè deobligetur ? Ad quid teneatur cæcus ?* n.14. *Quid de voluntariè omittente , vel proijciente Breuiarium ?* n.15. *Infirmitas quæ , & quando excuſat , & num tenetur antic pare.* n.16. *Num teneatur cum alio recitare , ſi hoc modo poſſit ? Num teneatur per alium ſupplere , ſi beneficiatus ſit ?* ibidem. *Qui metus excuſet ?* n.18. *Quæ occupatio.* n.19.& 20. *Num præuidens impedimentum teneatur præuenire ?* ibid.

Propoſitio 54. *quæ eſt* Caſtropalai , Dianæ , *& aliorum.* Qui non poteſt recitare matutinum , & Laudes : poteſt autem reliquas horas , ad nihil tenetur ; quia maior pars trahit ad ſe minorem , *meritò hoc decreto expellitur ; quia materia diuini officij recitandi eſt diuiſibilis.* §.2.n.23. & 24. *& præceptum de re diuidua obligat modo diuiſiuo.* §.1.n 21. *Et illud præcipium ,* Maior pars trahit ad ſe minorem , *valet dumtaxat in quibuſdam actibus , & obligationibus communitatum.* n.22,

Quid ſi infirmitas impediat indefinitè diuinum officium ? §.2.n 38.

Num damnetur opinio dicens , non teneri quemquam recitare horum , cuius nec maiorem partem poteſt recitare ? n.39.& 40.

An ſi probabilior ſententia aſſerens ; qui non poteſt recitare maiorem partem vnius horæ non tenetur ad illam ? n.41.

Qui poteſt vnum nocturnum recitare abſque duobus alijs , teneturne ad illum ? num.42.

Quid , ſi non poſſit recitare matutinum , poſſit tamen Laudes ? n.43.

MANDANS

Dubitans an mandatarius ſuo imperio motus ſit ad damnum inferendum , teneriſne ad reſtitutionem ? Prop.39.coroll.1.n.20.

Mandans num teneatur , ſi mandatarius poſt longum tempus mandatum exequatur ? Et quid ſi ante opus patratum mandatum reuocauit ? nu.27. p.126.& ſeq.

Mandans quando non poteſt ante executionem impedire , ad quid teneatur ? nu.28.

Quid ſi quis tantum ratum habuit damnificationem ſuo nomine factum ? num.29.

Cui , & quando tenetur mandans reſtituere ? n.31.

MISSA audienda

Miſſam omittere ſemel , aut iterum in die feſto abſque cauſa , num ſit mortale , ſi non adſit contemptus ? Prop.53. §.1. nu.2.p.398. *An , & quando*

Digitized by Google

do poſſit omitti ob concionem? ibidem.

Quis, & ex quo empore obligat præceptum hoc audiendi ſacrum? Quid ſi dubitetur, an puer habeat vſum rationis; & quibus pœnis ligantur non audientes? n.3.p.399.

Quibus diebus obligat, & qua hora? Num ſufficiat vnam audire in die Natalis Domini? Quidue ſi audierit Miſſam ante publicationem præcepti? n.40. p.400.& ſeq.

Quo loco debet audiri? Quid ſi extra Eccleſiam Parochialem ex contemptu audiat? n.5.p.401.& ſeq. *In Oratorijs priuatis, qui audientes ſatisfaciunt.* ibid.p.402. *Quid in Oratorijs Epiſcopi, aut Capellis Cardinalium.* ibid.

Num ſatisfaciat præcepto per Miſſam priuatam, aut per Miſſam cuiuſcumque ritus? n.6.p.403.

Quid ſi audiatur Sacrum celebratum à Sacerdote degradato, vel excommunicato, vel ſuſpenſo? ibid. p.404.

Quæ præſentia moralis ad ſatisfaciendum requiratur? Num ligetur cæcus, & Surdus? n.8. *Sufficit ne abſolutè eſſe intra Templum?* n.9. p.405. *Quid ſi ſit extra Templum.* n. 10. *aut ſacram fiat in vna publica?* n. 11.

Qui ex feneſtra ſuæ domus videt Sacrum in Templo aduerſo ſatisfaciunt, ibid.n.406.

Quæ intentio requiritur? Quid ſi incipiat Miſſam audire, & poſtea dormiat; aut eſtaſim patiatur? n.13.p.407.

Sufficit ne intentio eius, qui Eccleſiæ venit intentione meditandi diuina? n.14. *Num audiens ex metu ſatisfaciat?* n.15. *Quid de audiente prorſus coacto, & inuito?* n.15. p.408. *An requiratur intentio ſatisfaciendi præcepto?* n. 16. *Vel ſaltem non ſatisfaciat, expreſsè nolens ſatisfacere?* n.17. p.409. & ſeq.

Per auditionem peccaminoſam Miſſæ ſatisfitne præcepto? n.18.p.411.

Quæ attentio requiritur, & actiones externæ obſunt? n.19.& 20. p.412. & ſeqq. *Num qui audit Miſſam poſſit ſimul recitare preces debitas?* n.21. p. 415.& ſeq.

Quæ integritas requiritur? quid ſi leuis pars non audiat? n.22. *Quid ſi poſſit Miſſam tantum audire à conſecratione ad ſumptionem, vel à principio vſque ad conſecrationem excluſiuè; vel peracta conſecratione ad finem? An teneamur adeſſe feria 6. Maioris Hebdomadæ?* Prop.54.n.44.

Quæ impotentia ſpiritualis excuſet ab auditione Sacri? Prop.53.§.1. n.23. p. 416.& ſeq. *Quæ corporalis.* n.24. p.417.& ſeq. *Quæ moralis?* n.25. p. 419. *Quando quis excuſatur ratione officij, & iuſtæ obedientiæ?* nu.26. p. 421. *Qui titulus charitatis excuſet?* n.27. p.422. *Quæ ignorantia, vel obliuio, ac inaduertentia?* n.28. p.323. *Quæ conſuetudo?* n.29. p.423. *Quæ præualentia alterius præcepti?* n.30. p.424. *Qui rationabiliter excuſatur, teneturne per aliud ſupplere, vel alia dici?* n.31.

Propoſitio 54. *quæ eſt* Leandri à Sacram. *& aliorum*. Satisfacit præcepto

Digitized by Google

Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, immò quatuor, ſimul à diuerſis celebrantibus audit, meritò reijcitur §.2.n.32.p.424.

Ea enim quæ ſubſiſtunt per partes ſucceſſiuas non poſſunt habere plures partes ſimul. n.35.p.426.

Et qui plures Miſſas tenetur audire, non poteſt eas audire ſimul. n.38.

Num damnetur opinio docens, adimpleri præceptum ab eo, qui ſucceſſiuè audit duas medietates Miſſæ à diuerſis Sacerdotibus. n.39.& 40.

MOHATRA.

Venditio cum pacto retrouendendi, vel retroemendi emptio, poteſt fieri, vel in fauorem venditoris; & tunc res minus venditur: vel in fauorem emptoris, & tunc pluris: ſecundum aliquos in tertia parte, & ſecundum alios in quarta parte, vel arbitrio prudentis. Vel in fauorem vtriuſque, & tunc minus valet, ac ſi in fauorem ſolius ementis apponeretur. Prop.40.§.1.p.146.

Licita eſt venditio cum pacto retrouendendi in fauorem venditoris, & retroemendi in fauorem emptoris: & etiam vtriuſque, ſi debitæ conditiones adſint. Et etiam cum pacto locationis faciendæ ipſi venditori; niſi hoc fiat ad palliandam vſuram. Cæterum in contractu redemptionis in fauorem emptoris manifeſtè datur vſura palliata. Vide cætera neceſſariò notanda ibi. num.3. p.147.

Prima igitur conditio, vt iuſta ſit ſupradicta conuentio, vt adſit bona fides cum animo emendi, ac non fiat in fraudem vſurarum, vnde erit vſura palliata. n.4. Secunda, vt iuſtum ſit pretium. n.5. Tertia, vt non paciſcatur, quod res pluris vendatur, vel ematur poſtea, cum poſſit tunc minus valere: nec minoris: cum poſſit valere pluris. Vide ib. n.6. Quarta, vt non trahatur in pactum, quod periculum, aut commodum rei venditæ ſit apud venditorem; niſi compenſetur cum diminutione, vel augmento pretij: modo res non ſit locata venditori. n.7. Quinta, vt ſeruetur identitas rei venditæ; niſi pretium augeatur, vel minuatur. n.8.

Contractus Mohatra, vel, vt aliter Baratto, eſt venditio quædam mercium pecunia credita ſummo pretio, & ſtatim pecunia numerata retrouenditio infimo; vel medio pretio. Poteſt eſſe caſualis: & cum pacto explicito, vel implicito. Formale in hoc contractu eſt, quod venditio, & emptio ſit eiuſdem perſonæ. n.9.

Propoſitio 40. quæ ab aliquibus attribuitur Ioanni Salas, & Dianæ. Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu eiuſdem perſonæ, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito cum intentione lucri, meritò hoc decreto abigitur. §.2.n.10.p.150.

Num ſit illicitus, ſi interueniat pactum implicitum: & quando hoc adeſt? n.12.

Si pactum nullum eſſet, & venditor neſciat emptorem velle retrouendere, hic contractus eſt licitus. n.13.p.151.

Num liceat, ſi venditor ſciat illum indigere pecunia, & reuenditurum? n.14.

Digitized by Google

Quid ſi venditor diceret illi, vt ſibi vendas, offerens infimum pretium, & ille ob verecundiam conſentiat? n.15.

Quando in hoc contractu non fit contra iuſtitiam, benè verò contra charitatem? n.16.& 17.

MOLLITIES.

Eſt peccatum contra naturam, per quod voluntaria pollutio procuratur extra concubitum, cauſa explendæ libidinis. Habet ſpecies obiectorum, quibus cogitat is, qui ſe polluit. Prop.49.n.2.p.305.

Pollutio voluntaria ſiue in ſe, ſiue in ſua cauſa eſt mortalis, ſaltem iure diuino poſitiuo. Si autem non eſt plenè voluntaria, vt in ſemi expergefacto, eſt vel venialis, vel nulla. Non fit licita cauſa ſanitatis, vel tentationis ſedandæ. Non eſt obligatio fluxum ſeminis detinere, etiam ſi voluntariè capit pollutio, ſed poſtea ipſe pœnituit culpæ; & tunc abſit conſenſus: non poteſt tamen illam adiuuare, aliquo motu, quamuis retentio ſit nocitura ſaluti. n.3. p.306.

Num omnes pollutiones ſecundum ſe ſint eiuſdem ſpeciei, & per accidens, quæ ſpecies ei iungi poſſint? n 4.

Quando dans operam rei influenti in pollutionem peccat mortaliter, quando minimè? n.5. *Quid ſi dedit cauſam pollutioni, quæ in ſomno ſubſecuta eſt?* n.6. *Quid ſi prauideatur pollutio ex lectione vana, aſpectu curioſo, & alijs, quæ ſunt peccata venialia? quid ſi ex cauſis, quæ ſunt mortalia, ſed non in genere luxuriæ?* n 7. *Ex qua cauſa excuſatur à peccato cauſa influens notabiliter in pollutionem.* n. 8.

Num, & ex qua cauſa poſſit maritus abſque mortali deſiſtere à copula, quando ipſe non ſeminauit, & vxor ſeminauit? Num poſſit ſe retrahere, vt poteſt fornicans, etiam ſi extra ſeminet? n.9.

An procurare diſtillationem ſit mortale, ſitque circa eius cauſas procedendum, vt in pollutione? Num coniugibus liceat cauſas influentes in pollutionem apponere, cum periculo diſtillationis? n.10.

Propoſitio 49. *quæ eſt* Caramuelis, & Verde. Mollities iure naturæ prohibita non eſt. Vnde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali, *meritò cenſuræ ſubijcitur*. §.2.n. 11.p.311. *Quid enim eſt contra naturam eſt contra ſpecialem legem naturæ, & diſſonum rationi.* n.14.& ſeq.

Et mollities eſt effuſio ſeminis contra primarium finem intentum à natura, qui eſt generatio, n.22. *Vide* n.37.& 38.

Pollutio voluntaria eſt ita intrinſecè mala, vt nec tentationes vitandæ, nec ſanitatis parandæ, nec mortis vitandæ ab extrinſeco comminatæ cauſa poſſit procurari. n.26.

Peccant mortaliter Medici propinantes medicamenta directè tendentia ad ſemen verum, & prolificum expellendum. n.27. *Licet tamen eam dare, vt ſemen in alium humorem ſoluatur.* n.28. *Vt etiam licet dare pharmaco ad expellendum*

dum ſemen corruptum, etſi aliqualis veri ſeminis effuſio ſequatur. In caſu, quo mulier ſit deſtituta ſenſibus poteſt id fieri etiam fricationibus. n.30.

Non licet pollutionem deſiderare, vel de illa gaudere, iam ſequutâ ob delectationem. n.31. *Licet verò eam deſiderare cauſa alicuius boni cum ea coniuncti.* n 32. *Medicus poteſt deſiderare pollutionem ægrotanti ſine illius culpa euenientem, quando ipſa vtilis eſt illius infirmitatis amouendæ*. n.33. *Si deſiderium pollutionis etſi ex bono fine, tamen efficaciter concurreret ad ipſam, ſiue vt eueniat in vigilia, ſiue in ſomno, non licet*. n.34. *Licitum eſt modo ſupra explicato gaudere de pollutione iam ſequuta.* n.35. *Non licet de ea præſentialiter habita, nec in voluntate delectari.* n.36.

OCCASIO proxima.

Quid eſt occaſio: quidue periculum peccandi, quod magis latè patet? Quid eſt periculum formale, quidue materiale? Quid occaſio proxima, quidue remota? Prop.63.§.1.n.3.4.& 5.p.619.& ſeqq.

Num occaſio proxima poſſit eſſe tam in materia determinata, quam in communi? n.5.

Dicaturne in occaſione proxima, qui cum ancilla, vel alia ter, quater, vel ſex peccauit in anno? Quibus conſideratis attendenda ſit frequentia? n.7.p.621. & ſeq.

Quid eſt occaſio proxima voluntaria, quidue neceſſaria? n.8.p.622. *Et quando abijci ur materialiter, quando tantum formaliter?* n.9.p 623.

Qui eſt in occaſione remota poteſt abſolui: & de hoc non loquuntur Propoſitiones proſcriptæ; ſed de proxima. n.10.

Propoſitio 63. *deſumpta ex* Ioanne Sancio, & Baſilio Pontio. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi, pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi, *meritò damnationi ſubijcitur*.

In moralibus enim idem eſt ſe conſtituere voluntariè in periculo proximo committendi aliquod crimen ac committere illud. Et bonum ſpirituale animæ propriæ debet præferri cuicumque bono temporali proprio, vel temporali, aut ſpirituali proximi. Quærere autem periculum formale peccati, peccatum eſt: & peccatum non poteſt quis velle, nec pro ingenti bono ſpirituali ſui, vel alterius. §.2.n.11.& ſeqq.

An poſſit quis ſubuenire mulieri extremè indigenti, quæ ipſi ſit occaſio proxima peccati? Poteſtne pater concubinam cauſa alendi filios, dum adeſt periculum cadendi in peccatum? n 15. p.625.& ſeq.

An poſſit quis pro ſalute infidelium quærere periculum, vel ſolum probabile peccandi? n.17 p.627.

An liceat patri ponere, & relinquere clauem in arca, vbi ſunt pecuniæ: e qua filius furens deprehendatur ad correctionem? n.18.& 19.

An poſſit abſolui concubina volens viſitare concubinarium in fine mortis? Num maritus poſſit paciſci cum vxore ſua, vt ſollicitanti eam ad adulterium dicat: Contenta ſum, vt venias hac nocte, &c. *ſi hoc faciat, vt veniens maſius*

ſius per punitionem, vel metum caueat in futurum? n.20.

Permittere peccatum quo ſine licet, quo minimè? n.21.& 22.

Propoſitio 61. quæ etiam ex ſupra relatis videtur deſumpta. Poteſt aliquando abſolui, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit, meritò damnatur. Vnde qui eſt in occaſione proxima voluntaria peccandi mortaliter, tenetur ſub mortali eam deſerere. n.23. Et quotieſcumque quis aduertit in aliqua occaſione eſſe periculum formale peccandi tenetur fugere periculum, vel materialiter, vel ſaltem formaliter. num.26. Et qui occaſionem proximam non tollit, peccatum, cuius periculo exponitur eſt eiuſdem ſpeciei cum actu, ad quem ordinatur; & ſi ſequitur actus, non eſt neceſſe circumſtantiam periculi aperire in confeſſione. n.27.

Num ſit abſoluendus, qui occaſionem proximam faciendi opus dubium de mortali non vult relinquere? n.28.

Concubinarius dum eſt in occaſione proxima peccandi, cur nec pro prima vice non ſit abſoluendus? n.30. Vide n.42.& 43.

An in aliquo caſu concubinarius, qui non vult reijcere è domo concubinam, ſed habet propoſitum firmiſſimum cum ea non peccandi in poſterum, poſſit abſolui? n.32.33.

Qui prima vice ſe accuſauit de occaſione neſciens eam eſſe impedimentum ad abſolutionem, nec tunc poteſt abſolui ante expulſionem n.38. p.636. Nec ſi accedat cum contritione perfecta n.39. Vide cætera ibi. Quid in caſu retentionis rei reſtituendæ? n.40.p.637.

Qui habet concubinam extra domum poteſtne ſemel, aut iterum abſolui, ſi firmiter proponat ad eam amplius non ſe conferre? n.41.p.638.

Quid in caſu, quo quis luxurioſè vtitur ſerua pretio empta? Quid in caſu fœminæ, quæ, vt famula detinetur, ſi ſemel, aut bis copulæ conſentiat, ſed pluries deinde reſtiterit? n.44.p.640.

Si occaſio ſit neceſſaria, quomodo teneantur declinare ſtatim ſi non materialiter ſaltem formaliter? n.45.& ſeqq.

Quid de filio familias, qui non poteſt concubinam è domo expellere, nec ipſe domum deſerere? n.48.

Quas conditiones debet habere, qui manet in occaſione proxima neceſſaria, vt poſſit abſolui? n.49.p.642.& ſeqq.

Quæ regulæ ſeruandæ ſint circa formale periculum extenuandum? n.50.p.643.

Si remedia experiantur non prodeſſe, teneturne quis deſerere occaſionem, etiam cum ſui detrimento: & ſi non poteſt aliter teneturne ingredi religionem? ibid.

Propoſitio 62 ex ſupra relatis deſumpta. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua vtilis, aut honeſta non fugiendi occurrit. Meritò damnationi ſubijcitur. Sola enim impoſſibilitas phiſica, vel moralis excuſat n.51.p.644. Caſus, qui concernunt occaſionem neceſſariam concubinarij reſoluimus in Lap.Lydio ad Propoſ.41.

Quid in concubinario, cui neceſſaria eſt aliqua fœmina domi cum eodem periculo, & circa eam quam tenet, non ſpecialiter afficitur? An facilè credendum adeſſe ſcandalum infamiam eiectione concubinæ? n.53.

An excuſet ab eiectione neceſſitas recuperandi centum. E.g.ibid.p.645.

Num excuſet nota grauis inurbanitatis, & ſimilis cauſa? n.54. *Vide* n.55.

Quid de iuuene, qui paupertate preſſus dormit cum alio cum quo tactus impudicos, & pollutiones habet. n.56. *Quidne de metu cadere in virum conſtantem, qualis eſt timor mortis, mutilationis, notabilis infamiæ, vel famæ omiſſionis?* n.57.

An teneatur quis deſerere ſuas artes, & munera, quando vrgent ad peccandum? n.58.

Opinio docens, licitum eſſe non fugere occaſionem cum iactura diuitiarum ſubit damnationem. n.59.

Vincenda eſt impoſſibilitas moralis, quando datur talis complicatio, & periculi proximi, vt neutrum vitari poſſit. Exemplum vide ibid.n.64.

Quid eſt periculum peccandi certum, quidne probabile. §.3.n.67. *Et num ad occaſionem proximam peccandi lethaliter ſuffuiat periculum probabile?* n.67. p. 651. *Vide* n.68.& ſeqq.

PALPO

Palpator, ſeù adulator, qui laudando alium induxit ad damnificandum, tenetur ad reſtitutionem. Et idem dicendum de eo, qui offenſum vitup(er)et, & irridet, exprobat, & eo quod nō vlciſcatur, &c. & iſte ex hoc monetur ad malefaciendum. Nec excuſatur eo, quod non intendit inducere, ſi actenis circumſtantijs ve oſimiliter iudicat debere ille moueri ad damnificandum: poteſt tamen excuſari ex ignorantia, vel inaduertentia. Prop.39. coroll.4. n.42.p. 135.& ſeqq.

PARTICIPANS

Quis ſit ad malum, in re accepta, vel in ipſa actione damnificatiua? Prop. 39.corol.6 n.45.p.138.

Quantum participans reſtituere teneatur. Qui metus excuſet? n.46.& 47.

Excuſanturne miniſtri vſurariorum, qui tantum deſcribunt, deferunt, vel numerant pecunias? n.48. *Quid de vendente arma properandi ad iniuſtum bellum?* n.49.

PECCATVM

Quomodo omne peccatum opponitur charitati Dei? Prop.52.n.60.p.393.

Ea, quæ ſunt intriſnecè mala, ſi non eſſent aliqua lege prohibita, tunc etſi non dicerentur mala formaliter eſſent tamen mala fundamentaliter. Malitia theologica eſt, quatenus offendit Deum, licet non conſideretur, vt legislator, ſed tantum vt auctor naturæ, vel rectæ rationis. Vnde ſecundum hoc malitia philoſophica à theologica eſt inſeparabilis. Prop.48. §.1.n.6. & 7.p.280.& ſeqq.

Contrahitur ne peccatum originale in vtero, & quando Prop.35.§.2. n.14. p.13.

PECVMIA Numerata. *Vide V.* VSVRA.

POENITENS

Credendum eſt pœnitenti, quando nulla coniectura apparet in contrarium. Prop. 60.§.1.n.4.p.598.

Pœnitens obligatur quandoque per accidens explicare circumſtantiam aggrauantem intra eamdem ſpeciem. Prop.58.§.3.n.19.p.572. *Per accidens poteſt quis obligari ad confitendum pluries ſuum peccatum*. n.20.p.573.

PRÆCEPTVM

Eccleſia poteſt, & de facto plurima præcipit vltra ea, quæ iure naturali, vel diuino præcipiuntur. Prop.52.n.60.

Quinque præcepta Eccleſiæ obligant non ſolum ſub pœna, ſed etiam ſub culpa; & contrarium ſaltem erroneum eſt. Prop.52.§.1.n.4.p.363.

Deus non poteſt diſpenſare in præceptis ſecundæ tabulæ, immutatis circumſtantijs; bene tamen illis mutatis excepto mendacio. Illa verò dicitur diſpenſatio impropria; nam propria in illis non poteſt fieri. Prop.49. §.3. n.40. p. 310.& ſeq. *Vide cætera, quæ ibi*.

PRÆDESTINATIO

Quot modis accipitur. Quid ſit abſolutè prolata? Num ſit ab æterno in mente diuina? Prop.56. §.1.n.2. & 3. p.499. *Quæ pars prouidentiæ Dei ſit? An aliquid ponat in prædeſtinato?* n.3.p.500.

Quæ ſit cauſa motiua Prædeſtinationis? n.4 & ſeqq.p.501.& ſeqq. *Explicantur cauſa efficiens, finalis, veluti formalis, & quaſi materialis prædeſtinationis*. n.4.

Prædeſtinatio eſt ne in poteſtate prædeſtinatorum? n.9.& 10.p.508.& ſeqq *Eſt ne certa, & infallibilis?* n.11.p.509. *An numerus prædeſtinatorum ſit maior quam reproborum?* n.12.& ſeqq.

Num aliquis in hac vita poſſit eſſe certus de ſua, vel aliorum prædeſtinatione? n.14.p.512.

Quæ ſint ſigna prædeſtinationis, & quot? §.2.n.15.& ſeqq p.513.& ſeqq.

Propoſitio 56. Frequens confeſſio, & communio in ijs, qui generaliter viuunt eſt nota prædeſtinationis, *meritò cenſuræ ſubiacet*. §.3.n.27.p.521. *Pœnitentia enim ſi gentiliter viuent bus non eſt fructuoſa, etiam ſi ſæpè confiteantur, & communionem accipiant*. n.28. *vide* n.13.& ſeq. *Imò eſt ſignum reprobationis*. n.33 & ſeqq.

RECEPTATOR

Qui receptator furis, vel alterius malefactoris tenetur ad reſtitutionem? Prop. 39.corol.5.n.43.p.136.

Poſſunt ne defendi fures apud Iudicem in ijs, in quibus ipſi fures ſe poſſunt defendere. Ibid.n.137.

Non excuſantur caupones, & alij recipientes pecuniam furtiuam à filijs familias, & alijs, quando probabiliter credunt eam eſſe furtiuam. Sic qui cogant filij familias ſedilia, menſas, chartas, lumen, &c. ad ludendum fieri cum pe-

cunia

Digitized by Google

cunia furtiua vt ex bonis parentum. Secus ſi tantum permittant id fieri in ſua domo, nec eos occultant. Ibid.p.138.

SIMONIA

Denominata à Simone Mago, quid ſit? Prop.44.& 45.§.1. n.2.p.214.

Pretium temporale triplex, ſcilicet munus à manu, munus à lingua, & munus ab obſequio: quæ ſi fiant loco pretij, & præſertim cum pacto ſimoniam inducunt. n.3.p 215.

Nomine rei ſpiritualis in ſimonia, quæ res intelligitur? Et res ſacræ poſſunt ne vendi ratione materiæ, & quanti? Eſt ne ſimonia pecuniam accipere pro officio interpretandi ſcripturam, pro reſponſis in caſibus conſcientiæ, pro labore in ſpiritualibus operibus? n.4.p.215.& ſeq.

Simonia alia eſt iuris diuini, & naturalis, in qua non datur paruitas materiæ; & obligat etiam ſummum Pontificem: alia iuris humano, vide. n.5.

Non eſt ſimonia ſi partes tractent de permutatione, cum conditione, ſi Prælatus conſenſerit. Nec permutatio rei ſpiritualis, cum ſpirituali. Permutare beneficium cum penſione laica; aut capellaniam collatiuam, vel beneficium cum commenda militari erit ſimonia de iure diuino. Capellania non collatiua, & commendæ militares ſunt res temporales. Simonia eſt accipere munera, etiam ſpontè oblata pro examine ad Parochiam, vel collatione ordinum, vel pro literis dimiſſorialibus. Vide cætera, quæ ibi n.5.p.217.& ſeq.

Simonia alia eſt mentalis, alia conuentionalis, alia realis. Quæ ipſæ ſint vide ibi n.6. *Si pollicitationem feceris de pretio pro collatione beneficij facienda: & alter non conſenſerit, non committis Simoniam confidentialem. Si intentionem non babes dandi promiſſum, ſimoniam confidentialem ex probabiliori non committis pro foro interno.* n.6.p.220.

Cauſa motiua ſimoniam committendi ſi tenere poteſt & ex parte cauſæ efficientis, & ex parte finalis adæquatæ, vel partialis. n.7. *Pretium vel formale eſt, vel virtuale.* n.8.p.221.

In quo differt gratuita compenſatio à gratuita donatione? n.9.p.221.& ſeq.

Propoſitio 45. *quæ eſt* Valen. Eſcobar., & Milhardi. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra, *meritò damnatur* §.2.n.20.p.222. *Vide* n.40.

In materia Simoniæ non datur paruitas materiæ. ibid. p.223. *Qui præbet munuſcula Ordinario, quæ ipſum flectere non debent, excuſatur à Simonia.* ibid. *Et ſi munera non præbeantur cum pacto, ſi tamen fiant intentione mouendi eſt Simonia.* n.13.

An qui habet ius in re, vel etiam ad rem poſſit abſque ſimonia iniuſtam vexationem pecunia redimere. n.22.& ſeq.

Eſt ne licitum pecuniam offerre electori, qui vult eligere minus dignum, ne eli-

eligat? n.24. *Vel offerre vt eligatur dignus in communi?* n.26. *aut etiam determinatè, vel ſaltem tradere, ad conciliandum affectum electorum erga aliquem dignum determinatè?* n.26. *Quid quando ſolùm vnus eſt dignus?* n.27.

Quid etiam quando electores ſubornantur vi, vel fraude? n.28. *aut quando vexatio fit precibus, vel donis electori?* n.29. *Quid ſi detur pecunia ſubornatori, vel ſaltem electoribus ſubornatis?* ibid. *Vide etiam* num. 30. 31. & 32. *Quid ſi detur pecunia, ne exceptio opponatur.* n.29. *vel detur alteri concurrenti, vt à concurſu deſiſtat?* n.34. *Quid de pacto cum alio, quod non concurrat ad tui electionem, & tu non concurras ſecum ad ſequentem.* n.35. *Vel pecunia detur alicui, vt metum incutiat ſupradicto competitori?* n.36. *Aut vti ſubornatione contra ſubornationem?* n.37.

Eſt ne etiam ſimonia tradere ſpirituale pro redimenda vexatione? n.36.

Dare, vel accipere tamquam donum gratuitum eſt ne ſimonia? n.41. *Quid ſi Epiſcopus compenſet beneficio famulatum Clerici, vel è contra Clericus hac intentione obſequium præbeat?* n.42. *Quid ſi detur titulo meriti circa ſeruitium, & vtilitatem Eccleſiæ? Vide cætera, quæ ibi* n.44. *Nam poſſit reduci in pactum antidoralis obligatio, vel gratuita.* n.45. *Quid de ſpe gratitudinis, & oſtentione animi grati.* n.46.

Propoſitio 45. *quæ nonnullis ſuſpicio eſt, eſſe* Caramuelis. Et id quoque locum habet, etiam ſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale; immo etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic, vt illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis, *meritò præſcribitur.* n.47. *Sic ſimoniacus eſt Canonicus Eccleſiam frequentans principaliter ob quotidianas diſtributiones?* n.49. *Similiter, qui aliquid dats vel recipit pro informando Prælato de qualitatibus prætendentis Beneficium.* n.50.

Num ſit ſimonia dare Prælato munera ad captandam eius beneuolentiam in ſpecie? n.51.

Quid de Clerico, qui famulatur Prælato, ab eius decorem principaliter, ſecundariò verò ad alliciendum eum, vt beneficium ei conferat? num.52. *Quid ſi res temporalis ſpirituali annexa habeat aliam rem temporalem pro fine intrinſeco, & detur ob ipſum finem, minus principalem?* n.53.

Num ſit ſimonia dare rem temporalem ſub conditione, vt ab altero opus bonum ſpirituale præſtetur? Vel dare, vel promittere cum pacto, vt opus ſpirituale perficiat, vel ab impedimento abducatur. n.54.

Eſtne licitum Epiſcopo conferre beneficium pingue Clerico ſub onere, quod renunc et aliud tenuet? n.55.

An ſit ſimoniacum dare pecuniam alicui tertio, vt intercedat apud alterum, vt hic immediatè intercedat apud collatorem beneficij? n.56.

Sub quibus titulis poſſit dari temporale pro ſpirituali? n.58. p.248.

VOTVM.

Emittens votum recitandi E.g. per 50. dies vnam Salutationem Angelicam, vel

vel faciendi paruam eleemoſynam, eſtne mortale, ſi omnia omittantur? Prop. 38. n.19. p.97.

VSVRA.

Nomine pecuniæ quid intelligatur, & vnde dicatur? Prop.41.§.1. n.1. p.155. & ſeq. *Num ex ſe ſit infructuoſa?* n.3.

Vſura eſt lucrum ex contractu mutui. *In mutuo transfertur dominium in mutuatarium: & ideò nefas eſt, quod mutuator exigat à mutuatario pretium pro vſu. Vſura dicitur per antiphraſim ab vſu pecuniæ cum iniquo lucro.* n.4.p.157. *Quando ad contractum mutui ſuperadditur alius contractus; vti eſt, quando datur pecunia cum damno emergente, vel lucro ceſſante dantis, non eſt vſura exigere, quod mutuans patitur, &c.* nu.4. *Vſura eſt prohibita non ſolum iure diuino poſitiuo, ſed etiam naturali.* n.15.

Vltra pecuniam ſunt materia mutui res vſu conſumptibiles, vti frumentum, vinum, &c. at iſta poſſunt eſſe etiam materia emptionis, & venditionis, non verò pecunia. Quando datur triticum cum obligationi reddendi tantumdem, eſt mutuum. Quando verò datur pro pretio currenti ſoluendum poſt ſemi-annum E g. eſt contractus venditionis, & ſimul mutuatio pecuniæ, quæ modo erat ſoluenda. Et ſic vltro pretium iuſtum non poteſt aliud exigi, niſi alij tituli interueniant. n.5.

Propoſitio 41. *quæ eſt* Caramuelis. Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ſupra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vſura excuſari, *meritò damnationi ſubijcitur*. §.2. n.6. p.158. *Pecunia enim numerata non eſt pretioſior numeranda, quoad pretioſitatem realem intrinſecam ipſi pecuniæ. Licet poſſit dici pretioſior ab alia commoda extrinſeca, quæ illa affert, præſertim per contractus emptionis.* n.10. *Cæterum quamuis poſſit dici pretioſior in ordine ad alios contractus: non tamen id verum eſt in ordine ad contractum mutui: & per conſequens non poteſt ad id exigi lucrum vltra ſortem, & contrarium damnatur.* n.11. p.160. *Quod ſi pecunia conſideretur vt pretioſior mutuatori, non conſideratur tunc in ſtatu præciſæ mutuationis.* nu.13. *Pecunia præſens non dicitur pretioſior ex neceſſitate mutuatarij, vel quia ei vtilis ſit.* n.14.

Res non poteſt vendi vltra pretium ſupremum ob dilationem ſolutionis, niſi alij tituli intercedant. Et ita diſcurrendum de exigente pecuniam à debitore, qui diſtulit ſolutionem? n.7.

Nomine ſortis in definitione vſuræ intelligitur quantitas materialis, quæ mutuatur. n.18. p.162.

Etiam ſi admitteretur maior æſtimatio intrinſeca pecuniæ præſentis, quam futuræ, nec ſequeretur, quod præcisè ratione illius poſſet mutuator aliquid vltra capitale accipere. n.20.

Quando ſeruatur omnimoda indemnitas mutuatoris nihil emolumenti vltra poteſt inde habere n.21.

Acci-

Digitized by Google

Accipere, & exigere in quo differant? Prop.52.§.1.n.2.p.172. *dicere: do tibi mutuum cum pacto, vt ſis mihi gratus, eſtne vſura?* ibid. *In quo differant donum gratuitum, & debitum ex gratitudine?* n.3.

Num accipere quid poſſit abſque vſura mutuator, ſi ſit tamquam gratuitum donum, non intuitu mutui, ſed ex beneuolentia mutuatorij? n.4. *An mutuator debeat cognoſcere donum ex gratitudine ſibi dari, ſaltem probabiliter? Quid ſi mutuatarius det aliquid timens non recepturum iterum mutuum, quando indigebit; vel ne vocetur ingratus.* n,5.p.173.

An donum liberale ſit quando mutuans ſigna dedit ſe ex mutuo velle aliquid accipere? ibid. *Vide ibi quo ad alia ſigna. Num mutuans, qui bona fide lucrum accepit, ſi poſtea dubitet, an fuerit ex dono gratuito, teneatur reſtituere?* n.6.p.174.

Propoſitio 42. *quæ eſt* Gaſp. Hurtadi, Caram. & Ioannis Poncii. Vſura non eſt dum vltra ſortem aliquid exigitur tamquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tamquam ex iuſtitia debitum, *meritò proſcribitur. Vid.* §.2.n.7.p.174. *plura benè explicata.*

Licet emittatur ly debitum, *ſed tantum obligatur mutuatarius ad gratitudinem, vſura eſt.* n 8.

Nec poſt factum poteſt aliquid exigi ex debito gratitudinis, etiam ſi prius nullum interceſſerit pactum. Et contrarium etiam damnationi ſubeſt. n.10.

Num ſit vſura ſi tantum aliquid ſperes ex gratitudine, ſpemque talem manifeſtes? n.11.

An ſit ſignum mentalis vſuræ in eo, qui non mutuaret, ſi ſciret mutuatarium futurum ingratum? n.12.

Mutuum dare cum quibus pactis eſt vſura, cum quibus minimè? n.13. & ſeqq.

F I N I S.

Ant 13 19 5 31

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google